BREVIARIUM


ALBIENSE




PARS


AUTUMNALIS

34.957.











Res 34957

BREVIARIUM

ALBIENSE.

PARS AUTUMNALIS.



Rés B4957

BREVIARIUM

ALBIENSE,

ILLUSTRISSIMI ET REVERENDISSIMI

IN CHRISTO PATRIS,

CAROLI BRAULT,

ARCHIEPISCOPI ALBIENSIS AUCTORITATE,

AC VENERABILIS EJUSDEM ECCLESIÆ CAPITULI CONSENSU

EDITUM ET AUCTUM.

PARS AUTUMNALIS.



VESONTIONE,
EX TYPIS L. GAUTHIER.

1833.

CAROLUS BRAULT,

MISERATIONE DIVINA,

ET S. SEDIS APOSTOLICÆ AUCTORITATE,

ARCHIEPISCOPUS ALBIENSIS,

CLERO ALBIENSI,

SALUTEM IN DOMINO.

Exhausta jam pridem, Fratres carissimi, quæ Illustrissimi ac Reverendissimi DD. Leopoldi Caroli *de Choiseul,* Prædecessoris nostri curâ in lucem olim prodierat, Breviarii Albiensis editione; illud idem Breviarium, diligentissimè recognitum, nonnullis levibus adhibitis mutationibus, additisque novis quibusdam Officiis, de Venerabilis Ecclesiæ nostræ Metropolitanæ Capituli consensu, typis iterùm mandari decernere nobis visum est; non modò ut Seminariorum nostrorum alumni librum ad Officii divini recitationem necessarium faciliùs sibi comparent; verùm etiam ut per varias nostræ Diœcesis partes, Presbyteri et alii Sacris Ordinibus initiati, quorum eadem sunt vota, eamdem etiam orationem, eodem ordine et iisdem verbis omnes Deo persolvant.

In novam hanc Breviarii Albiensis editionem, Officia SS. Cordis Christi et SS. Rosarii B. Mariæ Virginis inserenda curavimus; itemque S. Alani,

antiquæ Diœcesis Vaurensis Patroni, S. Joannæ Franciscæ (*de Frémiot-de-Chantal*), et S. Joannæ (*de Valois*); quorum solemnitatem deinceps, per universam Diœcesim celebrari mandamus. Alia quædam Officia statuimus ad gradum superiorem evehi, et inter cætera, Officium S. Clari, primi Albiensis Episcopi, sancti Vincentii à Paulo, Cleri Albiensis, et S. Benedicti, antiquæ Diœcesis Castrensis Patroni. In Dominicis communibus, per annum, Officium fiet de Duplici-majore, eâdem die occurrente; idem erit in Feriis Quadragesimæ, etiamsi Duplex-majus esset translatum. Quodcumque Festum Semiduplex et suprà, Canticum ad Laudes habebit Proprium vel de Communi Sanctorum: item in Dominicis Quadragesimæ, Passionis et Palmarum, atque in Feriis majoris Hebdomadæ. Cuilibet Psalmo et Cantico suum præmittitur argumentum, quo faciliùs attentio excitetur recitantis et accendatur affectus. Si quæ sint aliæ levis momenti additiones aut mutationes, in decursu Breviarii, vel in Rubricis generalibus, notatæ reperientur. Sic Breviarium Albiense jam eximium, nunc accuratius et locupletius, ad mentis illuminationem et ad pietatis sensus acuendos aptissimum evadet.

Quid ampliùs, Fratres carissimi, nisi vos exhortemur ad divinum Officium eo animi affectu persolvendum, quo cœlo vim inferatis, et à Patre optimo atque omnipotente Deo omnia gratiæ subsidia impetretis? Nullâ enim ætate, ut ipsi noveritis, Dei auxilium optandum magis, tùm pro pri-

vatis vestris, tùm pro generalibus totius Ecclesiæ et Regni necessitatibus. Quæ autem Oratio grata magis Deo, quæ ad ipsius misericordiam gratiamque promerendam potentior publica illa prece quæ concordibus animis universalis Ecclesiæ vice, et in nomine Domini nostri Jesu Christi, Deo Patri oblata, verbis coalescit Divini Spiritûs afflatu prolatis, sine quo, ut ait Apostolus, *quid oremus sicut oportet nescimus : sed ipse spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus* [1] ? Psalmistæ igitur mentem assecuti, ejus varios imitamini sensus, juxta illud sancti Augustini : *Si orat Psalmus, orate ; si gemit, gemite; si gratulatur, gaudete ; si sperat, sperate ; si timet, timete : omnia enim quæ hîc conscripta sunt, speculum nostrum sunt* [2] : sicque jure ac meritò hæc ejusdem Apostoli verba usurpetis : *Orabo spiritu, orabo et mente : psallam spiritu, psallam et mente* [3]. Quod Deus optimus et Pater luminum, à quo descendit omne donum perfectum, ipse vobis concedat, per gratiam suam.

Datum Albiæ, sub signo sigilloque nostro et secretarii nostræ Diœcesis subscriptione, pridiè Idus Julii, anno Domini millesimo octingentesimo trigesimo secundo.

† CAROLUS, Arch. Albiensis.

De Mandato DD. Archiepiscopi,
LAURENS, *Secret.*

[1] Ep. ad. Rom. cap. 8, ℣. 26. — [2] Enar. 4, in Psal. 30. — [3] I. Ep. ad Cor. cap. 14, ℣. 15.

TABULA DE HORA

QUA, PRO DIE SEQUENTI, INCHOARI POTEST OFFICIUM NOCTURNUM,

REGIONI ALBIENSI SIC ACCOMMODATA,

UT TUTO SERVARI POSSIT TAM DIEBUS INFRA NOTATIS, QUAM DIEBUS INTERMEDIIS.

6 Januarii,	Horâ sesqui-secundâ.
6 Februarii,	Horâ secundâ cum tribus quadrantibus.
28 Februarii,	Horâ tertiâ.
19 Martii,	Horâ tertiâ, cum quadrante.
8 Aprilis,	Horâ sesqui-tertiâ.
30 Aprilis,	Horâ tertiâ, cum tribus quadrantibus.
27 Maii,	Horâ quartâ.
16 Julii,	Horâ tertiâ cum tribus quadrantibus.
13 Augusti,	Horâ sesqui-tertiâ.
4 Septembris,	Horâ tertiâ cum quadrante.
24 Septembris,	Horâ tertiâ.
15 Octobris,	Horâ secundâ cum tribus quadrantibus.
5 Novembris,	Horâ sesqui-secundâ.
4 Decembris,	Horâ secundâ cum quadrante.

Ubicumque reperitur nota hæc +, juxta numerum Dominicarum quæ Epiphaniam inter et Septuagesimam occurrunt, in sequenti Tabella temporaria, designat Officium Dominicæ cujusdam anticipandum in Sabbatum, aut aliquam Feriam præcedentem, prout habetur fusius, Part. I, Cap. VI, num. 15, Rubricarum generalium.

TABULA TEMPORARIA

Anni Domini.	Aureus num.	Epacta.	Indictio.	Litt. Dom.	Domin. post Epiph.	Septuagesima.	Dies Cinerum. Simplex.
1832	9	XXVIII	5	A g	6	19 Febr.	7 Mart.
1833	10	IX	6	f	3 +	3 Febr.	20 Febr.
1834	11	XX	7	e	2 +	26 Janu.	12 Febr.
1835	12	I	8	d	5 +	15 Febr.	4 Mart.
1836	13	XII	9	c b	3 +	31 Janu.	17 Febr.
1837	14	XXIII	10	A	2	22 Janu.	8 Febr.
1838	15	IV	11	g	5	11 Febr.	28 Febr.
1839	16	XV	12	f	2 +	27 Janu.	13 Febr.
1840	17	XXVI	13	e d	5 +	16 Febr.	4 Mart.
1841	18	VII	14	c	4 +	7 Febr.	24 Febr.
1842	19	XVIII	15	b	2 +	23 Janu.	9 Febr.
1843	1	✲	1	A	5	12 Febr.	1 Mart.
1844	2	XI	2	g f	4	4 Febr.	21 Febr.
1845	3	XXII	3	e	1 +	19 Janu.	5 Febr.
1846	4	III	4	d	4 +	8 Febr.	25 Febr.
1847	5	XIV	5	c	3 +	31 Janu.	17 Febr.
1848	6	XXV	6	b A	6	20 Febr.	8 Mart.
1849	7	VI	7	g	4	4 Febr.	21 Febr.
1850	8	XVII	8	f	2 +	27 Janu.	13 Febr.
1851	9	XXVIII	9	e	5 +	16 Febr.	5 Mart.
1852	10	IX	10	d c	4 +	8 Febr.	25 Febr.
1853	11	XX	11	b	2 +	23 Janu.	9 Febr.
1854	12	I	12	A	5	12 Febr.	1 Mart.
1855	13	XII	13	g	4	4 Febr.	21 Febr.
1856	14	XXIII	14	f e	1 +	20 Janu.	6 Febr.
1857	15	IV	15	d	4 +	8 Febr.	25 Febr.
1858	16	XV	1	c	3 +	31 Janu.	17 Febr.
1859	17	XXVI	2	b	6	20 Febr.	9 Mart.
1860	18	VII	3	A g	4	5 Febr.	22 Febr.
1861	19	XVIII	4	f	2 +	27 Janu.	13 Febr.
1862	1	✲	5	e	5 +	16 Febr.	5 Mart.
1863	2	XI	6	d	3 +	1 Febr.	18 Febr.
1864	3	XXII	7	c b	2 +	24 Janu.	10 Febr.
1865	4	III	8	A	5	12 Febr.	1 Mart.
1866	5	XIV	9	g	3	28 Janu.	14 Febr.
1867	6	XXV	10	f	5 +	17 Febr.	6 Mart.
1868	7	VI	11	e d	4 +	9 Febr.	26 Febr.
1869	8	XVII	12	c	2 +	24 Janu.	10 Febr.
1870	9	XXVIII	13	b	5 +	13 Febr.	2 Mart.

Anni Domini.	Pascha. Annuale.	Ascensio Domini. Sol. maj	Pentecostes. Annuale.	Fest. Corp. Christi Sol. maj.	Domin. post Pentec.	Dominica Adventûs Domini.
1832	22 April.	31 Maii.	10 Juni.	21 Juni.	24	2 Déc.
1833	7 April.	16 Maii.	26 Maii.	6 Juni.	26	1 Dec.
1834	30 Mart.	8 Maii.	18 Maii.	29 Maii.	27	30 Nov.
1835	19 April.	28 Maii.	7 Juni.	18 Juni.	24	29 Nov.
1836	3 April.	12 Maii.	22 Maii.	2 Juni.	26	27 Nov.
1837	26 Mart.	4 Maii.	14 Maii.	25 Maii.	28	3 Dec.
1838	15 April.	24 Maii.	3 Juni.	14 Juni.	25	2 Dec.
1839	31 Mart.	9 Maii.	19 Maii.	30 Maii.	27	1 Dec.
1840	19 April.	28 Maii.	7 Juni.	18 Juni.	24	29 Nov.
1841	11 April.	20 Maii.	30 Maii.	10 Juni.	25	28 Nov.
1842	27 Mart.	5 Maii.	15 Maii.	26 Maii.	27	27 Nov.
1843	16 April.	25 Maii.	4 Juni.	15 Juni.	25	3 Dec.
1844	7 April.	16 Maii.	26 Maii.	6 Juni.	26	1 Dec.
1845	23 Mart.	1 Maii.	11 Maii.	22 Maii.	28	30 Nov.
1846	12 April.	21 Maii.	31 Maii.	11 Juni.	25	29 Nov.
1847	4 April.	13 Maii.	23 Maii.	3 Juni.	26	28 Nov.
1848	23 April.	1 Jun.	11 Juni.	22 Juni.	24	3 Dec.
1849	8 April.	17 Maii.	27 Maii.	7 Juni.	26	2 Dec.
1850	31 Mart.	9 Maii.	19 Maii.	30 Maii.	27	1 Dec.
1851	20 April.	29 Maii.	8 Juni.	19 Juni.	24	30 Nov.
1852	11 April.	20 Maii.	30 Maii.	10 Juni.	25	28 Nov.
1853	27 Mart.	5 Maii.	15 Maii.	26 Maii.	27	27 Nov.
1854	16 April.	25 Maii.	4 Juni.	15 Juni.	25	3 Dec.
1855	8 April.	17 Maii.	27 Maii.	7 Juni.	26	2 Dec.
1856	23 Mart.	1 Maii.	11 Maii.	22 Maii.	28	30 Nov.
1857	12 April.	21 Maii.	31 Maii.	11 Juni.	25	29 Nov.
1858	4 April.	13 Maii.	23 Maii.	3 Juni.	26	28 Nov.
1859	24 April.	2 Juni.	12 Juni.	23 Juni.	23	27 Nov.
1860	8 April.	17 Maii.	27 Maii.	7 Juni.	26	2 Dec.
1861	31 Mart.	9 Maii.	19 Maii.	30 Maii.	27	1 Dec.
1862	20 April.	29 Maii.	8 Juni.	19 Juni.	24	30 Nov.
1863	5 April.	14 Maii.	24 Maii.	4 Juni.	26	29 Nov.
1864	27 Mart.	5 Maii.	15 Maii.	26 Maii.	27	27 Nov.
1865	16 April.	25 Maii.	4 Juni.	15 Juni.	25	3 Dec.
1866	1 April.	10 Maii.	20 Maii.	31 Maii.	27	2 Dec.
1867	21 April.	30 Maii.	9 Juni.	20 Juni.	24	1 Dec.
1868	12 April.	21 Maii.	31 Maii.	11 Juni.	25	29 Nov.
1869	28 Mart.	6 Maii.	16 Maii.	27 Maii.	27	28 Nov.
1870	17 April.	26 Maii.	5 Juni.	16 Juni.	24	27 Nov.

CALENDARIUM (1)

JANUARIUS.

Cycl. Epactæ.	Litt. Dom.	Dies Mensis.		
*	A	Cal.	1	CIRCUMCISIO DOMINI, *Solemne-minus.*
XXIX	b	IV	2	Basilii magni, Cesariensis in Cappadocia Episcopi, et Ecclesiæ Doctoris, *Semiduplex :* obiit 1 Januarii, an. 379.
XXVIII	c	III	3	Genovefæ, Virginis, *Semid.* an. 512.
XXVII	d	Prid.	4	
XXVI	e	Non.	5	Vigilia Epiphaniæ, *sine jejunio, Simplex :* cum *Commemor.* S. Simeonis Stylitæ, Anachoretæ prope Antiochiam ; c. an. 460.
25. XXV	f	VIII	6	EPIPHANIA DOMINI, *Solemne-majus.* (*Solemnitas transfertur in Dom. sequentem.*)
XXIV	g	VII	7	
XXIII	A	VI	8	De Octava Epiphaniæ, *Semiduplex.*
XXII	b	V	9	
XXI	c	IV	10	De Octava Epiphaniæ, *Semiduplex :* cum *Commem.* S. Pauli, primi Eremitæ Thebaidis : c. an. 341.
XX	d	III	11	
XIX	e	Prid.	12	De Octava Epiphaniæ, *Semiduplex.*
XVIII	f	Idib.	13	Octav. Epiph. et Bapt. Dom. *Dupl.-maj.*
XVII	g	XIX	14	Hilarii, Pictaviensis Episcopi et Ecclesiæ Doctor. (è 13.) *Duplex-minus ;* circa annum 368.
XVI	A	XVIII	15	Mauri, Glannofoliensis Abb. *Semid.* circa fin. VI s. cum *Commemoratione* sanctæ Tarsiciæ, Virginis Ruthenensis : circa annum 609.
XV	b	XVII	16	Firmini, Gabalorum Episc. (è 14.) *Simplex :* c. fin. III s.

(1) In hoc Calendario appositum est tempus quo quisque Sanctus obiit : *an.* significat anno : *c. an.* circa annum : *s.* seculo : *c. med. s.* circa medium seculi ; *c. fin. s.* circa finem seculi. Quibus nihil apponitur, tempus eorum mortis plane incertum.

Festa quæ majoribus notantur caracteribus, feriantur apud populum ; quæ vero mediis caracteribus, olim feriabantur, et nunc celebrantur ad devotionem.

Cycl. Epactæ.	Litt. Dom.	Dies Mensis.		
XIV	c	XVI	17	Antonii, Abbatis AEgyptii, *Semiduplex:* an. 356, cum *Commemorat.* sancti Genulfi, primi Cadurcensis Episcopi, c. an. 260; et sancti Sulpitii, Bituricensis Episc. an. 644.
XIII	d	XV	18	Pontificatûs, seu Cathedræ sancti Petri Apostoli, quâ primùm Antiochiæ, tum Romæ, sedit, *Semid.*
				Prima Septuagesima.
XII	e	XIV	19	Guillelmi, Bituric. Episc. (è 10.) *Simplex;* an. 1209.
XI	f	XIII	20	Sebastiani, Martyris, *Duplex-minus:* c. an. 288, cum *Comm.* S. Fabiani, Papæ et Mart. an. 250.
X	g	XII	21	Agnetis, Virg. et Mart. *Semid.* an. 303 vel 304; cum *Commem.* S. Fructuosi, Episcopi Tarraconensis et Martyris, an. 259.
IX	A	XI	22	Vincentii, Diaconi et Martyris, *Duplex-minus:* an. 303 vel 304.
VIII	b	X	23	
VII	c	IX	24	
VI	d	VIII	25	Conversio sancti Pauli, Apostoli, *Duplex-majus:* an. 34 vel 35.
V	e	VII	26	Paulæ, Viduæ, *Simplex:* an. 404.
IV	f	VI	27	
III	g	V	28	Cyrilli Alexandrini, Episcopi et Ecclesiæ Doctoris (è 28 junii), *Semiduplex:* an. 445.
II	A	IV	29	Francisci Salesii, Genev. Episc., (è 28 Dec.) *Semid.* an. 1622.
I	b	III	30	Bathildis, Reginæ Francorum, Viduæ, *Simplex*, c. an. 680.
✠	c	Prid.	31	

FEBRUARIUS.

XXIX	d	Cal.	1	Ignatii, Antiochiæ Episcopi et Martyris, (è 20 Dec.) *Semid.* an. 107.
XXVIII	e	IV	2	PRÆSENTATIO DOMINI, ET PURIFICATIO BEATÆ MARIÆ VIRGINIS, *Solemne-majus.*

Cycl. Epactæ	Litt. Dom.	Dies Mensis.		
XXVII	f	III	3	Blasii, Sebast. Episc. et Mart. *Simplex*: circa an. 316.
				Prima dies Cinerum.
25. XXVI	g	Prid.	4	Joannæ Valesiæ, olim Reginæ Franciæ, *Semid.* an. 1505.
XXV. XXIV	A	Non.	5	Agathæ, Catan. Virg. et Mart. *Semid.* an. 251.
XXIII	b	VIII	6	
XXII	c	VII	7	
XXI	d	VI	8	Joannis de Matha, Presbyt. Paris. Ord. SS. Trinit. Fund. (e 21 dec.) *Semid.* an. 1213.
XX	e	V	9	
XIX	f	IV	10	
XVIII	g	III	11	
XVII	A	Prid.	12	
XVI	b	Idib.	13	
XV	c	XVI	14	
XIV	d	XV	15	
XIII	e	XIV	16	
XII	f	XIII	17	
XI	g	XII	18	Simeonis, Hierosolymitani Episcopi et Martyris, *Semiduplex*, an. 107.
X	A	XI	19	
IX	b	X	20	
VIII	c	IX	21	
				Ultima Septuagesima.
VII	d	VIII	22	
VI	e	VII	23	
*	*	*	*	*Dies intercalaris addendus in anno Bissextili.*
V	f	VI	24	Matthiæ, Apost. *Dupl. maj.* 1. s. *In anno Bissextili* (1).
IV	g	V	25	
III	A	IV	26	
II	b	III	27	
I	c	Prid.	28	

(1) In Anno bissextili Februarius est dierum 29, et Festum sancti Matthiæ celebratur 25 Februarii, et bis dicitur *sexto Calendas*, id est, 24 et 25. Littera verò Dominicalis quæ assumpta fuit in mense Januario, mutatur in præcedentem; ut, si in Januario Littera Dominicalis fuit A, mutatur in præcedentem, quæ est g; et sic de aliis.

Feria VI post Cineres fit Officium de Quinque Plagis Christi, *Dupl. minus.*

Cycl. Epactæ.	Litt. Dom.	Dies Mensis.		
✠	d	Cal.	1	
XXIX	e	VI	2	
XXVIII	f	V	3	
XXVII	g	IV	4	
XXVI	A	III	5	
25. XXV	b	Prid.	6	
XXIV	c	Non.	7	Perpetuæ et Felicitatis, Mart. *Commem.* c. an. 204.
XXIII	d	VIII	8	*Primum Novilunium Paschale.*
XXII	e	VII	9	
XXI	f	VI	10	
				Ultima dies Cinerum.
XX	g	V	11	
XIX	A	IV	12	Quadraginta Mart. *Commem.* c. an. 320.
XVIII	b	III	13	
XVII	c	Prid.	14	
XVI	d	Idib.	15	
XV	e	XVII	16	
XIV	f	XVI	17	
XIII	g	XV	18	Alexandri, Episc. Hierosolym. et Mart. *Commem.* an. 250.
XII	A	XIV	19	Josephi, sponsi B. M. V. *Dupl.-maj.* 1 s.
XI	b	XIII	20	
X	c	XII	21	
				Primum Pascha.
IX	d	XI	22	
VIII	e	X	23	
VII	f	IX	24	
VI	g	VIII	25	ANNUNTIATIO DOMINICA, *Solemne-majus.*
V	A	VII	26	
IV	b	VI	27	
III	c	V	28	
II	d	IV	29	
I	e	III	30	
✠	f	Prid.	31	De Octavâ Annuntiationis, *Semiduplex*; quando Pascha occurrit die 22 Martii. Feriâ sextâ post Dominicam Passionis fit Officium de Compassione B. Mariæ Virginis, *Duplex-minus.*

Cycl. Epactæ.	Litt. Dom.	Dies Mensis.		
XXIX	g	Cal.	1	Octava Annuntiationis (modò Pascha occurrat 22 vel 23 Martii), *Duplex-majus.*
XXVIII	A	IV	2	Francisci de Paulâ, Institutoris Ordinis Minimorum. *Semid.* an. 1507.
XXVII	b	III	3	
25. XXVI	c	Prid.	4	Ambrosii, Mediolanensis Episcopi, et Ecclesiæ Doctoris, *Duplex-minus :* an. 397.
XXV XXIV	d	Non.	5	
				Ultimum Novilunium Paschale.
XXIII	e	VIII	6	
XXII	f	VII	7	
XXI	g	VI	8	
XX	A	V	9	
XIX	b	IV	10	
XVIII	c	III	11	
XVII	d	Prid.	12	
XVI	e	Idib.	13	
XV	f	XVIII	14	Tiburtii, Valeriani et Maximi, Mart. *Duplex-minus :* II *vel* III s.
XIV	g	XVII	15	
XIII	A	XVI	16	
XII	b	XV	17	
XI	c	XIV	18	
X	d	XIII	19	
IX	e	XII	20	
VIII	f	XI	21	
VII	g	X	22	
VI	A	IX	23	Georgii, Martyris, *Commem.* circa an. 303.
V	b	VIII	24	Roberti, Abbatis Casæ Dei, *Commem.* an. 1067.
IV	c	VII	25	Marci, Evangelistæ, *Dupl. maj.* circa an. 68.
				Ultimum Pascha.
III	d	VI	26	Cleti seu Anacleti, Papæ et Martyris, *Commem.* c. an. 91.
II	e	V	27	Polycarpi, Smyrnensis Episcopi, et Martyris, (è 26 Mart.) *Semiduplex ;* an. 169.
I	f	IV	28	

Cycl. Epactæ.	Litt. Dom.	Dies Mensis.		
✪	g	III	29	Mariæ Ægyptiæ (è 1), *Semiduplex* : vvel VI s.
XXIX	A	Prid.	30	Eutropii, Santonensis Episc. et Mart. *Commem.* III s.
				Dominicâ secundâ post Pascha, celebratur in ecclesiâ Metropolitanâ et in omnibus ecclesiis Diœcesis ANNIVERSARIUM DEDICATIONIS ecclesiæ metropolitanæ et aliarum Diœcesis ecclesiarum, ritu Solemni-majori cum Octavâ.

MAIUS.

XXVIII	b	Cal.	1	Philippi ✪ et Jacobi ✪✪ (Alphæi), Apost. *Dupl. maj.* ✪ post 81. ✪✪ 62.
XXVII	c	VI	2	Athanasii, Alexand. Episc. et Eccl. Doct. *Semiduplex* : an. 373.
XXVI	d	V	3	Inventio sanctæ Crucis, *Duplex-majus* : (IN METROP. *Solemne-min.*) an. 326.
25. XXV	e	IV	4	Monicæ, Viduæ, Commemoratio, an. 387.
XXIV	f	III	5	Sacerdotis, Diaconi ecclesiæ Cadurcensis, postea Lemovic. Episc. *Commem.* c. an. 720.
XXIII	g	Prid.	6	Joannis, Apost. et Evang., ante Portam Latinam, *Semid.* an. 95.
XXII	A	Non.	7	Theodardi, è territorio Cadurcensi, Narbon. Episc. (è 1.) *Commem.* an. 893.
XXI	b	VIII	8	
XX	c	VII	9	Gregorii Nazianzeni, Constant. Episc. et Eccles. Doct. *Semid.* an. 391.
				Prima Pentecoste.
XIX	d	VI	10	Mamerti, Viennensis Episcopi (è 11), *Commem.* post ann. 475.
XVIII	e	V	11	Africani, Conven. Episc. *Semiduplex* : VI s.
XVII	f	IV	12	
XVI	g	III	13	
XV	A	Prid.	14	Paschalis, Papæ, *Semid.* an. 824.
XIV	b	Idib.	15	
XIII	c	XVII	16	
XII	d	XVI	17	
XI	e	XV	18	

MAIUS.

Cycl. Epactæ.	Litt. Dom.	Dies Mensis.		
X	f	XIV	19	Petri Cœlestini V, Papæ, Instit. Congr. Cœlest. *Semiduplex;* an. 1296, et *Commem.* S. Yvonis, Presb. an. 1303.
IX	g	XIII	20	
VIII	A	XII	21	
VII	b	XI	22	
VI	c	X	23	
V	d	IX	24	
IV	e	VIII	25	Urbani, Papæ I, et Mart. *Semid.* an. 230.
III	f	VII	26	
II	g	VI	27	
I	A	V	28	
✱	b	IV	29	
XXIX	c	III	30	
XXVIII	d	Prid.	31	Mundanæ, Viduæ et Mart. in territorio Cadurcensi, *Simplex :* c. an. 725. Dominicâ primâ post Pentecost. fit Off. de SS. TRINITATE, *Solemne-minus.* Dominicâ tertiâ post Pentecosten, fit Officium de SS. CORDE JESU, *Solemne-majus.*

JUNIUS.

XXVII	e	Cal.	1	Clari, primi Episc. Albiensis, et Mart. *Solemne-minus:* an. 259.
25. XXVI	f	IV	2	Pothini, Lugd. Episc. Blandinæ Virg. et quadraginta quinque Mart. *Semid.* an. 177; cum *Commem.* SS. Marcellini, Presb. et Petri Exorcistæ, Mart. an. 304.
XXV. XXIV	g	III	3	Clotildis, Reginæ Francorum, *Semid.* post 537.
XXIII	A	Prid.	4	
XXII	b	Non.	5	
XXI	c	VIII	6	Norberti, Magdeburgensis Episcopi, Institutoris Ordinis Præmonstratensis, *Semid.* an. 1134; cum *Commem.* S. Claudii, Bisuntinensis Episcopi, an. 581.
XX	d	VII	7	
XIX	e	VI	8	Medardi, Noviom. Episcopi, *Simplex:* c. an. 545.
XVIII	f	V	9	
XVII	g	IV	10	

Cycl. Epactæ.	Litt. Dom.	Dies Mensis.		
XVI	A	III	11	Barnabæ, Gentium Apost. *Dupl. min.* c. fin. I s.
XV	b	Prid.	12	
XIV	c	Idib.	13	
				Ultima Pentecoste.
XIII	d	XVIII	14	
XII	e	XVII	15	
XI	f	XVI	16	Ilpidii, Gabali, Mart. *Simplex* : III *s.*
X	g	XV	17	
IX	A	XIV	18	
VIII	b	XIII	19	Gervasii et Protasii, Martyrum, *Semid.* I *vel* II *s.* cum *Commem.* S. Romualdi, Abbatis, Institut. Ord. Camaldulensis; c. an. 1027.
VII	c	XII	20	
VI	d	XI	21	Radulphi, è territorio Cadurc. Episc. Bituric. *Simpl.* an. 866.
V	e	X	22	Paulini, Nolani Episc. *Semid.* an. 431.
IV	f	IX	23	
III	g	VIII	24	NATIVITAS SANCTI JOANNIS BAPTISTÆ, *Solemne-minus.*
II	A	VII	25	
I	b	VI	26	Joannis et Pauli, Mart. *Simpl.* c. an. 363.
✠	c	V	27	
XXIX	d	IV	28	Irenæi, Lugd. Episc. et Eccl. Doct. ac Soc. Mart. *Dupl. min.* circa an. 202; cum *Commem.* Vigiliæ SS. Petri et Pauli, Apost. *sine jejunio.*
XXVIII	e	III	29	PETRI ET PAULI, APOST. *Solemne-majus* : c. an. 66, cum *Commemor.* omnium SS. Apostolorum. (*Solemnitas transfertur in Dom. seq.*)
XXVII	f	Prid.	30	Commemoratio sancti Pauli, Apostoli, *Dupl. min.* cum *Commem.* S. Petri.

JULIUS.

XXVI	g	Cal.	1	Martialis, Lemovicensis Episcopi, (è 30 Junii), *Semid.* III *s.* cum *Commem.* Octavæ SS. Petri et Pauli.
25. XXV	A	VI	2	Visitatio Beatæ Mariæ, *Dupl. maj.* cum *Commem.* Octavæ SS. Petri et Pauli.
XXIV	b	V	3	
XXIII	c	IV	4	De Octavâ SS. Petri et Pauli, *Semid.*
XXII	d	III	5	
XXI	e	Prid.	6	Octava SS. Petri et Pauli, *Dupl. min.*

Cycl. Epactæ	Litt. Dom.	Dies Mensis.		
XX	f	Non.	7	Thomæ, Cantuariensis Episc. et Mart. (è 29 Dec.) *Semiduplex :* an. 1170. Transl. hâc die, an. 1222.
XIX	g	VIII	8	Alithii, Cadurcens. Episcopi, *Simplex :* post an. 400.
XVIII	A	VII	9	
XVII	b	VI	10	Septem Fratrum, filiorum sanctæ Felicitatis, Mart. *Simplex :* c. an. 150.
XVI	c	V	11	Benedicti, Cassinensis Abb. (è 21 Mart.) *Duplex-majus :* an. 543. Translat. hâc die, c. an. 653.
XV	d	IV	12	
XIV	e	III	13	
XIII	f	Prid.	14	Bonaventuræ, Albanensis Episc. et Doct. *Semid.* an. 1274.
XII	g	Idib.	15	
XI	A	XVII	16	
X	b	XVI	17	
IX	c	XV	18	Thomæ Aquinatis, Ecclesiæ Doctoris, (è 7 Mart.) *Duplex-minus :* an. 1274. Canonisatio hodiè, an. 1323.
VIII	d	XIV	19	Vincentii à Paulo, Presbyteri, Institutoris Congregationis Mission. *Solemne-majus :* an. 1660.
VII	e	XIII	20	
VI	f	XII	21	Victoris, Mart. *Simplex :* c. an. 290.
V	g	XI	22	Mariæ Magdalenes, *Dupl. maj.* 1 s.
IV	A	X	23	
III	b	IX	24	Sigolenæ, Albiensis Viduæ, *Dupl. maj.* ante med. VIII. s.
II	c	VIII	25	Jacobi (Zebed.) Apost. *Duplex-majus :* an. 44; cum *Commem.* S. Christophori, Mart. in Lyciâ, III. s.
I	d	VII	26	Joachim et Annæ, parentum B. M. Virg. *Dupl. minus.*
✠	e	VI	27	Ursi, Abbatis, *Simplex :* c. an. 510.
XXIX	f	V	28	
XXVIII	g	IV	29	Lupi, Trecensis Episcopi, *Simplex :* circa an. 479.
XXVII	A	III	30	Ignatii Loyolæ, Presbyt. Institut. Societatis Jesu (è 31) *Semid.;* an. 1556.
25. XXVI	b	Prid.	31	Germani, Autissiodorensis Episc. *Semid.* an. 448.

Cycl. Epactæ	Litt. Dom.	Dies Mensis.		
XXV XXIV	c	Cal.	1	Petri ad Vincula, (è 20 Apr.) *Duplex-minus :* an. 44 et 45. Dedic. Basilicæ, ejusdem hâc die, an. 439 vel 451 ; cum *Commem.* Septem Fratrum Machabæorum et eorum Matris, Mart. c. an. 167 ante Christum natum.
XXIII	d	IV	2	Stephani, Papæ et Mart. *Simpl.* an. 257.
XXII	e	III	3	Inventio Corporis sancti Stephani, Protomartyris, *Dupl. min.* an. 415.
XXI	f	Prid.	4	Dominici, Presb. Instit. Ord. Fratrum Prædic. (è 6.) *Semid.* an. 1221.
XX	g	Non.	5	
XIX	A	VIII	6	Transfiguratio Domini, *Duplex-majus :* an. 32 : cum *Commem.* sancti Xisti, Papæ et Mart. an. 258.
XVIII	b	VII	7	Inventio et Translatio Reliquiarum sanctæ Cæciliæ, Virg. et Mart. *Dupl. maj.* cum *Commem.* Inventionis Sanctorum Urbani, Lucii, Tiburtii, Valeriani et Maximi, Mart. an. 821 et 1599.
XVII	c	VI	8	
XVI	d	V	9	
XV	e	IV	10	Laurentii, Diaconi et Mart. *Dupl. maj.* an. 258.
XIV	f	III	11	Claræ, Clarissarum Abbatissæ, *Simplex :* an. 1253.
XIII	g	Prid.	12	
XII	A	Idib.	13	Radegundis, Reginæ Francorum, Viduæ, *Semiduplex*, an. 587; cum *Commem.* SS. Hippolyti, Concordiæ, et Soc. Mart. an. 258.
XI	b	XIX	14	Vigilia *cum jejunio.*
X	c	XVIII	15	ASSUMPTIO BEATÆ M. VIRGINIS, *Annuale*, 1 s.
IX	d	XVII	16	Rochi, laici apud Montem Pessulanum, *Duplex-majus :* an. 1327 ; cum *Commem.* Octavæ.
VIII	e	XVI	17	De Octavâ, *Semid.*
VII	f	XV	18	De Octavâ, *Semid.*
VI	g	XIV	19	De Octavâ, *Semiduplex :* cum *Commem.* sancti Ludovici, Episcopi Tolosani, an. 1297.
V	A	XIII	20	Bernardi, Claravall. Abbatis, et Eccles. Doct. *Dupl. min.* an. 1153; cum *Commem.* Octavæ.

Cycl. Epactæ.	Litt. Dom.	Dies Mensis.		
IV	b	XII	21	De Octavâ, *Semid.* cum *Commem.* sancti Privati, primi Episcopi Gabalorum et Mart. an. 265.
III	c	XI	22	Octava Assumptionis B. M. *Dupl. maj.*
II	d	X	23	Joannæ Franciscæ de Fremiot de Chantal, Viduæ, (è 13 dec.) *Semid.* an. 1641.
I	e	IX	24	Bartholomæi, Apost. *Dupl. maj.* 1 s.
✱	f	VIII	25	Ludovici IX, Regis Franciæ, *Duplex-majus :* an. 1270.
XXIX	g	VII	26	
XXVIII	A	VI	27	Cæsarii, Arelatensis Episc. et Eccl. Doct. *Duplex-minus :* an. 542.
XXVII	b	V	28	Augustini, Hippon. Episc. et Eccl. Doct. *Dupl. min.* an. 430.
XXVI	c	IV	29	Decollatio sancti Joannis Baptistæ, *Dupl. maj.* an. 32.
25. XXV	d	III	30	Juliani Brivatensis, Mart. *Semiduplex :* an. 304.
XXIV	e	Prid.	31	

SEPTEMBER.

XXIII	f	Cal.	1	Lupi, Senonensis Episcopi, *Semiduplex :* an. 623 ; cum *Commemoratione* sancti Ægidii, Abbat. in Occitaniâ ; an. 547 vel 558.
XXII	g	VI	2	Lazari, à Christo suscitati, et SS. Mariæ et Marthæ sororum, Christi hospitum, *Dupl. min.* 1 s. cum *Commem.* sancti Antonii, Martyr. III s.
XXI	A	III	3	Gregorii Magni, Papæ et Eccl. Doctoris, (è 12 Mart.) *Dupl. min.* an. 604. Ordinatio hâc die, an. 590 ; cum *Commemoratione* sanctæ Proculæ, Ruthenensis Virg. et Mart.
XX	b	Prid.	4	Fredaldi, Gabalorum Episc. *Simplex :* c. an. 820 vel 830.
XIX	c	Non.	5	
XVIII	d	VIII	6	Eugenii, Carthaginensis Episc. *Duplex-majus :* c. an. 506.
XVII	e	VII	7	Charissimæ, Albiensis Virg. *Duplex-majus ;* c. an. 504.
XVI	f	VI	8	NATIVITAS B. MARIÆ VIRGINIS, *Solemne-majus.*
XV	g	V	9	De Octavâ, *Semid.*

Cycl. Epactæ.	Litt. Dom.	Dies mensis.		
XIV	A	IV	10	Salvii, Albiensis Episcopi, *Duplex-majus*, circa annum 684; cum *Commemoratione* Octavæ et sancti Nicolai Tolentinatis, Presbyteri, Eremitæ sancti Augustini; an. 1309.
XIII	b	III	11	De Octavâ, *Semiduplex*.
XII	c	Prid.	12	De Octavâ, *Semiduplex*.
XI	d	Idib.	13	De Octavâ, *Semiduplex*: cum *Commem.* sancti Mamantis Cæsareæ in Cappadociâ Mart. c. an. 274.
X	e	XVIII	14	Exaltatio S. Crucis, imperante Constantino, an. 326 vel 327; imperante Heraclio, an. 629; *Dupl. maj.* cum *Commem.* Oct. ac S. Cornelii, Papæ et Mart. an. 252.
IX	f	XVII	15	Octava Nativitatis B. M. *Dupl. min.*
VIII	g	XVI	16	Cypriani, Carthag. Episc. Eccl. Doct. et Mart. *Semid.* an. 258.
VII	A	XV	17	
VI	b	XIV	18	Joannis Chrysostomi, Constantinop. Ep. et Eccl. Doct. (é 14.) *Semid.* an. 407.
V	c	XIII	19	
IV	d	XII	20	
III	e	XI	21	Matthæi, Apost. et Evangelistæ, *Duplex-majus*. I. s.
II	f	X	22	Translationis S. Clari, primi Episcopi Albiensis et Mart. *Semid.* an. 1700; cum *Commem.* SS. Mauricii et Socior. Mart. an. 286.
I	g	IX	23	Theclæ, Virg. et Mart. *Semid.* c. fin. I s.
✠	A	VIII	24	
XXIX	b	VII	25	
XXVIII	c	VI	26	
XXVII	d	V	27	Cosmæ et Damiani, fratrum, Martyrum, *Semidupl.* c. init. IV s.
25. XXVI	e	IV	28	
XXV. XXIV	f	III	29	Michaelis et omnium Angelorum, *Dupl. maj.* Hoc festum in Apuliâ sumpsit initium an. 493 vel 536.
XXIII	g	Prid.	30	Hieronymi, Presbyt. et Eccl. Doct. *Dupl. min.* an. 420.

Cycl. Epactæ.	Litt. Dom.	Dies Mensis.		
				Dominicâ primâ hujus mensis, fit Officium de SS. ROSARIO B. M. VIRGINIS, *Solemne-majus.*
XXII	A	Cal.	1	Remigii, Remensis Episc. (è 13 Jan.) *Semid.* c. an. 553. Translatio prima hâc die, ante an. 585.
XXI	b	VI	2	Festum Angelorum Custodum, et Angelorum protectorum Diœcesis et Provinciæ Albiensis, *Duplex-minus.*
XX	c	V	3	Translatio Reliquiarum SS. Eugenii Carthaginiensis Episc. et Confessoris, Amarandi, Vindemialis, Longini, Martyrum, et Charissimæ, Virginis Albiensis (è 2), *Semid.* an. 1494.
XIX	d	IV	4	Francisci Assisinatis in Umbriâ, Instit. Ordin. Fratr. Min. *Semid.* an. 1226.
XVIII	e	III	5	Brunonis, Monachi, Instit. Ordin. Carthusian. *Semiduplex:* an. 1101. cum *Commem.* sanctæ Enimiæ, Virginis, post an. 628, tum sanctæ Fidis, Virg. et Mart. c. an. 287 vel 290.
XVII	f	Prid.	6	
XVI	g	Non.	7	
XV	A	VIII	8	Translatio Corporis S. Salvii, Albiensis Episc. *Semid.* an. 1194.
XIV	b	VII	9	Dionysii, Primi Parisiorum Episcopi, Rustici, Præsbyt. et Eleutherii, Diac. Mart. *Semid.* an. 275; cum *Commem.* S. Exuperiæ, Virg. et Mart. III. *s.*
XIII	c	VI	10	
XII	d	V	11	
XI	e	IV	12	Speriæ, Virg. et Mart. *Simpl.* c. an. 760.
X	f	III	13	Geraldi, Comitis Aureliacensis, *Simpl.* an. 909.
IX	g	Prid.	14	
VIII	A	Idib.	15	Theresiæ, Virginis, Instauratricis Ordin. Carmelitar. *Semidupl.* an. 1582.
VII	b	XVII	16	
VI	c	XVI	17	
V	d	XV	18	Lucæ, Evangelistæ, *Dupl. maj.* 1 *s.*
IV	e	XIV	19	
III	f	XIII	20	
II	g	XII	21	Ursulæ et Soc. Virg. et Mart. *Semidupl.* an. 450; cum *Commem.* S. Hilarionis, Abbatis, an. 371.

Cycl. Epactæ.	Litt. Dom.	Dies mensis.		
I	A	XI	22	Lupentii, Abbatis et Mart. *Simplex* : c. an. 589.
✠	b	X	23	
XXIX	c	IX	24	Capuani, Cadurcensis Episc. *Simplex*: c. an. 680.
XXVIII	d	VIII	25	Hilarii, Gabalor. Episc. *Simpl.* an. 541.
XXVII	e	VII	26	
XXVI	f	VI	27	
25. XXV	g	V	28	Simonis et Judæ, Apost. *Dupl. maj.* 1 *s.*
XXIV	A	IV	29	
XXIII	b	III	30	
XXII	c	Prid.	31	Vigilia *cum jejunio*, cum *Commemor.* sancti Quintini, Mart. c. an. 287.

NOVEMBER.

XXI	d	Cal.	1	OMNIUM SANCTORUM, *Solemne-majus*, institut. c. an. 835.
XX	e	IV	2	Commemoratio omnium fidelium defunctorum, *Duplex-majus ;* inst. an. 998. Festivabatur horis matutinis tantùm. Si sit Dominica, fit *Commem.* Octavæ Omnium SS., et Commem. Fidel. Defunct. transfertur in diem seq.
XIX	f	III	3	De Octavâ Omnium SS. cum *Commem.* S. Naamatii, Diaconi, v. *s.*
XVIII	g	Prid.	4	Caroli Borromæi, Mediol. Episc. Card. (è 3.) *Semid.* an. 1584, cum *Commem.* Omnium SS.
XVII	A	Non.	5	Martianæ, Albiensis Virg. *Dupl. maj.* VI *s.* cum *Commemor.* Omnium SS.
XVI	b	VIII	6	Amantii, Episc. Ruthen. (è 4.) *Semid.* V *s.* cum *Commem.* Omnium SS.
XV	c	VII	7	Amarandi, Martyr. Albiensis, *Duplex-majus ;* III *s.* cum *Commem.* Octavæ.
XIV	d	VI	8	Octava Omnium SS. et Veneratio SS. Reliquiarum, *Dupl. maj.* (anteà 4 Dec.) instit. an. 1194.
XIII	e	V	9	
XII	f	IV	10	Leonis Magni, Papæ, et Eccl. Doct. *Semid.* circa an. 461 *vel* 462, cum *Commem.* S. Martini, Papæ et Mart. (è 16 Sept.) an. 655.
XI	g	III	11	Martini, Turonensis Episc. *Dupl. maj.* an. 397.

Cycl. Epactæ.	Litt. Dom.	Dies Mensis.		
X	A	Prid.	12	Verani, Cabellicensis Episc. (è 11.) *Simplex :* circa an. 591.
IX	b	Idib.	13	Dalmatii, Ruthen. Episc. *Simpl. an.* 580.
VIII	c	XVIII	14	
VII	d	XVII	15	Desiderii, Cadurcensis Episcopi, *Semid.* an. 654.
VI	e	XVI	16	
V	f	XV	17	
IV	g	XIV	18	
III	A	XIII	19	Quintiani, Ruthenensis, deinde Claromontensis Episc. *Simplex :* an. 527.
II	b	XII	20	
I	c	XI	21	Præsentatio B. M. V. *Dupl. min.* cum *Commem.* Vigiliæ sanctæ Cæciliæ, *sine jejunio.*
✠	d	X	22	CÆCILIÆ, VIRG. ET MART. ECCLESIÆ METROPOLITANÆ, ET TOTIUS DIŒCESIS ALBIENSIS PATRONÆ, *Annuale :* II vel III s. (*Solemnitas fit Dom. post* 19 Nov.)
✠XXIX	e	IX	23	De Octavâ, *Semidupl.* cum *Commem.* S. Clementis, Papæ et Mart. an. 100.
XXVIII	f	VIII	24	De Octavâ, *Semiduplex ;* cum *Commem.* S. Chrysogoni, Mart. an. 304.
XXVII	g	VII	25	Alani, Vaurens. Ep. *Dupl. maj.* VII. s. cum *Commem.* Octavæ et S. Catharinæ, Virg. et Mart. IV *s.*
25. XXVI	A	VI	26	De Octavâ, *Semid.* cum *Commem.* sancti Lini, Papæ et Mart. c. an. 78. (Hâc die anticipatur Octava sanctæ Cæciliæ, quando Dominica prima Adventûs incidit in diem 27.)
XXV. XXIV	b	V	27	De Octavâ, *Semid.* (Hâc die anticipatur Octava sanctæ Cæciliæ, quandò Dominica prima Advent. incidit in diem 28.) *Prima sedes Adventûs.*
XXIII	c	IV	28	De Octavâ, *Semid.* (Hâc die anticipatur Octava sanctæ Cæciliæ, quando Dominica prima Advent. incidit in diem 29.)
XXII	d	III	29	Quando Dominica prima Adventûs incidit in diem 30, aut in tres sequentes, Octava S. Cæciliæ, Virg. et Mart. *Dupl. maj.* cum. *Commem.* S. Saturnini, Episc. et Martyr. c. an. 258 vel 275.
XXI	e	Prid.	30	Andreæ, Apostoli, *Dupl. maj.* I *s.*

Cycl. Epactæ.	Litt. Dom.	Dies Menis.		
XX	f	Cal.	1	Eligii, Noviom. Episc. (è 30 Nov.) *Semiduplex*: an. 659, cum *Commemor.* sancti Illeri, Gabalorum Episc. VII. s.
XIX	g	IV	2	
XVIII	A	III	3	Francisci Xaverii, Presbyt. *Semiduplex* an. 1552.
				Ultima sedes Adventûs.
XVII	b	Prid.	4	Barbaræ, Virginis et Martyr. *Commem.* c. an. 236.
XVI	c	Non.	5	
XV	d	VIII	6	Nicolai, Myrensis Episcopi, *Semiduplex;* c. an. 320.
XIV	e	VII	7	
XIII	f	VI	8	CONCEPTIO B. M. V. *Solemne-minus.*
XII	g	V	9	
XI	A	IV	10	Gausberti, Cadurcensis Episc. *Commem.* circa an. 900; deinde sanctæ Helenæ, Imperatricis, IV. s.
X	b	III	11	
IX	c	Prid.	12	Diogeniani, Albiensis Episc. *Dupl. min.* post an. 409.
VIII	d	Idib.	13	Luciæ, Virg. et Mart. *Semid.* an. 304, cum *Commem.* sancti Urcisini, Cadurcensis Episcopi, post an. 585.
VII	e	XIX	14	
VI	f	XVIII	15	
V	g	XVII	16	
IV	A	XVI	17	
III	b	XV	18	
II	c	XIV	19	
I	d	XIII	20	
✪	e	XII	21	Thomæ, Apostoli, *Dupl. maj.* I s.
XXIX	f	XI	22	
XXVIII	g	X	23	
XXVII	A	IX	24	Vigilia *cum jejunio.*
XXVI	b	VIII	25	NATALE DOMINI, *Annuale.*
25. XXV	c	VII	26	STEPHANI, PROTOMART. *Solemne-minus,* an. 33; cum *Commem.* Octav. Natalis Domini, et omnium SS. Mart.
XXIV	d	VI	27	JOANNIS, APOSTOLI ET EVANGELISTÆ, *Dupl. maj.* an. 100 vel 104, cum *Commem.* Natalis Domini.
XXIII	e	V	28	Innocentium Martyrum, *Duplex-minus;* I s. cum *Commemoratione* Natalis Domini.

Cycl. Epactæ.	Litt. Dom.	Dies Mensis.		
XXII	f	IV	29	De Octava Natalis Domini.
XXI	g	III	30	Officium Dominicæ intra Octavam Natalis Domini, *Semid.* Si non occurrat die 29, 30 vel 31 Decembris.
* 19. XX	A	Prid.	31	De Octava Natalis Domini, cum *Commemor.* S. Sylvestri, Papæ, an. 335. ac sanctæ Columbæ, Virginis et Mart, an. 258 vel 273.

* Hæc Epacta 19 nunquam est in usu, nisi quando eodem anno concurrit cum aureo numero XIX.

MONITUM.

Festa feriata apud Populum hæc sunt :

Dominica prima post diem 5 Januarii : EPIPHANIA DOMINI, *Solemne-majus.*

DIES SANCTUS PASCHÆ, *Annuale.*

Dominicâ secundâ post Pascha : ANNIVERSARIUM DEDICATIONIS ECCLESIÆ METROPOLITANÆ ET ALIARUM DIŒCESIS ECLESIARUM, *Solemne-majus.*

ASCENSIO DOMINI, *Solemne-majus.*

DIES SANCTUS PENTECOSTES, *Annuale.*

Dominicâ secundâ post Pentecosten : Festum CORPORIS DOMINI, *Solemne-majus.*

Dominicâ tertiâ post Pentecosten : Festum SS. CORDIS JESU, *Solemne-majus.* (*Nisi transferatur, ut dictum est in proprio.*)

Dominicâ primâ post diem 28 Junii : Festum SANCTORUM APOSTOLORUM PETRI et PAULI, *Solemne-majus.*

Die 15 Augusti : ASSUMPTIO B. M. V. *Annuale.*

Dominicâ primâ mensis Octobris : Festum SACRATISSIMI ROSARII B. M. V. *Solemne-majus.*

Die primâ Novembris : Festum OMNIUM SANCTORUM, *Solemne-majus.*

Dominicâ Primâ post diem 19 Novembris : Festum SANCTÆ CÆCILIÆ, VIRGINIS ET MARTYRIS, ECCLESIÆ METROPOLITANÆ ET TOTIUS DIŒCESIS ALBIENSIS PATRONÆ, *Annuale.*

Die 25 Decembris : NATALE DOMINI, *Annuale.*

In unaquaque Parochia, Festum PATRONI PRIMARII *Annuale* : quod, si non inciderit in Dominicam, celebratur Dominicâ proximè sequenti.

Nota. Præter ea quæ notantur in Calendario, ad devotionem celebrantur :

FERIA II intra Octavam Paschæ, *Duplex-majus.*

FERIA II intra Octavam Pentecostes, *Duplex-majus.*

Insuper Feria V in Cœna Domini, à meridie, Feria VI in Parasceve, et die Commemorationis omnium Defunctorum usque ad meridiem, invitantur Fideles ad feriandum, juxtà laudabilem et antiquum usum ; sed non eis præcipitur.

TABELLÆ

PRO RECITATIONE OFFICII DIVINI,

JUXTA BREVIARIUM ALBIENSE.

NOTIONES PRÆREQUISITÆ AD INTELLIGENTIAM TABELLARUM

I.—DOMINICÆ PRIVILEGIATÆ PRIMÆ CLASSIS.

Prima Adventûs.
Prima Quadragesimæ.
Passionis.
Palmarum.
Paschæ.
In Albis.
Pentecostes.
SS. Trinitatis.

II.—DOMINICÆ PRIVILEGIATÆ SECUNDÆ CLASSIS.

Secunda Adventûs.
Tertia Adventûs.
Quarta Adventûs.
Secunda Quadragesimæ.
Tertia Quadragesimæ.
Quarta Quadragesimæ.

III.—DOMINICÆ PRIVILEGIATÆ TERTIÆ CLASSIS.

Septuagesimæ.
Sexagesimæ.
Quinquagesimæ.

IV.—FERIÆ MAJORES PRIVILEGIATÆ.

Feria quarta Cinerum.
Feriæ omnes a Dominica Palmarum usque ad Dominicam in Albis.
Feriæ omnes a Vigilia Pentecostes usque ad Dominicam SS. Trinitatis.

V.—FERIÆ MAJORES NON PRIVILEGIATÆ.

Feriæ Adventûs.
Feriæ Quadragesimæ.
Feriæ Rogationum.
Feria sexta post Octavam Ascensionis.
Feriæ Quatuor Temporum.

VI.—FERIÆ MINORES PRIVILEGIATÆ.

Feriæ omnes a Septuagesima usque ad Cineres.
Feriæ omnes Temporis Paschalis.

VII.—OCTAVÆ.

Octavæ primi ordinis sunt Octavæ Natalis Domini, Paschæ et Pentecostes.

Octavæ secundi ordinis sunt Octavæ ceterorum Annualium, et Octavæ Solemnium-majorum Domini, exceptâ Octavâ Anniversarii Dedicationis.

Octavæ tertii ordinis sunt Octavæ Anniversarii Dedicationis, Solemnium-majorum B. Mariæ Virginis et Sanctorum.

Nota. Commemorationes privilegiatæ sunt, Commemorationes de Dominicâ *quacumque, de* die Octavâ *Duplici-majore, et de* Feriâ majore *non privilegiatâ.*

EXPLICATIO TABELLARUM

DE CONCURRENTIA ET OCCURRENTIA.

I.° DE CONCURRENTIA.

Hæc tabella inservit ad cognoscendum quid faciendum sit, quando duo Officia concurrunt in Vesperis, scilicet quando unum Officium occurrit unâ die mensis vel hebdomadæ, et alterum die sequenti. Ut autem cognoscatur quæ Vesperæ dicendæ sint, quando secundæ Vesperæ unius Officii concurrunt cum primis Vesperis alterius, quærendum est in tabellâ de *Concurrentia* numerum utrique Officio correspondentem, legendumque in sequenti pagina, ubi reperitur explicatio numerorum, regulam eidem numero appositam, v. gr. si Festum *Annuale* occurrat Feriâ II, et *Solemne-minus* Feriâ III ejusdem hebdomadæ, ut sciatur quid sit faciendum in II Vesperis Feriæ II, quæritur, ut dictum est, numerus qui utrique Officio respondeat. Porrò *Annuale* est in primâ lineâ horizontali, et *Solemne-minus* est in quarta linea perpendiculari. Quadranglus autem utrique lineæ communis signatur numero 2. Numerus 2 ergo est utrique Officio correspondens. Regula verò huic numero 2 respondens hæc est: *Vesperæ de præcedenti, Commemoratio de sequenti*: id est, Vesperæ dicendæ sunt de Festo *Annuali* cum Commemoratione de Festo *Solemni-minore*, et sic de ceteris.

II.° DE OCCURRENTIA.

Ad cognoscendum quid faciendum sit quando duo Officia eâdem die occurrunt, eodem modo quærendum est in tabellâ *de Occurrentia* numerum utrique Officio correspondentem, legendaque regula eidem numero apposita; v. gr. si eâdem die occurrunt *Solemne-majus Domini* et *dies Octava Duplex-majus*, invenio *Solemne-majus Domini* in secundâ linea horizontali, et *Diem Octavam Duplex-majus* in quinta linea perpendiculari. Porro numerus 3 respondet utrique lineæ. Regula verò huic numero 3 apposita sic se habet: *Officium de* 1, *Commemoratio de* 2, id est, Officium fit de *Solemni-majore Domini*, et Commemoratio de *die Octava Duplici-majore*. Quando enim dicitur *de* 1, intelligitur de Officio horizontaliter scripto, et quando dicitur *de* 2, intelligitur de Officio perpendiculariter delineato.

In pluribus tabellarum quadrangulis appositum est 0, vel quia nullus concursus aut occursus locum habet, vel quia in propriis locis notatur quid sit agendum.

In tabellis mentio non fit de Octavis primi ordinis, quia in Proprio de tempore indicatur quid sit faciendum. Quæ autem circa ceteras Octavas viderentur desiderari in tabella de *Concurrentia*, eadem ex tabella de *Occurrentia* facile colligentur.

TABELLA DE CONCURRENTIA

IN OFFICIO SERVANDA, NISI ALITER NOTETUR IN RUBRICIS PARTICULARIBUS.

Quando concurrunt	Simplici.	Officio Beatæ Mariæ in Sabbato.	Semiduplici.	Duplici-minore.	Dominicâ communi.	Die Octavâ Duplici-minore.	Duplici-majore festo vel octavâ.	Dominicâ privilegiatâ tertiæ classis.	Dominicâ privilegiatâ secundæ class.	Dominicâ privilegiatâ primæ classis.	Solemni-minore.	Solemni-majore non Domini.	Solemni-majore Domini.	Annuali.	cum
Annuale.	4	0	3	2	2	2	2	2	2	2	2	2	2	5	1
Solemn. maj. Domini.	3	2	2	2	2	2	2	2	2	2	2	2	2	0	2
Solemn. maj. non Dom.	3	2	2	2	2	2	2	2	2	2	2	2	1	5	5
Solemne-minus.	2	2	2	2	2	2	2	2	2	2	0	0	5	5	5
Dominica privil. 1. cl.	2	0	2	2	0	0	2	0	0	0	0	0	5	5	5
Dominica privil. 2. cl.	2	0	2	2	0	0	2	0	0	0	5	5	5	5	5
Dominica privil. 3. cl.	2	0	2	2	0	2	2	0	0	0	0	5	5	5	5
Dupl. maj. Fest. vel oct.	2	2	2	2	2	2	1	5	5	5	5	5	5	5	5
Dies octava Dupl. min.	2	2	2	2	2	0	5	5	5	5	5	5	5	5	7
Dominica communis.	2	0	2	2	0	5	5	0	0	0	5	5	5	5	5
Duplex-minus.	2	2	2	1	5	5	5	5	5	5	5	5	5	5	7
Semiduplex.	2	2	6	5	5	5	5	5	5	5	5	5	7	7	7
Feria maj. privilegiata.	2	0	2	0	0	0	0	0	0	0	0	0	0	0	5
Feria maj. non privil.[1]	2	0	5	5	0	0	5	0	0	0	0	5	5	5	5

Nota. Quando de Festo Simplici aut Semiduplici non fit nisi Commemoratio, propter officium Feriæ aut Vigiliæ eodem die occurrentis, pridiè ad Vesperas fit etiam tantùm Commemoratio ejusdem Festi, etiamsi Officium diei præcedentis esset de Feriâ minori non privilegiatâ; et quando omittitur omninò Festum Simplex aut Semiduplex occurrens Feriâ quintâ in Cœnâ Domini vel in Vigiliâ Pentecostes, pridiè ad Vesperas nihil fit de eo.

[1] De Feriis Rogationum et Quatuor Temporum septembris, non fit Commemoratio ad Vesperas.

EXPLICATIO NUMERORUM

IN TABELLA DE CONCURRENTIA APPOSITORUM.

1. Vesperæ de digniori, Commemoratio de minus digno. Si sint ejusdem dignitatis dimidiant Vesperas. (*Dies Octava Paschæ et omnis alia dies Octava Duplex-majus concurrens cum Festa quocumque Duplici-majore sive in primis sive in secundis Vesperis, integras habet Vesperas cum commemoratione Festi Duplicis-majoris concurrentis.*)
2. Vesperæ de præcedenti, Commemoratio de sequenti. (*De Dominica intra Octavam Epiphaniæ, cum ipso Festo concurrente, non fit Commemoratio. In Purificatione B. M. V. in secundis Vesperis, nihil fit de Beatâ in Sabbato postridiè occurrente. I. Vesperæ dicuntur de Præs. B. Mariæ V., cum commem. Dominicæ concurrentis.*)
3. Vesperæ de præcedenti, Commemoratio de sequenti, modò de eo postridiè fiat Officium.
4. Vesperæ de præcedenti, nihil de sequenti.
5. Vesperæ de sequenti, Commemoratio de præcedenti. (*In Feriis Quadragesimæ non fit, nisi Commemoratio de Semiduplici concurrente; et Duplex-minus transfertur, exceptis Festis Quinque Plagarum et Compassionis B. M. V. In primis Vesperis SS. Trinitatis nihil fit de Semiduplici concurrente. In I. Vesperis S. Cæciliæ, si sit Sabbatum, fit Commem Præsentationis ante Commem. de Sabbato.*)
6. Vesperæ à Capitulo de sequenti, Commemoratio de præcedenti.
7. Vesperæ de sequenti, nihil de præcedenti. (*Excipe Festum Præsentationis B. M. V. cujus fit Commemoratio in primis Vesperis S. Cæciliæ.*)

TABELLA DE OCCURRENTIA

IN OFFICIO SERVANDA, NISI ALITER NOTETUR IN RUBRICIS PARTICULARIBUS.

Quando occurrunt eàdem die															et
Annuale.	8	1	0	8	8	6	2	6	2	3	2	2	10	18	
Solemne-maj. Domini.	8	0	0	0	8	3	2	3	2	3	2	2	0	2	
Solemn. maj. non Dom.	8	1	0	6	6	3	2	3	2	3	2	0	10	10	
Solemne-minus.	19	5	0	3	3	3	2	3	2	3	0	10	10	10	
Dominica privil. 1. cl.	3	0	0	0	3	0	2	0	2	1	0	2	2	2	
Domin. privil. 2. class.	3	0	0	0	3	0	2	0	2	0	2	2	2	11	
Domin. privil. 3. class.	3	0	0	0	3	3	2	0	2	3	0	11	11	11	
Dies octava Dupl. maj.	3	5	0	3	3	3	2	0	2	0	11	11	11	11	
Duplex-majus.	3	5	0	3	0	3	0	3	0	10	10	10	10	10	
Dominica communis	3	1	0	3	3	11	2	11	11	11	11	11	11	11	
Dies octava Dupl. min.	3	5	0	0	3	3	2	0	11	0	11	11	11	14	
Duplex minus.	3	5	0	3	0	3	0	10	10	10	10	10	10	10	
Dies intra oct. 2. ordin.	3	5	0	3	3	17	11	11	11	11	11	11	11	14	
Semiduplex (1).	3	5	0	7	0	11	0	11	0	11	11	14	16	16	
Dies intra oct. 3. ordin	3	5	0	0	15	11	11	11	11	11	11	14	14	16	
Feria maj. privil. (2)	3	0	0	0	3	0	2	0	2	1	0	2	2	2	
Feria maj. non priv. (2)	3	0	0	0	11	11	11	11	11	11	11	11	11	11	
Feria minor privil. (2)	3	0	16	16	16	16	16	16	16	16	16	16	16	16	
Offic. B. M. in Sabbato.	4	0	0	0	0	0	0	0	0	0	0	0	0	0	
Vigilia.	3	0	0	13	13	13	13	13	13	13	13	9	9	9	
Simplex (1).	0	11	12	11	11	11	11	11	11	11	20	16	16	16	
	Simplex (1).	Vigilia.	Offic. B. M. in Sabbato.	Dies intra oct. 3. ordinis.	Semiduplex. (1)	Dies intra oct. 2. ordinis.	Duplex-minus.	Dies octava Dupl.-min.	Duplex-majus.	Dies octava Dupl.-maj.	Solemne-minus.	Solemne-maj. non Dom.	Solemne-maj. Dominic.	Annuale.	

(1) *Omittitur comm. de S. in Noct. quando ultima Lectio est de Evangelio cum Homil. vel de alio sancto cujus fit etiam memoria.*

(2) *Omnis Oct. nondum obsoluta, in Dominica prima Adventus, in die Cinerum et in Vigilia Pentecostes non continuatur: dies octava anticipatur.*

EXPLICATIO NUMERORUM

IN TABELLA DE OCCURRENTIA APPOSITORUM.

1. Officium de 1, anticipatio de 2. (*Excipe* 1° *Vigilias Natalis D. et Pentecostes, de quibus fit sive in Dominicâ, sivè in quocumque Officio, quod tunc transfertur, vel anticipatur.* 2° *Vigilias Epiphaniæ et Assumptionis, de quibus fit etiam in Dominicâ, ut notatur in proprio, vel diebus intra Octavam, cum Comm. Octavæ, et in quibus fit Officium de Duplici-majore et supra, cum commemoratione Vigiliæ, in Noct. et Laud.* 3.° *Demum, Vigiliam Ascensionis, in quâ fit de Semiduplici et supra, et de Octavâ occurrente, cum Comm. Vigiliæ, pariter in Noct. et Laud. Hæ omnes Vigiliæ nunquam anticipantur.*)
2. Officium de 1, translatio de 2. (*Excipe Præsentationem B. Mariæ V., cujus fit officium cum Commem. Dominicæ occurrentis.*) Vide rubr. gen. Part. I, c. XIII, n. 18.
3. Officium de 1, Commemoratio de 2. (*Excipe Dominicas Paschæ et Pentecostes, in quibus nulla Commemoratio, et Domin. SS. Trinitatis in quâ fit Commemoratio de Simplici in Laudibus tantum. Excipe etiam Octavas secundi ordinis, quoad Duplicem-minorem translatum, de quo non fit in iis Octavis.*) Vide dicta num. 14.
4. Officium de 1, Commemoratio de 2, in I Vesperis et Laudibus tantùm.
5. Officium de 1, Commemoratio de 2, in Nocturno et Laudibus. (*Vide dicta, n.* 1.)
6. Officium de 1, Commemoratio de 2, in Laudibus et II Vesperis. (*De Semidupl. fit etiam Commem. in Nocturno.*) Vide dicta n. 14.
7. Officium de 1, a Capitulo ad Capitulum Vesperarum; Commemoratio de eo cujus non fit Officium.
8. Officium de 1, nihil de 2. (*Excipe Anniversarium Dedicationis in quo fit Commemoratio Semiduplicis in Laudibus et II Vesperis.*)
9. Officium de 2, anticipatio de 1. (*Excipe Vigilias de quibus dictum est num.* 1.)
10. Officium de 2, translatio de 1. (*Vide Rubr. gen. Part. I. c. XIII. n.* 18.)
11. Officium de 2. Commemoratio de 1. (*Festum Annuntiationis, etiam ritu Annuali celebrandum, transfertur. In Octavis secundi ordinis non fit de Duplici-minori translato. Tempore Quadragesimæ, Duplex-minus transfertur, exceptis Officiis Quinque Plagarum et Compassionis Beatæ Mariæ Virginis. Eòdem tempore fit tantum Commemoratio Semiduplicis cum Officio Feriæ**.)
12. Officium de 2, Commemoratio de 1, in I. Vesperis et Laudibus tantùm.
13. Officium de 2, Commemoratio de 1, in Nocturno et Laudibus. (*Vide dicta, n.* 1.)
14. Officium de 2, Commemoratio de 1, in Laudibus et secundis Vesperis. (*Quoties fit Commem. de die Octavâ, legitur in Nocturno Homilia in ejus Evangelium, si habeat Evangelium proprium et diversum ab Evangelio.*) Vide dicta, n. 6, et rubr. gen. Part. 3, c. VIII, n. 7.
15. Officium de 2, a Capitulo ad Capitulum Vesperarum, Commemoratio ejus de quo non fit Officium.
16. Officium de 2, nihil de 1. (*In anniversario Dedicationis fit Commemoratio Semiduplicis in Laudibus et II Vesperis.*)
17. Officium de digniori, Commemoratio de minus digno.
18. Officium de digniori, translatio de minus digno.
19. Officium de 1, Commemoratio de 2, in Laudibus tantùm.
20. Officium de 2, Commemoratio de 1, in Laudibus tantùm.

* *Dominicis intra Octavas Epiphaniæ, Ascensionis et Corporis Christi, fit Officium de Dominicâ, ut ordinatur in Proprio. Non fit Commemoratio Octavæ, nec Dominicæ Communis, cujus Officium non est diversum ab Officio Dominicæ intra Octavam.*

ORATIONES

ANTE ET POST OFFICIUM RECITANDÆ,

AD DEVOTIONEM.

APERI, Dómine, os meum ad benedicendum nomen sanctum tuum; munda quoque cor meum ab ómnibus vanis, perversis et aliénis cogitatiónibus; intellectum illúmina, affectum inflamma; ut dignè, attentè, ac devótè hoc Offícium recitáre váleam, et exaudíri mérear ante conspectum divínæ majestátis tuæ: Per Christum Dóminum nostrum. Amen.

Dómine Jesu Christe, in unióne illíus divínæ intentiónis, quâ ipse in terris laudes Deo persolvisti, has tibi Horas persolvo.

Orationem sequentem devotè post Officium recitantibus Leo Papa X, defectus et culpas in eo persolvendo ex humana fragilitate contractas indulsit.

SACRO-SANCTÆ atque indivíduæ Trinitáti, Crucifixi Dómini nostri Jesu Christi Humanitáti, beatíssimæ ac gloriosíssimæ Vírginis Maríæ fœcundæ Integritáti, et ómnium Sanctórum Universitáti, sit sempiterna laus, honor, virtus et glória, ab omni creatúra, nobisque remíssio peccatórum, per infiníta sécula seculórum. ℟. Amen.

℣. Beáta Víscera Maríæ Vírginis, quæ portavérunt ætérni Patris Fílium;

℟. Et beáta Úbera quæ lactavérunt Christum Dóminum.

Pater noster. Ave, María.

PSALTERIUM

DISPOSITUM PER HEBDOMADAM.

PARS AUTUMNALIS.

DOMINICA.

AD OFFIC. NOCTURNUM.

Ante Officium Nocturnum dicitur secretò :

PATER noster, qui es in cœlis; sanctificétur nomen tuum : advéniat regnum tuum : fiat voluntas tua sicut in cœlo et in terra : panem nostrum quotidiánum da nobis hódie : et dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitóribus nostris : et ne nos indúcas in tentatiónem ; sed líbera nos à malo. Amen.

AVE, María, grátiâ plenâ ; Dóminus tecum : benedicta tu in muliéribus, et benedictus fructus ventris tui Jesus.

Sancta María mater Dei, ora pro nobis paccatóribus, nunc, et in hora mortis nostræ. Amen.

CREDO in Deum, Patrem omnipotentem, creatórem cœli et terræ : Et in Jesum Christum Fílium ejus únicum, Dóminum nostrum : qui conceptus est de Spíritu sancto, natus ex María Vírgine : passus sub Póntio Piláto, crucifixus, mórtuus, et sepultus : descendit ad inferos : tértiâ die resurrexit à mórtuis : ascendit ad cœlos, sedet ad déxteram Dei Patris omnipotentis ; inde ventúrus est judicáre vivos et mórtuos. Credo in Spíritum sanctum, sanctam Eccléstam cathólicam, Sanctórum communiónem, remissiónem peccatórum, carnis resurrectiónem, vitam æternam. Amen.

Deinde altâ voce dicitur :

DOMINE, lábia mea apéries ; ℟. Et os meum annuntiábit laudem tuam. *Ps.* 50.

℣. Deus, in adjutórium meum intende : ℟. Dómine, ad adjuvandum me festína. *Ps.* 69.

Glória Patri, et Fílio, et Spíritui sancto ; Sicut erat in princípio, et nunc, et semper, et in sécula seculórum. Amen. Allelúia.

Sic dicitur Allelúia, *etiam ad alias horas.*

(*Invitatorium in Dominicis, in Duplicibus et supra, bis dicitur ante Ps.* Veníte ; *et post quemlibet Psalmi versum*

integrum repetitur ; post Glória Patri *verò cum* Sicut erat *repetitur à reclamatione, quæ designatur per asteriscum *, et postea adhùc integrè dicitur. In Semiduplicibus et infra, semel dicitur integrum ante Ps.* Veníte, *et semel post primum versum, semelque post* Glória Patri ; *post alios autem versus, à reclamatione tantùm resumitur.*)

INVITATORIUM.

DOMINUM qui fecit nos, *Veníte, adorémus.

Dóminum.

PSALMUS 94.

Deus Rex laudandus ; ipsi parendum

VENITE, exultémus Dómino, jubilémus Deo salutári nostro : præoccupémus fáciem ejus in confessióne, et in psalmis jubilémus ei.

Dóminum qui fecit nos, * Veníte, adorémus.

Quóniam Deus magnus Dóminus, et rex magnus super omnes deos : quóniam non repellet Dóminus plebem suam; quia in manu ejus sunt omnes fines terræ, et altitúdines móntium ipse cónspicit.

Dóminum qui fecit nos, * Veníte, adorémus.

Quóniam ipsíus est mare, et ipse fecit illud, et áridam fundavérunt manus ejus : veníte, adorémus, et procidámus ante Deum : ploremus coram Dómino qui fecit nos, quia ipse est Dóminus Deus noster; nos autem pópulus ejus, et oves páscuæ ejus.

Dóminum qui fecit nos, * Veníte, adorémus.

Hódie si vocem ejus audiéritis, nolíte obduráre corda vestra, sicut in exacerbatióne, secundùm diem tentatiónis in deserto, ubi tentavérunt me patres vestri, probavérunt et vidérunt ópera mea.

Dóminum qui fecit nos, * Veníte, adorémus.

Quadraginta annis próximus fui generatióni huic, et dixi : Semper hi errant corde ; ipsi verò non cognovérunt vias meas : quibus jurávi in ira mea, si introíbunt in réquiem meam.

Dóminum qui fecit nos, * Veníte, adorémus.

Glória Patri, et Fílio, et Spíritui sancto : Sicut erat in princípio, et nunc, et semper, et in sécula seculórum. Am. * Veníte adorémus.

Repet. Dóminum qui fecit nos, * Veníte, adorémus.

HYMNUS.

DIE diérum príncipe
Lux è tenebris éruta :
Christus sepulcri cárcere,
Lux vera mundi, pródiit.
Et mors, et horrendum chaos
Vocem jubentis áudiunt :
Nos surdióres, ò pudor!
Deo pigébit óbsequi?
Umbris sepulta dum stupet
Natúra, lucis fílii

Surgámus, et noctem piis
Exerceámus cánticis.
LEGEM, Prophétas, et sacro
Psalmos calentes lúmine,
Profána dum silent loca,
Divína templa pérsonent.
CŒLESTIS hæc vincat tuba
Cordis sopórem lánguidi,
Novíque mores éxprimant
Vitam resurgentis novam.
Hoc consequémur, te duce,
Fons caritátis, ô Deus,
Qui legis addis lítteræ
Vitæ datórem Spíritum.
SIT laus Patri, laus Fílio;
Par sit tibi laus, Spíritus,
Afflante quo mentes sacris
Lucent et ardent ígnibus.
Amen.

IN I.° NOCTURNO.

Ant. 3. a. Beátus vir.
*Asteriscus hic * notat mediationem et pausam.*

PSALMUS 1.

Beatitudo justorum; malorum calamitas.

BEATUS vir qui non ábiit in consílio impiórum, et in via peccatórum non stetit, * et in cáthedra pestiléntiæ non sedit;

Sed in lege Dómini voluntas ejus, * et in lege ejus meditábitur die ac nocte.

Et erit tanquam lignum quod plantátum est secùs decursus aquárum, * quod fructum suum dabit in témpore suo.

Et fólium ejus non défluet; * et ómnia quæcumque fáciet, prosperabuntur.

Non sic ímpii, non sic; * sed tanquam pulvis quem própicit ventus a fácie terræ.

Ideò non resurgent ímpii in judício, * neque peccatóres in concílio justórum;

Quóniam novit Dóminus viam justórum, * et iter impiórum períbit.

Glória Patri, et Fílio, * et Spirítui sancto:

Sicut erat in princípio, et nunc, et semper, * et in sécula seculórum. Amen.

Hi versus Glória Patri *et* Sicut erat *dicuntur in fine Psalmorum, Divisionum et Canticorum, nisi aliter notetur.*

Ant. Beátus vir qui non ábiit in consílio impiórum, sed in lege Dómini meditábitur die acnocte. *Ps.* 1.

Ant. 4. f. Servíte Dómino.

PSALMUS 2.

Christus Filius Dei, Rex in Sion et in omnes gentes.

QUARE fremuérunt gentes, * et pópuli meditáti sunt inánia?

Astitérunt reges terræ, et príncipes convenérunt in unum * adversùs Dóminum, et adversùs Christum ejus.

Dirumpámus víncula eórum, * et projiciámus à nobis jugum ipsórum.

Qui hábitat in cœlis irridébit eos, * et Dóminus subsannábit eos.

Tunc loquétur ad eos in ira sua, * et in furóre suo conturbábit eos.

Ego autem constitútus sum rex ab eo super Sion montem sanctum ejus, * prædicans præceptum ejus.

Dóminus dixit ad me: * Fílius meus es tu, ego hódie génui te.

Póstula à me; et dabo tibi gentes hæreditátem tuam, * et possessiónem tuam términos terræ.

Reges eos in virga férrea, * et tanquam vas figuli confringes eos.

Et nunc, reges, intellígite: * erudímini, qui judicátis terram.

Servíte Dómino in timóre, * et exultáte ei cum tremóre:

Apprehéndite disciplínam, nequando irascátur Dóminus, * et pereátis de via justa.

Cùm exárserit in brevi ira ejus, * beáti omnes qui confídunt in eo.

Ant. Servíte Dómino, et exultáte ei: apprehéndite disciplínam. *Ps.* 2.

Ant. 8. *G.* Dicunt.

PSALMUS 3.

Christi resurrectio, spes membrorum ejus.

Domine, quid multiplicáti sunt qui tríbulant me? * multi insurgunt adversùm me.

Multi dicunt ánimæ meæ: * Non est salus ipsi in Deo ejus.

Tu autem, Dómine, susceptor meus es, * glória mea, et exaltans caput meum.

Voce meâ ad Dóminum clamávi, * et exaudívit me de monte sancto suo.

Ego dormívi, et soporátus sum; * et exurrexi, quia Dóminus suscépit me.

Non timébo míllia pópuli circumdántis me: * exurge, Dómine; salvum me fac, Deus meus.

Quóniam tu percussísti omnes adversántes mihi sine causa, * dentes peccatórum contrivísti.

Dómini est salus; * et super pópulum tuum benedíctio tua.

Ant. Dicunt ánimæ meæ: Non est salus ipsi in Deo ejus; tu autem, Dómine, susceptor meus es. *Ps.* 3.

℣. Memor fui nocte nóminis tui, Dómine; ℟. Et custodívi legem tuam. *Ps.* 118.

Post Versiculum cujuslibet Nocturni dicitur secretò: Paternoster. *Alta voce:* ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem; ℟. Sed líbera nos à malo.

Absolutiones et Benedictiones habentur post Psalterium.

Lectiones cum Responsoriis ut in Proprio.

IN II.° NOCTURNO.

Ant. 6. F. Díligam te.

PSALMUS 17.

Christi resurgentis et Ecclesiæ à persecutoribus liberatæ gratiarum actio.

Diligam te, Dómine, fortitúdo mea: * Dóminus firmamentum meum, et refúgium meum, et liberátor meus.

Deus meus adjútor meus,* et sperábo in eum.

Protector meus, et cornu salútis meæ, * et susceptor meus.

Laudans invocábo Dóminum; * et ab inimícis meis salvus ero.

Circumdedérunt me dolóres mortis, * et torrentes iniquitátis conturbavérunt me.

Dolóres inferni circumdedérunt me : * præoccupavérunt me láquei mortis.

In tribulatióne mea invocávi Dóminum,* et ad Deum meum clamávi;

Et exaudívit de templo sancto suo vocem meam; * et clamor meus in conspectu ejus, introívit in aures ejus.

Commóta est et contrémuit terra : fundamenta móntium conturbáta sunt, et commóta sunt;* quóniam irátus est eis.

Ascendit fumus in ira ejus, et ignis a fácie ejus exarsit : * carbónes succensi sunt ab eo.

Inclinávit cœlos, et descendit : * et calígo sub pédibus ejus.

Et ascendit super Chérubim, et volávit : * volávit super pennas ventórum.

Et posuit ténebras latíbulum suum : in circúitu ejus tabernáculum ejus; * tenebrósa aqua in núbibus áeris.

Præ fulgóre in conspectu ejus nubes transiérunt : * grando et carbónes ignis.

Et intónuit de cœlo Dóminus, et Altíssimus dedit vocem suam : * grando et carbónes ignis.

Et misit sagittas suas, et dissipávit eos : * fúlgura multiplicávit, et conturbávit eos.

Et apparuérunt fontes aquárum, * et reveláta sunt fundamenta orbis terrárum,

Ab increpatióne tua, Dómine, * ab inspiratióne spíritûs iræ tuæ.

Ant. Díligam te, Dómine, fortitúdo mea, firmamentum meum, et refúgium meum. *Ps.* 17.

Ant. 4. *D.* Ero immaculátus.

DIVISIO PSALMI 17.

Misit de summo (Dóminus,) et accépit me, * et assumpsit me de aquis multis.

Erípuit me de inimícis meis fortíssimis, et ab his qui oderunt me; * quóniam confortáti sunt super me.

Prævenérunt me in die afflictiónis meæ; * et factus est Dóminus protector meus.

Et eduxit me in latitúdinem : * salvum me fecit, quóniam vóluit me.

Et retríbuet mihi Dóminus secundùm justítiam meam, * et secundùm puritátem mánuum meárum retríbuet mihi;

Quia custodívi vias Dómini, * nec ímpiè gessi a Deo meo;

Quóniam ómnia judícia

ejus in conspectu meo, * et justítias ejus non répuli à me.

Et ero immaculátus cum eo, * et observábo me ab iniquitáte mea.

Et retríbuet mihi Dóminus secundùm justítiam meam, * et secundùm puritátem mánuum meárum in conspectu oculórum ejus.

Cum sancto sanctus eris, * et cum viro innocente innocens eris:

Et cum electo electus eris, * et cum perverso pervertéris.

Quóniam tu pópulum húmilem salvum fácies, * et óculos superbórum humiliábis.

Quóniam tu illúminas lucernam meam, Dómine: * Deus meus, illúmina ténebras meas.

Quóniam in te erípiar à tentatióne, * et in Deo meo transgrédiar murum.

Ant. Ero immaculátus cum Deo meo, et observábo me ab iniquitáte mea. *Ps.* 17.

Ant. 7. a. Déxtera tua.

ALTERA DIVISIO PSAL. 17.

Deus meus, impollúta via ejus; elóquia Dómini igne examináta: * protector est ómnium sperántium in se.

Quóniam quis Deus præter Dóminum? * aut quis Deus præter Deum nostrum?

Deus qui præcinxit me virtúte, * et pósuit immaculátam viam meam;

Qui perfécit pedes meos tanquam cervórum, * et super excelsa státuens me;

Qui docet manus meas ad prælium: * et posuisti ut arcum æreum bráchia mea:

Et dedisti mihi protectiónem salútis tuæ; * et déxtera tua suscépit me.

Et disciplína tua correxit me in finem, * et disciplína tua ipsa me docébit.

Dilatasti gressus meos subtus me, * et non sunt infirmáta vestígia mea.

Persequar inimícos meos, et comprehendam illos; * et non convertar donec defíciant.

Confringam illos, nec póterunt stare: * cadent subtus pedes meos.

Et præcinxisti me virtúte ad bellum; * et supplantasti insurgentes in me subtus me.

Et inimícos meos dedisti mihi dorsum, * et odientes me disperdidisti.

Clamavérunt, nec erat qui salvos fáceret: * ad Dóminum, nec exaudívit eos.

Et commínuam eos ut púlverem ante fáciem venti: * ut lutum plateárum delébo eos.

Erípies me de contradictiónibus pópuli: * constítues me in caput géntium.

Pópulus quem non cognóvi, servívit mihi: * in audítu auris obedívit mihi.

Fílii aliéni mentíti sunt mihi: * fílii aliéni inveteráti

sunt, et claudicavérunt à sémitis suis.

Vivit Dóminus, et benedictus Deus meus; * et exaltétur Deus salútis meæ.

Deus, qui das vindictas mihi, et subdis pópulos sub me, * liberátor meus de inimícis meis iracundis.

Et ab insurgéntibus in me exaltábis me: * à viro iníquo erípies me.

Propterèa confitébor tibi in natiónibus, Dómine; * et nómini tuo psalmum dicam.

Magníficans salútes regis ejus, * et fáciens misericórdiam christo suo David, et sémini ejus usque in séculum.

Ant. Déxtera tua suscépit me, Dómine; et disciplína tua ipsa me docébit. *Ps.* 17.

℣. Legem tuam, Dómine, non sum oblítus; ℟. Médiâ nocte surgébam ad confitendum tibi. *Ps.* 118.

Pater noster.

IN III.° NOCTURNO.

Ant. 2. D. In Deo.

PSALMUS 27.

Inter adversa spes resurgendi.

Ad te, Dómine, clamábo: Deus meus, ne síleas à me; * nequando táceas à me, et assimilábor descendéntibus in lacum.

Exaudi, Dómine, vocem deprecatiónis meæ, dum oro ad te, * dum extollo manus meas ad templum sanctum tuum.

Ne simul trahas me cum peccatóribus; * et cum operántibus iniquitátem ne perdas me:

Qui loquuntur pacem cum próximo suo; * mala autem in córdibus eórum.

Da illis secundùm ópera eórum, * et secundùm nequítiam adinventiónum ipsórum.

Secundùm ópera mánuum eórum tríbue illis: * redde retributiónem eórum ipsis.

Quóniam non intellexérunt ópera Dómini, et in ópera mánuum ejus; * déstrues illos, et non ædificábis eos.

Benedictus Dóminus, * quóniam exaudívit vocem deprecatiónis meæ.

Dóminus adjútor meus, et protector meus: * in ipso sperávit cor meum, et adjútus sum.

Et reflóruit caro mea; * et ex voluntáte mea confitébor ei.

Dóminus fortitúdo plebis suæ, * et protector salvatiónum christi sui est.

Salvum fac pópulum tuum, Dómine, et benedic hæreditáti tuæ; * et rege eos, et extolle illos usque in æternum.

Ant. In Deo sperávit cor meum, et adjútus sum; et ex voluntáte mea confitébor ei. *Ps.* 27.

Ant. 1. D. Psállite.

PSALMUS 29.

Resurrectionis Psalmus.

EXALTABO te, Dómine, quóniam suscepísti me, * nec delectásti inimícos meos super me.

Dómine Deus meus, clamávi ad te, * et sanásti me.

Dómine, eduxísti ab inferno ánimam meam : * salvásti me à descendéntibus in lacum.

Psállite Dómino, sancti ejus, * et confitémini memóriæ sanctitátis ejus ;

Quóniam ira in indignatióne ejus, * et vita in voluntáte ejus.

Ad vésperum demorábitur fletus, * et ad matutínum lætítia.

Ego autem dixi in abundántia mea : * Non movébor in æternum.

Dómine, in voluntáte tua * præstitísti décori meo virtútem :

Avertísti fáciem tuam à me ; * et factus sum conturbátus.

Ad te, Dómine, clamábo ; * et ad Deum meum deprecábor.

Quæ utílitas in sánguine meo, * dum descendo in corruptiónem?

Numquid confitébitur tibi pulvis, * aut annuntiábit veritátem tuam?

Audívit Dóminus, et misértus est meî : * Dóminus factus est adjútor meus.

Convertísti planctum meum in gáudium mihi : * conscidísti saccum meum, et circumdedísti me lætítiâ;

Ut cantet tibi glória mea, et non compungar : * Dómine Deus meus, in æternum confitébor tibi.

Ant. Psállite Dómino, sancti ejus, et confitémini memóriæ sanctitátis ejus *Ps.* 29.

Ant. 5. a. Veníte.

PSALMUS 65.

Deus laudandus adorandusque, propter ejus innumera beneficia.

JUBILATE Deo, omnis terra ; psalmum dícite nómini ejus : * date glóriam laudi ejus.

Dícite Deo : Quàm terribília sunt ópera tua, Dómine ! * in multitúdine virtútis tuæ mentiéntur tibi inimíci tui.

Omnis terra adóret te, et psallat tibi ; * psalmum dicat nomini tuo.

Veníte, et vidéte ópera Dei : * terríbilis in consíliis super fílios hóminum.

Qui convertit mare in áridam ; in flúmine pertransíbunt pede : * ibi lætábimur in ipso.

Qui dominátur in virtúte sua in æternum ; óculi ejus super gentes respíciunt : * qui exásperant, non exalténtur in semetipsis.

Benedícite, gentes, Deum nostrum ; * et audítam fácite vocem laudis ejus.

Qui pósuit ánimam meam ad vitam, * et non dedit in

commotiónem pedes meos.

Quóniam probasti nos, Deus: * igne nos examinasti, sicut examinátur argentum.

Induxisti nos in láqueum, posuisti tribulatiónes in dorso nostro: * imposuisti hómines super cápita nostra.

Transívimus per ignem et aquam; * et eduxisti nos in refrigérium.

Introíbo in domum tuam in holocaustis: * reddam tibi vota mea,

Quæ distinxérunt lábia mea, et locútum est os meum * in tribulatióne mea.

Holocausta medulláta ófferam tibi cum incenso ariétum: * ófferam tibi boves cum hircis.

Veníte, audíte, et narrábo, omnes qui timétis Deum, * quanta fecit ánimæ meæ.

Ad ipsum ore meo clamávi, * et exaltávi sub lingua mea.

Iniquitátem si aspexi in corde meo, * non exáudiet Dóminus.

Propterèa exaudívit Deus, * et attendit voci deprecatiónis meæ.

Benedictus Deus, * qui non amóvit oratiónem meam, et misericórdiam suam à me.

Ant. Veníte, audíte, et narrábo quanta fecit ánimæ meæ. *Ps.* 65.

℣. Deum exquisívi mánibus meis nocte, ℟. Et non sum deceptus. *Ps.* 76.

Pater noster.

Post ultimum Responsorium dicitur Te Deum, *si dicendum sit.*

Te Deum laudámus, * te Dóminum confitémur.

Te æternum Patrem * omnis terra venerátur.

Tibi omnes Angeli; * tibi cœli, et universæ potestátes;

Tibi Chérubim et Séraphim * incessábili voce proclámant:

Sanctus,

Sanctus,

Sanctus, * Dóminus Deus sábaoth.

Pleni sunt cœli et terra * majestátis glóriæ tuæ.

Te gloriósus * Apostolórum chorus,

Te Prophetárum * laudábilis número,

Te Mártyrum candidátus * laudat exércitus.

Te per orbem terrárum * sancta confitétur Ecclésia,

Patrem * immensæ majestátis:

Venerandum tuum verum, * et únicum Fílium,

Sanctum quoque * paraclétum Spíritum.

Tu Rex glóriæ, * Christe:

Tu Patris * sempiternus es Filius:

Tu, ad liberandum suscepturus hóminem, * non horruisti Vírginis úterum:

Tu, devicto mortis acúleo, * aperuisti credéntibus regna cœlórum:

Tu ad déxteram Dei sedes * in glória Patris.

Judex créderis * esse ventúrus.

Te ergo quæsumus, fámulis tuis súbveni, * quos pretióso sánguine redemisti.

Æternâ fac * cum Sanctis tuis in glória numerári.

Salvum fac pópulum tuum, Dómine, * et bénedic hæreditáti tuæ;

Et rege eos, * et extolle illos usque in æternum.

Per síngulos dies * benedícimus te;

Et laudámus nomen tuum in séculum, * et in séculum séculi.

Dignáre, Dómine, die isto * sine peccáto nos custodíre.

Miserére nostrî, Dómine, * miserére nostrî.

Fiat misericórdia tua, Dómine, super nos, * quemádmodùm sperávimus in te.

In te, Dómine, sperávi; * non confundar in æternum.

℣. *Sacerd.* Anima mea exultábit in Dómino, ℟. Et delectábitur super salutári suo. *Ps.* 34.

Si non continuò sequantur Laudes, hic dicitur: Dóminus vobiscum, ℟. Et cum spíritu tuo. Orémus; *deinde Oratio propria, cum integra conclusione.*

℣. Dóminus vobiscum, *etc.*

℣. Benedicámus Dómino.

℟. Deo grátias.

Postea, submissâ voce:

Fidélium ánimæ per misericórdiam Dei requiescant in pace. ℟. Amen.

Secretò, Pater noster.

Sic terminatur quælibet Hora, si non continuò sequatur aliud Offic.: et tunc ante Hor. seq. dicitur etiam secreto Pater *et* Ave; *excepto Complet. quod inchoatur absolute.*

AD LAUDES.

Deus, in adjutórium meum intende: ℟. Dómine, ad adjuvandum me festína. *Ps.* 69.

Glória Patri, *etc.*

Ant. 8. *G.* Deus.

PSALMUS 62.

Æternorum bonorum desiderium.

Deus, Deus meus, * ad te de luce vígilo.

Sitívit in te ánima mea, quam multipliciter tibi caro mea * in terra deserta, et ínvia, et inaquósa.

Sic in sancto appárui tibi, * ut vidérem virtútem tuam et glóriam tuam.

Quóniam mélior est misericórdia tua super vitas, * lábia mea laudábunt te.

Sic benedícam te in vita mea, * et in nómine tuo levábo manus meas.

Sicut ádipe et pinguédine repleátur ánima mea, * et lábiis exultatiónis laudábit os meum.

Si memor fui tui super stratum meum, * in matutinis meditábor in te.

Quia fuisti adjútor meus, * et in velamento alárum tuárum exultábo.

Adhæsit ánima mea post te; * me suscépit déxtera tua.

Ipsi verò in vanum quæsiérunt ánimam meam, * in-

troíbunt in inferióra terræ:

Tradentur in manus gladii, * partes vúlpium erunt.

Rex verò lætábitur in Deo, laudabuntur omnes qui jurant in eo; * quia obstructum est os loquéntium iníqua.

Ant. Deus, Deus meus, ad te de luce vígilo: sitívit in te ánima mea.

Ant. 1. a. Exultent.

PSALMUS 69.

Christus pro nobis patiens, sibi nobisque opem precatur.

Deus, in adjutórium meum intende: * Dómine, ad adjuvandum me festína.

Confundantur, et revereantur, * qui quærunt ánimam meam.

Avertantur retrorsùm, et erubescant, * qui volunt mihi mala.

Avertantur statim erubescentes, * qui dicunt mihi; Euge, euge.

Exultent et lætentur in te omnes qui quærunt te; * et dicant semper: Magnificétur Dóminus, qui díligunt salutáre tuum.

Ego verò egénus et pauper sum; * Deus, ádjuva me.

Adjútor meus et liberátor meus es tu: * Dómine, ne moréris.

Ant. Exultent et lætentur in te, qui díligunt salutáre tuum, Dómine.

Ant. 5. C. Servíte Dómino.

PSALMUS 99.

Ad Dei cultum et laudes exhortatio.

Jubilate Deo, omnis terra: * servíte Dómino in lætítia.

Introíte in conspectu ejus, * in exultatióne.

Scitóte quóniam Dóminus ipse est Deus: * ipse fecit nos, et non ipsi nos.

Populus ejus, et oves páscuæ ejus, introíte portas ejus in confessióne, átria ejus in hymnis: * confitémini illi.

Laudáte nomen ejus, * quóniam suávis est Dóminus.

In æternum misericórdia ejus, * et usque in generatiónem et generatiónem véritas ejus.

Ant. Servíte Dómino in lætítia: scitóte quóniam Dóminus ipse est Deus.

Ant. 4. E. Benedictus es.

CANTICUM TRIUM PUERORUM.

(Dan. 3.)

Omnes creaturæ ad Dei laudes invitantur.

Benedicite, ómnia ópera Dómini, Dómino: * laudáte et superexaltáte eum in sécula.

Benedícite, Angeli Dómini, Dómino: * benedícite, cœli, Dómino.

Benedícite, aquæ omnes quæ super cœlos sunt, Dómino: * benedícite, omnes virtútes Dómini, Dómino.

Benedícite, sol et luna, Dómino: * benedícite, stellæ cœli, Dómino.

Benedícite, omnis imber et ros, Dómino: * benedícite, omnes spíritus Dei, Dómino.

Benedícite, ignis et æstus, Dómino : * benedícite, frigus et æstus, Dómino.

Benedícite, rores et pruína, Dómino : * benedícite, gelu et frigus, Dómino.

Benedícite, glácies et nives, Dómino : * benedícite, noctes et dies, Dómino.

Benedícite, lux et ténebræ, Dómino : * benedícite, fúlgura et nubes, Dómino.

Benedícat terra Dóminum : * laudet et superexaltet eum in sécula.

Benedícite, montes et colles, Dómino : * benedícite, universa germinántia in terra, Dómino.

Benedícite, fontes, Dómino : * benedícite, mária et flúmina, Dómino.

Benedícite, cete et ómnia quæ moventur in aquis, Dómino : * benedícite, omnes vólucres cœli, Dómino.

Benedícite, omnes béstiæ et pécora, Dómino : * benedícite, fílii hóminum, Dómino.

Benedícat Israel Dóminum : * laudet et superexaltet eum in sécula.

Benedícite, sacerdótes Dómini, Dómino : * benedícite, servi Dómini, Dómino.

Benedícite, spíritus et ánimæ justórum, Dómino : * benedícite, sancti et húmiles corde, Dómino.

Benedícite, Anánia, Azária, Mísael, Dómino : * laudáte et superexaltáte eum in sécula.

Hic, loco Glória Patri, *dicitur :*

Benedicámus Patrem, et Fílium, cum sancto Spíritu : * laudémus et superexaltémus eum in sécula.

Benedictus es, Dómine, in firmamento cœli; * et laudábilis, et gloriósus, et superexaltátus in sécula.

Ant. Benedictus es, Dómine, in throno regni tui; et superlaudábilis, et superexaltátus in sécula.

[*In festis, loco Cantici præcedentis, dicitur Cant. de Proprio, vel de Communi.*]

Ant. 7. d. Hymnus.

PSALMUS 148.

Omnium creaturarum ad Deum laudandum invitatio.

Laudate Dóminum, de cœlis : * laudáte eum in excelsis.

Laudáte eum, omnes Angeli ejus : * laudáte eum, omnes virtútes ejus.

Laudáte eum, sol et luna : * laudáte eum, omnes stellæ et lumen.

Laudáte eum, cœli cœlórum : * et aquæ omnes quæ super cœlos sunt, laudent nomen Dómini;

Quia ipse dixit, et facta sunt : * ipse mandávit, et creáta sunt.

Státuit ea in æternum, et in séculum séculi : * præceptum pósuit, et non prætería bit.

Laudáte Dóminum, de terra; * dracónes, et omnes abyssi;

Ignis, grándo, nix, glácies, spíritus procellárum, * quæ fáciunt verbum ejus;

Montes, et omnes colles; * ligna fructífera, et omnes cedri;

Béstiæ, et universa pécora; * serpentes, et vólucres pennátæ;

Reges terræ, et omnes pópuli; * príncipes, et omnes júdices terræ;

Júvenes et vírgines, senes cum junióribus, laudent nomen Dómini, * quia exaltátum est nomen ejus solíus.

Confessio ejus super cœlum et terram; * et exaltávit cornu pópuli sui.

Hymnus ómnibus sanctis ejus, * fíliis Israel, pópulo appropinquanti sibi.

Ant. Hymnus ómnibus sanctis ejus, fíliis Israel, pópulo appropinquanti sibi. *Ps.* 248.

Capitulum. (*Deut.* 6.)

Audi, Israel: Dóminus Deus noster, Dóminus unus est. Dilíges Dóminum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota ánima tua, et ex tota fortitúdine tua; eruntque verba hæc in corde tuo: et meditáberis in eis sedens in domo tua, et ámbulans in itínere, dórmiens atque consurgens. ℟. Deo grátias.

Sic respondetur in fine omnium Capitulorum.

HYMNUS.

Ad templa nos rursus vocat
Surgentis auróræ nitor,
Novasque pro læto monet
Referre grates múnere.

At victor auróram suo
Fulgóre Christus óbruit:
Huic, magna cujus pars sumus,
Juvat triumpho pláudere.

Quod evolútus fásciis
Repente mundus extítit,
Puro renidens lúmine,
Virtútis hoc quantæ fuit!

Quod tráditum neci Pater,
Ut sóntibus vitam daret,
Vitæ redónat Fílium,
Amoris hoc quanti fuit!

Æternus ut rerum Sator
Aspexit orbem, prótinus,
Colore depictum suo,
Probávit excellens opus.

At lætius quanto óbtulit
Sese Patri spectáculum
Cœlestis Agni cándido
Ablútus orbis sánguine!

Cum luce nobis réddítur
Mundi renascentis decor,
Occulta per quem Núminis
Mens surgit ad magnália.

At splendor æterni Patris,
Lumenque Christus córdium,
Deum dat in se, quantus est,
Sub nube carnis cérnere.

Præsta, beáta Trínitas,
Ut legis ad facem tuæ
Vitémus omne quod vetas,
Sectémur omne quod jubes.

Amen.

℣. Mane astábo tibi, Dómine, et vidébo; ℟. Quóniam non Deus volens iniquitátem tu es. *Ps.* 5.

Antiphona in Canticum sequens, ut in Proprio.

CANTICUM ZACHARIÆ.

(Luc. 1.)

De Redemptoris adventu gratiarum actio.

Benedictus Dóminus Deus Israel, *quia visitávit, et fecit redemptiónem plebis suæ.

Et erexit cornu salútis nobis *in domo David púeri sui,

Sicut locútus est per os sanctórum, * qui à século sunt, Prophetárum ejus,

Salútem ex inimícis nostris, * et de manu ómnium qui odérunt nos;

Ad faciendam misericórdiam cum pátribus nostris, * et memorári testamenti sui sancti:

Jusjurandum quod jurávit ad Abraham patrem nostrum, * datúrum se nobis;

Ut sine timóre, de manu inimicórum nostrórum liberáti, * serviámus illi.

In sanctitáte et justítia coram ipso, * ómnibus diébus nostris.

Et tu, puer, Prophéta Altíssimi vocáberis; * præíbis enim ante fáciem Dómini paráre vias ejus.

Ad dandam sciéntiam salútis plebi ejus, * in remissiónem peccatórum eórum,

Per víscera misericórdiæ Dei nostri, * in quibus visitávit nos Oriens ex alto,

Illumináre his qui in ténebris et in umbra mortis sedent, * ad dirigendos pedes nostros in viam pacis.

Glória Patri.

Antiphona et Oratio, ut in Proprio; postea dicitur:

Dóminus vobiscum, ℟. Et cum spíritu tuo.

Benedicámus Dómino. ℟. Deo grátias.

AD PRIMAM.

℣. Deus, in adjutórium, *etc*

HYMNUS.

Jam lucis orto sídere,
Deum precémur súpplices,
Nostras ut ipse dírigat,
Lux increáta sémitas.

Nil lingua, nil peccet manus:
Nil mens ináne cógitet:
In ore simplex véritas,
In corde regnet cáritas.

Incœpta dum fluet dies,
O Christe, custos pérvigil,
Quas sævus hostis óbsidet,
Portas tuére sénsuum.

Præsta diurnus ut tuæ
Subsérviat laudi labor:
Auctóre quæ te cœpimus,
Da, te favente, prósequi.

Superba ni nimis caro
Menti licenter ímperet,
Carnis domet supérbiam
Potûs cibique párcitas.

Deo Patri sit glória
Ejusque soli Fílio,
Sancto simul cum Spíritu,
Nunc, et per omne séculum. Amen.

Ant. 1. D. In toto corde.

PSALMUS. 117.

Gratiarum actio ob Salvatoris manifestationem.

Confitemini Dómino, quóniam bonus, * quóniam in

séculum misericórdia ejus.

Dicat nunc Israel quóniam bonus, * quóniam in séculum misericórdia ejus.

Dicat nunc domus Aaron,* quóniam in séculum misericórdia ejus.

Dicant nunc qui timent Dóminum, * quóniam in séculum misericórdia ejus.

De tribulatióne invocávi Dóminum, * et exaudívit me in latitúdine Dóminus.

Dóminus mihi adjútor, * non timébo quid fáciat mihi homo.

Dóminus mihi adjútor, * et ego despíciam inimícos meos.

Bonum est confídere in Dómino, * quàm confídere in hómine.

Bonum est speráre in Dómino, * quàm speráre in princípibus.

Omnes gentes circuiérunt me; * et in nómine Dómini quia ultus sum in eos.

Circumdantes circumdedérunt me;* et in nómine Dómini quia ultus sum in eos.

Circumdedérunt me sicut apes, et exarsérunt sicut ignis in spinis; * et in nómine Dómini quia ultus sum in eos.

Impulsus, eversus sum ut cáderem; * et Dóminus suscépit me.

Fortitúdo mea, et laus mea Dóminus,* et factus est mihi in salútem.

Vox exultatiónis et salútis* in tabernáculis justórum.

Déxtera Dómini fecit virtútem, déxtera Dómini exaltávit me; * déxtera Dómini fecit virtútem.

Non móriar, sed vivam,* et narrábo ópera Dómini.

Castígans castigávit me Dóminus, * et morti non trádidit me.

Aperíte mihi portas justítiæ: * ingressus in eas, confitébor Dómino.

Hæc porta Dómini; * justi intrábunt in eam.

Confitébor tibi, quóniam exaudísti me, * et factus es mihi in salútem.

Lápidem quem reprobavérunt ædificántes,* hic factus est in caput ánguli.

A Dómino factum est istud, * et est mirábile in óculis nostris.

Hæc est dies quam fecit Dóminus: * exultémus et lætémur in ea.

O Dómine, salvum me fac; ô Dómine, bene prosperáre: * benedictus qui venit in nómine Dómini.

Benedíximus vobis de domo Dómini: * Deus Dóminus, et illuxit nobis.

Constitúite diem solemnem in condensis, * usque ad cornu altáris.

Deus meus es tu, et confitébor tibi: * Deus meus es tu, et exaltábo te.

Confitébor tibi, quóniam exaudísti me, * et factus es mihi in salútem.

Confitémini Dómino, quóniam bonus, * quóniam

in séculum misericórdia ejus.

PSALMUS 118.

Divinæ legis laus et amor

BEATI immaculáti in via, * qui ámbulant in lege Dómini.

Beáti qui scrutantur testimónia ejus, * in toto corde exquírunt eum.

Non enim qui operantur iniquitátem, * in viis ejus ambulavérunt.

Tu mandásti * mandáta tua custodíri nimis.

Utinam dirigantur viæ meæ * ad custodiendas justificatiónes tuas!

Tunc non confundar, * cùm perspéxero in ómnibus mandátis tuis.

Confitébor tibi in directióne cordis; * in eo quod dídici judícia justítiæ tuæ.

Justificatiónes tuas custódiam; * non me derelínquas usquequáque.

In quo córrigit adolescéntior viam suam? * in custodiendo sermónes tuos.

In toto corde meo exquisívi te: * ne repellas me à mandátis tuis.

In corde meo abscondi elóquia tua, * ut non peccem tibi.

Benedictus es, Dómine: * doce me justificatiónes tuas.

In lábiis meis * pronuntiávi ómnia judícia oris tui.

In via testimoniórum tuórum delectátus sum, * sicut in ómnibus divítiis.

In mandátis tuis exercébor, * et considerábo vias tuas.

In justificatiónibus tuis meditábor: * non obliviscar sermónes tuos.

DIVISIO PSALMI 118.

RETRIBUE servo tuo, vivífica me; * et custódiam sermónes tuos.

Revéla óculos meos, * et considerábo mirabília de lege tua.

Incola ego sum in terra; * non abscondas à me mandáta tua.

Concupívit ánima mea desiderâre justificatiónes tuas * in omni témpore.

Increpasti superbos: * maledícti qui declínant à mandátis tuis.

Aufer à me oppróbrium et contemptum; * quia testimónia tua exquisívi.

Etenim sedérunt príncipes, et adversùm me loquebántur; * servus autem tuus exercebátur in justificatiónibus tuis.

Nam et testimónia tua meditátio mea est, * et consílium meum justificatiónes tuæ.

Adhæsit pavimento ánima mea: * vivífica me secundùm verbum tuum.

Vias meas enuntiávi, et exaudísti me: * doce me justificatiónes tuas.

Viam justificatiónum tuárum ínstrue me; * et exercébor in mirabílibus tuis.

Dormitávit ánima mea præ tædio : * confirma me in verbis tuis.

Viam iniquitátis ámove à me; * et de lege tua miserére meî.

Viam veritátis elégi; * judícia tua non sum oblítus.

Adhæsi testimóniis tuis, Dómine : * noli me confúndere.

Viam mandatórum tuórum cucurri, * cùm dilatasti cor meum.

Quando fit Officium de Dominica, nisi aliter notetur, dicitur Symbolum sequens.

Quicumque vult salvus esse, * ante ómnia opus est ut téneat cathólicam fidem :

Quam nisi quisque íntegram inviolatamque serváverit, * absque dúbio in æternum perîbit.

Fides autem cathólica hæc est, * ut unum Deum in Trinitáte, et Trinitátem in Unitáte venerémur;

Neque confundentes personas, * neque substántiam separantes.

Alia est enim persóna Patris, ália Fílii, * ália Spíritûs sancti.

Sed Patris, et Fílii, et Spíritûs sancti una est divínitas, * æquális glória, coæterna majestas.

Qualis Pater, talis Fílius, * talis Spíritus sanctus.

Increátus Pater, increátus Fílius, * increátus Spíritus sanctus.

Immensus Pater, immensus Fílius, * immensus Spíritus sanctus.

Æternus Pater, æternus Fílius, * æternus Spíritus sanctus.

Et tamen non tres æterni, * sed unus æternus.

Sicut non tres increáti, nec tres immensi, * sed unus increátus, et unus immensus.

Simíliter omnípotens Pater, omnípotens Fílius, * omnípotens Spíritus sanctus;

Et tamen non tres omnipotentes, * sed unus omnípotens.

Ita Deus Pater, Deus Fílius, * Deus Spíritus sanctus;

Et tamen non tres dii, * sed unus est Deus.

Ita Dóminus Pater, Dóminus Fílius, * Dóminus Spíritus sanctus;

Et tamen non tres Dómini, * sed unus est Dóminus.

Quia, sicut singillátim unamquamque persónam, Deum ac Dóminum confitéri christiánâ veritáte compéllimur; * ita tres deos aut dóminos dícere cathólicâ religióne prohibémur.

Pater à nullo est factus, * nec creátus, nec génitus.

Fílius à Patre solo est, * non factus, nec creátus, sed génitus.

Spíritus sanctus à Patre et Fílio, * non factus, nec creátus, nec génitus, sed procédens.

Unus ergo Pater, non tres

Patres: unus Fílius, non tres Fílii, * unus Spíritus sanctus, non tres Spíritus sancti.

Et in hac Trinitáte nihil prius aut postérius, nihil majus aut minus; * sed totæ tres persónæ coæternæ sibi sunt et coæquáles.

Ita ut per ómnia, sicut jam suprà dictum est, * et Unitas in Trinitáte, et Trínitas in Unitáte veneranda sit.

Qui vult ergo salvus esse, * ita de Trinitáte séntiat.

Sed necessárium est ad æternam salútem, * ut Incarnatiónem quoque Dómini nostri Jesu Christi fidéliter credat.

Est ergo fides recta, ut credámus et confiteámur * quia Dóminus noster Jesus Christus Dei Fílius, Deus et homo est.

Deus est ex substántia Patris ante sécula génitus, * et homo est ex substántia matris in século natus.

Perfectus Deus, perfectus homo; * ex ánima rationáli, et humána carne subsistens.

Æquális Patri secundùm divinitátem, * minor Patre secundùm humanitátem.

Qui licèt Deus sit et homo, * non duo tamen, sed unus est Christus.

Unus autem non conversióne divinitátis in carnem, * sed assumptióne humanitátis in Deum.

Unus omninò, non confusióne substántiæ, * sed unitáte persónæ.

Nam sicut ánima rationális et caro unus est homo; * ità Deus et homo unus est Christus,

Qui passus est pro salúte nostra, descendit ad ínferos, * tértiâ die resurrexit à mórtuis:

Ascendit ad cœlos, sedet ad déxteram Dei Patris omnipotentis; * inde ventúrus est judicáre vivos et mórtuos:

Ad cujus adventum omnes hómines resúrgere habent cum corpóribus suis, * et redditúri sunt de factis própriis ratiónem.

Et qui bona egérunt, ibunt in vitam æternam; * qui verò mala, in ignem æternum.

Hæc est fides cathólica; * quam nisi quisque fidéliter firmiterque credíderit, salvus esse non póterit.

Glória Patri.

Ant. In toto corde meo exquisívi te, Dómine: doce me justificatiónes tuas. *Ps.* 118

Capitulum. (*Ephes.* 5.)

ERATIS aliquando ténebræ; nunc autem lux in Dómino. Ut Fílii lucis ambuláte; fructus enim lucis est in omni bonitáte, et justítiâ, et veritáte: probantes quid sit beneplácitum Deo.

℟. *breve.* Christe, Fili Dei vivi, * Miserére nobis. *Repet.* Christe, Fili Dei vivi, * Miserére nobis. ℣. Qui sedes * ad déxteram Patris, [*hic*

versus quandoquè mutandus est, ut notatur in Proprio] * Miserére nobis. Glória Patri, et Fílio, et Spíritui sancto. *Repet.* Christe, Fili Dei vivi, * Miserére nobis. *Matth.* 16. *Tob.* 8. *Hebr.* 1.

℣. Exurge, Dómine, ádjuva nos; ℟. Et rédime nos propter nomen tuum. *Ps.* 43.

℣. Dóminus vobiscum, ℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus.

Domine Deus omnípotens, qui ad princípium hujus diéi nos pervenire fecisti: tuâ nos hódie salva virtúte; ut ad nullum declinémus peccátum, sed semper ad tuam justítiam faciendam nostra procédant elóquia, dirigantur cogitatiónes et ópera; Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritûs sancti Deus, per ómnia sécula seculórum. ℟. Amen.

℣. Dóminus vobiscum, ℟. Et cum spíritu tuo.

℣. Benedicámus Dómino. ℟. Deo grátias.

AD OFFICIUM CAPITULI.

Primò fit lectio Martyrologii, in cujus fine nihil respondetur; deinde Hebdomadarius dicit:

℣. Pretiósa in conspectu Dómini ℟. Mors Sanctórum ejus. *Ps.* 115.

Sancta María, et omnes Sancti ádjuvent nos in oratiónibus suis pro nobis ad Deum; ut secundùm eum qui vocávit nos, Sanctum, et ipsi in omni conversatióne sancti simus *Rom.* 15. 1. *Petr.* 1. ℟. Amen.

Posteà dicitur: ℣. Deus, in adjutórium meum inténde: ℟. Dómine, ad adjuvándum me festína. *Ps.* 69.

℣. Deus, in adjutórium meum inténde: ℟. Dómine, ad adjuvándum me festína.

℣. Deus, in adjutórium meum inténde: ℟. Dómine, ad adjuvándum me festína. Glória Patri, et Fílio, et Spíritui sancto: Sicut erat in princípio, et nunc, et semper, et in sécula seculórum. Amen. Kyrie, eléison. Christe, eléison. Kyrie, eléison.

Secretò, Pater noster. *Altâ voce*, ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem; ℟. Sed líbera nos à malo.

℣. Réspice in servos tuos, Dómine, et in ópera tua; et dírige fílios eórum: ℟. Et sit splendor Dómini Dei nostri super nos; et ópera mánuum nostrárum dírige super nos, et opus mánuum nostrárum dírige. *Ps.* 89.

Glória Patri.

Orémus.

Dirigere et sanctificáre, régere et gubernáre dignáre, Dómine Deus, Rex cœli et terræ, hódie corda et córpora nostra, sensus, ser-

mónes et actus nostros, in lege tua, et in opéribus mandatórum tuórum; ut hic, et in ætérnum, te auxiliante, salvi et líberi esse mereámur, Salvátor, mundi; Qui vivis et regnas.

Lector: Jube, domne, benedícere. [*Solus recitans dicit:* Dómine.]

Bened. Det Dóminus leges suas in mentem nostram, et in corde nostro superscríbat eas. *Hebr.* 8. ℟. Amen.

Tum fit lectio Canonis, qui pro singulis diebus habetur ad calcem: in cujus fine dicitur: Tu autem, Dómine, miserére nostrî. ℟. Deo grátias.

Post lectionem, Hebdomadarius dicit: Adjutórium nostrum in nómine Dómini, ℟. Qui fecit cœlum et terram. *Ps.* 123.

Submissiori voce dicit: Benedícite. ℟. Deus. *Hebd.* Deus pacis aptet nos in omni bono, ut faciámus ejus voluntátem, fáciens in nobis quod pláceat coram se. *Hebr.* 13. ℟. Amen.

Si non continuò sequatur Tertia, hic dicitur; Fidélium ánimæ, *etc.*

Nota. *Qui extra chorum recitant non tenentur ad lectionem Martyrologii.*

A TERTIAM.

℣. Deus, in adjutórium

HYMNUS.

O FONS amóris, Spíritus,
O sancte donórum parens,
Tuas refúsus íntimis
Accende flammas córdibus.

Qui caritátis vínculo
Cum Patre nectis Fílium,
Et nos amóris mútui
Arctis coapta néxibus.

Deo Patri sit glória,
Ejusque soli Fílio,
Sancto simul cum Spíritu,
Nunc, et per omne séculum.
Amen.

Ant. 6. *C.* Da mihi.

EX PSALMO 118.

LEGEM pone mihi, Dómine, viam justificatiónum tuárum; * et exquíram eam semper.

Da mihi intellectum, et scrutábor legem tuam; * et custódiam illam in toto corde meo.

Deduc me in sémitam mandatórum tuórum, * quia ipsam vólui.

Inclína cor meum in testimónia tua, * et non in avarítiam.

Averte óculos meos, ne vídeant vanitátem: * in via tua vivífica me.

Státue servo tuo elóquium tuum * in timóre tuo.

Amputa opprobrium meum, quod suspicátus sum, * quia judícia tua jucunda.

Ecce concupívi mandáta tua: * in æquitáte tua vivífica me;

Et véniat super me misericórdia tua, Dómine, * sa-

lutáre tuum secundùm elóquium tuum.

Et respondébo exprobrántibus mihi verbum, * quia sperávi in sermónibus tuis.

Et ne áuferas de ore meo verbum veritátis usquequáque; * quia in judíciis tuis supersperávi.

Et custódiam legem tuam semper, * in séculum, et in séculum séculi.

Et ambulábam in latitúdine, * quia mandáta tua exquisívi.

Et loquébar de testimóniis tuis in conspectu regum, * et non confundébar.

Et meditábar in mandátis tuis, * quæ dilexi.

Et levávi manus meas ad mandáta tua quæ dilexi, * et exercébar in justificatiónibus tuis.

DIVISIO PSALMI 118.

Memor esto verbi tui servo tuo, * in quo mihi spem dedisti.

Hæc me consoláta est in humilitáte mea, quia elóquium tuum vivificávit me

Superbi iníquè agébant usquequáque: * a lege autem tua non declinávi.

Memor fui judiciórum tuórum à século, Dómine; * et consolátus sum.

Defectio ténuit me * pro peccatóribus derelinquéntibus legem tuam.

Cantábiles mihi erant justificatiónes tuæ * in loco peregrinatiónis meæ.

Memor fui nocte nóminis tui, Dómine; * et custodívi legem tuam.

Hæc facta est mihi, * quia justificatiónes tuas exquisívi.

Pórtio mea, Dómine, * dixi, custodíre legem tuam.

Deprecátus sum fáciem tuam in toto corde meo: * miserére meî secundùm elóquium tuum.

Cogitávi vias meas, * et converti pedes meos in testimónia tua.

Parátus sum, et non sum turbátus, * ut custódiam mandáta tua.

Funes peccatórum circumplexi sunt me; * et legem tuam non sum oblítus.

Médiâ nocte surgébam ad confitendum tibi * super judícia justificatiónis tuæ.

Párticeps ego sum ómnium timéntium te, * et custodiéntium mandáta tua.

Misericórdiâ tuâ, Dómine, plena est terra: * justificatiónes tuas doce me.

DIVISIO PSALMI 118.

Bonitatem fecisti cum servo tuo, Dómine, * secundùm verbum tuum.

Bonitátem, et disciplínam, et sciéntiam doce me; * quia mandátis tuis crédidi.

Priusquàm humiliárer, ego delíqui: * propterèa elóquium tuum custodívi.

Bonus es tu; * et in bonitáte tua doce me justificatiónes tuas.

Multiplicáta est super me iníquitas superbórum: * ego autem in toto corde meo scrutábor mandáta tua.

Coagulátum est sicut lac cor eórum: * ego verò legem tuam meditátus sum.

Bonum mihi quia humiliasti me, * ut discam justificatiónes tuas.

Bonum mihi lex oris tui * super míllia auri et argenti.

Manus tuæ fecérunt me, et plasmavérunt me: * da mihi intellectum, et discam mandáta tua.

Qui timent te, vidébunt me, et lætabuntur; * quia in verba tua supersperávi.

Cognóvi, Dómine, quia æquitas judícia tua, * et in veritáte tua humiliasti me.

Fiat misericórdia tua, ut consolétur me, * secundùm elóquium tuum servo tuo.

Véniant mihi miserationes tuæ, et vivam; * quia lex tua meditátio mea est.

Confundantur superbi, quia injustè iniquitátem fecérunt in me; * ego autem exercébor in mandátis tuis.

Convertantur mihi timentes te, * et qui novérunt testimónia tua.

Fiat cor meum immaculátum in justificatiónibus tuis, * ut non confundar.

Ant. Da mihi intellectum, et scrutábor legem tuam, Dómine.

Capitulum. (1. *Joan.* 2.)

In hoc scimus quóniam cognóvimus Deum, si mandáta ejus observémus. Qui dicit se nosse eum, et mandáta ejus non custódit, mendax est, et in hoc véritas non est: qui autem servat verbum ejus, verè in hoc cáritas Dei perfecta est.

℟. *br.* Inclína cor meum, Deus, * In testimónia tua. Inclína. ℣. Averte óculos meos, ne vídeant vanitátem: * in via tua vivífica me, * In testimónia tua. Glória Patri. Inclína.

℣. Deduc me in sémitam mandatórum tuórum; ℟. Quia ipsam vólui. *Ps.* 118.

Oratio conveniens.

AD SEXTAM.

℣. Deus, in adjutórium.

HYMNUS.

Nunc solis excelsum jubar
Pleno coruscat lúmine;
Sic, Christe, tu mundum novâ,
Sol verus, accendis face.

Fac pura nostris fúlgeat
Lux veritátis méntibus;
Fac nostra plenam cáritas
Crescendo surgat ad diem.

Deo Patri sit glória,
Ejusque soli Fílio,
Sancto simul cum Spíritu,
Nunc, et per omne séculum.
Amen.

Ant. 2. D. Inclinávi.

EX PSALMO 118.

Defecit in salutáre tuum ánima mea, * et in verbum tuum supersperávi.

Defecérunt óculi mei in elóquium tuum, * dicentes: Quando consoláberis me?

Quia factus sum sicut uter in pruína; * justificatiónes tuas non sum oblítus.

Quot sunt dies servi tui? * quando fácies de persequéntibus me judícium?

Narravérunt mihi iníqui fabulatiónes; * sed non ut lex tua.

Omnia mandáta tua, véritas: * iníquè persecúti sunt me, ádjuva me.

Paulò minùs consummavérunt me in terra: * ego autem non derelíqui mandáta tua.

Secundùm misericórdiam tuam vivífica me, * et custódiam testimónia oris tui.

In æternum, Dómine, * verbum tuum pérmanet in cœlo.

In generatiónem et generatiónem véritas tua: * fundásti terram, et pérmanet.

Ordinatióne tuâ persevérat dies; * quóniam ómnia sérviunt tibi.

Nisi quòd lex tua meditátio mea est, * tunc fortè periissem in humilitáte mea.

In æternum non obliviscar justificatiónes tuas; * quia in ipsis vivificasti me.

Tuus sum ego, salvum me fac; * quóniam justificatiónes tuas exquisívi.

Me expectavérunt peccatóres ut pérderent me: * testimónia tua intellexi.

Omnis consummatiónis vidi finem: * latum mandátum tuum nimis.

DIVISIO PSALMI 118.

Quomodo dilexi legem tuam, Dómine! * totâ die meditátio mea est.

Super inimícos meos prudentem me fecísti mandáto tuo; * quia in æternum mihi est.

Super omnes docentes me intellexi, * quia testimónia tua meditátio mea est.

Super senes intellexi, * quia mandáta tua quæsívi.

Ab omni via mala prohíbui pedes meos; * ut custódiam verba tua.

A judíciis tuis non declinávi; * quia tu legem posuísti mihi.

Quàm dúlcia fáucibus meis elóquia tua! * super mel ori meo.

A mandátis tuis intellexi: * propterèa odívi omnem viam iniquitátis.

Lucerna pédibus meis verbum tuum, * et lumen sémitis meis.

Jurávi et státui * custodíre judícia justítiæ tuæ.

Humiliátus sum usquequáque, Dómine: * vivífica me secundùm verbum tuum.

Voluntária oris mei beneplácita fac, Dómine, * et judícia tua doce me.

Anima mea in mánibus meis semper; * et legem tuam non sum oblítus.

Posuérunt peccatóres lá-

queum mihi; * et de mandátis tuis non erravi.

Hæreditáte acquisívi testimónia tua in æternum; * quia exultátio cordis mei sunt.

Inclinávi cor meum ad faciendas justificatiónes tuas in æternum, * propter retributiónem.

DIVISIO PSALMI 118.

Iniquos ódio hábui, * et legem tuam dilexi.

Adjútor et susceptor meus es tu; * et in verbum tuum supersperávi.

Declináte à me, maligni; * et scrutábor mandáta Dei mei.

Súscipe me secundùm elóquium tuum, et vivam; * et non confundas me ab expectatióne mea.

Adjuva me, et salvus ero; * et meditábor in justificatiónibus tuis semper.

Sprevisti omnes discedentes à judíciis tuis, * quia injusta cogitátio eórum.

Prævaricantes reputávi omnes peccatóres terræ: * ídeò dilexi testimónia tua.

Confíge timóre tuo carnes meas: * à judíciis enim tuis tímui.

Feci judícium et justítiam: * non tradas me calumniántibus me.

Súscipe servum tuum in bonum: * non calumnientur me superbi.

Oculi mei defecérunt in salutáre tuum, * et in elóquium justítiæ tuæ.

Fac cum servo tuo secundùm misericórdiam tuam, * et justificatiónes tuas doce me.

Servus tuus sum ego: * da mihi intellectum, ut sciam testimónia tua.

Tempus faciendi, Dómine: * dissipavérunt legem tuam.

Ideò dilexi mandáta tua * super aurum et topázion.

Propterèa ad ómnia mandáta tua dirigébar: * omnem viam iníquam ódio hábui.

Ant. Inclinávi cor meum ad faciendas justificatiónes tuas in æternum.

Capitulum. (1. *Joan.* 5.)

Hæc est cáritas Dei, ut mandáta ejus custodiámus; et mandáta ejus grávia non sunt.

℟. *br.* Testimónia tua intellexi, Dómine: * Latum mandátum tuum nimis. Testimónia. ℣. Omnis consummatiónis * vidi finem. * Latum. Glória Patri. Testimónia tua.

℣. Dilexi mandáta tua super aurum: ℟. Propterèa ad ómnia mandáta tua dirigébar. *Ps.* 118.

Oratio conveniens.

AD NONAM.

℣. Deus, in adjutórium.

HYMNUS.

Prono volútus impetu,
Inclínat in noctem dies;
Sic vita suprémam citò

Festínat ad metam gradu.
O Christe, dum fixus cruci
Expandis orbi bráchia,
Amáre da crucem; tuo
Da nos in amplexu mori.
Deo Patri sit glória,
Ejusque soli Fílio,
Sancto simul cum Spíritu,
Nunc, et per omne séculum.
Amen.

Ant. 4. E. Omnia.

EX PSALMO 118.

Mirabilia testimónia tua; * ídeò scrutáta est ea ánima mea.

Declarátio sermónum tuórum illúminat, * et intellectum dat párvulis.

Os meum apérui, et attraxi spíritum; * quia mandáta tua desiderábam.

Aspice in me, et miserére meî, * secundùm judícium diligéntium nomen tuum.

Gressus meos dírige secundùm elóquium tuum; * et non dominétur meî omnis injustítia.

Rédime me à calúmniis hóminum, * ut custódiam mandáta tua.

Fáciem tuam illúmina super servum tuum, * et doce me justificatiónes tuas.

Exitus aquárum deduxérunt óculi mei; * quia non custodiérunt legem tuam.

Justus es, Dómine, * et rectum judícium tuum.

Mandásti justítiam testimónia tua, * et veritátem tuam nimis.

Tabéscere me fecit zelus meus; * quia oblíti sunt verba tua inimíci mei.

Ignítum elóquium tuum vehementer; * et servus tuus dilexit illud.

Adolescéntulus sum ego, et contemptus: * justificatiónes tuas non sum oblítus.

Justítia tua, justítia in æternum; * et lex tua véritas.

Tribulátio et angústia invenérunt me: * mandáta tua meditátio mea est.

Æquitas testimónia tua in æternum: * intellectum da mihi, et vivam.

DIVISIO PSALMI 118.

Clamavi in toto corde meo, exaudi me, Dómine: * justificatiónes tuas requíram.

Clamávi ad te, salvum me fac; * ut custódiam mandáta tua.

Prævéni in maturitáte, et clamávi; * quia in verba tua supersperávi.

Prævenérunt óculi mei ad te dilúculo; * ut meditárer elóquia tua.

Vocem meam audi secundùm misericórdiam tuam, Dómine; * et secundùm judícium tuum vivifica me.

Appropinquavérunt persequentes me iniquitáti: * à lege autem tua longè facti sunt.

Propè es tu, Dómine; * et omnes viæ tuæ véritas.

Inítio cognóvi de testimóniis tuis; * quia in æternum fundásti ea.

Vide humilitátem meam,

et éripe me : * quia legem tuam non sum oblítus.

Júdica judícium meum, et rédime me : * propter elóquium tuum vivífica me.

Longè à peccatóribus salus ; * quia justificatiónes tuas non exquisiérunt.

Misericórdiæ tuæ multæ, Dómine : * secundùm judícium tuum vivífica me.

Multi qui persequuntur me, et tríbulant me : * à testimóniis tuis non declinávi.

Vidi prævaricántes, et tabescébam ; * quia elóquia tua non custodiérunt.

Vide quóniam mandáta tua dilexi, Dómine : * in misericórdia tua vivífica me.

Princípium verbórum tuórum, véritas : * in ætérnum ómnia judícia justítiæ tuæ.

DIVISIO PSALMI 118.

PRINCIPES persécuti sunt me gratis ; * et à verbis tuis formidávit cor meum.

Lætábor ego super elóquia tua, * sicut qui invénit spólia multa.

Iniquitátem ódio hábui, et abominátus sum : * legem autem tuam dilexi.

Sépties in die laudem dixi tibi * super judícia justítiæ tuæ.

Pax multa diligéntibus legem tuam ; * et non est illis scándalum.

Expectábam salutáre tuum, Dómine ; * et mandáta tua dilexi.

Custodívit ánima mea testimónia tua, * et dilexit ea vehementer.

Servávi mandáta tua et testimónia tua ; * quia omnes viæ meæ in conspectu tuo.

Appropinquet deprecátio mea in conspectu tuo, Dómine : * juxta elóquium tuum da mihi intellectum.

Intret postulátio mea in conspectu tuo : * secundùm elóquium tuum éripe me.

Eructábunt lábia mea hymnum, * cùm docúeris me justificatiónes tuas.

Pronuntiábit lingua mea elóquium tuum ; * quia ómnia mandáta tua, æquitas.

Fiat manus tua ut salvet me ; * quóniam mandáta tua elégi.

Concupívi salutáre tuum, Dómine ; * et lex tua meditátio mea est.

Vivet ánima mea, et laudábit te ; * et judícia tua adjuvábunt me.

Errávi sicut ovis quæ périit : * quære servum tuum, quia mandáta tua non sum oblítus.

Ant. Omnia mandáta tua æquitas : pax multa diligéntibus legem tuam, Dómine.

Capitulum. (1. *Tim.* 1.)

FINIS præcepti est cáritas de corde puro, et consciéntiâ bonâ, et fide non fictâ.

℟. *br.* Omnes viæ meæ * In conspectu tuo, Dómine. Omnes. ℣. Servávi mandáta

tua, * et testimónia tua, * In conspectu. Glória Patri. Omnes.

℣. Custodívit ánima mea testimónia tua, ℟. Et dilexit ea vehementer. *Ps.* 118.

Oratio conveniens.

AD VESPERAS.

℣. Deus, in adjutórium, *etc.*

Ant. 7. c. Dixit Dóminus.

PSALMUS 109.

Christi divinitas, regnum et sacerdotium.

DIXIT Dóminus Dómino meo : * Sede à dextris meis,

Donec ponam inimícos tuos * scabellum pedum tuórum.

Virgam virtútis tuæ emittet Dóminus ex Sion : * dominâre in médio inimicórum tuórum.

Tecum princípium in die virtútis tuæ in splendóribus sanctórum : * ex útero ante lucíferum génui te.

Jurávit Dóminus, et non pœnitébit eum : * Tu es Sacerdos in æternum secundùm órdinem Melchísedech.

Dóminus à dextris tuis, * confrégit in die iræ suæ reges.

Judicábit in natiónibus; implébit ruínas; * conquassábit cápita in terra multórum.

De torrente in via bibet : * proptéreà exaltábit caput.

Ant. Dixit Dóminus Dómino meo : Sede à dextris meis.

Ant. 4. d. Fidélia.

PSALMUS 110.

Laus Deo ob sua per Christum beneficia.

CONFITEBOR tibi, Dómine, in toto corde meo, * in concílio justórum et congregatióne.

Magna ópera Dómini, * exquisíta in omnes voluntátes ejus.

Conféssio et magnificéntia opus ejus : * et justítia ejus manet in séculum séculi.

Memóriam fecit mirabílium suórum miséricors et miserátor Dóminus : * escam dedit timéntibus se.

Memor erit in séculum testamenti sui : * virtútem óperum suórum annuntiábit pópulo suo;

Ut det illis hæreditátem géntium : * ópera mánuum ejus, véritas et judícium.

Fidélia ómnia mandáta ejus, confirmáta in séculum séculi, * facta in veritáte et æquitáte.

Redemptiónem misit pópulo suo : * mandávit in æternum testamentum suum.

Sanctum et terríbile nomen ejus : * inítium sapiéntiæ timor Dómini.

Intellectus bonus ómnibus faciéntibus eum : * laudátio ejus manet in séculum séculi.

Ant. Fidélia ómnia man-

dáta ejus, confirmáta in séculum séculi.

Ant. 1. *f.* Qui timet Dóminum.

PSALMUS 111.

Christi et omnium in Christo justorum encomium.

Beatus vir qui timet Dóminum, * in mandátis ejus volet nimis.

Potens in terra erit semen ejus : * generátio rectórum benedicétur.

Glória et divítiæ in domo ejus ; * et justítia ejus manet in séculum séculi.

Exortum est in ténebris lumen rectis ; * miséricors, et miserátor, et justus.

Jucundus homo, qui miserétur et cómmodat, dispónet sermónes suos in judício ; * quia in æternum non commovébitur.

In memória æterna erit justus : * ab auditióne mala non timébit.

Parátum cor ejus speráre in Dómino, confirmátum est cor ejus : * non commovébitur, donec despíciat inimícos suos.

Dispersit, dedit paupéribus, * justítia ejus manet in séculum séculi : cornu ejus exaltábitur in glória.

Peccátor vidébit, et irascétur ; déntibus suis fremet, et tabescet : * desidérium peccatórum períbit.

Ant. Qui timet Dóminum, in mandátis ejus cupit nimis.

Ant. 7. ç. Sit nomen.

PSALMUS 112.

Dei laus ob fidelium per Christum exaltationem et multiplicationem.

Laudate, púeri, Dóminum ; * laudáte nomen Dómini.

Sit nomen Dómini benedictum, * ex hoc nunc et usque in séculum.

A solis ortu usque ad occásum, * laudábile nomen Dómini.

Excelsus super omnes gentes Dóminus, * et super cœlos glória ejus.

Quis sicut Dóminus Deus noster, qui in altis hábitat, * et humília réspicit in cœlo et in terra ?

Súscitans à terra ínopem, * et de stércore érigens páuperem ;

Ut cóllocet eum cum princípibus, * cum princípibus pópuli sui.

Qui habitáre facit stérilem in domo, * matrem filiórum lætantem.

Ant. Sit nomen Dómini benedictum in sécula.

Ant. 1. A. Nos qui vívimus.

PSALMUS 113.

Ecclesiæ per Christum liberatio : idolorum vanitas.

In éxitu Israel de Ægypto, * domûs Jacob de pópulo bárbaro ;

Facta est Judæa sanctificátio ejus, * Israel potestas ejus.

Mare vidit, et fugit : *

Jordánis conversus est retrorsùm.

Montes exultavérunt ut aríetes, * et colles, sicut agni óvium.

Quid est tibi, mare, quòd fugísti? * et tu, Jordánis, quia conversus es retrorsùm?

Montes, exultastis sicut aríetes? * et, colles, sicut agni óvium?

A fácie Dómini mota est terra, * à fácie Dei Jacob,

Qui convertit petram in stagna aquárum, * et rupem in fontes aquárum.

Non nobis, Dómine, non nobis, * sed nómini tuo da glóriam super misericórdia tua et veritáte tua;

Nequando dicant gentes: * Ubi est Deus eórum?

Deus autem noster in cœlo; * ómnia quæcumque vóluit, fecit.

Simulácra géntium argentum et aurum, * ópera mánuum hóminum.

Os habent, et non loquentur: * óculos habent, et non vidébunt.

Aures habent, et non áudient: * nares habent, et non odorábunt.

Manus habent, et non palpábunt; pedes habent, et non ambulábunt: * non clamábunt in gútture suo.

Símiles illis fiant qui fáciunt ea, * et omnes qui confídunt in eis.

Domus Israel sperávit in Dómino: * adjútor eórum et protector eórum est.

Domus Aáron sperávit in Dómino: * adjútor eórum et protector eórum est.

Qui timent Dóminum, speravérunt in Dómino: * adjútor eórum et protector eórum est.

Dóminus memor fuit nostrî, * et benedíxit nobis.

Benedíxit dómui Israel, * benedíxit dómui Aaron.

Benedíxit ómnibus qui timent Dóminum, * pusíllis cum majóribus.

Adjíciat Dóminus super vos, * super vos et super fílios vestros.

Benedícti vos à Dómino: * qui fecit cœlum et terram.

Cœlum cœli Dómino: * terram autem dedit fíliis hóminum.

Non mórtui laudábunt te, Dómine, * neque omnes qui descendunt in infernum.

Sed nos qui vívimus, benedícimus Dómino, * ex hoc nunc, et usque in séculum.

Ant. Nos qui vívimus, benedícimus Dómino.

Capitulum. (*Ephes.* 1.)

Benedictus Deus, et Pater Dómini nostri Jesu Christi, qui benedíxit nos in omni benedictióne spirituáli in cœléstibus in Christo, sicut elégit nos in ipso ante mundi constitutiónem, ut essémus sancti et immaculáti in conspectu ejus in caritáte.

HYMNUS.

O luce qui mortálibus

Lates inaccessâ, Deus !
Præsente quo sancti tremunt
Nubuntque vultus Angeli :
Hic, ceu profundâ cónditi
Demérgimur calígine :
Æternus at noctem suo
Fulgóre depellet dies.
Hunc nempe nobis præparas,
Nobis reservas hunc diem,
Quem vix adumbrat spléndida
Flammantis astri cláritas.
Morabis, heu ! nimis diu
Moráris, optátus dies :
Ut te fruámur nóxii
Linquenda moles córporis.
His cùm solúta vínculis
Mens evolárit, ô Deus ;
Vidére te, laudáre te,
Amáre te non désinet.
Ad omne nos apta bonum,
Fecunda donis Trínitas :
Fac lucis usúræ brevi
Æterna succédat dies.
Amen.

℣. In Deo laudábimur totâ die ; ℟. Et in nómine tuo confitébimur in séculum. *Ps.* 43.

Antiph. ut in Proprio.

CANTICUM B. MARIÆ VIRGINIS.

(Luc. 1.)

Dei laus ob incarnati Verbi mysterium.

Magnificat * ánima mea Dóminum ;
Et exultávit spíritus meus * in Deo salutári meo ;
Quia respexit humilitátem ancillæ suæ : * ecce enim ex hoc beátam me dicent omnes generatiónes.
Quia fecit mihi magna qui potens est ; * et sanctum nomen ejus.
Et misericórdia ejus à progénie in progénies * timéntibus eum.
Fecit poténtiam in bráchio suo : * dispersit superbos mente cordis sui.
Depósuit potentes de sede, * et exaltávit húmiles.
Esurientes implévit bonis, * et dívites dimísit inánes.
Suscépit Israel púerum suum, * recordátus misericórdiæ suæ,
Sicut locútus est ad patres nostros, * Abraham et sémini ejus in sécula.

Deinde dicitur Antiphona, et Oratio, ut in Proprio.

AD COMPLETORIUM.

Converte nos, Deus salutáris noster ; ℟. Et averte iram tuam à nobis. *Ps.* 84.

℣. Deus, in adjutórium. *Ant.* 8. G. Scuto.

PSALMUS 4.

In Deo fidelium spes et requies.

Cum invocárem, exaudívit me Deus justítiæ meæ : * in tribulatióne dilatasti mihi.
Miserére meî, * et exaudi oratiónem meam.
Fílii hóminum, úsquequò gravi corde ? * ut quid dilígitis vanitátem, et quæritis mendácium ?
Et scitóte quóniam miri-

ficávit Dóminus Sanctum suum : * Dóminus exáudiet me, cùm clamávero ad eum.

Irascímini, et nolíte peccáre : * quæ dícitis in córdibus vestris, in cubílibus vestris compungímini.

Sacrificáte sacrifícium justítiæ, et speráte in Dómino : * multi dicunt : Quis ostendit nobis bona ?

Signátum est super nos lumen vultûs tui, Dómine : * dedisti lætítiam in corde meo.

A fructu frumenti, vini, et ólei sui, * multiplicáti sunt.

In pace in idipsum dórmiam, * et requiescam ;

Quóniam tu, Dómine, * singulàriter in spe constituisti me.

PSALMUS 90.

Sub Dei tutelâ nihil per diem vel noctem timendum.

Qui hábitat in adjutório Altíssimi, * in protectióne Dei cœli commorábitur.

Dicet Dómino : Susceptor meus es tu, et refúgium meum : * Deus meus, sperábo in eum ;

Quóniam ipse liberávit me de láqueo venántium, * et à verbo áspero.

Scápulis suis obumbrábit tibi ; * et sub pennis ejus sperábis.

Scuto circumdábit te véritas ejus : * non timébis à timóre nocturno.

A sagitta volante in die, à negótio perambulante in ténebris, * ab incursu, et dæmónio meridiáno.

Cadent à látere tuo mille, et decem míllia à dextris tuis : * ad te autem non appropinquábit.

Verúmtamen óculis tuis considerábis, * et retributiónem peccatórum vidébis.

Quóniam, tu es, Dómine, spes mea ; * altíssimum posuisti refúgium tuum :

Non accédet ad te malum, * et flagellum non appropinquábit tabernáculo tuo.

Quóniam Angelis suis mandávit de te, * ut custódiant te in ómnibus viis tuis.

In mánibus portábunt te, * ne fortè offendas ad lápidem pedem tuum.

Super áspidem et basiliscum ambulábis, * et conculcábis leónem et draconem.

Quóniam in me sperávit, liberábo eum : * prótegam eum, quóniam cognovit nomen meum.

Clamábit ad me, * et ego exáudiam eum.

Cum ipso sum in tribulatióne : * erípiam eum, et glorificábo eum.

Longitúdine diérum replébo eum, * et ostendam illi salutáre meum.

PSALMUS 133.

Deus die et nocte benedicendus.

Ecce nunc benedícite Dóminum, * omnes servi Dómini.

Qui statis in domo Dómini, * in átriis domûs Dei nostri;

In nóctibus extóllite manus vestras in sancta, * et benedícite Dóminum.

Benedícat te Dóminus ex Sion, * qui fecit cœlum et terram.

Ant. Scuto circumdábit te véritas ejus: non timébis à timóre nocturno. *Ps.* 90.

HYMNUS.

GRATES, peracto jam die,
Deus, tibi persólvimus;
Pronóque, dum nox íncipit,
Prostérnimus vultu preces.

QUOD longa peccávit dies,
Amárus éxpiet dolor;
Somno gravátis ne nova
Inflígat hostis vúlnera.

INFESTUS usque círcuit
Quærens leo quem dévoret:
Umbrâ sub alárum tuos
Defende fílios, Pater.

O QUANDO lucescet tuus
Qui nescit occásum dies!
O quando sancta se dabit
Quæ nescit hostem pátria!

DEO Patri sit glória,
Ejusque soli Fílio,
Sancto simul cum Spíritu,
Nunc, et per omne séculum. Amen.

In Officiis de Beata, Hymn. Virgo, *post Psalterium*, 165.

Capitulum. (1. *Thess.* 5.)

OMNES vos fílii lucis estis, et fílii diéi: non sumus noctis, neque tenebrárum: ígitur non dormiámus sicut et céteri, sed vigilémus et sóbrii simus.

℟. *br.* In manus tuas, Dómine, * Commendo spíritum meum. In manus. ℣. Redemisti me, Dómine, * Deus veritátis. * Commendo. Glória Patri. In manus. *Ps.* 30.

℣. Custódi me, Dómine, ut pupillam óculi; ℟. Sub umbra alárum tuárum prótege me. *Ps.* 16.

Ant. 3. c. Dómine.

CANTICUM SIMEONIS.

(Luc. 2.)

De Salvatoris adventu gratiarum actio.

NUNC dimittis servum tuum, Dómine, * secundùm verbum tuum, in pace;

Quia vidérunt óculi mei * salutáre tuum,

Quod parasti * ante fáciem ómnium populórum,

Lumen ad revelatiónem géntium, * et glóriam plebis tuæ Israel.

Ant. Dómine, dabis pacem nobis; ómnia enim ópera nostra operátus es nobis. *Is.* 26.

℣. Dóminus vobiscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

OREMUS.

VISITA, quæsumus, Dómine, habitatiónem nostram; et omnes insídias inimíci ab ea longè repelle: Angeli tui sancti hábitent in ea, qui nos in pace custódiant; et benedíctio tua sit super

nos semper; Per Dóminum.

℣. Dóminus vobíscum.

℣. Benedicámus Dómino.

Finito Completor. submissâ voce dicitur: Grátia Dómini nostri Jesu Christi, et cáritas Dei, et communicátio sancti Spíritûs sit cum ómnibus vobis (*solus recitans dicit:* nobis.) 2. *Cor.* 13. ℟. Amen.

Fidélium ánimæ per misericórdiam Dei requiescant in pace. ℟. Amen.

Posteà dicitur una ex Ant. de B. Maria Virgine, ut habentur infrà ad calcem Psalt.

Post completum Offic. dicitur secretò, Pater. Ave. Credo.

FERIA SECUNDA.

AD OFFIC. NOCTURNUM.

Dómine, lábia, *suprà,* 1.

INVITATORIUM.

VENITE, exultémus Dómino; * Jubilémus Deo salutári nostro.

Continuatur Ps. 94. Præoccupémus, 2.

HYMNUS.

DEI canámus glóriam,
Cœlum secundo qui die
Expandit, admirábile
Mortálibus spectáculum.

POLI stupémus álveo
Stagnáre pénsiles lacus:
Hinc imbre terras fértili
Cœlestis irrórat Pater.

QUAM præparas nobis, Deus,
Est hæc imágo grátiæ:
Hæc rore stillans úberi
Cordis pénetrat íntima.

HANC qui fidéli cómbibunt
Aquam salúbrem péctore,
In his ad æternas domos
Miro resultat ímpetu.

BEATA gens, quam pródigâ
Ditáre non cessas manu!
Amóris hæc memor tui,
Amóris et reddat vices.

DEO Patri sit glória,
Ejusque soli Fílio,
Sancto simul cum Spíritu,
In sempiterna sécula.
Amen.

In Feriis, et aliis Officiis trium Lectionum, dicuntur pro unico Nocturno novem Psalmi ad unamquamque Feriam positi, sub una duntaxat Antiphona post singulos tres Psalmos. In festis verò novem Lectionum, post quemlibet Psalmum, unaquæque Antiphona dicitur, vel de Proprio, vel de Communi.

Ant. 4. d. Omnia.

PSALMUS 103.

Deus ob multiplicia naturæ et gratiæ miracula benedicendus.

BENEDIC, ánima mea, Dómino: * Dómine Deus meus, magnificátus es vehementer.

Confessiónem et decórem induisti, * amictus lúmine sicut vestimento;

Extendens cœlum sicut pellem, * qui tegis aquis superióra ejus;

Qui ponis nubem ascensum tuum; * qui ámbulas super pennas ventórum;

Qui facis Angelos tuos spí-

ritus, * et ministros tuos ignem urentem;

Qui fundasti terram super stabilitátem suam: * non inclinábitur in séculum séculi.

Abyssus, sicut vestimentum, amictus ejus; * super montes stabunt aquæ.

Ab increpatióne tua fúgient; * à voce tonítrui tui formidábunt.

Ascendunt montes, et descendunt campi, * in locum quem fundasti eis.

Términum posuisti quem non transgredientur; * neque convertentur operíre terram.

Qui emittis fontes in convállibus: * inter médium móntium pertransíbunt aquæ.

Potábunt omnes béstiæ agri, * expectábunt ónagri in siti sua.

Super ea vólucres cœli habitábunt; * de médio petrárum dabunt voces.

Rigans montes de superióribus suis; * de fructu óperum tuórum satiábitur terra:

Prodúcens fœnum jumentis, * et herbam servitúti hóminum,

Ut edúcas panem de terra, * et vinum lætíficet cor hóminis;

Ut exhílaret fáciem in óleo, * et panis cor hóminis confirmet.

Saturabuntur ligna campi, * et cedri Líbani quas plantávit.

Illic pásseres nidificábunt: * heródii domus dux est eórum.

Montes excelsi cervis, * petra refúgium herináciis.

Fecit lunam in témpora: * sol cognóvit occásum suum.

Posuisti ténebras, et facta est nox; * in ipsa pertransíbunt omnes béstiæ sylvæ:

Cátuli leónum rugientes, * ut rápiant, et quærant à Deo escam sibi.

Ortus est sol, et congregáti sunt; * et in cubílibus suis collocabuntur.

Exíbit homo ad opus suum, * et ad operatiónem suam usque ad vésperum.

DIVISIO PSALMI 103.

Quam magnificáta sunt ópera tua, Dómine! * ómnia in sapiéntia fecisti; impléta est terra possessióne tua.

Hoc mare magnum, et spatiósum mánibus: * illic reptília, quorum non est número, animália pusilla cum magnis.

Illic naves pertransíbunt: * draco iste quem formasti ad illudendum ei.

Omnia à te expectant, * ut des illis escam in témpore.

Dante te illis, cólligent: * aperiente te manum tuam, ómnia implebuntur bonitáte.

Avertente autem te fáciem, turbabuntur: * áuferes spíritum eórum, et deficient, et in púlverem suum revertentur.

Emittes Spíritum tuum, et creabuntur; * et renovábis fáciem terræ.

ALTERA DIVISIO PSALMI 103.

Sit glória Dómini in séculum: * lætábitur Dóminus in opéribus suis;

Qui réspicit terram, et facit eam trémere; * qui tangit montes, et fúmigant.

Cantábo Dómino in vita mea: * psallam Deo meo, quámdiu sum.

Jucundum sit ei elóquium meum: * ego verò delectábor in Dómino.

Defíciant peccatóres à terra, et iníqui, ita ut non sint; * bénedic, ánima mea, Dómino.

Ant. Omnia in sapiéntia fecísti, Dómine: impléta est terra possessióne tuâ.

Ant. 7. d. Mementóte.

PSALMUS 104.

Beneficia Israelitico populo collata celebrantur et enumerantur.

Confitemini Dómino, et invocáte nómen ejus: * annuntiáte inter gentes ópera ejus.

Cantáte ei, et psállite ei: * narráte ómnia mirabília ejus.

Laudámini in nómine sancto ejus: * lætétur cor quæréntium Dóminum.

Quærite Dóminum, et confirmámini: * quærite fáciem ejus semper.

Mementóte mirabílium ejus quæ fecit, * prodígia ejus, et judícia oris ejus.

Semen Abraham servi ejus, * fílii Jacob electi ejus.

Ipse Dóminus Deus noster: * in universa terra judícia ejus.

Memor fuit in séculum testamenti sui, * verbi quod mandávit in mille generatiónes,

Quod dispósuit ad Abraham; * et juramenti sui ad Isaac.

Et státuit illud Jacob in præceptum, * et Israel in testamentum æternum;

Dicens: Tibi dabo terram Chánaan * funículum hæreditátis vestræ;

Cùm essent número brevi, paucíssimi, * et íncolæ ejus.

Et pertransiérunt de gente in gentem, * et de regno ad pópulum álterum.

Non reliquit hóminem nocére eis, * et corripuit pro eis reges.

Nolíte tángere christos meos, * et in prophétis meis nolíte malignári.

DIVISIO PSALMI 104. Et

Vocavit [Dóminus] famem super terram, * et omne firmamentum panis contrívit.

Misit ante eos virum: * in servum venúmdatus est Joseph.

Humiliavérunt in compédibus pedes ejus: * ferrum pertránsiit ánimam ejus.

Donec veníret verbum ejus, * elóquium Dómini inflammávit eum.

Misit rex, et solvit eum; *

princeps populórum, et dimísit eum.

Constítuit eum dóminum domûs suæ, * et príncipem omnis possessiónis suæ;

Ut erudíret príncipes ejus sicut semetipsum, * et senes ejus prudéntiam docéret.

Et intrávit Israel in Ægyptum; * et Jacob áccola fuit in terra Cham.

Et auxit pópulum suum vehementer, * et firmávit eum super inimícos ejus.

Convertit cor eórum, ut odírent pópulum ejus, * et dolum fácerent in servos ejus.

ALTERA DIVISIO PSALMI 104.

Misit [Dóminus] Móysen servum suum, * Aáron quem elégit ipsum.

Pósuit in eis verba signórum suórum, * et prodigiórum in terra Cham.

Misit ténebras, et obscurávit; * et non exacerbávit sermónes suos.

Convertit aquas eórum in sánguinem, * et occídit pisces eórum.

Edidit terra eórum ranas * in penetrálibus regum ipsórum.

Dixit; et venit cœnomyía, et cínifes * in ómnibus fínibus eórum.

Pósuit plúvias eórum grándinem, * ignem comburéntem in terra ipsórum.

Et percussit víneas eórum, et ficúlneas eórum; * et contrívit lignum fínium eórum.

Dixit; et venit locusta et bruchus, * cujus non erat número:

Et comédit omne fœnum in terra eórum, * et comédit omnem fructum terræ eórum.

Et percussit omne primogénitum in terra eórum, * primítias omnis labóris eórum.

Et eduxit eos cum argento et auro; * et non erat in tríbubus eórum infirmus.

Lætáta est Ægyptus in profectióne eórum; * quia incúbuit timor eórum super eos.

Expandit nubem in protectiónem eórum, * et ignem ut lucéret eis per noctem.

Petiérunt, et venit coturnix; * et pane cœli saturávit eos.

Dirúpit petram, et fluxérunt aquæ: * abiérunt in sicco flúmina:

Quóniam memor fuit verbi sancti sui, * quod hábuit ad Abraham púerum suum.

Et eduxit pópulum suum in exultatióne, * et electos suos in lætítia.

Et dedit illis regiónes géntium: * et labóres populórum possedérunt;

Ut custódiant justificatiónes ejus, * et legem ejus requírant.

Ant. Mementóte mirabílium ejus quæ fecit, prodígia ejus, et judícia oris ejus.

Ant. 1. *a.* Vísita nos.

PSALMUS 105.

Bonitas Dei celebranda. Israeliticus populus, peccata sua agnoscens et recolens, salutem poscit.

CONFITEMINI Dómino, quóniam bonus, * quóniam in séculum misericórdia ejus.

Quis loquétur poténtias Dómini, * audítas fáciet omnes laudes ejus?

Beáti qui custódiunt judícium, * et fáciunt justítiam in omni témpore.

Memento nostri, Dómine, in beneplácito pópuli tui: * vísita nos in salutári tuo,

Ad videndum in bonitáte electórum tuórum, ad lætandum in lætítia gentis tuæ; * ut laudéris cum hæreditáte tua.

DIVISIO PSALMI 105.

PECCAVIMUS cum pátribus nostris; * injuste égimus, iniquitátem fécimus.

Patres nostri in Ægypto non intellexérunt mirabília tua: * non fuérunt mémores multitúdinis misericórdiæ tuæ.

Et irritavérunt ascendentes in mare, * mare Rubrum.

Et salvávit eos propter nomen suum, * ut notam fáceret poténtiam suam.

Et increpuit mare rubrum, et exsiccátum est: * et deduxit eos in abyssis, sicut in deserto.

Et salvávit eos de manu odiéntium, * et redémit eos de manu inimíci.

Et opéruit aqua tribulantes eos: * unus ex eis non remansit.

Et credidérunt verbis ejus, * et laudavérunt laudem ejus.

Citò fecérunt, oblíti sunt óperum ejus, * et non sustinuérunt consílium ejus.

Et concupiérunt concupiscéntiam in deserto, * et tentavérunt Deum in inaquóso.

Et dedit eis petitiónem ipsórum, * et misit saturitátem in ánimas eórum.

Et irritavérunt Móysen in castris, * Aáron sanctum Dómini.

Aperta est terra, et deglutívit Dathan, * et opéruit super congregatiónem Abíron.

Et exarsit ignis in synagóga eórum; * flamma combussit peccatóres.

Et fecérunt vítulum in Horeb, * et adoravérunt scúlptile;

Et mutavérunt glóriam suam * in similitúdinem vítuli comedentis fœnum.

Oblíti sunt Deum qui salvávit eos, * qui fecit magnália in Ægypto, mirabília in terra Cham, terribília in mari Rubro.

Et dixit ut dispérderet eos, si non Móyses electus ejus stetisset in confractióne, in conspectu ejus, * ut avérteret iram ejus, ne dispérderet eos.

Et pro níhilo habuérunt terram desiderábilem : * non credidérunt verbo ejus.

Et murmuravérunt in tabernáculis suis : * non exaudiérunt vocem Dómini.

Et elevávit manum suam super eos, * ut prostérneret eos in deserto,

Et ut dejíceret semen eórum in natiónibus, * et dispérgeret eos in regiónibus.

Et initiáti sunt Beélphegor; * et comedérunt sacrifícia mortuórum.

Et irritavérunt eum in adinventiónibus suis; * et multiplicáta est in eis ruína.

Et stetit Phínees, et placávit; * et cessávit quassátio.

Et reputátum est ei in justítiam, * in generatiónem et generatiónem usque in sempiternum.

Et irritavérunt eum ad aquas contradictiónis; * et vexátus est Móyses propter eos,

Quia exacerbavérunt spíritum ejus; * et distinxit in lábiis suis.

ALTERA DIVISIO PSALMI 105.

Non disperdidérunt gentes, * quas dixit Dóminus illis.

Et commixti sunt inter gentes, * et didicérunt ópera eórum.

Et serviérunt sculptílibus eórum; * et factum est illis in scándalum.

Et immolavérunt fílios suos * et fílias suas dæmóniis.

Et effudérunt sánguinem innocentem, * sánguinem filiórum suórum, et filiárum suárum, quas sacrificavérunt sculptílibus Chánaan.

Et infecta est terra in sanguínibus, et contamináta est in opéribus eórum; * et fornicáti sunt in adinventiónibus suis.

Et irátus est furóre Dóminus in pópulum suum, * et abominátus est hæreditátem suam.

Et trádidit eos in manus géntium; * et dominati sunt eórum qui odérunt eos.

Et tribulavérunt eos inimíci eórum, * et humiliáti sunt sub mánibus eórum.

Sæpe liberávit eos : * ipsi autem exacerbavérunt eum in consílio suo, et humiliáti sunt in iniquitátibus suis.

Et vidit, cùm tribularentur; * et audívit oratiónem eórum.

Et memor fuit testamenti sui, * et pœnítuit eum secundùm multitúdinem misericórdiæ suæ.

Et dedit eos in misericórdias, * in conspectu ómnium qui céperant eos.

Salvos nos fac, Dómine Deus noster; * et cóngrega nos de natiónibus;

Ut confiteámur nómini sancto tuo, * et gloriémur in laude tua.

Benedictus Dóminus Deus Israel à século, et usque in séculum; * et dicet omnis pópulus : Fiat, fiat.

Ant. Vísita nos in salutári tuo, Dómine, ad videndum in bonitáte electórum tuórum.

℣. Expandit nubem in protectiónem eórum, ℟. Et ignem ut lucéret eis per noctem. *Ps.* 104.

Pater noster.

Absolutio et Benedictiones, ut ordinantur post Psalterium.

Lectiones cum ℟℟℣. *habentur in Proprio de Tempore; et sic in sequentibus Feriis.*

Non dicitur Te Deum *in Feriis.*

℣. *Sacerd.* Exultábit cor meum in salutári tuo: ℟. Cantábo Dómino qui bona tríbuit mihi. *Ps.* 12.

AD LAUDES.

℣. Deus, in adjutórium, *etc.*

Ant. 5. a. Bonum est.

PSALMUS 91.

Laudandus Deus, in operibus suis magnificus, justus in judiciis.

Bonum est confitéri Dómino, * et psállere nómini tuo, Altíssime,

Ad annuntiandum mane misericórdiam tuam, * et veritátem tuam per noctem,

In decachordo psaltério, * cum cántico in cíthara;

Quia delectasti me, Dómine, in factúra tua, * et in opéribus mánuum tuárum exultábo.

Quàm magnificáta sunt ópera tua, Dómine! * nimis profundæ factæ sunt cogitatiónes tuæ.

Vir insípiens non cognoscet, * et stultus non intélliget hæc.

Cùm exorti fúerint peccatóres sicut fœnum, et apparúerint omnes qui operantur iniquitátem; * ut intéreant in séculum séculi:

Tu autem Altíssimus * in æternum, Dómine;

Quóniam ecce inimíci tui, Dómine, quóniam ecce inimíci tui períbunt, * et dispergentur omnes qui operantur iniquitátem.

Et exaltábitur sicut unicornis cornu meum, * et senectus mea in misericórdia úberi.

Et despexit óculus meus inimícos meos, * et in insurgéntibus in me malignántibus áudiet auris mea.

Justus ut palma florébit; * sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

Plantáti in domo Dómini, * in átriis domûs Dei nostri florébunt.

Adhuc multiplicabuntur in senecta úberi, * et bene patientes erunt,

Ut annúntient quóniam rectus Dóminus Deus noster, * et non est iniquitas in eo.

Ant. Bonum est psállere nómini tuo, Altíssime, ad annuntiandum mane misericórdiam tuam.

Ant. 8. d. Bonus Dóminus.

PSALMUS 135.

Misericórdia Creatoris et Redemptoris ob multa in populum sum beneficia celebratur.

Confitemini Dómino, quóniam bonus, * quóniam in æternum misericórdia ejus.

Confitémini Deo deórum, * quóniam in æternum misericórdia ejus.

Confitémini Dómino dominórum, * quóniam in æternum misericórdia ejus;

Qui facit mirabília magna solus, * quóniam in æternum misericórdia ejus;

Qui fecit cœlos in intellectu, * quóniam in æternum misericórdia ejus;

Qui firmávit terram super aquas, * quóniam in æternum misericórdia ejus;

Qui fecit luminária magna, * quóniam in æternum misericórdia ejus;

Solem in potestátem diéi, * quóniam in æternum misericórdia ejus;

Lunam et stellas in potestátem noctis, * quóniam in æternum misericórdia ejus.

Ant. Bonus Dóminus: in æternum misericórdia ejus.

Ant. 4. a. Dóminus.

DIVISIO PSALMI 135.

[Confitemini Dómino, quóniam bonus, * quóniam in æternum misericórdia ejus;]

Qui percussit Ægyptum cum primogénitis eórum, * quóniam in æternum misericórdia ejus;

Qui eduxit Israel de médio eórum, * quóniam in æternum misericórdia ejus;

In manu potenti, et bráchio excelso, * quóniam in æternum misericórdia ejus;

Qui divísit mare Rubrum in divisiónes, * quóniam in æternum misericórdia ejus.

Et eduxit Israel per médium ejus, * quóniam in æternum misericórdia ejus;

Et excussit Pharaónem et virtútem ejus in mari Rubro, * quóniam in æternum misericórdia ejus;

Qui traduxit pópulum suum per desertum, * quóniam in æternum misericórdia ejus;

Qui percussit reges magnos, * quóniam in æternum misericórdia ejus;

Et occídit reges fortes, * quóniam in æternum misericórdia ejus;

Sehon regem Amorrhæórum, * quóniam in æternum misericórdia ejus;

Et Og regem Basan, * quóniam in æternum misericórdia ejus;

Et dedit terram eórum hæreditátem, * quóniam in æternum misericórdia ejus;

Hæreditátem Israel servo suo, * quóniam in æternum misericórdia ejus;

Quia in humilitáte nostra memor fuit nostrî, * quóniam in æternum misericórdia ejus;

Et redémit nos ab inimícis nostris, * quóniam in æternum misericórdia ejus;

Qui dat escam omni carni, * quóniam in æternum misericórdia ejus.

Confitémini Deo cœli, * quóniam in æternum misericórdia ejus.

Confitémini Dómino dominórum, * quóniam in æternum misericórdia ejus.

Ant. Dóminus in humilitáte nostra memor fuit nostrî, et redémit nos ab inimícis nostris.

Quando fit Officium de Feria, dicitur Canticum sequens.

Ant. 7. d. Quis símilis tuî.

CANTICUM MOYSI.

(Exod. 15.)

Israel ab inimicis suis liberatus Deo gratias agit.

Cantemus Dómino; gloriósè enim magnificátus est: * equum et ascensórem dejécit in mare.

Fortitúdo mea et laus mea Dóminus, * et factus est mihi in salútem.

Iste Deus meus, et glorificábo eum: * Deus patris mei, et exaltábo eum.

Dóminus quasi vir pugnátor; * Omnípotens, nomen ejus.

Currus Pharaónis et exércitum ejus projécit in mare: * electi príncipes ejus submersi sunt in mari Rubro.

Abyssi operuérunt eos: * descendérunt in profundum quasi lapis.

Déxtera tua, Dómine, magnificáta est in fortitúdine; * déxtera tua, Dómine, percussit inimícum.

Et in multitúdine glóriæ tuæ deposuisti adversários tuos; * misisti iram tuam quæ devorávit eos sicut stípulam.

Et in spíritu furóris tui congregátæ sunt aquæ: * stetit unda fluens, congregátæ sunt abyssi in médio mari.

Dixit inimícus: Pérsequar, et comprehéndam; * dívidam spólia, implébitur ánima mea.

Evaginábo gládium meum; * interfíciet eos manus mea.

Flavit spíritus tuus, et opéruit eos mare: * submersi sunt quasi plumbum in aquis veheméntibus.

Quis símilis tuî in fórtibus, Dómine? * quis símilis tuî, magníficus in sanctitáte, terríbilis atque laudábilis, fáciens mirabília?

Extendisti manum tuam, * et devorávit eos terra.

Dux fuisti in misericórdia tua pópulo quem redemisti, * et portasti eum in fortitúdine tua ad habitáculum sanctum tuum.

Ascendérunt pópuli, et iráti sunt: * dolóres obtinuérunt habitatóres Philísthiim.

Tunc conturbáti sunt príncipes Edom; robustos Moab obtínuit tremor; * obriguérunt omnes habitatóres Chánaan.

Irruat super eos formído et pavor : * in magnitúdine bráchii tui fiant immóbiles quasi lapis ;

Donec pertránseat pópulus tuus, Dómine ; * donec pertránseat pópulus tuus iste quem possedísti.

Introdúces eos, et plantábis in monte hæreditátis tuæ, * firmíssimo habitáculo tuo quod operátus es, Dómine,

Sanctuárium tuum, Dómine, * quod firmavérunt manus tuæ.

Dóminus regnábit * in æternum et ultrà.

Ingressus est enim eques Phárao cum cúrribus et equítibus ejus in mare ; * et reduxit super eos Dóminus aquas maris.

Fílii autem Israel ambulavérunt per siccum * in médio ejus.

Ant. Quis símilis tuî, Dómine ? magníficus in sanctitáte, fáciens mirabília.

[*In Festis simplicibus, loco superioris Cantici, dicitur sequens. In Semidupl. verò et supra, dicitur Canticum de Proprio vel de Communi SS.*

CANTICUM.

(Eccli. 39.)

Deus ob suam potentiam et sapientiam laudandus.

Collaudate cánticum, * et benedícite Dóminum in opéribus suis.

Date nómini ejus magnificéntiam, * et confitémini illi in voce labiórum vestrórum, et in cánticis labiórum, et cítharis ;

Et sic dicétis in confessióne : * Opera Dómini universa bona valde.

In verbo ejus stetit aqua sicut congéries : * et in sermóne oris illíus sicut exceptória aquárum ;

Quóniam in præcepto ipsíus placor fit, * et non est minorátio in salúte ipsius.

Opera omnis carnis coram illo, * et non est quidquam abscónditum ab óculis ejus.

A século usque in séculum réspicit, * et nihil est mirábile in conspectu ejus.]

Ant. 1. g. Laudáte Dóminum.

PSALMUS 134.

Deus ob universa in populum suum beneficia laudandus. Idolorum vanitas.

Laudate nomen Dómini ; * laudáte, servi, Dóminum.

Qui statis in domo Dómini, * in átriis domûs Dei nostri,

Laudáte Dóminum, quia bonus Dóminus ; * psállite nómini ejus, quóniam suáve ;

Quóniam Jacob elégit sibi Dóminus, * Israel in possessiónem sibi.

Quia ego cognóvi quòd magnus est Dóminus, * et Deus noster præ ómnibus diis.

Omnia quæcumque vóluit Dóminus fecit, * in cœ-

lo, in terra, in mari, et in ómnibus abyssis.

Edúcens nubes ab extrémo terræ, * fúlgura in plúviam fecit;

Qui prodúcit ventos de thesauris suis; * qui percussit primogénita Ægypti ab hómine usque ad pecus.

Et misit signa et prodígia in médio tui, Ægypte, * in Pharaónem, et in omnes servos ejus;

Qui percussit gentes multas, * et occídit reges fortes,

Sehon regem Amorrhæórum, et Og regem Basan, * et ómnia regna Chánaan.

Et dedit terram eórum hæreditátem, * hæreditátem Israel pópulo suo.

Dómine, nomen tuum in æternum: * Dómine, memoriále tuum in generatiónem et generatiónem;

Quia judicábit Dóminus pópulum suum, * et in servis suis deprecábitur.

Simulácra géntium argentum et aurum: * ópera mánuum hóminum.

Os habent, et non loquentur: * óculos habent, et non vidébunt:

Aures habent, et non áudient; * neque enim est spíritus in ore ipsórum.

Símiles illis fiant qui fáciunt ea, * et omnes qui confídunt in eis.

Domus Israel, benedícite Dómino: * domus Aáron, benedícite Dómino:

Domus Levi, benedícite Dómino; * qui timétis Dóminum, benedícite Dómino.

Benedictus Dóminus ex Sion, * qui hábitat in Jerúsalem.

Ant. Laudáte Dóminum, psállite nómini ejus; quóniam elégit Israel in possessiónem sibi.

Capitulum. (*Prov.* 8.)

EGO diligentes me díligo; et qui mane vígilant ad me, invénient me.

HYMNUS.

NIL láudibus nostris eges,
Sed fílios amas, Pater;
Multâque cœlestem prece
Vis provocári grátiam.

TUI profunda cónsili
Noctis canat siléntium:
Tuæ jubar cleméntiæ
Splendor diéi prædicat.

TANTIS minor miráculis
Mens óbstupet, vox déficit:
Tacére sed totis nequit
Amor medullis æstuans.

ERUMPAT ergo: te memor
Clamet parentem, qui mala
Præsentis ævi mítigas,
Spondes futúri præmia.

HUC vota tendunt córdium;
Infirma, sed tardat caro;
Quæ ducit ad te, da sequi,
Dux ipse Jesu, sémitam.

Amen.

℣. Repléti sumus mane misericórdiâ tuâ, Dómine; ℟. Et exultávimus, et delectáti sumus. *Ps.* 89.

Ad Benedictus, *Ant.* 6. F. Benedictus Dóminus Deus

Israel ; quia visitávit, et fecit redemptiónem plébis suæ. *Luc.* 1.

Preces, quando dicuntur, et Suffragia, habentur infrà post Completorium Sabbati.

Oratio, quando propria non assignatur, dicitur de Dominica præcedenti ; et sic in aliis Horis et Feriis.

AD PRIMAM.

℣. Deus, in adjutórium.

Hymnus, Jam lucis, *infrà post Completorium Sabbati, et sic in aliis Feriis.*

Ant. 8. G. Quid est homo.

PSALMUS 8.

Mundus verbo Dei creatus et redemptus.

Dómine Dóminus noster, * quàm admirábile est nomen tuum in universa terra !

Quóniam eleváta est magnificéntia tua * super cœlos.

Ex ore infántium et lacténtium perfecísti laudem propter inimícos tuos, * ut déstruas inimícum et ultórem.

Quóniam vidébo cœlos tuos, ópera digitórum tuórum ; * lunam et stellas, quæ tu fundásti :

Quid est homo, quòd memor es ejus ? * aut filius hóminis, quóniam vísitas eum ?

Minuísti eum paulò minùs ab Angelis, glória et honóre coronásti eum, * et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Omnia subjecísti sub pédibus ejus, * oves et boves universas, insuper et pécora campi,

Vólucres cœli, * et pisces maris qui perámbulant sémitas maris.

Dómine Dóminus noster, * quàm admirábile est nomen tuum in universa terra !

PSALMUS 76.

Consolatio spiritalis ex benignitate Dei sumpta.

Voce meà ad Dóminum clamávi : * voce meà ad Deum, et intendit mihi.

In die tribulatiónis meæ Deum exquisívi, mánibus meis nocte contra eum ; * et non sum deceptus.

Rénuit consolári ánima mea : * memor fui Dei, et delectátus sum, et exercitátus sum ; et defécit spíritus meus.

Anticipavérunt vigílias óculi mei : * turbátus sum, et non sum locútus.

Cogitávi dies antíquos ; * et annos æternos in mente hábui.

Et meditátus sum nocte cum corde meo ; * et exercitábar, et scopébam spíritum meum.

Numquid in æternum projíciet Deus ? * aut non appónet ut complacítior sit adhuc ?

Aut in finem misericórdiam suam abscindet, * à generatióne in generatiónem ?

Aut obliviscétur miseréri Deus ; * aut continébit in ira sua misericórdias suas ?

Et dixi: Nunc cœpi: * hæc mutátio déxteræ Excelsi.

DIVISIO PSALMI 76.

MEMOR fui óperum Dómini, * quia memor ero ab inítio mirabílium tuórum;

Et meditábor in ómnibus opéribus tuis, * et in adinventiónibus tuis exercébor.

Deus, in sancto via tua: * quis Deus magnus sicut Deus noster?

Tu es Deus qui facis mirabília, * notam fecisti in pópulis virtútem tuam:

Redemisti in bráchio tuo pópulum tuum, * fílios Jacob, et Joseph.

Vidérunt te aquæ, Deus, vidérunt te aquæ, et timuérunt; * et turbátæ sunt abyssi.

Multitúdo sónitûs aquárum, * vocem dedérunt nubes.

Etenim sagittæ tuæ tránseunt; * vox tonítrui tui in rota.

Illuxérunt coruscatiónes tuæ orbi terræ: * commóta est et contrémuit terra.

In mari via tua, et sémitæ tuæ in aquis multis; * et vestígia tua non cognoscentur.

Deduxisti sicut oves pópulum tuum * in manu Móysi et Aáron.

Ant. Quid est homo, Dómine, quòd memor es ejus? aut fílius hóminis, quóniam vísitas eum? *Ps.* 8.

Capitulum, ℟. *breve*, *et Preces*, *quando dicuntur*, *habentur infrà post Completorium Sabbati*, *et sic in aliis Feriis*.

AD TERTIAM.

℣. Deus, in adjutórium.

Hymnus, O fons amóris, *infrà post Completorium Sabbati*.

Ant. 7. ç. Tóllite hóstias.

PSALMUS 24.

Oratio pœnitentis veniam et auxilium à Deo poscentis.

AD te, Dómine, levávi ánimam meam: * Deus meus, in te confído, non erubéscam.

Neque irrídeant me inimíci mei: * étenim universi qui sústinent te, non confundentur.

Confundantur omnes iníqua agentes * supervácuè.

Vias tuas, Dómine, demonstra mihi, * et sémitas tuas édoce me.

Dírige me in veritáte tua, et doce me; * quia tu es Deus salvátor meus, et te sustínui tótâ die.

Reminíscere miseratiónum tuárum, Dómine, * et misericordiárum tuárum quæ à século sunt.

Delicta juventútis meæ * et ignorántias meas ne memíneris.

Secundùm misericórdiam tuam memento meî tu, * propter bonitátem tuam, Dómine.

Dulcis et rectus Dómi-

nus : * propter hoc legem dabit delinquéntibus in via.

Dirigetmansuétos in judício : * docébit mites vias suas.

Universæ viæ Dómini, misericórdia et véritas,* requiréntibus testamentum ejus et testimónia ejus.

Propter nomen tuum, Dómine, propitiáberis peccáto meo; * multum est enim.

DIVISIO PSALMI 24.

Quis est homo qui timet Dóminum ? * legem státuit ei in via quam elégit.

Anima ejus in bonis demorábitur, * et semen ejus hæreditábit terram.

Firmamentum est Dóminus timéntibus eum; * et testamentum ipsíus, ut manifestétur illis.

Oculi mei semper ad Dóminum,* quóniam ipse evellet de láqueo pedes meos.

Réspice in me, et miserére meî; * quia únicus et pauper sum ego.

Tribulatiónes cordis mei multiplicátæ sunt : * de necessitátibus meis érue me.

Vide humilitátem meam et labórem meum, * et dimitte universa delicta mea.

Réspice inimícos meos, quóniam multiplicáti sunt, * et ódio iníquo odérunt me.

Custódi ánimam meam et érue me : * non erubescam, quóniam sperávi in te.

Innocentes et recti adhæsérunt mihi; * quia sustínui te.

Líbera, Deus, Israel * ex ómnibus tribulatiónibus suis.

PSALMUS 95.

Super omnes gentes regnat Christus, per quem cœli facti sunt.

Cantate Dómino cánticum novum ; * cantáte Dómino, omnis terra.

Cantáte Dómino, et benedícite nómini ejus; * annuntiáte de die in diem salutáre ejus;

Annuntiáte inter gentes glóriam ejus, * in ómnibus pópulis mirabília ejus,

Quóniam magnus Dóminus, et laudábilis nimis; * terríbilis est super omnes deos.

Quóniam omnes dii géntium dæmónia; * Dóminus autem cœlos fecit.

Confessio et pulchritúdo in conspectu ejus; * sanctimónia et magnificéntia in sanctificatióne ejus.

Afferte Dómino, pátriæ géntium, afferte Dómino glóriam et honórem : * afferte Dómino glóriam nómini ejus.

Tóllite hóstias, et introíte in átria ejus : * adoráte Dóminum in átrio sancto ejus.

Commoveátur à fácie ejus universa terra : * dícite in géntibus quia Dóminus regnávit.

Etenim correxit orbem

terræ, qui non commovébitur : * judicábit pópulos in æquitáte.

Lætentur cœli, et exultet terra ; commoveátur mare et plenitúdo ejus : * gaudébunt campi, et ómnia quæ in eis sunt.

Tunc exultábunt ómnia ligna sylvárum à fácie Dómini, quia venit, * quóniam venit judicáre terram.

Judicábit orbem terræ in æquitáte, * et pópulos in veritáte sua.

Ant. Tóllite héstias, et adoráte Dóminum : étenim correxit orbem terræ. *Ps.* 95.

Capitulum. (*Ephes.* 5.)

ESTOTE imitatóres Dei, sicut fílii caríssimi; et ambuláte in dilectióne, sicut et Christus dilexit nos, et trádidit semetipsum pro nobis oblatiónem et héstiam Deo in odórem suavitátis.

℟. *br.* Quid retríbuam Dómino; * Pro ómnibus quæ retríbuit mihi? Quid retríbuam. ℣. Vota mea Dómino reddam * coram omni pópulo ejus, * Pro ómnibus. Glória Patri. Quid retríbuam?

℣. Tibi, Dómine, sacrificábo héstiam laudis, ℟. Et nomen Dómini invocábo. *Ps.* 115.

Preces, si dicendæ sint, habentur infrà post Completorium Sabbati.

Oratio conveniens.

AD SEXTAM.

℣. Deus, in adjutórium.

Hymnus, Nunc solis, *infrà post Completorium Sabbati.*

Ant. 6. F. Elégit.

PSALMUS 46.

Christus rex magnus super omnem terram, ipsi psallendum.

OMNES gentes, pláudite mánibus : * jubiláte Deo in voce exultatiónis ;

Quóniam Dóminus excelsus, terríbilis : * Rex magnus super omnem terram.

Subjécit pópulos nobis, * et gentes sub pédibus nostris.

Elégit nobis hæreditátem suam, * spéciem Jacob quam dilexit.

Ascendit Deus in júbilo, * et Dóminus in voce tubæ.

Psállite Deo nostro, psállite, * psállite Regi nostro, psállite.

Quóniam rex omnis terræ Deus, * psállite sapienter.

Regnábit Deus super gentes : * Deus sedet super sedem sanctam suam.

Príncipes populórum congregáti sunt cum Deo Abraham ; * quóniam dii fortes terræ vehementer eleváti sunt.

PSALMUS 97.

Deus laudandus ob Christi salvatoris adventum et manifestationem.

CANTATE Dómino cánticum novum ; * quia mirabília fecit.

Salvávit sibi déxtera ejus, *

et bráchium sanctum ejus.

Notum fecit Dóminus salutáre suum : * in conspectu géntium revelávit justítiam suam.

Recordátus est misericórdiæ suæ * et veritátis suæ dómui Israel.

Vidérunt omnes términi terræ * salutáre Dei nostri.

Jubiláte Deo, omnis terra : * cantáte, et exultáte, et psállite.

Psállite Dómino in cíthara, * in cíthara, et voce psalmi,

In tubis ductílibus, et voce tubæ córneæ : * jubiláte in conspectu regis Dómini.

Moveátur mare, et plenitúdo ejus; * orbis terrárum, et qui hábitant in eo.

Flúmina plaudent manu, simul montes exultábunt a conspectu Dómini ; * quóniam venit judicáre terram.

Judicábit orbem terrárum in justítia, * et pópulos in æquitáte.

PSALMUS 98.

Christi regnum super omnes populos: ipse est cui serviebant patres antiqui.

Dominus regnávit, irascantur pópuli; * qui sedet super Chérubim, moveátur terra.

Dóminus in Sion magnus, * et excelsus super omnes pópulos.

Confiteantur nómini tuo magno, quóniam terríbile et sanctum est ; * et honor regis judícium díligit.

Tu parasti directiónes : * judícium et justítiam in Jacob tu fecisti.

Exaltáte Dóminum Deum nostrum, et adoráte scabellum pedum ejus; * quóniam sanctum est.

Móyses et Aaron in sacerdótibus ejus, * et Sámuel inter eos qui ínvocant nomen ejus.

Invocábant Dóminum, et ipse exaudiébat eos : * in columna nubis loquebátur ad eos.

Custodiébant testimónia ejus, * et præceptum quod dedit illis.

Dómine Deus noster, tu exaudiébas eos : * Deus, tu propítius fuisti eis, et ulciscens in omnes adinventiónes eórum.

Exaltáte Dóminum Deum nostrum, et adoráte in monte sancto ejus ; * quóniam sanctus Dóminus Deus noster.

Ant. Elégit nobis hæreditátem suam quam dilexit Dóminus. *Ps.* 46.

Capitulum. (*Rom.* 8.)

Spiritus testimónium reddit spirítui nostro, quòd sumus fílii Dei. Si autem fílii, et hærédes : hærédes quidem Dei, cohærédes autem Christi.

℣. *br.* Confiteantur Dómino * Misericórdiæ ejus. Confiteantur. ℣. Et mirabi-

lia ejus * fíliis hóminum : * Misericórdiæ. Glória Patri. Confiteantur. *Ps.* 106.

℣. Quómodo miserétur pater filiórum, ℟. Misertus est Dóminus timéntibus se. *Ps.* 1 2.

Preces, si dicendæ sint, habentur infrà post Completorium Sabbati.

Oratio conveniens.

AD NONAM.

℣. Deus, in adjutórium. *Hymnus*, Prono, *infrà post Completorium Sabbati.*

Ant. 7. ç. In voluntáte tua.

PSALMUS 52.

Impii sibi frustrà dicunt Deum non esse. Christi adventus postulatur.

Dixit insípiens in corde suo : * Non est Deus.

Corrupti sunt et abominábiles facti sunt in iniquitátibus : * non est qui fáciat bonum.

Deus de cœlo prospexit super fílios hóminum, * ut vídeat si est intélligens, aut requírens Deum.

Omnes declinavérunt, simul inútiles facti sunt : * non est qui fáciat bonum, non est usque ad unum.

Nonne scient omnes qui operantur iniquitátem, * qui dévorant plebem meam ut cibum panis ?

Deum non invocavérunt: * illic trepidavérunt timóre, ubi non erat timor.

Quóniam Deus dissipávit ossa eórum qui homínibus placent: * confúsi sunt, quóniam Deus sprevit eos.

Quis dabit ex Sion salutáre Israel ? * cùm convérterit Deus captivitátem plebis suæ, exultábit Jacob, et lætábitur Israel.

PSALMUS 72.

Dum improbi in hâc vitâ videntur felices, probi quod sua quemque maneant præmia, consolatione levantur.

Quam bonus Israel Deus * his qui recto sunt corde!

Mei autem penè moti sunt pedes, * penè effusi sunt gressus mei ;

Quia zelávi super iniquos, * pacem peccatórum videns.

Quia non est respectus morti eórum, * et firmamentum in plaga eórum.

In labóre hóminum non sunt, * et cum homínibus non flagellabuntur.

Ideò ténuit eos supérbia : * operti sunt iniquitáte et impietáte suâ.

Pródiit quasi ex ádipe iníquitas eórum : * transiérunt in affectum cordis.

Cogitavérunt et locúti sunt nequítiam : * iniquitátem in excelso locúti sunt.

Posuérunt in cœlum os suum, * et lingua eórum transívit in terra.

Ideò convertétur pópulus meus hîc, * et dies pleni invenientur in eis.

Et dixérunt : Quómodò

scit Deus? * et, Si est sciéntia in Excelso?

Ecce ipsi peccatóres, et abundantes in século, * obtinuérunt divítias.

Et dixi: Ergo sine causa justificávi cor meum, * et lavi inter innocentes manus meas;

Et fui flagellátus totâ die, * et castigátio mea in matutínis.

Si dicébam: Narrábo sic, * ecce natiónem filiórum tuórum reprobávi.

Existimábam ut cognóscerem hoc: * labor est ante me,

Donec intrem in sanctuárium Dei, * et intélligam in novíssimis eórum.

Verúmtamen propter dolos posuisti eis: * dejecisti eos, dum allevarentur.

Quómodò facti sunt in desolatiónem! * súbitò defecérunt; periérunt propter iniquitátem suam.

Velut sómnium surgéntium, Dómine, * in civitáte tua imáginem ipsórum ad níhilum rédiges;

Quia inflammátum est cor meum, et renes mei commutáti sunt; * et ego ad níhilum redactus sum, et nescívi.

Ut jumentum factus sum apud te; * et ego semper tecum.

DIVISIO PSALMI 72.

Tenuisti [Dómine] manum déxteram meam, et in voluntáte tua deduxisti me, * et cum glória sucepisti me.

Quid enim mihi est in cœlo? * et à te quid vólui super terram?

Defécit caro mea, et cor meum: * Deus cordis mei, et pars mea, Deus, in ætérnum.

Quia ecce qui elongant se à te, períbunt: * perdidisti omnes qui fornicantur abs te.

Mihi autem adhærére Deo bonum est, * pónere in Dómino Deo spem meam;

Ut annúntiem omnes prædicatiónes tuas * in portis fíliæ Sion:

Ant. In voluntáte tua deduxisti me, Dómine, et cum glória suscepisti me. *Ps.* 72.

Capitulum. (2. *Thess.* 1.)

Dignetur vos vocatióne suâ Deus noster, et ímpleat omnem voluntátem bonitátis, et opus fídei in virtúte; ut clarificétur nomen Dómini nostri Jesu Christi in vobis, et vos in illo.

℟. *br.* Doce me fácere voluntátem tuam; * Quia Deus meus es tu. Doce. ℣. Spíritus tuus bonus * dedúcet me; * Quia. Glória Patri. Doce. *Ps.* 142.

℣. In Deo salutáre meum, et glória mea: ℟. Deus auxílii mei; et spes mea in Deo est. *Ps.* 61.

Preces, si dicendæ sint, habentur infrà post Completorium Sabbati.

Oratio conveniens.

AD VESPERAS.

℣. Deus, in adjutórium. *Ant.* 2. D. Convértere.

PSALMUS 114.

Tribulationes vitæ præsentis : æternæ vitæ desiderium.

Dilexi; * quóniam exáudiet Dóminus vocem oratiónis meæ.

Quiinclinávitaurem suam mihi, * et in diébus meis invocábo.

Circumdedérunt me dolóres mortis, * et perícula inferni invenérunt me.

Tribulatiónem et dolórem invéni; * et nomen Dómini invocávi.

O Dómine, líbera ánimam meam : * miséricors Dóminus, et justus, et Deus noster miserétur.

Custódiens párvulos Dóminus : * humiliátus sum, et liberávit me.

Convértere, ánima mea, in réquiem tuam; * quia Dóminus benefécit tibi;

Quia erípuit ánimam meam de morte, * óculos meos à lácrymis, pedes meos à lapsu.

Placébo Dómino * in regióne vivórum.

Ant. Convértere, ánima mea, in réquiem tuam; quia Dóminus benefécit tibi.

Ant. 8. G. Levávi.

PSALMUS 120.

Dominus custos Ecclesiæ suæ.

Levavi óculos meos in montes, * unde véniet auxílium mihi.

Auxílium meum à Dómino, * qui fecit cœlum et terram.

Non det in commotiónem pedem tuum, * neque dormítet qui custódit te.

Ecce non dormitábit neque dórmiet, * qui custódit Israel.

Dóminus custódit te, Dóminus protéctio tua * super manum déxteram tuam.

Per diem sol non úret te, * neque luna per noctem.

Dóminus custódit te ab omni malo : * custódiat ánimam tuam Dóminus.

Dóminus custódiat introítum tuum et éxitum tuum, * ex hoc nunc, et usque in séculum.

Ant. Levávi óculos meos in montes : auxílium meum à Dómino.

Ant. 1. a. Adjutórium nostrum.

PSALMUS 123.

Ecclesiæ à periculis ereptæ gratiarum actio.

Nisi quia Dóminus erat in nobis, dicat nunc Israel; * nisi quia Dóminus erat in nobis,

Cùm exúrgerent hómines in nos, * forte vivos deglutíssent nos.

Cùm irascerétur furor eórum in nos, * fórsitan aqua absorbuísset nos.

Torrentem pertransívit ánima nostra, * fórsitan per-

transisset ánima nostra aquam intolerábilem.

Benedictus Dóminus, * qui non dedit nos in captiónem déntibus eórum.

Anima nostra sicut passer erepta est * de láqueo venántium.

Láqueus contrítus est; * et nos liberáti sumus.

Adjutórium nostrum in nómine Dómini, * qui fecit cœlum et terram.

Ant. Adjutórium nostrum in nómine Dómini, qui fecit cœlum et terram.

Ant. 5. a. Magnificávit Dóminus.

PSALMUS 125.

In Deo exultant fideles, quia magnifice cum eis egit.

In convertendo Dóminus captivitátem Sion, * facti sumus sicut consoláti.

Tunc replétum est gáudio os nostrum, * et lingua nostra exultatióne.

Tunc dicent inter gentes: * Magnificávit Dóminus fácere cum eis.

Magnificávit Dóminus fácere nobiscum: * facti sumus lætantes.

Converte, Dómine, captivitátem nostram, * sicut torrens in austro.

Qui séminant in lácrymis, * in exultatióne metent.

Euntes ibant et flebant, * mittentes sémina sua.

Venientes autem vénient cum exultatióne, * portantes manípulos suos.

Ant. Magnificávit Dóminus fácere nobiscum: facti sumus lætantes.

Ant. 6. F. Adhæreat.

PSALMUS 136.

Sub hujus mundi Babylone, anima fidelis coram Deo gemit.

Super flúmina Babylónis, illic sédimus, * et flevimus, cùm recordarémur Sion.

In salícibus in médio ejus, * suspéndimus órgana nostra;

Quia illic interrogavérunt nos, qui captívos duxerunt nos, * verba cantiónum;

Et qui abduxérunt nos: * Hymnum cantáte nobis de cánticis Sion.

Quómodò cantábimus cánticum Dómini, * in terra aliéna?

Si oblítus fuéro tuî, Jerúsalem, * oblivióni detur déxtera mea.

Adhæreat lingua mea fáucibus meis, * si non memínero tuî,

Si non proposúero Jerúsalem * in princípio lætítiæ meæ.

Memor esto, Dómine, filiórum Edom, * in die Jerúsalem;

Qui dicunt: Exinaníte, exinaníte * usque ad fundamentum in ea.

Fília Babylónis mísera; * beátus qui retríbuet tibi retributiónem tuam, quam retribuísti nobis.

Beátus qui tenébit, * et allídet párvulos tuos ad petram.

Ant. Adhæreat lingua mea fáucibus meis, si non proposúero Jerúsalem in principio lætítiæ meæ.

Capitulum. (1. *Petr.* 1.)

NUNC non vidéntes, crédi-tis : credéntes autem, exultábitis lætítiâ inenarrábili et glorificátâ, reportántes finem fídei vestræ, salútem animárum.

HYMNUS.

JACTAMUR heu quot flúctibus!
Spes una de cœlis nitet :
Illuc et ora tóllimus,
Et míttimus suspíria.
TU vota præcurris, Pater,
Magnamque protendis manum :
Jam fulta tanto róbore
Surgit potens infírmitas.
QUÆ sæva nos premunt mala
Vinces, malis poténtior :
Te nostra duræ séntiet
Mens servitútis vindicem.
QUIN vile corpus, Fílii
Fulgóre donábis tui :
At illa venális patet
Multo labóre glória.
FELIX labor quem récreas
Tam splendidâ rerum vice!
Fletu quis æternum brevi
Neget pacísci gáudium?
SIT laus Patri, laus Fílio :
Utrumque qui nectis, Deus
Utríque compar, sit tibi
Laus sempiterna, Spíritus.
Amen.

℣. Ad te, Dómine, clamávi totâ die : ℟. Lætífica ánimam servi tui. *Ps.* 85.

Ad Magníficat, *Ant.* 5. C Magníficat ánima mea Dóminum, et exultávit spíritus meus in Deo salutári meo. *Luc.* 1

Preces, si dicendæ sint, et Suffragia, habentur infrà post Completorium Sabbati.

Oratio, quando propria non assignatur, dicitur de Dominica præcedenti.

AD COMPLETORIUM.

℣. Convérte nos. ℣. Deus, in adjutórium.

Ant. 2. D. Justum.

PSALMUS 6.

Fidelium inter mundi hujus calamitates gemitus et fiducia.

DOMINE, ne in furóre tuo árguas me, * neque in ira tua corrípias me.

Miserére meî, Dómine, quóniam infirmus sum : * sana me, Dómine, quóniam conturbáta sunt ossa mea.

Et ánima mea turbáta est valde; * sed tu, Dómine, úsquequò?

Convértere, Dómine, et éripe ánimam meam : * salvum me fac propter misericórdiam tuam;

Quóniam non est in morte, qui memor sit tuî : * in inferno autem quis confitébitur tibi?

Laborávi in gémitu meo, lavábo per síngulas noctes lectum meum : * lácrymis meis stratum meum rigábo.

Turbátus est à furóre óculus meus : * inveterávi inter omnes inimícos, meos.

Discédite à me omnes qui operámini iniquitátem ; * quóniam exaudívit Dóminus vocem fletûs mei.

Exaudívit Dóminus deprecatiónem meam : * Dóminus oratiónem meam suscépit.

Erubescant et conturbentur vehementer omnes inimíci mei : * convertantur et erubescant valde velóciter.

PSALMUS 7

Christi pro nobis patientis oratio : gentium fides : Judæorum reprobatio.

Domine Deus meus, in te sperávi : * salvum me fac ex ómnibus persequéntibus me, et líbera me ;

Nequando rápiat ut leo ánimam meam, * dum non est qui rédimat, neque qui salvum fáciat.

Dómine Deus meus, si feci istud ; * si est iníquitas in mánibus meis ;

Si réddidi retribuéntibus mihi mala, * décidam mérito ab inimícis meis inánis.

Persequátur inimícus ánimam meam, et comprehendat, et conculcet in terra vitam meam, * et glóriam meam in púlverem dedúcat.

Exurge, Dómine, in ira tua ; * et exaltáre in fínibus inimicórum meórum.

Et exurge, Dómine Deus meus, * in præcepto quod mandásti.

Et synagóga populórum circúmdabit te ; * et propter hanc in altum regrédere.

Dóminus júdicat pópulos : * júdica me, Dómine, secundùm justítiam meam, et secundùm innocéntiam meam super me.

Consumétur nequítia peccatórum ; * et díriges justum, scrutans corda et renes, Deus.

Justum adjutórium meum à Dómino, * qui salvos facit rectos corde.

DIVISIO PSALMI 7.

Deus judex justus, fortis et pátiens, * numquid irascitur per síngulos dies ?

Nisi conversi fuéritis, gládium suum vibrábit ; * arcum suum tetendit, et parávit illum ;

Et in eo parávit vasa mortis : * sagittas suas ardéntibus effécit.

Ecce partúriit injustítiam : * concépit dolórem, et péperit iniquitátem.

Lacum apéruit, et effódit eum ; * et incidit in fóveam quam fecit.

Convertétur dolor ejus in caput ejus ; * et in vérticem ipsíus iníquitas ejus descendet.

Confitébor Dómino secundùm justítiam ejus, * et psallam nómini Dómini altíssimi.

Ant. Justum adjutórium

meum à Dómino, qui salvos facit rectos corde. *Ps.* 7.

Hymnus, Capitulum, ℣. *breve, Antiphona ad* Nunc dimittis, *et Preces, quando dicuntur, habentur infrà post Completorium Sabbati.*

FERIA TERTIA.

AD OFFIC. NOCTURNUM.

INVITATORIUM.

Populus Dómini, et oves manûs ejus, * Veníte, adorémus.

Psalmus 94. Veníte, 2.

HYMNUS.

Jubes : et, in præceps aquis
Repentè confluéntibus,
Prodit sub auras húmidis
Exúta velis Arida.

Hanc tu colendam qui tuis,
Pater, dedisti fíliis;
Quos orbis unus cóntinet,
Fac una jungat cáritas.

Nunc exulámus; sed tuam
Mox congregábis in domum
Te Patre dignos, qui pio
Amóre fratres víxerint.

At, qui malignis ártibus
Linguisque lædunt próximum,
A te repelles : hoc genus
Cœlestis aula non capit.

En ipsa tellus ímprobos
Dudum labórans sústinet,
Ardetque non suæ jugo
Corruptiónis éximi.

Adoptionem nos quoque
Efflagitámus íntegram,
Cui nos sacráto Spíritus
Prædestinávit pignore.

Æterna laus et glória
Uni sit et trino Deo,
Diffúsa per quem córdibus
Fraterna regnat cáritas.

Amen.

Ant. 7. d. Quis requiescet.

PSALMUS 14.

Quibus virtutum exercitiis salus obtineatur.

Domine, quis habitábit in tabernáculo tuo ? * aut quis requiescet in monte sancto tuo?

Qui ingréditur sine mácula, * et operátur justítiam;

Qui lóquitur veritátem in corde suo; * qui non egit dolum in lingua sua;

Nec fecit próximo suo malum, * et oppróbrium non accépit adversùs proximos suos.

Ad níhilum deductus est in conspectu ejus malignus : * timentes autem Dóminum glorificat.

Qui jurat próximo suo, et non décipit; * qui pecúniam suam non dedit ad usúram, et múnera super innocentem non accépit.

Qui facit hæc, * non movébitur in æternum.

PSALMUS 18.

Mundi et Ecclesiæ, legis et Evangelii commendatio.

Cœli enarrant glóriam Dei, * et ópera mánuum ejus annúntiat firmamentum.

Dies diéi eructat verbum, * et nox nocti índicat sciéntiam.

Non sunt loquélæ, neque sermónes, * quorum non audiantur voces eórum.

In omnem terram exívit sonus eórum, et in fines orbis terræ verba eórum: * in sole posuit tabernáculum suum;

Et ipse tanquam sponsus procédens de thálamo suo, * exultávit ut gigas ad currendam viam.

A summo cœlo egréssio ejus, et occursus ejus usque ad summum ejus: * nec est qui se abscondat à calóre ejus.

DIVISIO PSALMI 18.

Lex Dómini immaculáta, convertens ánimas: * testimónium Dómini fidèle, sapiéntiam præstans párvulis.

Justítiæ Dómini rectæ, lætificantes corda: * præceptum Dómini lúcidum, illúminans óculos.

Timor Dómini sanctus, pérmanens in séculum séculi: * judícia Dómini vera, justificáta in semetipsa.

Desiderabília super aurum et lápidem pretiósum multum, * et dulcióra super mel et favum.

Etenim servus tuus custódit ea: * in custodiendis illis retribútio multa.

Delicta quis intélligit? * ab occultis meis munda me, et ab aliénis parce servo tuo.

Si meî non fúerint dominàti, * tunc immaculátus ero, et emundábor à delicto máximo.

Et erunt ut compláceant clóquia oris mei, * et medítátio cordis mei in conspectu tuo semper.

Dómine, adjútor meus, * et redemptor meus.

Ant. Quis requiescet in monte sancto tuo, Dómine? qui operátur justítiam, nec fecit próximo suo malum. *Ps.* 14.

Ant. 5. a. Non proponébam.

PSALMUS 71.

Christi regnum super omnes gentes prænuntiatur.

Deus, judícium tuum regi da, * et justítiam tuam fílio regis;

Judicáre pópulum tuum in justítia, * et páuperes tuos in judício.

Suscípiant montes pacem pópulo, * et colles justítiam.

Judicábit páuperes pópuli, et salvos fáciet fílios páuperum, * et humiliábit calumniatórem.

Et permanébit cum sole et ante lunam, * in generatióne et generatiónem.

Descendet sicut plúvia in vellus, * et sicut stillicídia stillántia super terram.

Oriétur in diébus ejus justítia, et abundántia pacis, * donec auferátur luna.

Et dominábitur à mari usque ad mare, * et à flúmine usque ad términos orbis terrárum.

Coram illo prócident Æthíopes, * et inimíci ejus terram lingent.

DIVISIO PSALMI 71.

Reges Tharsis et ínsulæ múnera ófferent : * reges Arabum et Saba dona addúcent.

Et adorábunt eum omnes reges terræ : * omnes gentes sérvient ei ;

Quia liberábit páuperem à potente, * et páuperem cui non erat adjútor.

Parcet páuperi et ínopi ; * et ánimas páuperum salvas fáciet.

Ex usúris et iniquitáte rédimet ánimas eórum ; * et honorábile nomen eórum coram illo.

Et vivet, et dábitur ei de auro Arábiæ, et adorábunt de ipso semper : * totà die benedícent ei.

Et erit firmamentum in terra in summis móntium, superextollétur super Líbanum fructus ejus ; * et florébunt de civitáte sicut fœnum terræ.

Sit nomen ejus benedictum in sécula : * ante solem pérmanet nomen ejus.

Et benedicentur in ipso omnes tribus terræ : * omnes gentes magnificábunt eum.

Benedictus Dóminus Deus Israel, * qui facit mirabília solus.

Et benedictum nomen majestátis ejus in æternum ; * et replébitur majestáte ejus omnis terra : fiat, fiat.

PSALMUS 100.

Christi regnum describitur : ultimum ejus judicium prænuntiatur.

Misericordiam et judícium * cantábo tibi, Dómine.

Psallam, et intélligam in via immaculáta, * quando vénies ad me.

Perambulábam in innocéntia cordis mei, * in médio domûs meæ.

Non proponébam ante óculos meos rem injustam : * facientes prævaricatiónes odívi.

Non adhæsit mihi cor pravum : * declinantem à me malignum non cognoscébam.

Detrahentem secrétò próximo suo, * hunc persequébar.

Superbo óculo, et insatiábili corde, * cum hoc non edébam.

Oculi mei ad fidéles terræ, ut sédeant mecum : * ámbulans in via immaculáta, hic mihi ministrábat.

Non habitábit in médio domûs meæ, qui facit supérbiam : * qui lóquitur iníqua, non direxit in conspectu oculórum meórum.

In matutíno interficiébam omnes peccatóres terræ, * ut dispérderem de ci-

vitáte Dómini omnes operantes iniquitátem.

Ant. Non proponébam ante óculos meos rem injustam : detrahentem secrétò próximo suo, hunc persequébar. *Ps.* 100.

Ant. 6. F. Adjúvit.

PSALMUS 106.

Misericordia Dei in populum suum celebranda sub diversis emblematibus describitur.

CONFITEMINI Dómino, quóniam bonus, * quóniam in séculum misericórdia ejus.

Dicant qui redempti sunt à Dómino, * quos redémit de manu inimíci;

Et de regiónibus congregávit eos, * à solis ortu et occásu, ab aquilóne et mari.

Erravérunt in solitúdine, in inaquóso : * viam civitátis habitáculi non invenérunt.

Esurientes, et sitientes; * ánima eórum in ipsis defécit.

Et clamavérunt ad Dóminum, cùm tribularentur; * et de necessitátibus eórum erípuit eos.

Et deduxit eos in viam rectam, * ut irent in civitátem habitatiónis.

Confiteantur Dómino misericórdiæ ejus, * et mirabília ejus fíliis hóminum;

Quia satiávit ánimam inánem, * et ánimam esurientem satiávit bonis.

Sedentes in ténebris et umbra mortis, * vinctos in mendicitáte et ferro;

Quia exacerbavérunt elóquia Dei, * et consílium Altíssimi irritavérunt.

Et humiliátum est in labóribus cor eórum : * infirmáti sunt, nec fuit qui adjuváret.

Et clamavérunt ad Dóminum, cùm tribularentur; * et de necessitátibus eórum liberávit eos.

Et eduxit eos de ténebris et umbrâ mortis, * et víncula eórum disrupit.

DIVISIO PSALMI 106.

CONFITEANTUR Dómino misericórdiæ ejus, * et mirabília ejus fíliis hóminum;

Quia contrívit portas æreas; * et vectes férreos confrégit.

Suscépit eos de via iniquitátis eórum : * propter injustítias enim suas humiliáti sunt.

Omnem escam abominàta est ánima eórum; * et appropinquavérunt usque ad portas mortis.

Et clamavérunt ad Dóminum, cùm tribularentur; * et de necessitátibus eórum liberávit eos.

Misit verbum suum, et sanávit eos; * et erípuit eos de interitiónibus eórum.

Confiteantur Dómino misericórdiæ ejus, * et mirabília ejus fíliis hóminum.

Et sacrificent sacrifícium

laudis, * et annúntient ópera ejus in exultatióne.

Qui descendunt mare in návibus, * facientes operatiónem in aquis multis;

Ipsi vidérunt ópera Dómini, * et mirabília ejus in profundo.

Dixit : et stetit spíritus procellæ; * et exaltáti sunt fluctus ejus.

Ascendunt usque ad cœlos, et descendunt usque ad abyssos : * ánima eórum in malis tabescébat.

Turbáti sunt, et moti sunt sicut ébrius; * et omnis sapiéntia eórum devorata est.

Et clamavérunt ad Dóminum, cùm tribularentur; * et de necessitátibus eórum eduxit eos.

Et státuit procellam ejus in auram, * et siluérunt fluctus ejus.

Et lætáti sunt quia siluérunt : * et deduxit eos in portum voluntátis eórum.

ALTERA DIVISIO PSALMI 106.

Confiteantur Dómino misericórdiæ ejus, * et mirabília ejus fíliis hóminum.

Et exaltent eum in ecclésia plebis, * et in cáthedra seniorum laudent eum.

Pósuit flúmina in desertum, * et éxitus aquárum in sitim :

Terram fructíferam in salsúginem, * à malítia inhabitántium in ea.

Pósuit desertum in stagna aquárum, * et terram sine aqua in éxitus aquárum;

Et collocávit illic esurientes : * et constituérunt civitátem habitatiónis;

Et seminavérunt agros, et plantavérunt víneas; * et fecérunt fructum nativitátis.

Et benedixit eis, et multiplicáti sunt nimis; * et jumenta eórum non minorávit.

Et pauci facti sunt, * et vexáti sunt à tribulatióne malórum; et dolóre.

Effúsa est contémptio super príncipes; * et erráre fecit eos in ínvio, et non in via.

Et adjúvit páuperem de inópia, * et pósuit sicut oves famílias.

Vidébunt recti, et lætabuntur; * et omnis iníquitas oppilábit os suum.

Quis sápiens, et custódiet hæc? * et intélliget misericórdias Dómini?

Ant. Adjúvit Dóminus páuperem de inópia : vidébunt recti, et lætabuntur.

℣. Exortum est in ténebris lumen rectis : ℟. Miséricors, et miserátor, et justus. *Ps.* 111.

Pater noster.

℣. *Sacerd.* Magnificáte Dóminum mecum, ℟. Et exaltémus nomen ejus in idipsum. *Ps.* 33.

AD LAUDES.

Ant. 4. D. Qui non accépit.

PSALMUS 23.

Quibus virtutibus ascendemus in cœlum cum Christo.

Domini est terra, et plenitúdo ejus: * orbis terrárum, et universi qui hábitant in eo;

Quia ipse super mária fundávit eum, * et super flúmina præparávit eum.

Quis ascendet in montem Dómini? * aut quis stabit in loco sancto ejus?

Innocens mánibus et mundo corde, * qui non accépit in vano ánimam suam, nec jurávit in dolo próximo suo.

Hic accípiet benedictiónem à Dómino, * et misericórdiam à Deo salutári suo.

Hæc est generátio quæréntium eum, * quæréntium fáciem Dei Jacob.

Attóllite portas príncipes vestras; et elevámini, portæ æternáles: * et introíbit Rex glóriæ.

Quis est iste Rex glóriæ, * Dóminus fortis et potens, Dóminus potens in prælio.

Attóllite portas príncipes vestras; et elevámini, portæ æternáles; * et introíbit Rex glóriæ.

Quis est iste Rex glóriæ? * Dóminus virtútum ipse est Rex glóriæ.

Ant. Qui non accépit in vano ánimam suam, nec jurávit in dolo próximo suo, hic accípiet benedictiónem à Dómino.

Ant. 5. a. Audiam.

PSALMUS 84.

Israel è captivitate liberatus, adventum Redemptoris exposcit.

Benedixisti, Dómine, terram tuam; * avertisti captivitátem Jacob.

Remisisti iniquitátem plebis tuæ; * operuisti ómnia peccáta córum.

Mitigasti omnem iram tuam; * avertisti ab ira indignatiónis tuæ.

Converte nos, Deus salutáris noster, * et averte iram tuam à nobis.

Numquid in æternum irascéris nobis? * aut extendes iram tuam à generatióne in generatiónem?

Deus, tu conversus vivificábis nos; * et plebs tua lætábitur in te.

Ostende nobis, Dómine, misericórdiam tuam, * et salutáre tuum da nobis.

Audiam quid loquátur in me Dóminus Deus; * quóniam loquétur pacem in plebem suam?

Et super sanctos suos, * et in eos qui convertuntur ad cor.

Verúmtamen prope timentes eum salutáre ipsíus, * ut inhábitet glória in terra nostra.

Misericórdia et véritas obviavérunt sibi: * justítia et pax osculátæ sunt.

Véritas de terra orta est,

* et justítia de cœlo prospexit.

Etenim Dóminus dabit benignitátem; * et terra nostra dabit fructum suum.

Justítia ante eum ambulábit, * et ponet in via gressus suos.

Ant. Audiam quid loquátur in me Dóminus Deus; quóniam loquétur pacem in plebem suam, et super sanctos suos.

Ant. 3. à. Qui dilígitis.

PSALMUS 96.

Christus rex exaltatus super omnes deos, ab angelis adorandus.

Dominus regnávit, exultet terra, * lætentur ínsulæ multæ.

Nubes et calígo in circúitu ejus: * justítia et judícium corréctio sedis ejus.

Ignis ante ipsum præcédet, * et inflammábit in circúitu inimícos ejus.

Illuxérunt fúlgura ejus orbi terræ: * vidit, et commóta est terra.

Montes sicut cera fluxérunt à fácie Dómini; * à fácie Dómini omnis terra.

Annuntiavérunt cœli justítiam ejus; * et vidérunt omnes pópuli glóriam ejus.

Confundantur omnes qui adórant sculptília, * et qui gloriantur in simulácris suis.

Adoráte eum, * omnes Angeli ejus.

Audívit, et lætáta est Sion: * et exultavérunt fíliæ Judæ propter judícia tua, Dómine;

Quóniam tu Dóminus altíssimus super omnem terram: * nimis exaltátus es super omnes deos.

Qui dilígitis Dóminum, odíte malum: * custódit Dóminus ánimas sanctórum suórum; de manu peccatóris liberábit eos.

Lux orta est justo, * et rectis corde lætítia.

Lætámini, justi, in Dómino, * et confitémini memóriæ sanctificatiónis ejus.

Ant. Qui dilígitis Dóminum, odíte malum: custódit Dóminus ánimas sanctórum suórum.

Ant. 7. *d.* Vivens.

In Feriis,

CANTICUM EZECHIÆ.

(Is. 38.)

Humanæ vitæ fragilitas: in manu Dei sunt dies nostri.

Ego dixi: In dimídio diérum meórum vadam ad portas ínferi: * quæsívi resíduum annórum meórum.

Dixi: Non vidébo Dóminum Deum in terra vivéntium: * non aspíciam hóminem ultrà, et habitatórem quiétis.

Generátio mea ablàta est, et convolúta est à me, * quasi tabernáculum pastórum.

Præcísa est, velut à texente, vita mea; dum adhuc ordírer, succídit me: * de mane usque ad vésperam fínes me.

Sperábam usque ad manè; quasi leo sic contrívit ómnia ossa mea: * de manè usque ad vésperam fínies me.

Sicut pullus hirúndinis sic clamábo, * meditábor ut columba.

Attenuáti sunt óculi mei, suspicientes in excelsum: * Dómine, vim pátior, respónde pro me.

Quid dicam, aut quid respondébit mihi, * cùm ipse fécerit?

Recogitábo tibi omnes annos meos * in amaritúdine ánimæ meæ.

Dómine, si sic vívitur, et in tálibus vita spíritûs mei; * corrípies me, et vivificábis me.

Ecce in pace amaritúdo mea amaríssima: * tu autem eruísti ánimam meam, ut non períret.

Projecísti post tergum tuum * ómnia peccáta mea.

Quia non infernus confitébitur tibi, neque mors laudábit te; * non expectábunt, qui descendunt in lacum, veritátem tuam.

Vivens, vivens ipse confitébitur tibi, sicut et ego hódie: * pater fíliis notam fáciet veritátem tuam.

Dómine, salvum me fac; * et psalmos nostros cantábimus cunctis diébus vitæ nostræ in domo Dómini.

Ant. Vivens, vivens ipse confitébitur tibi, Dómine: pater fíliis notam fáciet veritátem tuam.

[*In Festis Simpl., loco superioris cantici, dicitur seq. In Semidup. verò et supra dicitur Cant. de Prop. vel de Comm. S.*

CANTICUM.

(Eccli. 36.)

Misericordia Domini super Jerusalem et populum Israeliticum imploratur. Ira Dei in hostes, gloria et potentia in omnem terram expostulatur.

MISERERE nostrî, Deus ómnium, et réspice nos, * et ostende nobis lucem miseratiónum tuárum.

Et immitte timórem tuum super gentes quæ non exquisiérunt te; * ut cognoscant quia non est Deus, nisi tu, et enarrent magnália tua.

Alleva manum tuam super gentes aliénas, * ut vídeant poténtiam tuam.

Sicut enim in conspectu eórum sanctificátus es in nobis, * sic in conspectu nostro magnificáberis in éis;

Ut cognoscant te, * sicut et nos cognóvimus quóniam non est Deus præter te, Dómine.

Innova signa, et immúta mirabília: * glorífica manum, et bráchium dextrum.

Excita furórem, et effunde iram: * tolle adversarium, et afflíge inimícum.

Festína tempus, et memento finis, * ut enarrent mirabília tua.

In ira flammæ devorétur qui salvátur; * et qui péssi-

mant plebem tuam, invéniant perditiónem.

Cóntere caput príncipum inimicórum, * dicéntium : Non est álius præter nos.

Cóngrega omnes tribus Jacob, * ut cognoscant quia non est Deus, nisi tu, et enarrent magnália tua;

Et hæreditábis eos, * sicut ab initio.

Miserére plebi tuæ super quam invocátum est nomen tuum, * et Israel quem coæquasti primogénito tuo.

Miserére civitáti sanctificatiónis tuæ Jerúsalem, * civitáti requiéi tuæ.

Reple Sion inenarrabílibus verbis tuis, * et glóriâ tuâ pópulum tuum.]

Ant. 1. *D.* Laudáte.

PSALMUS 150.

Deus omnimode laudandus.

Laudate Dóminum in sanctis ejus : * laudáte eum in firmamento virtútis ejus.

Laudáte eum in virtútibus ejus : * laudáte eum secundùm multitúdinem magnitúdinis ejus.

Laudáte eum in sono tubæ : * laudáte eum in psaltério et cíthara.

Laudáte eum in tympano et choro : * laudáte eum in chordis et órgano.

Laudáte eum in cymbalis benesonántibus; laudáte eum in cymbalis jubilatiónis : * omnis spíritus laudet Dóminum.

Ant Laudáte Dóminum in sanctis ejus : laudáte eum secundùm multitúdinem magnitúdinis ejus.

Capitulum. (1. *Joan.* 2.)

Mandatum novum scribo vobis, quod verum est et in Christo, et in vobis; quia ténebræ transiérunt, et verum lumen jam lucet. Qui dicit se in luce esse, et fratrem suum odit, in ténebris est usque adhuc. Qui díligit fratrem suum, in lúmine manet, et scándalum in eo non est.

HYMNUS.

Te príncipem summo, Deus,
Jubes amóre díligi :
Tibi secundum prótinus
Jubes amári próximum.

Amore fundátam tuo
Communiónem réspice,
Quâ corpus unum plúrimi,
Unum cor, una mens sumus.

Illam fides et véritas
Amábili stipant choro :
Oblíquus hinc livor procul
Et litis ardor éxulant.

Tu, pacis auctor, mútuos
Astringe nexus : da, Pater,
Gaudére fratrum gáudiis,
Da condolére flétibus.

Æterna laus et glória
Uni sit et trino Deo,
Qui moris uníus sacrâ
Nos pacis in domo locat. Am.

℣. Deus in médio civitátis suæ; non commovébitur: ℟. Adjuvábit eam mane dilúculo. *Ps.* 45.

Ad Benedictus, *Ant.* 7. a.

Erexit Dóminus cornu salútis nobis in domo David púeri sui, sicut locútus est per os sanctórum. *Luc.* 1.

AD PRIMAM.

Ant. 2. D. Cùm mihi.

PSALMUS 34.

Christus pro nobis patiens, ab hostibus liberari deprecatur.

JUDICA, Dómine, nocentes me: * expugna impugnantes me.

Apprehende arma et scutum, * et exurge in adjutórium mihi.

Effunde frámeam, et conclúde adversùs eos qui persequuntur me; * dic ánimæ meæ: Salus tua ego sum.

Confundantur et revereantur * quærentes ánimam meam.

Avertantur retrorsùm, * et confundantur cogitantes mihi mala.

Fiant tanquam pulvis ante fáciem venti, * et ángelus Dómini coarctans eos.

Fiat via illórum ténebræ et lúbricum, * et ángelus Dómini pérsequens eos;

Quóniam gratis abscondérunt mihi intéritum láquei sui: * supervácuè exprobravérunt ánimam meam.

Véniat illi láqueus quem ignórat; et cáptio quam abscondit, apprehendat eum; * et in láqueum cadat in ipsum.

Anima autem mea exultábit in Dómino, * et delectábitur super salutári suo.

Omnia ossa mea dicent: * Dómine, quis símilis tibi?

Erípiens ínopem de manu fortiórum ejus, * egénum et páuperem à diripiéntibus eum.

DIVISIO PSALMI 34.

SURGENTES testes iníqui: * quæ ignorábam interrogábant me.

Retribuébant mihi mala pro bonis, * sterilitátem ánimæ meæ.

Ego autem, cùm mihi molesti essent, * induébar cilício.

Humiliábam in jejúnio ánimam meam, * et orátio mea in sinu meo convertétur.

Quasi próximum, et quasi fratrem nostrum, sic complacébam: * quasi lugens et contristátus, sic humiliábar.

Et adversùm me lætáti sunt, et convenérunt: * congregáta sunt super me flagella, et ignorávi.

Dissipáti sunt, nec compuncti; tentavérunt me, subsannavérunt me subsannatióne: * frenduérunt super me déntibus suis.

Dómine, quando respícies? * restítue ánimam meam à malignitáte eórum, à leónibus únicam meam.

Confitébor tibi in ecclésia magna: * in pópulo gravi laudábo te.

Non supergáudeant mihi

qui adversantur mihi iníquè, * qui odérunt me gratis, et ánnuunt óculis.

Quóniam mihi quidem pacíficè loquebantur; * et in iracúndia terræ loquentes, dolos cogitábant.

Et dilatavérunt super me os suum; * dixérunt: Euge, euge, vidérunt óculi nostri.

Vidisti, Dómine, ne síleas: * Dómine, ne discédas à me.

ALTERA DIVISIO PSALMI 34.

EXURGE, et intende judício meo, * Deus meus et Dóminus meus, in causam meam.

Júdica me secundùm justítiam tuam, Dómine Deus meus; * et non supergáudeant mihi.

Non dicant in córdibus suis: Euge, euge, ánimæ nostræ; * nec dicant: Devorávimus eum.

Erubescant et revereantur simul, * qui gratulantur malis meis.

Induantur confusióne et reveréntiâ, * qui magna loquuntur super me.

Exultent et lætentur qui volunt justítiam meam; * et dicant semper: Magnificétur Dóminus, qui volunt pacem servi ejus.

Et lingua mea meditábitur justítiam tuam, * totâ die laudem tuam.

Ant. Cùm mihi molesti essent, quasi próximum, et quasi fratrem nostrum, sic complacébam.

AD TERTIAM.

Ant. 1. f. Cum ímpiis non sedébo.

PSALMUS 25.

Animæ fidelis ab iniquis vexatæ humílis apud Deum querela.

JUDICA me, Dómine, quóniam ego in innocéntia mea ingressus sum; * et in Dómino sperans, non infirmábor.

Proba me, Dómine, et tenta me: * ure renes meos et cor meum;

Quóniam misericórdia tua ante óculos meos est, * et complácui in veritáte tua.

Non sedi cum concílio vanitátis, * et cum iníqua geréntibus non introíbo.

Odívi ecclésiam malignántium, * et cum ímpiis non sedébo.

Lavábo inter innocentes manus meas, * et circúmdabo altáre tuum, Dómine;

Ut áudiam vocem laudis, * et enarrem universa mirabília tua.

Dómine, dilexi decórem domûs tuæ, * et locum habitatiónis glóriæ tuæ.

Ne perdas cum ímpiis, Deus, ánimam meam, * et cum viris sánguinum vitam meam,

In quorum mánibus iniquitátes sunt: * déxtera eórum repléta est munéribus.

Ego autem in innocéntia mea ingressus sum: * rédime me, et miserére meî.

Pes meus stetit in directo : * in ecclésiis benedícam te, Dómine.

PSALMUS 49.

Ultimus Christi adventus prænuntiatur. Non ex cæsis victimis, sed ex animi puritate judicandi homines.

Deus deórum Dóminus locútus est ; * et vocávit terram à solis ortu usque ad occásum.

Ex Sion * spécies decóris ejus.

Deus manifestè véniet ; * Deus noster, et non silébit.

Ignis in conspectu ejus exardéscet, * et in circúitu ejus tempestas válida.

Advocábit cœlum desursùm, et terram, * discérnere pópulum suum.

Congregáte illi sanctos ejus, * qui órdinant testamentum ejus super sacrifícia.

Et annuntiábunt cœli justítiam ejus, * quóniam Deus judex est.

Audi, pópulus meus, et loquar ; Israel, et testificábor tibi : * Deus, Deus tuus ego sum.

Non in sacrifíciis tuis árguam te ; * holocausta autem tua in conspectu meo sunt semper.

Non accípiam de domo tua vítulos, * neque de grégibus tuis hircos ;

Quóniam meæ sunt omnes feræ silvárum, * jumenta in móntibus et boves.

Cognóvi ómnia volatília cœli ; * et pulchritúdo agri mecum est.

Si esuríero, non dicam tibi ; * meus est enim orbis terræ, et plenitúdo ejus.

Numquid manducábo carnes taurórum ? * aut sánguinem hircórum potábo ?

Immola Deo sacrifícium laudis, * et redde Altíssimo vota tua.

Et ínvoca me in die tribulatiónis ; * éruam te, et honorificábis me.

DIVISIO PSALMI 49.

Peccatori autem dixit Deus : * Quare tu enarras justítias meas, et assúmis testamentum meum per os tuum ?

Tu verò odisti disciplínam, * et projecisti sermónes meos retrorsùm.

Si vidébas furem, currébas cum eo, * et cùm adúlteris portiónem tuam ponébas.

Os tuum abundávit malítiâ, * et lingua tua concinnábat dolos.

Sedens adversùs fratrem tuum loquebáris, et adversùs fílium matris tuæ ponébas scándalum : * hæc fecísti, et tácui.

Existimasti, iníque, quòd ero tuî símilis : * árguam te, et státuam contra fáciem tuam.

Intellígite hæc, qui oblivíscimini Deum ; * nequando rápiat, et non sit qui erípiat.

Sacrifícium laudis honorificábit me; * et illic iter, quo ostendam illi salutáre Dei.

Ant. Cum ímpiis non sedébo : inter innocentes circúmdabo altáre tuum, Dómine. *Ps.* 25.

Capitulum. (*Eccli.* 35.)

SACRIFICIUM salutáre est atténdere mandátis, et discédere ab omni iniquitáte : et propitiatiónem litáre sacrifícii super injustítias, et deprecátio pro peccátis, recédere ab injustítia.

℟. *br.* Quis ascendet in montem Dómini, * Stabit in loco sancto ejus? Quis ascendet. ℣. Innocens mánibus,* et mundo corde,* Stabit in loco sancto ejus. Glória Patri. Quis ascendet. *Ps.* 23.

℣. Congregáte Dómino sanctos ejus, ℟. Qui órdinant testamentum ejus super sacrifícia. *Ps.* 49.

AD SEXTAM.

Ant. 4. c. Justus.

PSALMUS 36.

Lex Dei perseveranter servanda. Bonorum et malorum quam dispar status et exitus.

NOLI æmulári in malignántibus, * neque zeláveris facientes iniquitátem.

Quóniam tanquam fœnum velóciter arescent, * et quemádmodùm ólera herbárum citò décident.

Spera in Dómino, et fac bonitátem; * et inhábita terram, et pascéris in divítiis ejus.

Delectáre in Dómino, * et dabit tibi petitiónes cordis tui.

Revéla Dómino viam tuam, et spera in eo; * et ipse fáciet.

Et edúcet quasi lumen justítiam tuam, et judícium tuum tanquam merídiem : * súbditus esto Dómino, et ora eum.

Noli æmulari in eo qui prosperátur in via sua, * in hómine faciente injustítias.

Désine ab ira, et derelinque furórem : * noli æmulári, ut malignéris;

Quóniam qui malignantur, exterminabuntur : * sustinentes autem Dóminum, ipsi hæreditábunt terram.

Et adhuc pusillùm, et non erit peccátor; * et quæres locum ejus, et non invénies.

Mansuéti autem hæreditábunt terram, * et delectabuntur in multitúdine pacis.

Observábit peccátor justum, * et stridébit super eum déntibus suis.

Dóminus autem irridébit eum; * quóniam próspicit quòd véniet dies ejus.

Gládium evaginavérunt peccatóres; * intendérunt arcum suum,

Ut dejíciant páuperem et ínopem, * ut trucident rectos corde.

Gládius eórum intret ín

corda ipsórum, * et arcus eórum confringátur.

Mélius est módicum justo, * super divítias peccatórum multas;

Quóniam bráchia peccatórum conterentur: * confirmat autem justos Dóminus.

DIVISIO PSALMI 36.

Novit Dóminus dies immaculatórum; * et hæréditas eórum in æternum erit.

Non confundentur in témpore malo, et in diébus famis saturabuntur; * quia peccatóres períbunt.

Inimíci verò Dómini, mox ut honorificáti fúerint et exaltáti, * deficientes, quemádmodùm fumus, deficient.

Mutuábitur peccátor, et non solvet; * justus autem miserétur et tríbuet.

Quia benedicentes ei hæreditábunt terram; * maledicentes autem ei disperíbunt.

Apud Dóminum gressus hóminis dirigentur, * et viam ejus volet.

Cùm ceciderit, non collidétur; * quia Dóminus supponit manum suam.

Júnior fui, étenim sénui; * et non vidi justum derelictum, nec semen ejus quærens panem.

Totâ die miserétur, et cómmodat; * et semen illíus in benedictióne erit.

Declína à malo, et fac bonum; * et inhábita in séculum séculi.

Quia Dóminus amat judícium, et non derelinquet sanctos suos: * in æternum conservabuntur.

Injusti punientur; * et semen impiórum períbit.

Justi autem hæreditábunt terram, * et inhabitábunt in séculum séculi super eam.

ALTERA DIVISIO PSALMI 36.

Os justi meditábitur sapiéntiam, * et lingua ejus loquétur judícium.

Lex Dei ejus in corde ipsíus; * et non supplantabuntur gressus ejus.

Considerat peccátor justum, * et quærit mortificáre eum.

Dóminus autem non derelinquet eum in mánibus ejus, * nec damnábit eum, cùm judicábitur illi.

Expecta Dóminum, et custódi viam ejus; et exaltábit te, ut hæreditátem cápias terram: * cùm períerint peccatóres, vidébis.

Vidi ímpium superexaltátum, * et elevátum sicut cedros Líbani.

Et transívi, et ecce non erat; * et quæsívi eum, et non est inventus locus ejus.

Custódi innocéntiam, et vide æquitátem; * quóniam sunt relíquiæ hómini pacífico.

Injusti autem disperíbunt simul; * relíquiæ impiórum interíbunt.

Salus autem justórum à Dómino ; * et protector eórum in témpore tribulatiónis.

Et adjuvábit eos Dóminus, et liberábit eos ; * et éruet eos à peccatóribus, et salvábit eos, quia speravérunt in eo.

Ant. Justus totâ die miserétur, et cómmodat ; et semen illíus in benedictióne erit.

Capitulum. (1. *Joan.* 3.)

Qui habúerit substántiam hujus mundi, et víderit fratrem suum necessitátem habére, et cláuserit víscera sua ab eo ; quómodò cáritas Dei manet in eo? Filíoli mei, non diligámus verbo, neque linguâ, sed ópere et veritáte.

℟. *br.* Jucundus homo * Qui miserétur, et cómmodat. Jucundus. ℣. In æternum * non commovébitur, * Qui miserétur. Glória Patri. Jucundus.

℣. Dispersit, dedit paupéribus : ℟. Justítia ejus manet in séculum séculi. *Ps.* 111.

AD NONAM.

Ant. 7. b. Pro eo.

PSALMUS 108.

Christus inimicis suis Dei in ipsos vindictam, suamque de ipsis victoriam prædicit.

Deus, laudem meam ne tacúeris ; * quia os peccatóris, et os dolósi super me apertum est.

Locúti sunt adversùm me linguâ dolósâ, et sermónibus odii circumdedérunt me, * et expugnavérunt me gratis.

Pro eo ut me dilígerent, detrahébant mihi ; * ego autem orábam.

Et posuérunt adversùm me mala pro bonis, * et ódium pro dilectióne mea.

DIVISIO PSALMI 108.

Constitue [Dómine] super eum peccatórem ; * et diábolus stet à dextris ejus.

Cùm judicátur, éxeat condemnátus ; * et orátio ejus fiat in peccátum.

Fiant dies ejus pauci ; * et episcopátum ejus accípiat alter.

Fiant fílii ejus órphani, * et uxor ejus vídua.

Nutantes transferantur fílii ejus, et mendícent, * et ejiciantur de habitatiónibus suis.

Scrutétur fœnerátor omnem substántiam ejus ; * et dirípiant aliéni labóres ejus.

Non sit illi adjútor, * nec sit qui misereátur pupillis ejus.

Fiant nati ejus in intéritum : * in generatióne una deleátur nomen ejus.

In memóriam rédeat iníquitas patrum ejus in conspectu Dómini ; * et peccátum matris ejus non deleátur.

Fiant contra Dóminum semper : * et dispéreat de terra memória eórum ;

Pro eo quòd non est recordátus fácere misericórdiam, * et persecútus est hóminem ínopem et mendícum, et compunctum corde mortificáre.

Et dilexit maledictiónem, et véniet ei; * et nóluit benedictiónem, et elongábitur ab eo.

Et índuit maledictiónem sicut vestimentum; * et intrávit sicut aqua in interióra ejus, et sicut óleum in óssibus ejus.

Fiat ei sicut vestimentum quo operítur, * et sicut zona quâ semper præcíngitur.

Hoc opus eórum qui détrahunt mihi apud Dóminum, * et qui loquuntur mala adversùs ánimam meam.

Et tu, Dómine, Dómine, fac mecum propter nomen tuum; * quia suávis est misericórdia tua.

ALTERA DIVISIO PSALMI 108.

Libera me, quia egénus et pauper ego sum, * et cor meum conturbátum est intra me.

Sicut úmbra, cùm declínat, ablátus sum; * et excussus sum sicut locustæ.

Génua mea infirmáta sunt à jejúnio, * et caro mea immutáta est propter óleum.

Et ego factus sum oppróbrium illis: * vidérunt me, et movérunt cápita sua.

Adjuva me, Dómine Deus meus: * salvum me fac secundùm misericórdiam tuam.

Et sciant quia manus tua hæc; * et tu, Dómine, fecisti eam.

Maledícent illi, et tu benedíces: * qui insurgunt in me, confundantur; servus autem tuus lætábitur.

Induantur, qui détrahunt mihi, pudóre; * et operiántur sicut diplóide confusióne suâ.

Confitébor Dómino nimis in ore meo, * et in médio multórum laudábo eum;

Quia ástitit à dextris páuperis, * ut salvam fáceret à persequéntibus ánimam meam.

Ant. Pro eo ut me dilígerent, detrahébant mihi; ego autem orábam.

Capitulum. (*Rom.* 12.)

Nolite esse prudentes apud vosmetipsos, nulli malum pro malo reddentes, providentes bona non tantùm coram Deo, sed etiam coram ómnibus homínibus. Si fíeri potest, quod ex vobis est, cum ómnibus homínibus pacem habentes.

℟. *br.* Posuérunt adversùm me * Mala pro bonis. Posuérunt. ℣. Et ódium * pro dilectióne mea, * Mala pro bonis. Glória. Posuérunt. *Ps.* 108.

℣. Si réddidi retribuéntibus mihi mala, ℟. Décidam méritò ab inimícis meis inánis. *Ps.* 7.

AD VESPERAS.

Ant. 3. b. Multùm íncola fuit.

PSALMUS 119.

Ecclesia vitæ præsentis mala luget.

Ad Dóminum, cùm tribulárer, clamávi; * et exaudívit me.

Dómine, líbera ánimam meam à lábiis iníquis, * et à linguâ dolósâ.

Quid detur tibi, aut quid apponátur tibi * ad linguam dolósam?

Sagittæ potentis acútæ, * cum carbónibus desolatóriis.

Heu mihi, quia incolátus meus prolongátus est! habitávi cum habitántibus Cedar; * multùm íncola fuit ánima mea.

Cum his qui odérunt pacem, eram pacíficus: * cùm loquébar illis, impugnábant me gratis.

Ant. Multùm íncola fuit ánima mea, Dómine: cum his qui odérunt pacem, eram pacíficus.

Ant. 1. f. Propter fratres meos.

PSALMUS 121.

Spes æternæ vitæ. Pax Ecclesiæ desideranda.

Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi: * In domum Dómini íbimus.

Stantes erant pedes nostri * in átriis tuis, Jerúsalem.

Jerúsalem quæ ædificátur ut cívitas, * cujus participátio ejus in idipsum.

Illuc enim ascendérunt tribus, tribus Dómini, * testimónium Israel, ad confitendum nómini Dómini;

Quia illic sedérunt sedes in judício, * sedes super domum David.

Rogáte quæ ad pacem sunt Jerúsalem; * et abundántia diligéntibus te.

Fiat pax in virtúte tua, * et abundántia in túrribus tuis.

Propter fratres meos et próximos meos, * loquébar pacem de te.

Propter domum Dómini Dei nostri, * quæsívi bona tibi.

Ant. Propter fratres meos et próximos meos, loquébar pacem de te, Jerúsalem.

Ant. 4. d. Quàm bonum.

PSALMUS 132.

Fraternæ concordiæ beatitudo.

Ecce quàm bonum, et quàm jucundum * habitáre fratres in unum!

Sicut unguentum in cápite, * quod descendit in barbam, barbam Aáron;

Quod descendit in oram vestimenti ejus: * sicut ros Hermon, qui descendit in montem Sion;

Quóniam illic mandávit Dóminus benedictiónem, * et vitam usque in séculum.

Ant. Quàm bonum, et

quàm jucundum habitáre fratres in unum!

Ant. 8. G. In misericórdia.

PSALMUS 140.

Orat justus ut sit patiens in tribulationibus, et tutus ab inimicis.

Domine, clamávi ad te, exaudi me; * intende voci meæ, cùm clamávero ad te.

Dirigátur orátio mea sicut incensum in conspectu tuo: * elevátio mánuum meárum, sacrifícium vespertínum.

Pone, Dómine, custódiam ori meo, * et óstium circumstántiæ lábiis meis.

Non declínes cor meum in verba malítiæ, * ad excusándas excusatiónes in peccátis,

Cum homínibus operántibus iniquitátem; * et non communicábo cum electis eórum.

Corrípiet me justus in misericórdia, et increpábit me: * óleum autem peccatóris non impinguet caput meum;

Quóniam adhuc et orátio mea * in beneplácitis eórum.

Absorpti sunt juncti petræ júdices eórum: * áudient verba mea, quóniam potuérunt.

Sicut crassitúdo terræ erupta est super terram, * dissipáta sunt ossa nostra secùs infernum.

Quia ad te, Dómine, Dómine, óculi mei: * in te sperávi, non áuferas ánimam meam.

Custódi me à láqueo quem statuérunt mihi, * et à scándalis operántium iniquitátem.

Cadent in retiáculo ejus peccatóres: * singuláriter sum ego, donec tránseam.

Ant. In misericórdia justus increpábit me: óleum autem peccatóris non impinguet caput meum.

Ant. 6. F. Me expectant justi.

PSALMUS 141.

Justus humana ope destitutus, ad divinum confugit auxilium.

Voce meâ ad Dóminum clamávi; * voce meâ ad Dóminum deprecátus sum.

Effundo in conspectu ejus oratiónem meam, * et tribulatiónem meam ante ipsum pronúntio,

In deficiendo ex me spíritum meum; * et tu cognovisti sémitas meas.

In via hac quâ ambulábam, * abscondérunt láqueum mihi.

Considerábam ad déxteram, et vidébam; * et non erat qui cognósceret me.

Périit fuga à me, * et non est qui réquirat ánimam meam.

Clamávi ad te, Dómine: * dixi, Tu es spes mea, pórtio mea in terra vivéntium.

Intende ad deprecatiónem meam; * quia humiliátus sum nimis.

Líbera me à persequénti-

bus me, * quia confortáti sunt super me.

Educ de custódia ánimam meam, ad confitendum nómini tuo : * me expectant justi, donec retríbuas mihi.

Ant. Me expectant justi, donec retríbuas mihi, Dómine.

Capitulum. (1. *Cor.* 12.)

Si quid pátitur unum membrum, compatiuntur ómnia membra; sive gloriátur unum membrum, congaudent ómnia membra : vos autem estis corpus Christi, et membra de membro.

HYMNUS.

O quam juvat fratres, Deus,
Unum quibus Christus caput
Vitále robur súfficit,
Uno movéri spíritu!

Quam dulce laudes dícere
Unà tibi cunctos domo,
Precumque ceu factâ manu,
Inferre vim gratam tibi!

Hanc quisque díligat domum;
Hanc pace concors récreet :
Væ dira qui spargit malus
Dissensiónum semina.

Sed damna cedunt in lucrum
Te, Christe, diligéntibus :
Augent corónas prælia;
Prosuntque, dum nocent, mali.

Vox blanda sævit trístiùs,
Dum pectus incautum subit,
Lapsuque cæco dúlcibus
Laudum venénis ínficit.

Præsta, beáta Trínitas,
Ut caritáte mutuâ
Prosímus alter álteri,
Regnémus et polo simul.
Amen.

℣. In Dómino laudábitur ánima mea : ℟. Audiant mansuéti, et lætentur. *Ps.* 33.

Ad Magníficat, *Ant.* 8. *G.* Respexit Deus humilitátem ancillæ suæ : ex hoc beátam me dicent omnes generatiónes. *Luc.* 1.

AD COMPLETORIUM.

Ant. 7. ç. Tu remisisti.

PSALMUS 12.

Animæ fidelis in tribulatione ad Deum deprecatio.

Usquequo, Dómine, oblivísceris me in finem? * úsquequò avertis fáciem tuam à me?

Quámdiu ponam consília in ánima mea, * dolórem in corde meo per diem?

Usquequò exaltábitur inimícus meus super me? * réspice, et exaudi me, Dómine Deus meus.

Illúmina óculos meos, ne unquam obdórmiam in morte; * nequando dicat inimícus meus : prævalui adversùs eum.

Qui tríbulant me, exultábunt si motus fúero; * ego autem in misericórdia tua sperávi.

Exultábit cor meum in salutári tuo : * cantábo Dó-

mino qui bona tríbuit mihi, et psallam nómini Dómini altíssimi.

PSALMUS 31.

Misericordia Dei hominem peccatorem, per gratiam suam, justificantis commendatur.

BEATI quorum remissæ sunt iniquitátes, * et quorum tecta sunt peccáta.

Beátus vir cui non imputávit Dóminus peccátum, * nec est in spíritu ejus dolus.

Quóniam tácui, inveteravérunt ossa mea, * dum clamárem totâ die.

Quóniam die ac nocte graváta est super me manus tua : * conversus sum in ærumna mea, dum confígitur spina.

Delictum meum cógnitum tibi feci, * et injustítiam meam non abscondi.

Dixi : Confitébor adversùm me injustítiam meam Dómino ; * et tu remisisti impietátem peccáti mei.

Pro hac orábit ad te omnis sanctus * in témpore opportúno.

Verúmtamen in diluvio aquárum multárum , * ad eum non approximábunt.

Tu es refúgium meum à tribulatióne quæ circúmdedit me : * exultátio mea, érue me à circumdántibus me.

Intellectum tibi dabo, et ínstruam te in via hac quâ gradiéris : * firmábo super te óculos meos.

Nolíte fíeri sicut equus et mulus, * quibus non est intellectus.

In camo et fræno maxillas eórum constringe, * qui non appróximant ad te.

Multa flagella peccatóris; * sperantem autem in Dómino misericórdia circúmdabit.

Lætámini in Dómino, et exultáte, justi; * et gloriámini, omnes recti corde.

PSALMUS 78.

Fideles ab infidelibus vexati, opem Dei poscunt.

DEUS, venérunt gentes in hæreditátem tuam, polluérunt templum sanctum tuum; * posuérunt Jerúsalem in pomórum custódiam.

Posuérunt morticína servórum tuórum escas volatílibus cœli, * carnes sanctórum tuórum béstiis terræ.

Effudérunt sánguinem eórum tanquam aquam in circúitu Jerúsalem ; * et non erat qui sepelíret.

Facti sumus oppróbrium vicínis nostris; * subsannátio et illúsio his qui in circúitu nostro sunt.

Usquequò, Dómine, irascéris in finem ? * accendétur velut ignis zelus tuus ?

Effunde iram tuam in gentes quæ te non novérunt, * et in regna quæ nomen tuum non invocavérunt ;

Quia comedérunt Jacob, * et locum ejus desolavérunt.

Ne memíneris iniquitátum nostrárum antiquárum : * citò antícipent nos misericórdiæ tuæ, quia páuperes facti sumus nimis.

Adjuva nos, Deus salutáris noster * et propter glóriam nóminis tui, Dómine, líbera nos :

Et propítius esto peccátis nostris : * propter nomen tuum ;

Ne fortè dicant in géntibus : * Ubi est Deus eórum?

Et innotescat in natiónibus coram óculis nostris * últio sánguinis servórum tuórum, qui effúsus est.

Intróeat in conspectu tuo* gémitus compeditórum.

Secundùm magnitúdinem bráchii tui, * pósside fílios mortificatórum ;

Et redde vicínis nostris séptuplum in sinu eórum impropérium ipsórum, * quod exprobravérunt tibi, Dómine.

Nos autem pópulus tuus, et oves páscuæ tuæ, * confitébimur tibi in séculum.

In generatiónem et generatiónem * annuntiábimus laudem tuam.

Ant. Tu remisisti impietátem peccáti mei : pro hac orábit ad te omnis sanctus. *Ps.* 31.

FERIA QUARTA.

AD OFFIC. NOCTURNUM.

INVITATORIUM.

Non repellet Dóminus plebem suam : * Veníte, adorémus.

Psalmus 94. Veníte, 2.

HYMNUS.

Miramur, ô Deus, tuæ
Recens opus poténtiæ,
Quæ scripta scintillántibus
Refulget astrórum globis.
Ut sol diéi, cándida
Sic luna nocti præsidet :
Exércitu totum novo
Discríminant stellæ polum.
At ipse, cœlórum decus,
Sol novit occásus suos :
Sunt certa lunæ témpora,
Statíque lapsus síderum.
Jugi rotáta túrbine
Furantur et reddunt diem :
Tu semper idem, néscius
Mortálium spem fállere.
Turbata quid mens flúctuet?
Curâ paternâ nos regis :
Æterna si cordi salus,
Æterna nos salus manet.
Suprema laus et glória
Uni sit et trino Deo,
Suo repóni qui jubet
Curas et angóres sinu.
Amen.

Ant. 3. *a.* Sperent in te.

PSALMUS 9.

Ecclesia pro victoriis jam reportatis grates reddit, pro reportandis opem poscit.

Confitebor tibi, Dómine, in toto corde meo, * narrábo ómnia mirabília tua.

Lætábor et exultábo in te:* psallam nómini tuo, Altíssime,

In convertendo inimícum

meum retrorsùm, * infirmabuntur, et péribunt à fácie tua.

Quóniam fecisti judícium meum et causam meam; * sedisti super thronum, qui júdicas justítiam.

Increpasti gentes, et périit ímpius: * nomen eórum delesti in æternum, et in séculum séculi.

Inimíci defecérunt frámeæ in finem, * et civitátes eórum destruxisti.

Périit memória eórum cum sónitu; * et Dóminus in æternum pérmanet.

Parávit in judício thronum suum; * et ipse judicábit orbem terræ in æquitáte, judicábit pópulos in justítia.

Et factus est Dóminus refúgium páuperi; * adjútor in opportunitátibus, in tribulatióne.

Et sperent in te, qui novérunt nomen tuum; * quóniam non dereliquisti quærentes te, Dómine.

Psállite Dómino qui hábitat in Sion: * annuntiáte inter gentes stúdia ejus;

Quóniam requírens sánguinem, eórum recordátus est; * non est oblítus clamórem páuperum.

DIVISIO PSALMI 9.

Miserere meî, Dómine: * vide humilitátem meam de inimícis meis,

Qui exaltas me de portis mortis; * ut annúntiem omnes laudatiónes tuas in portis filiæ Sion.

Exultábo in salutári tuo: * infixæ sunt gentes in intéritu quem fecérunt.

In láqueo isto quem abscondérunt, * comprehensus est pes eórum.

Cognoscétur Dóminus judícia fáciens: * in opéribus mánuum suárum comprehensus est peccátor.

Convertantur peccatóres in infernum, * omnes gentes quæ obliviscuntur Deum.

Quóniam non in finem oblívio erit páuperis: * patiéntia páuperum non períbit in finem.

Exurge, Dómine; non confortétur homo: * judicentur gentes in conspectu tuo.

Constítue, Dómine, legislatórem super eos; * ut sciant gentes quóniam hómines sunt.

ALTERA DIVISIO PSALMI 9.

Ut quid, Dómine, recessisti longè? * déspicis in opportunitátibus, in tribulatióne?

Dum superbit ímpius, incénditur pauper: * comprehenduntur in consíliis quibus cógitant.

Quóniam laudátur peccátor in desidériis ánimæ suæ, * et iníquus benedícitur.

Exacerbávit Dóminum peccátor; * secundùm multitúdinem iræ suæ non quæret.

Non est Deus in conspectu

ejus : * inquinátæ sunt viæ illíus in omni témpore.

Auferuntur judícia tua à fácie ejus : * ómnium inimicórum suórum dominábitur.

Dixit enim in corde suo : * Non movébor à generatióne in generatiónem sine malo.

Cujus maledictióne os plenum est, et amaritúdine, et dolo : * sub lingua ejus labor et dolor.

Sedet in insídiis cum divítibus in occultis, * ut interfíciat innocentem.

Oculi ejus in páuperem respíciunt : * insidiátur in abscóndito, quasi leo in spelunca sua.

Insidiátur ut rápiat páuperem ; * rápere páuperem, dum áttrahit eum.

In láqueo suo humiliábit eum : * inclinábit se, et cadet, cùm dominátus fúerit páuperum.

Dixit enim in corde suo : Oblítus est Deus ; * avertit fáciem suam, ne vídeat in finem.

Exurge, Dómine Deus ; exaltétur manus tua : * ne obliviscáris páuperum.

Propter quid irritávit ímpius Deum ? * dixit enim in corde suo : Non requíret.

Vides, quóniam tu labórem et dolórem consíderas, * ut tradas eos in manus tuas.

Tibi derelictus est pauper : * órphano tu eris adjútor.

Cóntere brachium peccatóris et maligni : * quærétur peccátum illíus, et non inveniétur.

Dóminus regnábit in æternum, et in séculum séculi : * períbitis, gentes, de terra illíus.

Desidérium páuperum exaudívit Dóminus : * præparatiónem cordis eórum audívit auris tua ;

Judicáre pupillo et húmili, * ut non appónat ultra magnificáre se homo super terram.

Ant. Sperent in te, qui novérunt nomen tuum ; quóniam non dereliquisti quærentes te, Dómine.

Ant. 8. G. Fílii.

PSALMUS 77.

Beneficia olim Judæis à Deo præstita in parabolis enarrantur, ut inde discat populus Dei ponere in Deo spem suam, et mandata ejus servare.

Atténdite, pópule meus, legem meam ; * inclináte aurem vestram in verba oris mei.

Apériam in parábolis os meum ; * loquar propositiónes ab inítio.

Quanta audívimus, et cognóvimus ea ; * et patres nostri narravérunt nobis.

Non sunt occultáta à fíliis eórum * in generatióne áltera :

Narrantes laudes Dómini, et virtútes ejus, * et mirabília ejus quæ fecit.

Et suscitávit testimónium

in Jacob * et legem pósuit in Israel.

Quanta mandávit pátribus nostris, nota fácere ea fíliis suis, * ut cognoscat generátio áltera.

Fílii qui nascentur, et exurgent, * et narrábunt fíliis suis;

Ut ponant in Deo spem suam, et non obliviscantur óperum Dei, * et mandáta ejus exquírant;

Ne fiant sicut patres eórum, * generátio prava et exásperans:

Generátio quæ non direxit cor suum, * et non est créditus cum Deo spíritus ejus.

DIVISIO PSALMI 77.

Filii Ephrem intendentes et mittentes arcum, * conversi sunt in die belli.

Non custodiérunt testamentum Dei, * et in lege ejus noluérunt ambuláre.

Et oblíti sunt benefactórum ejus, * et mirabílium ejus quæ ostendit eis.

Coram pátribus eórum fecit mirabília in terra Ægypti, * in campo Táneos.

Interrúpit mare, et perduxit eos, * et státuit aquas quasi in utre.

Et deduxit eos in nube diéi, * et totâ nocte in illuminatióne ignis.

Interrúpit petram in erémo, * et adaquávit eos velut in abysso multa.

Et eduxit aquam de petra, * et deduxit tanquam flúmina aquas.

Et apposuérunt adhuc peccáre ei: * in iram excitávérunt Excelsum in inaquóso.

Et tentavérunt Deum in córdibus suis, * ut péterent escas animábus suis.

Et male locúti sunt de Deo, * dixérunt: Numquid póterit Deus paráre mensam in deserto?

Quóniam percussit petram, et fluxérunt aquæ, * et torrentes inundavérunt.

Numquid et panem póterit dare, * aut paráre mensam pópulo suo?

Ideò audívit Dóminus, et dístulit: * et ignis accensus est in Jacob, et ira ascendit in Israel;

Quia non credidérunt in Deo, * nec speravérunt in salutári ejus.

Et mandávit núbibus désuper, * et jánuas cœli apéruit.

Et pluit illis manna ad manducandum, * et panem cœli dedit eis.

Panem Angelórum manducávit homo: * cibária misit eis in abundántia.

ALTERA DIVISIO PSALMI 77.

Transtulit [Dóminus] Austrum de cœlo; * et induxit in virtúte sua Africum.

Et pluit super eos sicut púlverem carnes, * et sicut arénam maris volatília pennáta.

Et cecidérunt in médio castrórum eórum, * circa tabernácula eórum.

Et manducavérunt, et saturáti sunt nimis; et desidérium eórum áttulit eis: * non sunt fraudáti à desidério suo.

Adhuc escæ eórum erant in ore ipsórum, * et ira Dei ascendit super eos.

Et occídit pingues eórum, * et electos Israel impedívit.

In ómnibus his peccavérunt adhuc, * et non credidérunt in mirabílibus ejus.

Et defecérunt in vanitáte dies eórum, * et anni eórum cum festinatióne.

Cùm occíderet eos, quærébant eum; * et revertebántur, et dilúculo veniébant ad eum.

Et rememoráti sunt quia Deus adjútor est eórum, * et Deus excelsus redemptor eórum est.

Et dilexérunt eum in ore suo, * et linguâ suâ mentíti sunt ei.

Cor autem eórum non erat rectum cum eo, * nec fidéles hábiti sunt in testamento ejus.

Ipse autem est miséricors, et propítius fiet peccátis eórum, * et non disperdet eos.

Ant. Fílii qui nascentur, narrábunt fíliis suis, ut ponant in Deo spem suam.

Ant. 7. *d.* Abstulit.

EX PSALMO 77. Et

Abundavit [Dóminus] ut avérteret iram suam, * et non accendit omnem iram suam.

Et recordátus est quia caro sunt, * spíritus vadens, et non rédiens.

Quóties exacerbavérunt eum in deserto? * in iram concitavérunt eum in inaquóso?

Et conversi sunt, et tentavérunt Deum, * et Sanctum Israel exacerbavérunt.

Non sunt recordáti manûs ejus: * die quâ redémit eos de manu tribulantis:

Sicut pósuit in Ægypto signa sua, * et prodígia sua in campo Táneos.

Et convertit in sánguinem flúmina eórum, * et imbres eórum, ne bíberent.

Misit in eos cœnomyíam, et comédit eos; * et ranam, et dispérdidit eos.

Et dedit ærúgini fructus eórum, * et labóres eórum locustæ.

Et occídit in grándine víneas eórum, * et moros eórum in pruína.

Et trádidit grándini jumenta eórum, * et possessiónem eórum igni.

Misit in eos iram indignatiónis suæ; * indignatiónem, et iram, et tribulatiónem, immissiónes per ángelos malos.

Viam fecit sémitæ iræ suæ, non pepercit à morte animábus eórum, * et jumenta eórum in morte conclúsit;

Et percussit omne primo-

génitum in terra Ægypti, * primítias omnis labóris eórum in tabernáculis Cham.

DIVISIO PSALMI 77. Et

ABSTULIT [Dóminus] sicut oves pópulum suum, * et perduxit eos tanquam gregem in deserto.

Et deduxit eos in spe, et non timuérunt; * et inimícos eórum opéruit mare.

Et induxit eos in montem sanctificatiónis suæ, * montem quem acquisívit déxtera ejus.

Et ejécit à fácie eórum gentes; * et sorte divísit eis terram in funículo distributiónis,

Et habitáre fecit in tabernáculis eórum * tribus Israel.

Et tentavérunt, et exacerbavérunt Deum excelsum; * et testimónia ejus non custodiérunt

Et avertérunt se, et non servavérunt pactum: * quemádmodùm patres eórum, conversi sunt in arcum pravum.

In iram concitavérunt eum in cóllibus suis, * et in sculptílibus suis ad æmulatiónem eum provocavérunt.

Audívit Deus, et sprevit; * et ad níhilum redégit valde Israel.

Et répulit tabernáculum Silo, * tabernáculum suum, ubi habitávit in homínibus.

Et trádidit in captivitátem virtútem eórum, * et pulchritúdinem eórum in manus inimíci.

Et conclúsit in gládio pópulum suum, * et hæreditátem suam sprevit.

Júvenes eórum comédit ignis, * et vírgines eórum non sunt lamentátæ.

Sacerdótes eórum in gládio cecidérunt, * et víduæ eórum non plorabantur.

ALTERA DIVISIO PSALMI 77. Et

EXCITATUS est tanquam dórmiens Dóminus, * tanquam potens crapulátus à vino.

Et percussit inimícos suos in posterióra: * oppróbrium sempiternum dedit illis.

Et répulit tabernáculum Joseph, * et tribum Ephraïm non elégit;

Sed elégit tribum Juda, * montem Sion quem dilexit.

Et ædificávit sicut unicórnium sanctifícium suum * in terra quam fundávit in sécula:

Et elégit David servum suum, * et sústulit eum de grégibus óvium.

De post fœtantes accépit eum, * páscere Jacob servum suum, et Israel hæreditátem suam.

Et pavit eos in innocéntia cordis sui, * et in intellectibus mánuum suárum deduxit eos.

Ant. Abstulit Dóminus sicut oves pópulum suum, et deduxit eos in spe.

℣. Ecce non dormitábit,

neque dórmiet, ℟. Qui custódit Israel. *Ps.* 120.

Pater noster.

℣. *Sacerd.* Lætábitur justus in Dómino, et sperábit in eo ; ℟. Et laudabuntur omnes recti corde. *Ps.* 63.

AD LAUDES.

Ant. 4. E. Omnes.

PSALMUS 5.

Ecclesia à Deo summè justo adversus iniquos opem petit.

Verba mea áuribus pércipe, Dómine ; * intéllige clamórem meum.

Intende voci oratiónis meæ, * Rex meus et Deus meus.

Quóniam ad te orábo, Dómine, * mane exáudies vocem meam.

Manè astábo tibi, et vidébo ; * quóniam non Deus volens iniquitátem tu es.

Neque habitábit juxta te malignus, * neque permanébunt injusti ante óculos tuos.

Odisti omnes qui operantur iniquitátem : * perdes omnes qui loquuntur mendácium.

Virum sánguinum et dolósum * abominábitur Dóminus.

Ego autem in multitúdine misericórdiæ tuæ introíbo in domum tuam, * adorábo ad templum sanctum tuum in timóre tuo.

Dómine, deduc me in justítia tua : * propter inimícos meos dírige in conspectu tuo viam meam ;

Quóniam non est in ore eórum véritas, * cor eórum vanum est.

Sepulcrum patens est guttur eórum, linguis suis dolósè agébant : * júdica illos, Deus.

Décidant à cogitatiónibus suis, secundùm multitúdinem impietátum eórum expelle eos * quóniam irritavérunt te, Dómine.

Et lætentur omnes qui sperant in te : * in æternum exultábunt, et habitábis in eis.

Et gloriabuntur in te omnes qui díligunt nomen tuum ; * quóniam tu benedíces justo.

Dómine, ut scuto bonæ voluntátis tuæ * coronasti nos.

Ant. Omnes qui sperant in te, Dómine, in æternum exultábunt, et habitábis in eis.

Ant. 5. C. In tégmine.

PSALMUS 35.

Impiorum malitia. Justitia Dei. Justorum gloria.

Dixit injustus, ut delinquat in semetipso : * non est timor Dei ante óculos ejus ;

Quóniam dolósè egit in conspectu ejus, * ut inveniátur iníquitas ejus ad ódium.

Verba oris ejus iníquitas et dolus : * nóluit intellígere, ut bene ágeret.

Iniquitátem meditátus est in cubíli suo : ástitit omni viæ non bonæ ; * malítiam autem non odívit.

Dómine, in cœlo misericórdia tua, * et véritas tua usque ad nubes.

Justítia tua sicut montes Dei : * judícia tua abyssus multa.

Hómines et jumenta salvábis, Dómine ; * quemádmodùm multiplicásti misericórdiam tuam, Deus.

Fílii autem hóminum * in tégmine alárum tuárum sperábunt.

Inebriabuntur ab ubertáte domûs tuæ ; * et torrente voluptátis tuæ potábis eos.

Quóniam apud te est fons vitæ, * et in lúmine tuo vídebimus lumen.

Prætende misericórdiam tuam sciéntibus te, * et justítiam tuam his qui recto sunt corde.

Non véniat mihi pes superbiæ, * et manus peccatóris non móveat me.

Ibi cecidérunt qui operántur iniquitátem : * expulsi sunt, nec potuérunt stare.

Ant. In tégmine alárum tuárum sperábunt, Dómine; et torrente voluptátis tuæ potábis eos.

Ant. 3. a. Exaudi nos.

PSALMUS 64.

Inter adversa sperandum in Deo qui fidelibus suis cibum parat.

Te decet hymnus, Deus, in Sion ; * et tibi reddétur votum in Jerúsalem.

Exaudi oratiónem meam: * ad te omnis caro véniet.

Verba iniquórum prævaluérunt super nos ; * et impietátibus nostris tu propitiáberis.

Beátus quem elegísti, et assumpsísti : * inhabitábit in átriis tuis.

Replébimur in bonis domûs tuæ ; * sanctum est templum tuum, mirábile in æquitáte.

Exaudi nos, Deus salutáris noster, * spes ómnium fínium terræ, et in mari longè ;

Præparans montes in virtúte tua, accinctus poténtia : * qui conturbas profundum maris, sonum flúctuum ejus.

Turbabuntur gentes, et timébunt qui hábitant términos, à signis tuis : * éxitus matutíni et véspere delectábis.

Visitásti terram, et inebriásti eam : * multiplicásti locupletáre eam.

Flumen Dei replétum est aquis ; * parásti cibum illórum, quóniam ita est præparátio ejus.

Rivos ejus inébria, multíplica genímina ejus; * in stillicídiis ejus lætábitur gérminans.

Benedíces corónæ anni benignitátis tuæ ; * et campi tui replebuntur ubertáte

Pinguescent speciósa de-

serti, * et exultatióne colles accingentur.

Indúti sunt aríetes óvium, et valles abundábunt frumento : * clamábunt, étenim hymnum dicent.

Ant. Exaudi nos, Deus salutáris noster, spes ómnium fínium terræ.

Ant. 1. a. Ecce.

[*In Feriis,*

CANTICUM.

(Is. 12.)

Gratiarum actio pro beneficiis Christi salvatoris :

Confitebor tibi, Dómine, quóniam irátus es mihi : * conversus est furor tuus, et consolátus es me.

Ecce Deus salvátor meus; * fiduciáliter agam, et non timébo.

Quia fortitúdo mea, et laus mea Dóminus, * et factus est mihi in salútem.

Hauriétis aquas in gáudio de fóntibus Salvatóris; * et dicétis in die illa : Confitémini Dómino, et invocáte nomen ejus.

Notas fácite in pópulis adinventiónes ejus; * mementóte quóniam excelsum est nomen ejus.

Cantáte Dómino, quóniam magnífice fecit : * annuntiáte hoc in universa terra.

Exulta et lauda, habitátio Sion; * quia magnus in médio tuî Sanctus Israel.

Ant. Ecce Deus salvátor meus; fiduciáliter agam, et non timébo.

[*In festis Simpl. loco superioris cant. dicitur seq. In Semidupl. verò et supra, dicitur cant. de Prop. vel de Comm. S.*

CANTICUM.

(Tob. 13.)

Israel propter iniquitates castigatus, ad pœnitentiam, cujus ope, divinam misericordiam confidenter expectet, invitatur.

Magnus es, Dómine, in æternum, * et in ómnia sécula regnum tuum.

Quóniam tu flagellas, et salvas : dedúcis ad ínferos, et redúcis; * et non est qui effúgiat manum tuam.

Confitémini Dómino, fílii Israel, * et in conspectu géntium laudáte eum;

Quóniam ídeò dispersit vos inter gentes quæ ignórant eum, * ut vos enarrétis mirabília ejus,

Et faciátis scire eos * quia non est álius Deus omnípotens præter eum.

Ipse castigávit nos propter iniquitátes nostras; * et ipse salvábit nos propter misericórdiam suam.

Aspícite ergo quæ fecit nobiscum, et cum timóre et tremóre confitémini illi; * Regemque seculórum exaltáte in opéribus vestris.

Ego autem in terra captivitátis meæ confitébor illi; * quóniam ostendit majestátem suam in gentem peccatrícem.

Convertímini ítaque, peccatóres, et fácite justítiam

coram Deo, * credentes quòd fáciat vobiscum misericórdiam suam.

Ego autem, et ánima mea, * in eo lætábimur.

Benedícite Dóminum, omnes electi ejus : * ágite dies lætítiæ, et confitémini illi.] *Ant.* 6. *C.* Beneplácitum est.

PSALMUS 146.

Laudandus Deus, cui beneplacitum est super timentes eum.

Laudate Dóminum, quóniam bonus est psalmus : * Deo nostro sit jucunda decóraque laudátio.

Ædíficans Jerúsalem Dóminus, * dispersiónes Israélis congregábit;

Qui sanat contrítos corde, * et álligat contritiónes eórum;

Qui número rat multitúdinem stellárum, * et ómnibus eis nómina vocat.

Magnus Dóminus noster, et magna virtus ejus; * et sapiéntiæ ejus non est número rus.

Suscípiens mansuétos Dóminus ; * humílians autem peccatóres usque ad terram.

Præcínite Dómino in confessióne : * psállite Deo nostro in cíthara ;

Qui óperit cœlum núbibus, * et parat terræ plúviam;

Qui prodúcit in móntibus fœnum, * et herbam servitúti hóminum ;

Qui dat jumentis escam ipsórum, * et pullis corvórum invocántibus eum.

Non in fortitúdine equi voluntátem habébit; * nec in tíbiis viri beneplácitum erit ei.

Beneplácitum est Dómino super timentes eum, * et in eis qui sperant super misericórdia ejus.

Ant. Beneplácitum est Dómino super timentes eum, et in eis qui sperant super misericórdia ejus.

Capitulum. (Is. 26.)

In sémita judiciórum tuórum, Dómine, sustinúimus te : nomen tuum et memoriále tuum in desidério ánimæ. Anima mea desiderávit te in nocte ; sed et spíritu meo in præcórdiis meis de mane vigilábo ad te.

HYMNUS.

Promittis, et servas datam
Immóbilis fidem, Deus :
Hanc manè primo sédulà
Repóscimus fidem prece.

Promittit atque décipit
Incertus et fallax homo :
Sic quassa, si incumbas super,
Arundo transfíget manum.

Beatus ergo, qui tuo
Se totus abdit in sinu :
Hàc arce tutum túrbinis
Vis nulla de statu quatit.

Ne cor vacillet, óbligas
Temet sacramento, Deus :
Spes nixa tanto pígnore,
Æterna jam prensat bona.

Jam mente præsúmens polum,
Secúra sublími throno

Assistit, et cœléstium
Prælíbat undas flúminum.

Fons ò perennis grátiæ,
Colenda semper Trinitas,
Te spem salútis únicam
Da mente totâ quærere. Am.

℣. Audítam fac mihi mane misericórdiam tuam;
℟. Quia in te sperávi. *Ps.* 142.

Ad Benedictus, *Ant.* 1. g. Jurávit Dóminus datúrum se nobis, ut sine timóre de manu inimicórum nostrórum liberáti, serviámus illi. *Luc.* 1.

AD PRIMAM.

Ant. 8. c. Ego.

PSALMUS 30.

Vox Christi morientis et spiritum suum patri commendantis.

In te, Dómine, sperávi; non confundar in æternum: * in justítia tua líbera me.

Inclína ad me aurem tuam: * accélera ut éruas me.

Esto mihi in Deum protectórem, et in domum refúgii, * ut salvum me fácias;

Quóniam fortitúdo mea, et refúgium meum es tu: * et propter nomen tuum dedúces me, et enútries me.

Edúces me de láqueo hoc quem abscondérunt mihi, * quóniam tu es protector meus.

In manus tuas commendo spíritum meum: * redemisti me, Dómine Deus veritátis.

Odisti observantes vanitátes supervácuè; * ego autem in Dómino sperávi.

Exultábo, et lætábor in misericórdia tua; * quóniam respexisti humilitátem meam, salvasti de necessitátibus ánimam meam.

Nec conclusisti me in mánibus inimíci; * statuisti in loco spatióso pedes meos.

DIVISIO PSALMI 30.

Miserere meî, Dómine, quóniam tríbulor: * conturbátus est in ira óculus meus, ánima mea, et venter meus;

Quóniam defécit in dolóre vita mea, * et anni mei in gemítibus.

Infirmáta est in paupertáte virtus mea, * et ossa mea conturbáta sunt.

Super omnes inimícos meos factus sum oppróbrium, et vicínis meis valde; * et timor notis meis.

Qui vidébant me, * foras fugérunt à me.

Oblivióni datus sum tanquam mórtuus à corde: * factus sum tanquam vas pérditum;

Quóniam audívi vituperatiónem multórum commorántium in circúitu: * in eo dum convenirent simul adversùm me, accípere ánimam meam consiliáti sunt.

Ego autem in te sperávi, Dómine; * dixi: Deus meus es tu; in mánibus tuis sortes meæ.

Eripe me de manu inimicórum meórum, * et à persequéntibus me.

Illustra fáciem tuam super servum tuum : * salvum me fac in misericórdia tua

Dómine, non confundar, quóniam invocávi te; * erubescant ímpii, et deducantur in infernum.

Muta fiant lábia dolósa, * quæ loquuntur adversùs justum iniquitátem, in supérbia, et in abusióne.

ALTERA DIVISIO PSALMI 30.

Quam magna multitúdo dulcédinis tuæ, Dómine, * quam abscondisti timéntibus te!

Perfecisti eis qui sperant in te, * in conspectu filiórum hóminum.

Abscondes eos in abscóndito faciéi tuæ * à conturbatióne hóminum.

Próteges eos in tabernáculo tuo * à contradictióne linguárum.

Benedictus Dóminus, * quóniam mirificávit misericórdiam suam mihi in civitáte munita.

Ego autem dixi in excessu mentis meæ: * Projectus sum à fácie oculórum tuórum.

Ideò exaudisti vocem oratiónis meæ, * dum clamárem ad te.

Dilígite Dóminum, omnes sancti ejus; quóniam veritátem requíret Dóminus, * et retríbuet abundanter faciéntibus supérbiam.

Viríliter ágite, et confortétur cor vestrum, * omnes qui sperátis in Dómino.

Ant. Ego in Dómino speráv i: exultábo, et lætábor in misericórdia tua.

AD TERTIAM.

Ant. 4. A. Spera in Deo.

PSALMUS 41.

In Deo sperandum. Justus in domo Dei epulans exultabit.

Quemadmodum desíderat cervus ad fontes aquárum; * ita desíderat ánima mea ad te, Deus.

Sitívit ánima mea ad Deum fortem, vivum : * quando véniam, et apparébo ante fáciem Dei!

Fuérunt mihi lácrymæ meæ panes die ac nocte, * dum dícitur mihi quotídie: Ubi est Deus tuus?

Hæc recordátus sum, et effúdi in me ánimam meam; * quóniam transíbo in locum tabernáculi admirábilis, usque ad domum Dei,

In voce exultatiónis et confessiónis, * sonus epulantis.

Quare tristis es, ánima mea? * et quare conturbas me?

Spera in Deo, quóniam adhuc confitébor illi: * salutáre vultûs mei, et Deus meus.

DIVISIO PSALMI 41.

Ad meipsum ánima mea conturbáta est; * propterea memor ero tuî de terra Jordánis, et Hermóniim à monte módico.

Abyssus abyssum invo-

cat, * in voce cataractárum tuárum.

Omnia excelsa tua, et fluctus tui * super me transiérunt.

In die mandávit Dóminus misericórdiam suam, * et nocte cánticum ejus.

Apud me orátio Deo vitæ meæ; * dicam Deo; Susceptor meus es.

Quare oblítus es meî, et quare contristátus incédo, * dum afflígit me inimícus?

Dum confringuntur ossa mea, * exprobravérunt mihi qui tríbulant me inimíci mei,

Dum dicunt mihi per síngulos dies: * Ubi est Deus tuus?

Quare tristis es, ánima mea? * et quare conturbas me?

Spera in Deo, quóniam adhuc confitébor illi: * salutáre vultûs mei, et Deus meus.

PSALMUS 42.

In Deo sperandum. Deo duce, ad altare ejus introeundum.

JUDICA me, Deus, et discerne causam meam de gente non sancta: * ab hómine iníquo et dolóso érue me;

Quia tu es, Deus, fortitúdo mea: * quare me repulisti? et quare tristis incédo, dum afflígit me inimícus?

Emitte lucem tuam et veritátem tuam: * ipsa me deduxérunt, et adduxérunt in montem sanctum tuum, et in tabernácula tua.

Et introíbo ad altáre Dei, * ad Deum qui lætíficat juventútem meam.

Confitébor tibi in cíthara, Deus, Deus meus; * quare tristis es, ánima mea? et quare conturbas me?

Spera in Deo, quóniam adhuc confitébor illi: * salutáre vultûs mei, et Deus meus.

Ant. Spera in Deo, ánima mea: salutáre vultûs mei, et Deus meus.

Capitulum. (*Rom.* 15.)

QUÆCUMQUE scripta sunt, ad nostram doctrínam scripta sunt; ut per patiéntiam, et consolatiónem Scripturárum, spem habeámus.

℟. *br.* Memor esto verbi tui, Dómine, * In quo mihi spem dedisti. Memor esto. ℣. Hæc me consoláta est, * quia elóquium tuum vivificávit me, * In. Glória. Memor.

℣. Respondébo exprobrántibus mihi verbum; ℟. Quia sperávi in sermónibus tuis. *Ps.* 118.

AD SEXTAM.

Ant. 2. D. Qui sperat in Dómino.

PSALMUS 20.

Ecclesia pro Christi Regis sui victoriis gratias agit.

DOMINE, in virtúte tua lætábitur rex, * et super salutáre tuum exultábit vehementer.

Desidérium cordis ejus tribuísti ei, * et voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum;

Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis, * posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso.

Vitam pétiit à te; * et tribuísti ei longitúdinem diétum in séculum, et in séculum séculi.

Magna est glória ejus in salutári tuo: * glóriam et magnum decórem impónes super eum.

Quóniam dabis eum in benedictiónem in séculum séculi: * lætificábis eum in gáudio cum vultu tuo.

Quóniam rex sperat in Dómino; * et in misericórdia Altíssimi non commovébitur.

Inveniátur manus tua ómnibus inimícis tuis: * déxtera tua invéniat omnes qui te odérunt.

Pones eos ut clíbanum ignis in témpore vultûs tui: * Dóminus in ira sua conturbábit eos, et devorábit eos ignis.

Fructum eórum de terra perdes, * et semen córum à fíliis hóminum;

Quóniam declinavérunt in te mala: * cogitavérunt consília, quæ non potuérunt stabilíre.

Quóniam pones eos dorsum: * in reliquiis tuis præparábis vultum eórum.

Exaltáre, Dómine, in virtúte tua: * cantábimus et psallémus virtútes tuas.

PSALMUS 102.

Deus, ob immensa in populum suum beneficia, benedicendus.

Benedic, ánima mea, Dómino; * et ómnia quæ intra me sunt, nómini sancto ejus.

Bénedic, ánima mea, Dómino, * et noli oblivísci omnes retributiónes ejus;

Qui propitiátur ómnibus iniquitátibus tuis; * qui sanat omnes infirmitátes tuas;

Qui rédimit de intéritu vitam tuam; * qui corónat te in misericórdia et miseratiónibus;

Qui replet in bonis desidérium tuum: * renovábitur ut áquilæ juventus tua.

Fáciens misericórdias Dóminus, * et judícium ómnibus injúriam patiéntibus.

Notas fecit vias suas Moysi, * fíliis Israel voluntátes suas.

DIVISIO PSALMI 102.

Miserator et miséricors Dóminus: * longánimis, et multùm miséricors.

Non in perpétuum irascétur, * neque in æternum comminábitur.

Non secundùm peccáta nostra fecit nobis, * neque secundùm iniquitátes nostras retríbuit nobis;

Quóniam secundùm altitúdinem cœli à terra, * corroborávit misericórdiam suam super timentes se.

Quantùm distat ortus ab occidente, * longè fecit à nobis iniquitátes nostras.

Quómòdo miserétur pater filiórum, * misertus est Dóminus timéntibus se;

Quóniam ipse cognóvit figmentum nostrum: * recordátus est quóniam pulvis sumus.

Homo, sicut fœnum dies ejus: * tanquam flos agri sic efflorébit;

Quóniam spíritus pertransíbit in illo, et non subsistet, * et non cognoscet ámpliùs locum suum.

Misericórdia autem Dómini ab æterno, * et usque in æternum super timentes eum.

Et justítia illíus in fílios filiórum, * his qui servant testamentum ejus,

Et mémores sunt mandatórum ipsíus, * ad faciendum ea.

Dóminus in cœlo parávit sedem suam; * et regnum ipsíus ómnibus dominábitur.

Benedícite Dómino, omnes Angeli ejus, potentes virtúte, facientes verbum illíus, * ad audiendam vocem sermónum ejus.

Benedícite Dómino, omnes virtútes ejus, * ministri ejus, qui fácitis voluntátem ejus.

Benedícite Dómino, ómnia ópera ejus: * in omni loco dominatiónis ejus, bénedic, ánima mea, Dómino.

Ant. Qui sperat in Dómino, in misericórdia Altíssimi non commovébitur. *Ps.* 20.

Capitulum. (1. *Joan.* 3.)

Nunc fílii Dei sumus, et nondum appáruit quid érimus. Scimus quóniam, cùm apparúerit, símiles ei érimus, quóniam vidébimus eum sícuti est. Et omnis qui habet hanc spem in eo, sanctíficat se, sicut et ille sanctus est.

℟. *br.* Beátus vir, * Cujus est nomen Dómini spes ejus. Beátus vir. ℣. Et non respexit in vanitátes * et insánias falsas: * Cujus est. Glória Patri. Beátus vir. *Ps.* 39.

℣. Speráte in eo, omnis congregátio pópuli: ℟. Effúndite coram illo corda vestra. *Ps.* 61.

AD NONAM.

Ant. 8. d. Factus est.

PSALMUS 81.

Diis terræ excelsior Deus, omnium creator et judex.

Deus stetit in synagóga deórum; * in médio autem deos dijúdicat.

Usquequò judicátis iniquitátem, * et fácies peccatórum súmitis?

Judicáte egéno et pupillo: * húmilem et páuperem justificáte.

Erípite páuperem, * et egénum de manu peccatóris liberáte.

Nesciérunt, neque intellexérunt, in ténebris ambu-

lant : * movebuntur ómnia fundamenta terræ.

Ego dixi : Dii estis, * et fílii Excelsi omnes.

Vos autem sicut hómines moriémini, * et sicut unus de princípibus cadétis.

Surge, Deus, júdica terram ; * quóniam tu hæreditábis in ómnibus géntibus.

PSALMUS 93.

Ecclesia inter hujus mundi procellas auxilium petit a Deo superborum eversore.

Deus ultiónum Dóminus, * Deus ultiónum líberè egit.

Exaltáre, qui júdicas terram : * redde retributiónem superbis.

Usquequò peccatóres, Dómine, * úsquequò peccatóres gloriabuntur?

Effabuntur et loquentur iniquitátem, * loquentur omnes qui operantur injustítiam?

Pópulum tuum, Dómine, humiliavérunt, * et hæreditátem tuam vexavérunt.

Víduam et ádvenam interfecérunt, * et pupillos occidérunt.

Et dixérunt : Non vidébit Dóminus, * nec intélliget Deus Jacob.

Intellígite, insipiéntes in pópulo ; * et stulti, aliquando sápite.

Qui plantávit aurem, non áudiet? * aut qui finxit óculum, non considerat?

Qui córripit gentes, non árguet? * qui docet hóminem sciéntiam?

Dóminus scit cogitatiónes hóminum, * quóniam vanæ sunt.

DIVISIO PSALMI 93.

Beatus homo quem tu erudíeris, Dómine, * et de lege tua docúeris eum ;

Ut mítiges ei à diébus malis, * donec fodiátur peccatóri fóvea.

Quia non repellet Dóminus plebem suam, * et hæreditátem suam non derelinquet ;

Quoadusque justítia convertátur in judícium, * et qui juxta illam omnes qui recto sunt corde.

Quis consurget mihi adversùs malignantes? * aut quis stabit mecum adversùs operantes iniquitátem?

Nisi quia Dóminus adjúvit me, * paulò minùs habitasset in inferno ánima mea.

Si dicébam : Motus est pes meus ; * misericórdia tua, Dómine, adjuvábat me.

Secundùm multitúdinem dolórum meórum in corde meo, * consolatiónes tuæ lætificavérunt ánimam meam.

Numquid adhæret tibi sedes iniquitátis, * qui fingis labórem in præcepto?

Captábunt in ánimam justi, * et sánguinem innocentem condemnábunt.

Et factus est mihi Dóminus in refúgium, * et Deus meus in adjutórium spei meæ.

Et reddet illis iniquitátem ipsórum; et in malítia eórum

disperdet eos : * disperdet illos Dóminus Deus noster.

Ant. Factus est mihi Dóminus in refúgium, et Deus meus in adjutórium spei meæ. *Ps.* 93.

Capitulum. (*Hebr.* 10.)

Nolite amíttere confidéntiam vestram, quæ magnam habet remuneratiónem : patiéntia enim vobis necessária est ; ut voluntátem Dei facientes, reportétis promissiónem.

℟. *br.* Bonum est confídere in Dómino, * Quàm confídere in hómine. Bonum est. ℣. Bonum est * speráre in Dómino, * Quàm confídere in hómine. Glória Patri. Bonum est. *Ps.* 117.

℣. Mihi adhærére Deo bonum est, ℟. Pónere in Dómino Deo spem meam. *Ps.* 72.

AD VESPERAS.

Ant. 7. d. Oculi nostri.

PSALMUS 122.

Mens in Deum erigenda tempore tribulationis.

Ad te levávi óculos meos, * qui hábitas in cœlis.

Ecce, sicut óculi servórum * in mánibus dominórum suórum,

Sicut óculi ancillæ in mánibus dóminæ suæ ; * ita óculi nostri ad Dóminum Deum nostrum, donec misereátur nostrî.

Miserére nostrî, Dómine, miserére nostrî ; * quia multùm repléti sumus despectióne ;

Quia multùm repléta est ánima nostra : * oppróbrium abundántibus, et despéctio superbis.

Ant. Oculi nostri ad Dóminum Deum nostrum, donec misereátur nostrî.

Ant. 5. a. Qui confídunt in Dómino.

PSALMUS 124.

Fidelium Deus ipse tutela. Iniqui perituri.

Qui confídunt in Dómino, sicut mons Sion : * non commovébitur in æternum, qui hábitat in Jerúsalem.

Montes in circúitu ejus, et Dóminus in circúitu pópuli sui, * ex hoc nunc, et usque in séculum ;

Quia non relinquet Dóminus virgam peccatórum super sortem justórum, * ut non extendant justi ad iniquitátem manus suas.

Bénefac, Dómine, bonis, * et rectis corde.

Declinantes autem in obligatiónes addúcet Dóminus cum operántibus iniquitátem : * pax super Israel.

Ant. Qui confídunt in Dómino, sicut mons Sion : non commovébitur in æternum, qui hábitat in Jerúsalem.

Ant. 8. c. Beátus vir.

PSALMUS 126.

Vani labores hominum quibus Deus non opitulatur.

Nisi Dóminus ædificáverit

domum, * in vanum laboravérunt qui ædificant eam.

Nisi Dóminus custodíerit civitátem, * frustrà vígilat qui custódit eam.

Vanum est vobis ante lucem súrgere: * súrgite, postquàm sedéritis, qui manducátis panem dolóris, cùm déderit dilectis suis somnum.

Ecce hæréditas Dómini, fílii; * merces, fructus ventris.

Sicut sagittæ in manu potentis, * ita fílii excussórum.

Beátus vir qui implévit desidérium suum ex ipsis: * non confundétur, cùm loquétur inimícis suis in porta.

Ant. Beátus vir qui implévit desidérium suum; non confundétur, cùm loquétur inimícis suis.

Ant. 1. a. Sustínuit.

PSALMUS 129.

Oratio pœnitentis veniam à Deo per Christum poscentis.

De profundis clamávi ad te, Dómine: * Dómine, exaudi vocem meam.

Fiant aures tuæ intendentes * in vocem deprecatiónis meæ.

Si iniquitátes observáveris, Dómine; * Dómine, quis sustinébit?

Quia apud te propitiátio est, * et propter legem tuam sustínui te, Dómine.

Sustínuit ánima mea in verbo ejus, * sperávit ánima mea in Dómino.

A custódia matutína usque ad noctem * speret Israel in Dómino;

Quia apud Dóminum misericórdia, * et copiósa apud eum redémptio;

Et ipse rédimet Israel * ex ómnibus iniquitátibus ejus.

Ant. Sustínuit ánima mea in verbo ejus: sperávit ánima mea in Dómino.

Ant. 4. a. Speret.

PSALMUS 130.

Vitanda superbia, confidentia in Deum erigenda.

Domine, non est exaltátum cor meum, * neque eláti sunt óculi mei;

Neque ambulávi in magnis, * neque in mirabílibus super me.

Si non humíliter sentiébam, * sed exaltávi ánimam meam;

Sicut ablactátus est super matre sua, * ita retribútio in ánima mea.

Speret Israel in Dómino, * ex hoc nunc, et usque in séculum.

Ant. Speret Israel in Dómino.

Capitulum. (*Rom.* 15.)

Deus spei répleat vos omni gáudio et pace in credendo; ut abundétis in spe, et virtúte Spíritûs sancti.

HYMNUS.

Horres superbos, nec tuam

Das álteri laudem, Deus;
Humána nil isthinc sibi
Decerpat arrogántia.

INGRATA quippe mens tuæ
Fluenta sistit grátiæ;
Tristíque marcescit statim,
Ceu gramen exustum, siti.

UT servus in manus heri
Intenta figit lúmina;
Sic ora sacris móntibus
Non dimovémus ánxii.

DESIDERATAM si dare
Opem moráris; spes tamen,
Tenácis instar ánchoræ,
Immóta fundat péctora.

SIT summa Patri glória:
Sit summa Nato, qui dedit
Nobis futúræ Spíritum
Hæreditátis óbsidem.
Amen.

℣. A custódia matutína usque ad noctem ℟. Speret Israel in Dómino. *Ps.* 129.

Ad Magníficat, *Ant.* 8. G. Misericórdia ejus à progénie in progénies timéntibus eum. *Luc.* 1.

AD COMPLETORIUM.

Ant. 4. E. Conserva me.

PSALMUS 10.

Animæ in Deo confidentis securitas

IN Dómino confído: * quómodò dícitis ánimæ meæ: Tránsmigra in montem sicut passer?

Quóniam ecce peccatóres intendérunt arcum, paravérunt sagittas suas in pháretra, * ut sagittent in obscúro rectos corde.

Quóniam quæ perfecísti, destruxérunt; * justus autem quid fecit?

Dóminus in templo sancto suo: * Dóminus in cœlo sedes ejus.

Oculi ejus in páuperem respíciunt: * pálpebræ ejus interrogant fílios hóminum.

Dóminus intérrogat justum et ímpium; * qui autem díligit iniquitátem, odit ánimam suam.

Pluet super peccatóres láqueos: * ignis, et sulphur, et spíritus procellárum, pars cálicis eórum.

Quóniam justus Dóminus, et justítias dilexit: * æquitátem vidit vultus ejus.

PSALMUS 13.

Impii frustrà sibi dicunt Deum non esse. Christi adventus postulatur.

DIXIT insípiens in corde suo: * Non est Deus.

Corrupti sunt, et abominábiles facti sunt in stúdiis suis: * non est qui fáciat bonum, non est usque ad unum.

Dóminus de cœlo prospexit super fílios hóminum, * ut vídeat si est intélligens, aut requírens Deum.

Omnes declinavérunt, simul inútiles facti sunt: * non est qui fáciat bonum, non est usque ad unum.

Sepulcrum patens est guttur eórum; linguis suis dolóse agébant: * venénum áspidum sub lábiis eórum.

Quorum os maledictióne et amaritúdine plenum est: *

velóces pedes eórum ad effundendum sánguinem.

Contrítio et infelícitas in viis eórum, et viam pacis non cognovérunt; * non est timor Dei ante óculos eórum.

Nonne cognoscent omnes qui operantur iniquitátem, * qui dévorant plebem meam sicut escam panis?

Dóminum non invocavérunt: illic trepidavérunt timóre, ubi non erat timor; * quóniam Dóminus in generatióne justa est.

Consílium ínopis confudístis, * quóniam Dóminus spes ejus est.

Quis dabit ex Sion salutáre Israel? * cùm avérterit Dóminus captivitátem plebis suæ, exultábit Jacob, et lætábitur Israel.

PSALMUS 15.

Deus in Christo pars Calicis nostri; nos cum Christo resuscitabit.

Conserva me, Dómine, * quóniam sperávi in te.

Dixi Dómino: Deus meus es tu, * quóniam bonórum meórum non eges.

Sanctis qui sunt in terra ejus, * mirificávit omnes voluntátes meas in eis.

Multiplicátæ sunt infirmitátes eórum: * pósteà acceleravérunt.

Non congregábo conventícula eórum de sanguínibus; * nec memor ero nóminum eórum per lábia mea.

Dóminus pars hæreditátis meæ et cálicis mei: * tu es qui restítues hæreditátem meam mihi.

Funes cecidérunt mihi in præcláris; * étenim hæréditas mea præclára est mihi.

Benedícam Dóminum qui tríbuit mihi intellectum: * ínsuper et usque ad noctem increpuérunt me renes mei.

Providébam Dóminum in conspectu meo semper; * quóniam à dextris est mihi, ne commóvear.

Propter hoc lætátum est cor meum, et exultávit lingua mea: * ínsuper et caro mea requiescet in spe;

Quóniam non derelinques ánimam meam in inferno, * nec dabis Sanctum tuum vidére corruptiónem.

Notas mihi fecisti vias vitæ; adimplébis me lætítiâ cum vultu tuo: * delectatiónes in déxtera tua usque in finem.

Ant. Conserva me, Dómine, quóniam sperávi in te. *Ps.* 15.

FERIA QUINTA.

AD OFFIC. NOCTURNUM.

INVITATORIUM.

Hodie si vocem Dómini audiéritis, * Nolíte obduráre corda vestra.

Ps. 94. Veníte, 2.

HYMNUS.

Isdem creáti flúctibus
Pisces natant, volant aves,

Utrumque mortáli genus
Parátur esca córpori.

Menti sed æternæ cibus
Debétur alter : hæc Dei
Sermóne vivit ; hanc fovet
Cœlestis et nutrit fides.

Quæsita Christi sánguine
Manávit in terras fides,
Et impiárum péctora
Victrix subégit géntium.

Fax illa puris córdibus
Monstráre cœlos éfficax,
Æterna dignis íncitat
Factis meréri præmia.

Sancti leónum, per fidem,
Mulsére rugítus ; truces
Fregére regnantûm minas ;
Risére stridentes rogos.

Hac luce signátum, Deus,
Calcáre dona trámitem,
Et caritátis úberes
Fructus eundo cárpere.

Deo Patri sit glória,
Ejusque soli Fílio,
Sancto simul cum Spíritu,
Nunc, et per omne séculum.
Amen.

Ant. 3. b. Rectum est verbum Dómini.

PSALMUS 19.

Christi sacrificium pro suis acceptari plebs ejus poscit.

Exaudiat te Dóminus in die tribulatiónis : * prótegat te nomen Dei Jacob.

Mittat tibi auxílium de sancto, * et de Sion tueátur te.

Memor sit omnis sacrifícii tui ; * et holocaustum tuum pingue fiat.

Tríbuat tibi secundùm cor tuum, * et omne consílium tuum confirmet.

Lætábimur in salutári tuo, * et in nómine Dei nostri magnificábimur.

Impleat Dóminus omnes petitiónes tuas : * nunc cognóvi quóniam salvum fecit Dóminus christum suum.

Exáudiet illum de cœlo sancto suo : * in potentátibus salus déxteræ ejus.

Hi in cúrribus, et hi in equis ; * nos autem in nómine Dómini Dei nostri invocábimus.

Ipsi obligáti sunt, et cecidérunt ; * nos autem surréximus, et erecti sumus.

Dómine, salvum fac regem ; * et exaudi nos in die quâ invocavérimus te.

PSALMUS 32.

Dei laus ob mundi per Dei Verbum creationem et redemptionem.

Exultate, justi, in Dómino : * rectos decet collaudátio.

Confitémini Dómino in cíthara : * in psaltério decem chordárum psállite illi.

Cantáte ei cánticum novum : * bene psállite ei in vociferatióne.

Quia rectum est verbum Dómini, * et ómnia ópera ejus in fide.

Diligit misericórdiam et judícium : * misericórdiâ Dómini plena est terra.

Verbo Dómini cœli firmáti sunt ; * et spíritu oris ejus omnis virtus eórum.

Cóngregans sicut in utre

aquas maris : * ponens in thesauris abyssos.

Tímeat Dóminum omnis terra : * ab eo autem commoveantur omnes inhabitantes orbem ;

Quóniam ipse dixit, et facta sunt ; * ipse mandávit, et creáta sunt.

Dóminus díssipat consília géntium ; * réprobat autem cogitatiónes populórum, et réprobat consília príncipum.

Consílium autem Dómini in æternum manet : * cogitatiónes cordis ejus in generatióne et generatiónem.

DIVISIO PSALMI 32.

BEATA gens, cujus est Dóminus Deus ejus : * pópulus quem elégit in hæreditátem sibi.

De cœlo respexit Dóminus : * vidit omnes fílios hóminum.

De præparáto habitáculo suo * respexit super omnes qui hábitant terram;

Qui finxit singillátim corda eórum : * qui intélligit ómnia ópera eórum.

Non salvátur rex per multam virtútem; * et gigas non salvábitur in multitúdine virtútis suæ.

Fallax equus ad salútem; * in abundántia autem virtútis suæ non salvábitur.

Ecce óculi Dómini super metuentes eum, * et in eis qui sperant super misericórdia ejus ;

Ut éruat à morte ánimas eórum, * et alat eos in fame.

Anima nostra sústinet Dóminum ; * quóniam adjútor et protector noster est.

Quia in eo lætábitur cor nostrum, * et in nómine sancto ejus sperávimus.

Fiat misericórdia tua, Dómine, super nos, * quemádmodùm sperávimus in te.

Ant. Rectum est verbum Dómini, et ómnia ópera ejus in fide. *Ps.* 32.

Ant. 4. A. Dóminus.

PSALMUS 67.

Carmen triumphale de Christi et Ecclesiæ victoriis, ab Ascensione Christi usque ad ultimum ejus adventum.

EXURGAT Deus, et dissipentur inimíci ejus; * et fúgiant, qui odérunt eum, à fácie ejus.

Sicut déficit fumus, defíciant : * sicut fluit cera à fácie ignis, sic péreant peccatóres à fácie Dei.

Et justi epulentur, et exultent in conspectu Dei, * et delectentur in lætítia.

Cantáte Deo, psalmum dícite nómini ejus : * iter fácite ei qui ascendit super occásum.

Dóminus nomen illi ; * exultáte in conspectu ejus.

Turbabuntur a fácie ejus, * patris orphanórum, et júdicis viduárum.

Deus in loco sancto suo; * Deus qui inhabitáre facit unius moris in domo :

Qui edúcit vinctos in fortitúdine, * simíliter eos qui exásperant, qui hábitant in sepulcris.

Deus, cùm egrederéris in conspectu pópuli tui, * cùm pertransíres in deserto,

Terra mota est; * étenim cœli distillavérunt à fácie Dei Sínaï, à fácie Dei Israel.

Plúviam voluntáriam segregábis, Deus, hæreditáti tuæ: * et infirmáta est, tu verò perfecisti eam.

Animália tua habitábunt in ea: * parasti in dulcédine tua páuperi, Deus.

DIVISIO PSALMI 67.

Dominus dabit verbum evangelizántibus, * virtúte multâ.

Rex virtútum dilecti; dilecti, * et speciéi domûs divídere spólia.

Si dormiátis inter médios cleros, pennæ columbæ deargentátæ; * et posterióra dorsi ejus in pallóre auri.

Dum discernit cœlestis reges super eam, * nive dealbabuntur in Selmon.

Mons Dei, mons pinguis; * mons coagulátus, mons pinguis.

Ut quid suspicámini montes coagulátos? * mons in quo beneplácitum est Deo habitáre in eo; étenim Dóminus habitábit in finem.

Currus Dei decem míllibus múltiplex, míllia lætántium: * Dóminus in eis in Sina, in sancto.

Ascendisti in altum, cepisti captivitátem: * accepisti dona in homínibus.

Etenim non credentes, * inhabitáre Dóminum Deum.

Benedictus Dóminus die quotídie: * prósperum iter fáciet nobis Deus salutárium nostrórum.

Deus noster, Deus salvos faciendi; * et Dómini Dómini éxitus mortis.

Verúmtamen Deus confringet cápita inimicórum suórum, * vérticem capilli perambulántium in delictis suis.

Dixit Dóminus: Ex Basan convertam, * convertam in profundum maris;

Ut intingátur pes tuus in sánguine, * lingua canum tuórum ex inimícis ab ipso.

Vidérunt ingressus tuos, Deus, * ingressus Dei mei, Regis mei qui est in sancto.

Prævenérunt príncipes conjuncti psállentibus, * in médio juvenculárum tympanistriárum.

ALTERA DIVISIO PSALMI 67.

In ecclésiis benedícite Deo Dómino, * de fóntibus Israel.

Ibi Bénjamin adolescéntulus * in mentis excessu.

Príncipes Juda, duces eórum: * príncipes Zabúlon, príncipes Néphthali.

Manda, Deus, virtúti tuæ: * confirma hoc, Deus, quod operátus es in nobis.

A templo tuo in Jerúsa-

lem; * tibi ófferent reges múnera.

Increpa feras arúndinis; congregátio taurórum in vaccis populórum, * ut exclúdant eos qui probáti sunt argento.

Díssipa gentes quæ bella volunt: * vénient legáti ex Ægypto; Æthiópia prævéniet manus ejus Deo.

Regna terræ, cantáte Deo; * psállite Dómino.

Psállite Deo qui ascendit super cœlum cœli * ad orientem.

Ecce dabit voci suæ vocem virtútis: * date glóriam Deo.

Super Israel magnificéntia ejus, * et virtus ejus in núbibus.

Mirábilis Deus in sanctis suis; Deus Israel ipse dabit virtútem et fortitúdinem plebi suæ: * benedictus Deus.

Ant. Dóminus dabit verbum evangelizántibus: Deus Israel ipse dabit fortitúdinem plebi suæ.

Ant. 8. G. Dómine.

PSALMUS 88.

Misericordia et veritas Dei in populum suum celebranda. Promissiones quas Christo et Ecclesiæ fecit, immutabiles sunt; nec adversis hujus vitæ delentur.

MISERICORDIAS Dómini * in æternum cantábo.

In generatiónem et generatiónem * annuntiábo veritátem tuam in ore meo;

Quóniam dixisti: In æternum misericórdia ædificábitur in cœlis, * præparábitur véritas tua in eis.

Dispósui testamentum electis meis; * jurávi David servo meo,

Usque in æternum præparábo semen tuum, * et ædificábo in generatiónem et generatiónem sedem tuam.

Confitebuntur cœli mirabília tua, Dómine; * étenim veritátem tuam in ecclésia sanctórum.

Quóniam quis in núbibus æquábitur Dómino? * símilis erit Deo in fíliis Dei?

Deus, qui glorificátur in concílio sanctórum; * magnus et terríbilis super omnes qui in circúitu ejus sunt.

Dómine Deus virtútum, quis símilis tibi? * potens es, Dómine; et véritas tua in circúitu tuo.

Tu domináris potestáti maris; * motum autem flúctuum ejus tu mítigas.

Tu humiliasti sicut vulnerátum, superbum: * in bráchio virtútis tuæ dispersisti inimícos tuos.

Tui sunt cœli, et tua est terra: * orbem terræ et plenitúdinem ejus tu fundasti;

Aquilónem et mare tu creasti: * Thabor et Hermon in nómine tuo exultábunt.

Tuum bráchium cum poténtia: * firmétur manus tua, et exaltétur déxtera tua.

Justítia et judícium præparátio sedis tuæ; * miseri-

córdia et véritas præcédent fáciem tuam.

DIVISIO PSALMI 88.

Beatus pópulus qui scit jubilatiónem : * Dómine, in lúmine vultûs tui ambulábunt,

Et in nómine tuo exultábunt totâ die, * et in justítia tua exaltabuntur ;

Quóniam glória virtútis eórum tu es, * et in beneplácito tuo exaltábitur cornu nostrum.

Quia Dómini est assúmptio nostra, * et Sancti Israel regis nostri.

Tunc locútus es in visióne sanctis tuis, et dixisti : * Pósui adjutórium in potente, et exaltávi electum de plebe mea.

Invéni David servum meum, * óleo sancto meo unxi eum.

Manus enim mea auxiliábitur ei, * et bráchium meum confortábit eum.

Nihil proficiet inimícus in eo, * et fílius iniquitátis non appónet nocére ei.

Et concídam à fácie ipsíus inimícos ejus, * et odientes eum in fugam convertam.

Et véritas mea, et misericórdia mea cum ipso ; * et in nómine meo exaltábitur cornu ejus.

Et ponam in mari manum ejus, * et in flumínibus déxteram ejus.

Ipse invocábit me : Pater meus es tu, * Deus meus, et susceptor salútis meæ.

Et ego primogénitum ponam illum, * excelsum præ régibus terræ.

In æternum servábo illi misericórdiam meam, * et testamentum meum fidéle ipsi;

Et ponam in séculum séculi semen ejus, * et thronum ejus sicut dies cœli.

Si autem derelíquerint fílii ejus legem meam, * et in judíciis meis non ambuláverint;

Si justítias meas profanáverint, * et mandáta mea non custodíerint,

Visitábo in virga iniquitátes eórum, * et in verbéribus peccáta eórum.

Misericórdiam autem meam non dispergam ab eo, * neque nocébo in veritáte mea;

Neque profanábo testamentum meum; * et quæ procédunt de lábiis meis, non fáciam írrita.

ALTERA DIVISIO PSALMI 88.

Semel jurávi in sancto meo, * si David méntiar :

Semen ejus in æternum manébit; * et thronus ejus sicut sol in conspectu meo,

Et sicut luna perfecta in æternum, * et testis in cœlo fidélis.

Tu verò repulisti et despexisti, * distulisti Christum tuum.

Evertisti testamentum

servi tui, * profanasti in terra sanctuárium ejus.

Destruxisti omnes sepes ejus, * posuisti firmamentum ejus formídinem.

Diripuérunt eum omnes transeuntes viam : * factus est oppróbrium vicínis suis.

Exaltasti déxteram depriméntium eum : * lætificasti omnes inimícos ejus.

Avertisti adjutórium gládii ejus, * et non es auxiliátus ei in bello.

Destruxisti eum ab emundatióne, * et sedem ejus in terram collisisti.

Minorasti dies témporis ejus : * perfudisti eum confusióne.

Usquequò, Dómine, avertis in finem? * exardescet sicut ignis ira tua?

Memoráre quæ mea substántia : * numquid enim vanè constituisti omnes fílios hóminum?

Quis est homo qui vivet, et non vidébit mortem? * éruet ánimam suam de manu ínferi?

Ubi sunt misericórdiæ tuæ antíquæ, Dómine, * sicut jurasti David in veritáte tua?

Memor esto, Dómine, oppróbrii servórum tuórum, * quod contínui in sinu meo, multárum géntium?

Quòd exprobravérunt inimíci tui, Dómine, * quòd exprobravérunt commutatiónem Christi tui.

Benedictus Dóminus in æternum : * fiat, fiat.

Ant. Dómine, in lúmine vultûs tui ambulábunt, et in nómine tuo exultábunt totâ die, et in justítia tua exaltabuntur.

℣. Ténebræ non obscurabuntur à te, Dómine; ℟. Et nox sicut dies illuminábitur. *Ps.* 138.

Pater noster.

℣. *Sacerd.* Cognoscant quia nomen tibi Dóminus : ℟. Tu solus Altíssimus in omni terra. *Ps.* 82.

AD LAUDES.

Ant. 4. f. Audi.

PSALMUS 80.

In Deo lætandum, qui cibat nos ex adipe frumenti, et de petra melle saturat.

Exultate Deo adjutóri nostro : * jubiláte Deo Jacob.

Súmite psalmum, et date tympanum, * psaltérium jucundum cum cíthara.

Buccináte in Neoménia tuba, * in insigni die solemnitátis vestræ;

Quia præceptum in Israel est, * et judícium Deo Jacob.

Testimónium in Joseph pósuit illud, cùm exíret de terra Ægypti : * linguam quam non nóverat, audívit.

Divertit ab onéribus dorsum ejus : * manus ejus in cóphino serviérunt.

In tribulatióne invocasti me, et liberávi te : * exaudí-

vi te in abscóndito tempestátis ; probávi te apud aquam contradictiónis.

Audi, pópulus meus, et contestábor te : * Israel, si audíeris me, non erit in te deus recens, neque adorábis deum aliénum.

Ego enim sum Dóminus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti : * diláta os tuum, et implébo illud.

Et non audívit pópulus meus vocem meam ; * et Israel non intendit mihi.

Et dimísi eos secundùm desidéria cordis eórum : * ibunt in adinventiónibus suis.

Si pópulus meus audisset me ; * Israel si in viis meis ambulasset,

Pro níhilo fórsitan inimícos eórum humiliassem, * et super tribulantes eos misissem manum meam.

Inimíci Dómini mentíti sunt ei ; * et erit tempus eórum in sécula.

Et cibávit eos ex ádipe frumenti ; * et de petra, melle saturávit eos.

Ant. Audi, pópulus meus, et contestábor te : ego sum Dóminus Deus tuus.

Ant. 1. *g.* Parátum.

PSALMUS 107.

Christus resurrectionem suam, et regni sui dilatationem prænuntiat.

PARATUM cor meum, Deus, parátum cor meum : * cantábo et psallam in glória mea.

Exurge, glória mea ; exurge, psaltérium et cíthara : * exurgam dilúculo.

Confitébor tibi in pópulis, Dómine, * et psallam tibi in natiónibus ;

Quia magna est super cœlos misericórdia tua, * et usque ad nubes véritas tua.

Exaltáre super cœlos ; Deus ; * et super omnem terram glória tua ;

Ut liberentur dilecti tui : * salvum fac déxterâ tuâ, et exaudi me.

Ant. Parátum cor meum, Deus ; exurgam dilúculo : confitébor tibi, Dómine.

Ant. 6. F. Dómine.

DIVISIO PSALMI 107.

DEUS locútus est in sancto suo : * exultábo, et dívidam Síchimam, et convallem tabernaculórum dimétiar.

Meus est Gálaad, et meus est Manasses ; * et Ephraim suscéptio cápitis mei.

Juda rex meus : * Moab lebes spei meæ.

In Idumæam extendam calceamentum meum : * mihi alienígenæ amíci facti sunt.

Quis dedúcet me in civitátem munítam ? * quis dedúcet me usque in Idumæam !

Nonne tu, Deus qui repulísti nos ? * et non exíbis, Deus, in virtútibus nostris ?

Da nobis auxílium de tribulatióne, * quia vana salus hóminis.

In Deo faciémus virtútem : * et ipse ad níhilum dedúcet inimícos nostros.

Ant. Dómine, vana salus hóminis : in Deo faciémus virtútem.

Ant. 8. c. Deus.

In Feriis,

CANTICUM ANNÆ.

(1. Reg. 2.)

Supremam Dei potestatem laudans, de Ecclesiâ et Christo prophetat.

EXULTAVIT cor meum in Dómino, * et exaltátum est cornu meum in Deo meo.

Dilatátum est os meum super inimícos meos, * quia lætáta sum in salutári tuo.

Non est sanctus, ut est Dóminus; neque enim est álius extra te : * et non est fortis sicut Deus noster.

Nolíte multiplicáre loqui sublímia, gloriantes : * recédant vétera de ore vestro;

Quia Deus scientiárum Dóminus est, * et ipsi præparantur cogitatiónes.

Arcus fórtium superátus est; * et infirmi accincti sunt róbore.

Repléti priùs pro pánibus se locavérunt; * et famélici saturáti sunt,

Donec stérilis péperit plúrimos; * et quæ multos habébat fílios, infirmáta est.

Dóminus mortíficat, et vivíficat, * dedúcit ad ínferos, et redúcit.

Dóminus páuperem facit, et ditat : * humíliat et súblevat.

Súscitat de púlvere egénum, * et de stércore élevat páuperem;

Ut sédeat cum princípibus, * et sólium glóriæ téneat.

Dómini enim sunt cárdines terræ, * et pósuit super eos orbem.

Pedes sanctórum suórum servábit, et ímpii in ténebris conticescent; * quia non in fortitúdine sua roborábitur vir.

Dóminum formidábunt adversárii ejus; * et super ipsos in cœlis tonábit.

Dóminus judicábit fines terræ, et dabit impérium regi suo, * et sublimábit cornu christi sui.

Ant. Deus scientiárum Dóminus est, et ipsi præparantur cogitatiónes.

[*In fes.is Simpl. loco superioris cantici dicitur seq. In Semidupl. verò et suprà, dicitur cant. de Prop. vel de Comm. S.*

CANTICUM.

(1. Paral. 29.)

Dei magnificentia et potentia extolluntur : supremum ipsius in omnes creaturas dominium agnoscitur.

BENEDICTUS es, Dómine, Deus Israel patris nostri, * ab æterno in æternum.

Tua est, Dómine, magnificéntia, et poténtia, et glória, atque victória; * et tibi laus.

Cuncta enim quæ in cœlo sunt et in terra, * tua sunt.

Tuum, Dómine, regnum;

* et tu es super omnes príncipes.

Tuæ divítiæ, et tua est glória: * tu domináris ómnium.

In manu tua virtus et poténtia: * in manu tua magnitúdo, et impérium ómnium.

Nunc ígitur, Deus noster, confitémur tibi, * et laudámus nomen tuum ínclytum.]

Ant. 5. a. Annúntiat Dóminus.

PSALMUS 147.

Laudandus Deus, qui Ecclesiam suam adipe frumenti satiat.

Lauda, Jerúsalem, Dóminum; * lauda Deum tuum, Sion;

Quóniam confortávit seras portárum tuárum, * benedixit fíliis tuis in te.

Qui pósuit fines tuos pacem, * et ádipe frumenti sátiat te;

Qui emittit elóquium suum terræ, * velóciter currit sermo ejus;

Qui dat nivem sicut lanam, * nébulam sicut cínerem spargit;

Mittit crystallum suam sicut buccellas: * ante fáciem frígoris ejus quis sustinébit?

Emittet verbum suum, et liquefáciet ea; * flabit spíritus ejus, et fluent aquæ.

Qui annúntiat verbum suum Jacob, * justítias et judícia sua Israel.

Non fecit táliter omni natióni, * et judícia sua non manifestávit eis.

Ant. Annúntiat Dóminus verbum suum Jacob, et judícia sua Israel: non fecit táliter omni natióni.

Capitulum. (1. *Petr.* 2.)

Vos genus electum, regále sacerdótium, gens sancta, pópulus acquisitiónis; ut virtútes annuntiétis ejus qui de ténebris vos vocávit in admirábile lumen suum.

HYMNUS.

Dignas quis, ô Deus, tibi
Laudes rependat, qui tuo
Pellis ténebras lúmine,
Salútis et monstras viam?

Tu, quam jubes, donas fidem:
Hæc cúltui præest tuo;
Hæc mentis erróres fugat;
Hæc corda sursum dírigit.

Te destitúta spíritu
Nil pompa sacrórum juvat:
Secréta puri blándiùs
Tibi litábunt péctoris.

Vox inde cordi cónsona
Vectígal exsolvet suum,
Et ad salútem líbero
Prométur ore véritas.

O, qui superbos réspuis,
Et símplices amas, Deus,
Ut crescat in nobis fides,
Cordis tumórem cómprime.

Sit summa Patri glória:
Sit summa Nato, qui fidem
Cruóre fundávit suo:
Par sit tibi laus, Spíritus.
Amen.

℣. Declarátio sermónum tuórum illúminat, ℟. Et in-

tellectum dat párvulis. *Ps.* 118.

Ad Benedictus, *Ant.* 3. a. Tu, puer, Prophéta Altíssimi vocáberis, ad dandam sciéntiam salútis plebi ejus. *Luc.* 1.

AD PRIMAM.

Ant. 3. *à.* Illúminet.

PSALMUS 66.

Deus in toto orbe per Christum cognoscendus.

Deus misereátur nostrî, et benedícat nobis: * illúminet vultum suum super nos, et misereátur nostrî;

Ut cognoscámus in terra viam tuam, * in ómnibus géntibus salutáre tuum.

Confiteantur tibi pópuli, Deus, * confiteantur tibi pópuli omnes.

Lætentur et exultent gentes, quóniam júdicas pópulos in æquitáte, * et gentes in terra dírigis.

Confiteantur tibi pópuli, Deus, confiteantur tibi pópuli omnes: * terra dedit fructum suum.

Benedícat nos Deus, Deus noster, benedícat nos Deus; * et métuant eum omnes fines terræ.

PSALMUS 89.

Inter hujus mundi vicissitudines et adversa, spes in Deo æterno collocanda.

Domine, refúgium factus es nobis, * à generatióne in generatiónem.

Priusquàm montes fíerent, aut formarétur terra et orbis, * à século et usque in séculum tu es Deus.

Ne avertas hóminem in humilitátem; * et dixisti: Convertímini, fílii hóminum.

Quóniam mille anni ante óculos tuos, * tanquam dies hesterna quæ prætériit, et custódia in nocte:

Quæ pro níhilo habentur, * eórum anni erunt.

Mane sicut herba tránseat, mane flóreat et tránseat; * véspere décidat, indúret et arescat;

Quia defécimus in ira tua, * et in furóre tuo turbáti sumus.

Posuisti iniquitátes nostras in conspectu tuo, * séculum nostrum in illuminatióne vultûs tui;

Quóniam omnes dies nostri defecérunt, et in ira tua defécimus: * anni nostri sicut aránea meditabuntur.

Dies annórum nostrórum in ipsis septuaginta anni: * si autem in potentátibus, octoginta anni,

Et ámplius eórum * labor et dolor.

Quóniam supervénit mansuetúdo, * et corripiémur.

DIVISIO PSALMI. 89.

Quis novit potestátem iræ tuæ, * et præ timóre tuo iram tuam dinumeráre?

Déxteram tuam sic notam

fac, * et erudítos corde in sapiéntia.

Convértere, Dómine, úsquequò? * et deprecábilis esto super servos tuos.

Repléti sumus mane misericórdia tuâ; * et exultávimus, et delectáti sumus ómnibus diébus nostris.

Lætáti sumus pro diébus quibus nos humiliasti, * annis quibus vídimus mala.

Réspice in servos tuos, et in ópera tua; * et dírige fílios eórum.

Et sit splendor Dómini Dei nostri super nos: * et ópera mánuum nostrárum dírige super nos; et opus mánuum nostrárum dírige.

Ant. Illúminet Dóminus vultum suum super nos; ut cognoscámus in terra viam tuam, Dómine. *Ps.* 66.

AD TERTIAM.

Ant. 4. E. Credo.

PSALMUS 26.

Deus in Christo fidelium lumen et salus. Auxilium ejus adversus hostes petitur.

Dominus illumináti mea, et salus mea; * quem timébo?

Dóminus protector vitæ meæ; * à quo trepidábo?

Dum appropiant super me nocentes, * ut edant carnes meas.

Qui tríbulant me inimíci mei, * ipsi infirmáti sunt et cecidérunt.

Si consistant adversùm me castra, * non timébit cor meum.

Si exurgat adversùm me prælium, * in hoc ego sperábo.

Unam pétii à Dómino, hanc requíram, * ut inhábitem in domo Dómini ómnibus diébus vitæ meæ;

Ut vídeam voluptátem Dómini, * et vísitem templum ejus.

Quóniam abscondit me in tabernáculo suo: * in die malórum protexit me in abscóndito tabernáculi sui.

In petra exaltávit me, * et nunc exaltávit caput meum super inimícos meos.

Circuívi et immolávi in tabernáculo ejus hóstiam vociferatiónis: * cantábo, et psalmum dicam Dómino.

DIVISIO PSALMI 26.

Exaudi, Dómine, vocem meam quâ clamávi ad te: * miserére meî, et exaudi me.

Tibi dixit cor meum, exquisívit te fácies mea: * fáciem tuam, Dómine, requíram.

Ne avertas fáciem tuam à me: * ne declínes in ira à servo tuo.

Adjútor meus esto, ne derelinquas me, * neque despícias me, Deus salutáris meus;

Quóniam pater meus et mater mea dereliquérunt me: * Dóminus autem assumpsit me.

Legem pone mihi, Dómi-

ne, in via tua; * et dírige me in sémitam rectam propter inimícos meos.

Ne tradíderis me in ánimas tribulántium me; * quóniam insurrexérunt in me testes iníqui, et mentíta est iníquitas sibi.

Credo vidére bona Dómini * in terra vivéntium.

Expecta Dóminum, viríliter age; * et confortétur cor tuum, et sústine Dóminum.

PSALMUS 83.

Æterna Dei tabernacula unicum justi desiderium.

QUAM dilecta tabernácula tua, Dómine virtútum! * concupiscit et déficit ánima mea in átria Dómini.

Cor meum et caro mea * exultavérunt in Deum vivum.

Etenim passer invénit sibi domum, * et turtur nidum sibi, ubi ponat pullos suos.

Altária tua, Dómine virtútum, * Rex meus et Deus meus!

Beáti qui hábitant in domo tua, Dómine: * in sécula seculórum laudábunt te.

Beátus vir cujus est auxílium abs te: * ascensiónes in corde suo dispósuit, in valle lacrymárum, in loco quem pósuit.

Etenim benedictiónem dabit legislátor, ibunt de virtúte in virtútem: * vidébitur Deus deórum in Sion.

Dómine, Deus virtútum, exaudi oratiónem meam: * áuribus pércipe, Deus Jacob.

Protector noster, áspice, Deus, * et réspice in fáciem christi tui;

Quia mélior est dies una in átriis tuis * super míllia.

Elégi abjectus esse in domo Dei mei, * magis quàm habitáre in tabernáculis peccatórum;

Quia misericórdiam et veritátem díligit Deus; * grátiam et glóriam dabit Dóminus.

Non privábit bonis eos qui ámbulant in innocéntia: * Dómine virtútum, beátus homo qui sperat in te.

Ant. Credo vidére bona Dómini in terra vivéntium. *Ps.* 26.

Capitulum. (*Hebr.* 11.)

EST fides sperandárum substántia rerum, argumentum non apparéntium.

℟. *br.* Quàm magna multitúdo dulcédinis tuæ, Dómine, * Quam abscondisti timéntibus te! Quàm magna multitúdo dulcédinis tuæ, Dómine. ℣. Perfecisti eis * qui sperant in te, * Quam abscondisti timéntibus te. Glória Patri. Quàm magna multitúdo dulcédinis tuæ. *Ps.* 30.

℣. Narravérunt mihi iníqui fabulatiónes; ℟. Sed non ut lex tua. *Ps.* 118.

AD SEXTAM.

Ant. 8. *G.* Veníte, fílii.

PSALMUS 22.

Mensam in conspectu nostro paravit Deus.

DOMINUS regit me, et nihil mihi déerit: * in loco páscuæ ibi me collocávit.

Super aquam refectiónis educávit me: * ánimam meam convertit.

Deduxit me super sémitas justítiæ, * propter nomen suum.

Nam et si ambulávero in médio umbræ mortis, non timébo mala; * quóniam tu mecum es.

Virga tua et báculus tuus, * ipsa me consoláta sunt.

Parasti in conspectu meo mensam, * adversùs eos qui tríbulant me.

Impinguasti in óleo caput meum: * et calix meus *inébrians* quàm præclárus est!

Et misericórdia tua subsequétur me * ómnibus diébus vitæ meæ;

Et ut inhábitem in domo Dómini, * in longitúdinem diérum.

PSALMUS 33.

Deus semper benedicendus. Non est inopia timentibus eum.

BENEDICAM Dóminum in omni témpore: * semper laus ejus in ore meo.

In Dómino laudábitur ánima mea: * áudiant mansuéti, et lætentur.

Magnificáte Dóminum mecum; * et exaltémus nomen ejus in idipsum.

Exquisívi Dóminum; et exaudívit me, * et ex ómnibus tribulatiónibus meis erípuit me.

Accédite ad eum, et illumináminí; * et fácies vestræ non confundentur.

Iste pauper clamávit; et Dóminus exaudívit eum, * et de ómnibus tribulatiónibus ejus salvávit eum.

Immíttet ángelus Dómini in circúitu timéntium eum; * et erípiet eos.

Gustáte, et vidéte quóniam suávis est Dóminus: * beátus vir qui sperat in eo.

Timéte Dóminum, omnes sancti ejus; * quóniam non est inópia timéntibus eum.

Dívites eguérunt et esuriérunt; * *inquirentes* autem Dóminum non minuentur omni bono.

DIVISIO PSALMI 33.

VENITE, fílii, audíte me: * timórem Dómini docébo vos.

Quis est homo qui vult vitam, * díligit dies vidére bonos?

Próhibe *linguam* tuam à malo; * et lábia tua ne loquantur dolum.

Diverte à malo, et fac bonum: * inquíre pacem, et perséquere eam.

Óculi Dómini super jus-

tos, * et aures ejus in preces eórum.

Vultus autem Dómini super facientes mala, * ut perdat de terra memóriam eórum.

Clamavérunt justi; et Dóminus exaudívit eos; * et ex ómnibus tribulatiónibus eórum liberávit eos.

Juxta est Dóminus iis qui tribuláto sunt corde, * et húmiles spíritu salvábit.

Multæ tribulatiónes justórum; * et de ómnibus his liberábit eos Dóminus.

Custódit Dóminus ómnia ossa eórum: * unum ex his non conterétur.

Mors peccatórum péssima; * et qui odérunt justum, delinquent.

Rédimet Dóminus ánimas servórum suórum; * et non delinquent omnes qui sperant in eo.

Ant. Veníte, fílii, audíte me: timórem Dómini docébo vos. *Ps.* 33.

Capitulum. (*Jac.* 2.)

Sicut corpus sine spíritu mórtuum est, ita et fides sine opéribus mórtua est.

℟. *br.* Gressus meos dírige, Dómine, * Secundùm elóquium tuum. Gressus. ℣. Ut custódiam * mandáta tua, * Secundùm elóquium tuum. Glória Patri. Gressus meos.

℣. Bonitátem, et disciplínam, et sciéntiam doce me; ℟. Quia mandátis tuis crédidi. *Ps.* 118.

AD NONAM.

Ant. 1. a. Testimónia.

PSALMUS 79.

Miseriarum finis per Christi adventum expostulatur.

Qui regis Israel, íntende; * qui dedúcis velut ovem Joseph.

Qui sedes super Chérubim, * manifestáre coram Ephraïm, Bénjamin, et Manasse.

Excita poténtiam tuam; * et veni, ut salvos fácias nos.

Deus, converte nos, et ostende fáciem tuam; * et salvi érimus.

Dómine Deus virtútum, * quousque irascéris super oratiónem servi tui?

Cibábis nos pane lacrymárum, * et potum dabis nobis in lácrymis in mensúra?

Posuisti nos in contradictiónem vicínis nóstris; * et inimíci nostri subsannavérunt nos.

Deus virtútum, converte nos, et ostende fáciem tuam; * et salvi érimus.

DIVISIO PSALMI 79.

[Domine] víneam de Ægypto transtulisti: * ejecisti gentes, et plantasti eam.

Dux itíneris fuisti in conspectu ejus: * plantasti radíces ejus, et implévit terram.

Opéruit montes umbra ejus, * et arbusta ejus cedros Dei.

Extendit pálmites suos usque ad mare, * et usque ad flumen propágines ejus.

Ut quid destruxisti macériam ejus; * et vindémiant eam omnes qui prætergrediuntur viam?

Exterminávit eam aper de silva, * et singulàris ferus depastus est eam.

Deus virtútum, convértere: * réspice de cœlo, et vide, et vísita víneam istam.

Et pérfice eam quam plantávit déxtera tua, * et super fílium hóminis quem confirmasti tibi.

Incensa igni, et suffossa: * ab increpatióne vultûs tui períbunt.

Fiat manus tua super virum déxteræ tuæ, * et super fílium hóminis quem confirmasti tibi.

Et non discédimus à te: * vivificábis nos, et nomen tuum invocábimus.

Dómine Deus virtútum, converte nos, et ostende fáciem tuam; * et salvi érimus.

PSALMUS 92.

Christi regnum et eloquia extolluntur.

Dominus regnávit, decórem indútus est: * indútus est Dóminus fortitúdinem, et præcinxit se.

Etenim firmávit orbem terræ, * qui non commovébitur.

Paráta sedes tua ex tunc: * à sæculo tu es.

Elevavérunt flúmina, Dómine: * elevavérunt flúmina vocem suam.

Elevavérunt flúmina fluctus suos, * à vócibus aquárum multárum.

Mirábiles elatiónes maris: * mirábilis in altis Dóminus.

Testimónia tua credibília facta sunt nimis: * domum tuam decet sanctitúdo, Dómine, in longitúdinem diérum.

Ant. Testimónia tua, Dómine, credibília facta sunt nimis. *Ps.* 92.

Capitulum. (*Rom.* 4.)

Credenti in eum qui justíficat ímpium, reputátur fides ejus ad justítiam, secúndùm propòsìtum grátiæ Dei.

℟. *br.* Salvávit eos Dóminus, * Et credidérunt verbis ejus. Salvávit. ℣. Et laudavérunt * laudem ejus, * Et credidérunt. Glória Patri. Salvávit. *Ps.* 105.

℣. *In conspectu géntium* revelávit justítiam suam: ℟. Recordátus est misericórdiæ suæ. *Ps.* 97.

AD VESPERAS.

Ant. 2. D. Crédidi.

PSALMUS 115.

Calix salutaris accipiendus: vota Domino reddenda.

Credidi, propter quod locútus sum; * ego autem humiliátus sum nimis.

Ego dixi in excessu meo: * Omnis homo mendax.

Quid retríbuam Dómino *

pro ómnibus quæ retríbuit mihi?

Cálicem salutáris accípiam, * et nomen Dómini invocábo.

Vota mea Dómino reddam coram omni pópulo ejus: * pretiósa in conspectu Dómini mors Sanctórum ejus.

O Dómine, quia ego servus tuus; * ego servus tuus, et fílius ancillæ tuæ.

Dirupísti víncula mea: * tibi sacrificábo hóstiam laudis, et nomen Dómini invocábo.

Vota mea Dómino reddam in conspectu omnis pópuli ejus, * in átriis domûs Dómini, in médio tui, Jerúsalem.

Ant. Crédidi, propter quod locútus sum; ego autem humiliátus sum nimis.

Ant. 1. g. Confitébor.

PSALMUS 137.

Dei misericordia et veritas in populum suum celebranda.

Confitebor tibi, Dómine, in toto corde meo, * quóniam audísti verba oris mei.

In conspectu Angelórum psallam tibi: * adorábo ad templum sanctum tuum,

Et confitébor nómini tuo super misericórdia tua et veritáte tua; * quóniam magnificásti super omne, nomen sanctum tuum.

In quacumque die invocávero te, exaudi me: * multiplicábis in ánima mea virtútem.

Confiteantur tibi, Dómine, omnes reges terræ, * quia audiérunt ómnia verba oris tui.

Et cantent in viis Dómini, * quóniam magna est glória Dómini;

Quóniam excelsus Dóminus, et humília réspicit, * et alta à longè cognoscit.

Si ambulávero in médio tribulatiónis, vivificábis me: * et super iram inimicórum meórum extendísti manum tuam, et salvum me fecit déxtera tua.

Dóminus retríbuet pro me: * Dómine, misericórdia tua in séculum: ópera mánnum tuárum ne despícias.

Ant. Confitébor nómini tuo, Dómine, super misericórdia tua et veritáte tua.

Ant. 7. d. Generátio.

PSALMUS 144.

Dei magnitudo et magnificentia celebrantur.

Exaltabo te, Deus meus rex; * et benedícam nómini tuo in séculum, et in séculum séculi.

Per síngulos dies benedícam tibi; * et laudábo nomen tuum in séculum, et in séculum séculi.

Magnus Dóminus, et laudábilis nimis; * et magnitúdinis ejus non est finis.

Generátio et generátio laudábit ópera tua, * et poténtiam tuam pronuntiabunt.

Magnificéntiam glóriæ sanctitátis tuæ loquentur, * et mirabília tua narrábunt.

Et virtútem terribílium tuórum dicent, * et magnitúdinem tuam narrábunt.

Memóriam abundántiæ suavitátis tuæ eructábunt, * et justítiâ tuâ exultábunt.

Ant. Generátio et generátio laudábit ópera tua, et poténtiam tuam pronuntiábunt.

Ant. 4. D. Fidélis.

DIVISIO PSALMI 144.

MISERATOR et misércors Dóminus; * pátiens, et multùm misericors.

Suávis Dóminus universis, * et miseratiónes ejus super ómnia ópera ejus.

Confiteantur tibi, Dómine, ómnia ópera tua; * et sancti tui benedícant tibi.

Glóriam regni tui dicent, * et poténtiam tuam loquéntur;

Ut notam fáciant fíliis hóminum poténtiam tuam, * et glóriam magnificéntiæ regni tui.

Regnum tuum, regnum ómnium seculórum; * et dominátio tua in omni generatióne et generatiónem.

Fidélis Dóminus in ómnibus verbis suis, * et sanctus in ómnibus opéribus suis.

Allevat Dóminus omnes qui córruunt, * et érigit omnes elísos.

Oculi ómnium in te sperant, Dómine; * et tu das escam illórum in témpore opportúno.

Aperis tu manum tuam, * et imples omne ánimal benedictióne.

Ant. Fidélis Dóminus in ómnibus verbis suis, et sanctus in ómnibus opéribus suis.

Ant. 8. c. Prope est Dóminus.

ALTERA DIVISIO PSALMI 144.

JUSTUS Dóminus in ómnibus viis suis, * et sanctus in ómnibus opéribus suis.

Prope est Dóminus ómnibus invocántibus eum, * ómnibus invocántibus eum in veritáte.

Voluntátem timéntium se fáciet, et deprecatiónem eórum exáudiet, * et salvos fáciet eos.

Custódit Dóminus omnes diligentes se, * et omnes peccatóres disperdet.

Laudatiónem Dómini loquétur os meum; * et benedícat omnis caro nómini sancto ejus in séculum, et in séculum séculi.

Ant. Prope est Dóminus ómnibus invocántibus eum in veritáte.

Capitulum. (*Rom.* 10.)

CORDE créditur ad justítiam, ore autem confessio fit ad salútem; dicit enim Scriptúra: Omnis qui credit in illum, non confundétur. Non enim est distínctio Judæi et Græci: nam idem Dóminus ómnium, dives in omnes qui ínvocant illum.

HYMNUS.

O FORTIS, ô clemens Deus,

Salútis auctor, tu fidem
Nostris potenter ínsere,
Germen salútis, córdibus.

Hinc omne robur dúcimus :
Hæc arma nobis; hoc manus
Protecta scuto, flámmea
Retundet hostis spícula.

Hinc fúndimus preces tibi
Sacri sub umbra nóminis,
Quo nítitur spes ómnium
Uno salútis pígnore.

Placatus illo nómine,
Labántibus feres opem;
Dabisque, sanctam dégener
Ne vita deturpet fidem.

Sit laus Patri, laus Fílio :
Par sit tibi laus, Spíritus,
Infúsa per quem córdibus
Relúcet imis véritas.

Amen.

℣. Os meum annuntiábit justítiam tuam, ℟. Totâ die salutáre tuum. *Ps.* 70.

Ad Magníficat, *Ant.* 7. G. Potens est Dóminus, et sanctum nomen ejus. *Luc.* 1.

AD COMPLETORIUM.

Ant. 1. f. Salvum me fac.

PSALMUS 11.

Justorum paucitas : eloquiorum Domini laus.

Salvum me fac, Dómine, quóniam defécit sanctus; * quóniam diminútæ sunt veritátes à fíliis hóminum.

Vana locúti sunt unusquisque ad próximum suum: * lábia dolósa, in corde et corde locúti sunt.

Disperdat Dóminus universa lábia dolósa, * et linguam magníloquam ;

Qui dixérunt : Linguam nostram magnificábimus, lábia nostra à nobis sunt : * quis noster Dóminus est?

Propter misériam ínopum, et gémitum páuperum, * nunc exurgam, dicit Dóminus.

Ponam in salutári : * fiduciáliter agam in eo.

Elóquia Dómini, elóquia casta : * argentum igne examinátum, probátum terræ, purgátum séptuplum.

Tu, Dómine, servábis nos ; * et custódies nos à generatióne hac in æternum.

In circúitu ímpii ámbulant : * secundùm altitúdinem tuam multiplicasti fílios hóminum.

PSALMUS 38.

Hujus vitæ vanitas et miseria. Divinum postulatur subsidium.

Dixi: Custódiam vias meas,* ut non delinquam in lingua mea.

Pósui ori meo custódiam,* cùm consísteret peccátor adversùm me.

Obmútui, et humiliátus sum, et sílui à bonis; * et dolor meus renovátus est.

Concáluit cor meum intra me, et in meditatióne mea exardéscet ignis : * locútus sum in lingua mea.

Notum fac mihi, Dómine, finem meum, et número rum diérum meórum, quis est;

* ut sciam quid desit mihi.

Ecce mensurabiles posuisti dies meos; * et substántia mea tanquam níhilum ante te.

Verúmtamen universa vánitas, * omnis homo vivens.

Verúmtamen in imágine pertransit homo; * sed et frustrà conturbátur.

Thesaurízat, * et ignórat cui congregábit ea.

Et nunc quæ est expectátio mea? nonne Dóminus? * et substántia mea apud te est.

DIVISIO PSALMI 38

Ab ómnibus iniquitátibus meis érue me: * oppróbrium insipiénti dedísti me.

Obmútui, et non apérui os meum; * quóniam tu fecísti.

Amove à me plagas tuas: * à fortitúdine manûs tuæ ego defíci.

In increpatiónibus propter iniquitátem corripuísti hóminem, et tabéscere fecísti sicut aráneam ánimam ejus: * verúmtamen vanè conturbátur omnis homo.

Exaudi oratiónem meam, Dómine, et deprecatiónem meam: * áuribus pércipe lácrymas meas.

Ne síleas, quóniam ádvena ego sum apud te, et peregrínus, * sicut omnes patres mei.

Remitte mihi ut refrígerer, priusquàm ábeam; * et ámpliùs non ero.

Ant. Salvum me fac, Dómine, quóniam diminútæ sunt veritátes à fíliis hóminum. *Ps.* 11.

FERIA SEXTA.

AD OFFIC. NOCTURNUM.

INVITATORIUM.

Venite, adorémus, et procidámus ante Deum: * Plorémus coram Dómino qui fecit nos.

Ps. 94. Veníte, 2.

HYMNUS.

Jam sánctius moves opus,
Tecum, Deus, delíberans:
Mundo recenti príncipem,
Tibíque præcónem paras.

Homo creátur: hunc sacro
Cœléstis oris hálitu
Succéndis, et vivam tuî
Spirâre das imáginem.

Ergo per omnes æquoris,
Tellúris omnes et sinus
Regnábit: at, memor suî,
Deo minórem se gerat.

Heu, cæca cordis právitas!
Jugum rebellis éxcutit:
Deo superbus nec timet
Æquáre pulvis vérticem.

Hinc quanta lúctuum cohors
Incumbit orbi pérdito!
O Christe, ni feras opem,
Spes tota sontes déserat.

Qui nos creávit, laus Patri;
Qui nos redémit, Fílio;
Cujus movémur hálitu,
Par sit tibi laus, Spíritus.
Amen.

Ant. 7. b. Contristátus sum.

PSALMUS 51.

Impios manet interitus; justos gloria.

QUID gloriáris in malítia, * qui potens es in iniquitáte?

Totâ die injustítiam cogitávit lingua tua: * sicut novácula acúta fecisti dolum.

Dilexisti malítiam super benignitátem, * iniquitátem magis quàm loqui æquitátem.

Dilexisti ómnia verba præcipitatiónis, * lingua dolósa.

Propterèa Deus déstruet te in finem: * evellet te, et emigrábit te de tabernáculo tuo, et radícem tuam de terra vivéntium.

Vidébunt justi, et timébunt, et super eum ridébunt; * et dicent: Ecce homo qui non pósuit Deum adjutórem suum;

Sed sperávit in multitúdine divitiárum suárum, * et prævàluit in vanitáte sua.

Ego autem sicut olíva fructífera in domo Dei: * sperávi in misericórdia Dei in æternum, et in séculum séculi.

Confitébor tibi in séculum quia fecisti; * et expectábo nomen tuum, quóniam bonum est in conspectu sanctórum tuórum.

PSALMUS 54.

Justus ab iniquis vexatus, et ab ipsis familiaribus suis maledictus, in Deo spem suam ponit.

EXAUDI, Deus, oratiónem meam, et ne despéxeris deprecatiónem meam: * inténde mihi, et exaudi me.

Contristátus sum in exercitatióne mea, * et conturbátus sum à voce inimíci, et à tribulatióne peccatóris;

Quóniam declinavérunt in me iniquitátes, * et in ira molesti erant mihi.

Cor meum conturbátum est in me, * et formído mortis cécidit super me.

Timor et tremor venérunt super me, * et contexérunt me ténebræ.

Et dixi: Quis dabit mihi pennas sicut columbæ? * et volábo et requiescam.

Ecce, elongávi fúgiens, * et mansi in solitúdine.

Expectábam eum qui salvum me fecit à pusillanimitáte spíritûs, * et tempestáte.

Præcípita, Dómine, dívide linguas eórum; * quóniam vidi iniquitátem et contradictiónem in civitáte.

Die ac nocte circúmdabit eam super muros ejus iníquitas; * et labor in médio ejus, et injustítia.

Et non defécit de platéis ejus * usúra et dolus.

Quóniam si inimícus meus maledixisset mihi, * sustinuissem útique;

Et si is qui óderat me, super me magna locútus fuisset, * abscondíssem me fórsitan ab eo.

Tu verò, homo unánimis, * dux meus et notus meus;

Qui simul mecum dulces capiébas cibos; * in domo Dei ambulávimus cum consensu.

Véniat mors super illos,* et descendant in infernum viventes;

Quóniam nequítiæ in habitáculis eórum, * in médio eórum.

Ego autem ad Deum clamávi; * et Dóminus salvábit me.

DIVISIO PSALMI 54.

Vespere, et manè, et merídie narrábo et annuntiábo; * et exáudiet vocem meam.

Rédimet in pace ánimam meam ab his qui appropinquant mihi; * quóniam inter multos erant mecum.

Exáudiet Deus, et humiliábit illos, * qui est ante sécula.

Non enim est illis commutátio, et non timuérunt Deum: * extendit manum suam in retribuendo.

Contaminavérunt testamentum ejus, divísi sunt ab ira vultûs ejus; * et appropinquávit cor illíus.

Mollíti sunt sermónes ejus super óleum; * et ipsi sunt jácula.

Jacta super Dóminum curam tuam, et ipse te enútriet: * non dabit in æternum fluctuatiónem justo.

Tu verò, Deus, * dedúces eos in púteum intéritûs.

Viri sánguinum et dolósi non dimidiábunt dies suos;* ego autem sperábo in te, Dómine.

Ant. Contristátus sum in exercitatióne mea, et conturbátus sum; quóniam declinavérunt in me iniquitátes. *Ps.* 54.

Ant. 2. D. Ab insurgéntibus in me.

PSALMUS 58.

Christus, morti traditus, Patrem suum orat, Judæis incredulis dispersionem, regnumque suum super gentes prænuntians.

Eripe me de inimícis meis, Deus meus; * et ab insurgéntibus in me líbera me.

Eripe me de operántibus iniquitátem, * et de viris sánguinum salva me;

Quia ecce cepérunt ánimam meam: * irruérunt in me fortes.

Neque iníquitas mea, neque peccátum meum, Dómine; * sine iniquitáte cucurri, et direxi.

Exurge in occursum meum, et vide; * et tu, Dómine Deus virtútum, Deus Israel.

Intende ad visitandas omnes gentes: * non misereáris ómnibus qui operantur iniquitátem.

Convertentur ad vésperam; * et famem patientur ut canes, et circuíbunt civitátem.

Ecce loquentur in ore suo, et gládius in lábiis eó-

rum ; * quóniam quis audívit?

Et tu, Dómine, deridébis eos : * ad níhilum dedúces omnes gentes.

Fortitúdinem meam ad te custódiam, quia Deus susceptor meus es : * Deus meus, misericórdia ejus prævéniet me.

DIVISIO PSALMI 58.

Deus ostendet mihi super inimícos meos : * ne occídas eos, nequando obliviscantur pópuli mei.

Disperge illos in virtúte tua, * et depóne eos, protector meus, Dómine.

Delictum oris eórum, sermónem labiórum ipsórum, * et comprehendantur in supérbia sua.

Et de execratióne et mendácio annuntiabuntur in consummatióne ; * in ira consummatiónis, et non erunt.

Et scient quia Deus dominábitur Jacob, * et fínium terræ.

Convertentur ad vésperam ; * et famem patientur ut canes, et circuíbunt civitátem.

Ipsi dispergentur ad manducandum ; * si verò non fúerint saturáti, et murmurábunt.

Ego autem cantábo fortitúdinem tuam, * et exultábo mane misericórdiam tuam ;

Quia factus es susceptor meus et refúgium meum * in die tribulatiónis meæ.

Adjútor meus, tibi psallam, quia Deus susceptor meus es : * Deus meus, misericórdia mea.

PSALMUS 60.

Spes nostra Deus, turris fortitudinis à facie inimici.

Exaudi, Deus, deprecatiónem meam : * intende oratióni meæ.

A fínibus terræ ad te clamávi, dum anxiarétur cor meum : * in petra exaltasti me.

Deduxisti me, quia factus es spes mea, * turris fortitúdinis à fácie inimíci.

Inhabitábo in tabernáculo tuo in sécula : * prótegar in velamento alárum tuárum ;

Quóniam tu, Deus meus, exaudisti oratiónem meam, * dedisti hæreditátem timéntibus nomen tuum.

Dies super dies regis adjícies, * annos ejus usque in diem generatiónis et generatiónis.

Pérmanet in æternum in conspectu Dei : * misericórdiam et veritátem ejus quis requíret ?

Sic psalmum dicam nómini tuo in séculum séculi, * ut reddam vota mea de die in diem.

Ant. Ab insurgéntibus in me líbera me, Dómine ; quia irruérunt in me fortes. *Ps.* 58.

Ant. 4. a. In conspectu.

PSALMUS 68.

Christi orantis in monte Oliveti agonia et aliæ passionis ejus circumstantiæ.

SALVUM me fac, Deus, * quóniam intravérunt aquæ usque ad ánimam meam.

Infixus sum in limo profundi, * et non est substántia.

Veni in altitúdinem maris, * et tempestas demersit me.

Laborávi clamans, raucæ factæ sunt fauces meæ : * defecérunt óculi mei, dum spero in Deum meum.

Multiplicáti sunt super capillos cápitis mei, * qui odérunt me gratis.

Confortáti sunt qui persecúti sunt me inimíci mei injustè : * quæ non rápui, tunc exolvébam.

Deus, tu scis insipiéntiam meam ; * et delicta mea à te non sunt abscóndita.

Non erubescant in me qui expectant te, Dómine, * Dómine virtútum.

Non confundantur super me, * qui quærunt te, Deus Israel.

Quóniam propter te sustínui oppróbrium, * opéruit confúsio fáciem meam.

Extráneus factus sum frátribus meis, * et peregrínus fíliis matris meæ.

Quóniam zelus domûs tuæ comédit me, * et oppróbria exprobrántium tibi cecidérunt super me.

Et opérui in jejúnio ánimam meam ; * et factum est in oppróbrium mihi.

Et posui vestiméntum meum cilícium : * et factus sum illis in parábolam.

Adversùm me loquebantur qui sedébant in porta ; * et in me psallébant qui bibébant vinum.

Ego verò oratiónem meam ad te, Dómine : * tempus beneplàciti, Deus.

In multitúdine misericórdiæ tuæ exaudi me, * in veritáte salútis tuæ.

Eripe me de luto, ut non infígar : * líbera me ab iis qui odérunt me, et de profundis aquárum.

Non me demergat tempestas aquæ, neque absórbeat me profundum, * neque urgeat super me púteus os suum.

DIVISIO PSALMI 68.

EXAUDI me, Dómine, quóniam benigna est misericórdia tua : * secundùm multitúdinem miseratiónum tuárum réspice in me.

Et ne avertas fáciem tuam à púero tuo : * quóniam tríbulor, velóciter exaudi me.

Intende ánimæ meæ, et líbera eam : * propter inimícos meos éripe me.

Tu scis impropérium meum, et confusiónem meam, * et reveréntiam meam.

In conspectu tuo sunt omnes qui tríbulant me : * im-

propérium expectávit cor meum, et miséria.

Et sustínui qui simul contristarétur, et non fuit; * et qui consolarétur, et non invéni.

Et dedérunt in escam meam fel; * et in siti mea potavérunt me acéto.

Fiat mensa eórum coram ipsis in láqueum, * et in retributiónes, et in scándalum.

Obscurentur óculi eórum, ne vídeant; * et dorsum eórum semper incurva.

Effunde super eos iram tuam; * et furor iræ tuæ comprehendat eos.

Fiat habitátio eórum deserta; * et in tabernáculis eórum non sit qui inhábitet;

Quóniam quem tu percussísti, persecúti sunt; * et super dolórem vúlnerum meórum addidérunt.

Appóne iniquitátem super iniquitátem eórum; * et non intrent in justítiam tuam.

Deleantur de libro vivéntium; * et cum justis non scribantur.

ALTERA DIVISIO PSALMI 68.

Ego sum pauper et dolens: * salus tua, Deus, suscépit me.

Laudábo nomen Dei cum cántico, * et magnificábo eum in laude.

Et placébit Deo super vítulum novellum, * córnua producentem et úngulas.

Vídeant páuperes, et lætentur: * quærite Deum, et vivet ánima vestra;

Quóniam exaudívit páuperes Dóminus, * et vinctos suos non despexit.

Laudent illum cœli et terra, * mare, et ómnia reptília in eis.

Quóniam Deus salvam fáciet Sion, * et ædificabuntur civitátes Juda.

Et inhabitábunt ibi, * et hæreditáte acquírent eam.

Et semen servórum ejus possidébit eam; * et qui díligunt nomen ejus, habitábunt in ea.

Ant. In conspectu tuo sunt omnes qui tríbulant me: impropérium expectávit cor meum, et miséria.

℣. Die ac nocte graváta est super me manus tua: ℟. Conversus sum in ærumna mea, dum confígitur spina. *Ps.* 31.

Pater noster.

℣. *Sacerd.* Laudans invocábo Dóminum; ℟. Et ab inimícis meis salvus ero. *Ps.* 17.

AD LAUDES.

Ant. 1. a. Auribus.

PSALMUS 53.

Oratio justi adversus hostes animæ suæ.

Deus, in nómine tuo salvum me fac, * et in virtúte tua júdica me.

Deus, exaudi oratiónem meam: * áuribus pércipe verba oris mei;

Quóniam aliéni insurrexérunt adversùm me, et fortes quæsiérunt ánimam meam,* et non proposuérunt Deum ante conspectum suum.

Ecce enim Deus ádjuvat me; * et Dóminus susceptor est ánimæ meæ.

Averte mala inimícis meis; * et in veritáte tua disperde illos.

Voluntáriè sacrificábo tibi; * et confitébor nómini tuo, Dómine, quóniam bonum est:

Quóniam ex omni tribulatióne eripuisti me; * et super inimícos meos despexit óculus meus.

Ant. Auribus pércipe, Dómine, verba oris mei; quóniam aliéni insurrexérunt adversùm me.

Ant. 7. ç. Deus meus.

PSALMUS 70.

Caput Ecclesiæ Christus pro ipsâ adversus impios auxilium postulat.

In te, Dómine, sperávi, non confundar in æternum: * in justítia tua líbera me, et éripe me.

Inclína ad me aurem tuam, * et salva me.

Esto mihi in Deum protectórem, et in locum munítum, * ut salvum me fácias;

Quóniam firmamentum meum * et refúgium meum es tu.

Deus meus, éripe me de manu peccatóris, * et de manu contra legem agentis, et iníqui;

Quóniam tu es patiéntia mea, Dómine: * Dómine, spes mea à juventúte mea.

In te confirmátus sum ex útero: de ventre matris meæ tu es protector meus; * in te cantátio mea semper.

Tanquam prodígium factus sum multis, * et tu adjútor fortis.

Repleátur os meum laude, ut cantem glóriam tuam, * totâ die magnitúdinem tuam.

Ne projícias me in témpore senectútis: * cùm defécerit virtus mea, ne derelinquas me.

Quia dixérunt inimíci mei mihi; * et qui custodiébant ánimam meam, consílium fecérunt in unum,

Dicentes: Deus derelíquit eum; persequímini et comprehéndite eum, * quia non est qui erípiat.

Deus, *ne elongéris* à me: * Deus meus, in auxílium meum réspice.

Confundantur et defíciant detrahentes ánimæ meæ: * operiantur confusióne et pudóre qui quærunt mala mihi.

Ego autem semper sperábo; * et adjíciam super omnem laudem tuam.

Ant. Deus meus, éripe me de manu peccatóris; quóniam tu es patiéntia mea.

Ant. 3. *à.* Lingua mea.

DIVISIO PSALMI 70.

Os meum annuntiábit justítiam tuam, * totâ die salutáre tuum.

Quóniam non cognóvi litteratúram, introíbo in poténtias Dómini : * Dómine, memorábor justítiæ tuæ solíus.

Deus, docuisti me à juventúte mea ; * et usque nunc pronuntiábo mirabília tua,

Et usque in senectam et sénium : * Deus, ne derelinquas me;

Donec annúntiem bráchium tuum * generatióni omni quæ ventúra est,

Poténtiam tuam et justítiam tuam, Deus, usque in altíssima quæ fecisti magnália : * Deus, quis símilis tibi ?

Quantas ostendisti mihi tribulatiónes multas, et malas ! * et conversus vivificasti me, et de abyssis terræ íterùm reduxisti me.

Multiplicasti magnificéntiam tuam; * et conversus, consolátus es me.

Nam et ego confitébor tibi in vasis psalmi veritátem tuam, Deus : * psallam tibi in cíthara, Sanctus Israel.

Exultábunt lábia mea, cùm cantávero tibi : * et ánima mea, quam redemisti.

Sed et lingua mea totâ die meditábitur justítiam tuam, * cùm confúsi et revériti fúerint qui quærunt mala mihi.

Ant. Lingua mea totâ die meditábitur justítiam tuam, cùm confúsi et revériti fúerint qui quærunt mala mihi.

Ant. 8. G. Cùm irátus fúeris.

In Feriis,

CANTICUM HABACUC.

(Cap. 3.)

Prophetia de Christi et Ecclesiæ passionibus et victoriis.

Domine, audívi auditiónem tuam, * et tímui.

Dómine, opus tuum * in médio annórum vivífica illud.

In médio annórum notum fácies : * cùm irátus fúeris, misericórdiæ recordáberis.

Deus ab Austro véniet, * et Sanctus de monte Pharan.

Opéruit cœlos glória ejus, * et laudis ejus plena est terra.

Splendor ejus ut lux erit, córnua in mánibus ejus : * ibi abscóndita est fortitúdo ejus.

Ante fáciem ejus ibit mors ; * et egrediétur diábolus ante pedes ejus.

Stetit, et mensus est terram : * aspexit, et dissolvit gentes ; et contríti sunt montes séculi.

Incurváti sunt colles mundi * ab itinéribus æternitátis ejus.

Pro iniquitáte vidi tentória Æthiópiæ : * turbabuntur pelles terræ Mádian.

Numquid in flumínibus irátus es, Dómine ? * aut in flumínibus furor tuus ? vel in mari indignátio tua ?

Qui ascendes super equos

tuos, * et quadrígæ tuæ salvátio;

Súscitans suscitábis arcum tuum : * juramenta tribubus quæ locútus es.

Flúvios scindes terræ : vidérunt te, et doluérunt montes; * gurges aquárum tránsiit.

Dedit abyssus vocem suam : * altitúdo manus suas levávit.

Sol et luna stetérunt in habitáculo suo; * in luce sagittárum tuárum ibunt, in splendóre fulgurantis hastæ tuæ.

In frémitu conculcábis terram : * et in furóre obstupefácies gentes.

Egressus es in salútem pópuli tui, * in salútem cum christo tuo.

Percussisti caput de domo ímpii; * denudasti fundamentum ejus usque ad collum.

Maledixisti sceptris ejus, cápiti bellatórum ejus, * venientibus ut turbo ad dispergendum me.

Exultátio eórum, * sicut ejus qui dévorat páuperem in abscóndito.

Viam fecisti in mari equis tuis, * in luto aquárum multárum.

Audívi, et conturbátus est venter meus : * à voce contremuérunt lábia mea.

Ingrediátur putrédo in ósibus meis, * et subter me scáteat;

Ut requiescam in die tribulatiónis, * ut ascendam ad pópulum accinctum nostrum.

Ficus enim non florébit; * et non erit germen in vínceis.

Mentiétur opus olívæ; * et arva non áfferent cibum.

Abscindétur de ovíli pecus; * et non erit armentum in præsépibus.

Ego autem in Dómino gaudébo, * et exultábo in Deo Jesu meo.

Deus Dóminus, fortitúdo mea; * et ponet pedes meos quasi cervórum.

Et super excelsa mea dedúcet me victor * in psalmis canentem.

Ant. Cùm irátus fúeris, Dómine, misericórdiæ recordáberis.

℣. *In festis Simpl. loco superioris cantici dicitur seq. In Semidupl. verò et suprà, dicitur cant. de Prop. vel de Comm. S.*

CANTICUM.

(Isaïæ 26.)

Propter Dei auxilium in populum suum gratiarum actio. Humiliatio superborum et justorum elevatio.

Urbs fortitúdinis nostræ Sion : * Salvátor ponétur in ea murus et antemurále.

Aperíte portas, * et ingrediátur gens justa, custódiens veritátem.

Vetus error ábiit : servábis pacem; * pacem, quia in te sperávimus.

Sperastis in Dómino in séculis ætérnis, * in Dómino Deo forti in perpétuum.

Quia incurvábit habitan-

tes in excelso, * civitátem sublímem humiliábit.

Humiliábit eam usque ad terram, * détrahet eam usque ad púlverem.

Conculcábit eam pes, * pedes páuperis, gressus egenórum.

Sémita justi recta est, * rectus callis justi ad ambulandum.

Et in sémita judiciórum tuórum, Dómine, sustinúimus te : * nomen tuum, et memoriále tuum in desidério ánimæ.

Anima mea desiderávit te in nocte; * sed et spíritu meo in præcórdiis meis de mane vigilábo ad te.

Cùm fécceris judícia tua in terra, * justítiam discent habitatóres orbis.

Misereámur ímpio, et non discet justítiam : * in terra sanctórum iníqua gessit, et non vidébit glóriam Dómini.

Dómine, exaltétur manus tua : * et non vídeant :

Vídeant, et confundantur zelantes pópuli; * et ignis hostes tuos dévoret.

Dómine, dabis pacem nobis; * ómnia enim ópera nostra operátus es nobis.]

Ant. 4. *D.* Laudábo.

PSALMUS 145.

Laudandus Deus, qui facit judicium injuriam patientibus.

LAUDA, ánima mea, Dóminum : * laudábo Dóminum in vita mea; psallam Deo meo, quámdiu fúero.

Nolíte confídere in princípibus; * in fíliis hóminum, in quibus non est salus.

Exíbit spíritus ejus, et revertétur in terram suam : * in illa die períbunt omnes cogitatiónes eórum.

Beátus cujus Deus Jacob adjútor ejus, spes ejus in Dómino Deo ipsíus, * qui fecit cœlum et terram, mare, et ómnia quæ in eis sunt.

Qui custódit veritátem in séculum, facit judícium injúriam patiéntibus, * dat escam esuriéntibus.

Dóminus solvit compedítos; * Dóminus illúminat cæcos.

Dóminus érigit elísos : * Dóminus díligit justos.

Dóminus custódit ádvenas : pupillum et víduam suscípiet; * et vias peccatórum disperdet.

Regnábit Dóminus in sécula : * Deus tuus, Sion, in generatiónem et generatiónem.

Ant. Laudábo in vita mea Dóminum, qui facit judícium injúriam patiéntibus.

Capitulum. (*Is.* 33.)

DOMINE, miserére nostrî; te enim expectávimus : esto bráchium nostrum in mane, et salus nostra in témpore tribulatiónis.

HYMNUS.

ULTRICIBUS nos úndique Dum sáucias telis, Deus,

Quis ferre, te præter, queat
Mœréntibus solátium ?
MUNDUS facessat : nil opis
Favóre præstat fútili :
Fallácibus quin ásperat
Alitque fomentis malum.
FLAGELLA nos terrent tua ;
Non illa spem demunt tamen :
Quæ ferre nos jubes, Pater,
Fiunt medéla vúlnerum.
AT ímpetus libídinum
Ferocientes cómprime ;
Hæc vera nos vexant mala,
Sanáre quæ solus potes.
QUID ergo cessas ? ingruunt
Intùs forisque prælia ;
Hosti-ne præda mens erit
Christi redempta sánguine ?
AUDIS precantes : ánxiæ
Spes blanda jam menti redit :
O Christe, tetros mors tua
Mortis pavóres díscutit.
SIT Trinitáti glória,
Quæ sic flagellis *quos* amat
Exercet, ut clementiæ
Rursum recordétur *suæ*.
Amen.

℣. Exultábo manè misericórdiam tuam ; ℟. Quia factus es susceptor meus in die tribulatiónis. *Ps.* 58.

Ad Benedictus, *Ant.* 8. *G.* Per víscera misericórdiæ Dei nostri visitávit nos óriens ex alto, illumináre his qui in ténebris et in umbra mortis sedent. *Luc.* 1.

AD PRIMAM.

Ant. 3. c. Exurge.

PSALMUS 43.

Ecclesia priora in se Dei beneficia recolens, posterioraque exponens mala, opem sibi a Deo poscit.

DEUS, áuribus nostris audívimus, patres nostri annuntiavérunt nobis opus * quod operátus es in diébus eórum, et in diébus antíquis.

Manus tua *gentes* dispérdidit, et plantásti eos : * afflixísti pópulos, et expulísti eos.

Nec enim in *gládio* suo possedérunt terram, * et brachium eórum non salvávit eos :

Sed déxtera tua, et brachium tuum, et illuminátio vultûs tui ; * quóniam complacuísti in eis.

Tu es ipse rex meus, et Deus meus, * qui mandas salútes Jacob.

In te inimícos nostros ventilábimus cornu, * et in nómine tuo spernémus insurgentes in nobis.

Non enim in arcu meo sperábo, * et gládius meus non salvábit me.

Salvasti enim nos de affligéntibus nos, * et odientes nos confudísti.

DIVISIO PSALMI 43.

IN Deo laudábimur totâ die ; * et in nómine tuo confitébimur in séculum.

Nunc autem repulisti, et confudisti nos; * et non egrediéris, Deus, in virtútibus nostris.

Avertisti nos retrorsùm post inimícos nostros; * et qui odérunt nos, diripiébant sibi.

Dedisti nos tanquam oves escárum, * et in géntibus dispersisti nos.

Vendidisti pópulum tuum sine prétio, * et non fuit multitúdo in commutatiónibus eórum.

Posuisti nos oppróbrium vicínis nostris, * subsannatiónem et derísum his qui sunt in circúitu nostro.

Posuisti nos in similitúdinem géntibus, * commotiónem cápitis in pópulis.

Totâ die verecúndia mea contra me est; * et confúsio faciéi meæ coopéruit me,

A voce exprobrantis et obloquentis, * à fácie inimíci et persequentis.

Hæc ómnia venérunt super nos; nec oblíti sumus te, * et iníquè non égimus in testamento tuo.

Et non recessit retrò cor nostrum, * et declinasti sémitas nostras à via tua;

Quóniam humiliasti nos in loco afflictiónis, * et coopéruit nos umbra mortis.

ALTERA DIVISIO PSALMI 43.

Si oblíti sumus nomen Dei nostri, * et si expándimus manus nostras ad deum aliénum:

Nonne Deus requíret ista? * ipse enim novit abscóndita cordis.

Quóniam propter te mortificámur totâ die, * æstimáti sumus sicut oves occisiónis.

Exurge, quare obdormis, Dómine? * exurge, et ne repellas in finem.

Quare fáciem tuam avertis? * oblivísceris inópiæ nostræ et tribulatiónis nostræ?

Quóniam humiliáta est in púlvere ánima nostra, * conglutinátus est in terra venter noster.

Exurge, Dómine, ádjuva nos; * et rédime nos propter nomen tuum.

Ant. Exurge, quare obdormis, Dómine? exurge, et ne repellas in finem.

AD TERTIAM.

Ant. 2. D. Circumdedérunt.

PSALMUS 39.

Christus mortis et inferi victor, Deo Patri pro *se gratias agit*, pro *suis membris* preces offert.

Expectans expectávi Dóminum, * et intendit mihi.

Et exaudívit preces meas; * et eduxit me de lacu misériæ, et de luto fæcis.

Et státuit super petram pedes meos, * et direxit gressus meos.

Et immísit in os meum cánticum novum, * carmen Deo nostro.

Vidébunt multi, et timébunt; * et sperábunt in Dómino.

Beátus vir cujus est nomen

Dómini spes ejus, * et non respexit in vanitátes et insánias falsas.

Multa fecisti tu, Dómine Deus meus, mirabília tua; * et cogitatiónibus tuis non est qui símilis sit tibi.

Annuntiávi et locútus sum: * multiplicáti sunt super número.

Sacrifícium et oblatiónem noluisti; * aures autem perfecisti mihi.

Holocaustum et pro peccáto non postulasti: * tunc dixi, Ecce vénio.

In cápite libri scriptum est de me, ut fácerem voluntátem tuam: * Deus meus, vólui, et legem tuam in médio cordis mei.

DIVISIO PSALMI 39.

Annuntiavi justítiam tuam *in ecclésia magna*; * *ecce lábia* mea non prohibébo: Dómine, tu scisti.

Justítiam tuam non abscondi in corde meo: * veritátem *tuam* et salutáre tuum dixi.

Non abscondi misericórdiam tuam et veritátem tuam * à concílio multo.

Tu autem, Dómine, ne longè fácias miseratiónes tuas à me: * misericórdia tua et véritas tua semper suscepérunt me.

Quóniam circumdedérunt me mala, quorum non est número; * comprehendérunt me iniquitátes meæ, et non pótui ut vidérem.

Multiplicátæ sunt super capillos cápitis mei; * et cor meum derelíquit me.

Compláceat tibi, Dómine, ut éruas me: * Dómine, ad adjuvandum me réspice.

Confundantur et revereantur simul, qui quærunt ánimam meam, * ut áuferant eam.

Convertantur retrorsum, et revereantur, * qui volunt mihi mala.

Ferant confestim confusiónem suam, * qui dicunt mihi: Euge, euge.

Exultent et lætentur super te omnes quærentes te; * et dicant semper: Magnificétur Dóminus, qui díligunt salutáre tuum.

Ego autem mendícus sum et pauper: * Dóminus sollícitus est meî.

Adjútor meus, et protector meus tu es: * Deus meus, ne tardáveris.

PSALMUS 57.

Christus inimicorum suorum injustitiam arguit et Dei vindictam in ipsis prænuntiat.

Si verè útique justítiam loquímini, * recta judicáte, fílii hóminum.

Etenim in corde iniquitátes operámini; * in terra injustítias manus vestræ concínnant.

Alienáti sunt peccatóres à vulva, erravérunt ab útero: * locúti sunt falsa.

Furor illis secundùm similitúdinem serpentis: * si-

cut áspidis surdæ, et obturantis aures suas;

Quæ non exáudiet vocem incantántium, * et venéfici incantantis sapienter.

Deus cónteret dentes eórum in ore ipsórum: * molas leónum confringet Dóminus.

Ad níhilum devénient tanquam aqua decurrens: * intendit arcum suum, donec infirmentur.

Sicut cera quæ fluit, auferentur: * supercécidit ignis, et non vidérunt solem.

Priusquàm intellígerent spinæ vestræ rhamnum; * sicut viventes, sic in ira absórbet eos.

Lætábitur justus, cùm víderit vindictam: * manus suas lavábit in sánguine peccatóris.

Et dicet homo: Si útique est fructus justo, * útique est Deus júdicans eos in terra.

Ant. Circumdedérunt me mala, quorum non est número: compláceat tibi, Dómine, ut éruas me. *Ps.* 39.

Capitulum. (2. *Cor.* 1.)

Supra modum graváti sumus supra virtútem, ita ut tæderet nos étiam vívere. Sed ipsi in nobismetipsis responsum mortis habúimus, ut non simus fidentes in nobis, sed in Deo qui súscitat mórtuos; qui de tantis perículis nos erípuit, et éruit; in quem sperámus quóniam et adhuc erípiet.

℟. *br.* Multiplicáti sunt, * Qui odérunt me gratis. Multiplicáti sunt. ℣. Confortáti sunt * qui persecúti sunt me injuste, * Qui odérunt me gratis. Glória Patri. Multiplicáti sunt. *Ps.* 68.

℣. Dómine, ne elongáveris auxílium tuum à me: ℟. Ad defensiónem meam cónspice. *Ps.* 21.

AD SEXTAM.

Ant. 5. a. Potum meum.

PSALMUS 101.

Ecclesiæ, inter hujus mundi adversa, spes in Dei verbo, per quod omnia facta sunt.

Dómine, exaudi oratiónem meam; * et clamor meus ad te véniat.

Non avertas fáciem tuam à me: * in quacumque die tríbulor, inclína ad me aurem tuam.

In quacumque die invocávero te, * velóciter exaudi me;

Quia defecérunt sicut fumus dies mei, * et ossa mea sicut crémium aruérunt.

Percussus sum ut fœnum, et áruit cor meum; * quia oblítus sum comédere panem meum.

A voce gémitûs mei * adhæsit os meum carni meæ.

Similis factus sum pelicáno solitúdinis: * factus sum sicut nyctícorax in domicílio.

Vigilávi, * et factus sum sicut passer solitárius in tecto.

Totà die exprobrábant mihi inimíci mei ; * et qui laudábant me, adversùm me jurábant.

Quia cinerem tanquam panem manducábam, * et potum meum cum fletu miscébam,

A fácie iræ et indignatiónis tuæ; * quia élevans allisisti me.

Dies mei sicut umbra declinavérunt ; * et ego sicut fœnum árui.

Tu autem, Dómine, in æternum pérmanes; * et memoriále tuum in generatiónem et generatiónem.

DIVISIO PSALMI 101.

Tu exurgens miseréberis Sion, * quia tempus miserendi ejus, quia venit tempus;

Quóniam placuérunt servis tuis lápides ejus, * et terræ ejus miserebuntur.

Et timébunt gentes nomen tuum, Dómine, * et omnes reges terræ glóriam tuam ;

Quia ædificávit Dóminus Sion, * et vidébitur in glória sua.

Respexit in oratiónem humílium, * et non sprevit precem eórum.

Scribantur hæc in generatióne áltera : * et pópulus qui creábitur, laudábit Dóminum ;

Quia prospexit de excelso sancto suo : * Dóminus de cœlo in terram aspexit ;

Ut audíret gémitus compeditórum, * ut sólveret fílios interemptórum ;

Ut annúntient in Sion nomen Dómini, * et laudem ejus in Jerúsalem,

In conveniendo pópulos in unum, et reges, * ut serviant Dómino.

Respondit ei in via virtútis suæ : * Paucitátem diérum meórum núntia mihi.

Ne révoces me in dimídio diérum meórum : * in generatiónem et generatiónem anni tui.

ALTERA DIVISIO PSALMI 101.

Initio tu, Dómine, terram fundasti : * et ópera mánuum tuárum sunt cœli.

Ipsi períbunt ; * tu autem pérmanes :

Et omnes sicut vestimentum veterascent ; * et sicut opertórium mutábis eos, et mutabuntur.

Tu autem idem ipse es, * et anni tui non deficient.

Fílii servórum tuórum habitábunt ; * et semen eórum in séculum dirigétur.

Ant. Potum meum cum fletu miscébam, à fácie iræ et indignatiónis tuæ, Dómine.

Capitulum. (*Hebr.* 12.)

Vobis, tanquam fíliis, lóquitur [Deus] dicens : Fili mi, noli negligere disciplínam Dómini, neque fatigéris dum ab eo argúeris : quem enim díligit Dóminus, castígat; flagellat autem omnem

fílium quem récipit. In disciplína perseveráte.

℟. *br.* Ego, Dómine, * In flagella parátus sum. Ego. ℣. Et dolor meus * in conspectu meo semper : * In flagella. Glória Patri. Ego, Dómine.

℣. Dómine, ante te omne desidérium meum ; ℟. Et gémitus meus à te non est abscónditus. *Ps.* 37.

AD NONAM.

Ant. 6. *F.* Deus meus.

PSALMUS 21.

Christus in Cruce Patrem obsecrat ut sibi adsit, et gentium conversionem prædicit.

Deus, Deus meus, réspice in me : quare me dereliquisti? * longè à salúte mea verba delictórum meórum.

Deus meus, clamábo per diem, et non exáudies; * et nocte, et non ad insipiéntiam mihi.

Tu autem in sancto hábitas, * laus Israel.

In te speravérunt patres nostri : * speravérunt, et liberasti eos.

Ad te clamavérunt, et salvi facti sunt: * in te speravérunt, et non sunt confúsi.

Ego autem sum vermis et non homo ; * oppróbrium hóminum, et abjéctio plebis

Omnes videntes me, derisérunt me : * locúti sunt lábiis, et movérunt caput.

Sperávit in Dómino, erípiat eum ; * salvum fáciat eum, quóniam vult eum.

Quóniam tu es qui extraxisti me de ventre; * spes mea ab ubéribus matris meæ.

In te projectus sum ex útero : * de ventre matris meæ Deus meus es tu.

DIVISIO PSALMI 21.

[Deus meus] ne discésseris à me, * quóniam tribulátio próxima est, quóniam non est qui ádjuvet.

Circumdedérunt me vituli multi : * tauri pingues obsedérunt me.

Aperuérunt super me os suum, * sicut leo rápiens et rúgiens.

Sicut aqua effúsus sum, * et dispersa sunt ómnia ossa mea.

Factum est cor meum tanquam cera liquescens * in médio ventris mei.

Aruit tanquam testa virtus mea, et lingua mea adhæsit fáucibus meis ; * et in púlverem mortis deduxisti me.

Quóniam circumdedérunt me canes multi ; * concílium malignántium obsédit me.

Fodérunt manus meas et pedes meos : * dinumeravérunt ómnia ossa mea.

Ipsi verò consideravérunt et inspexérunt me : * divisérunt sibi vestimenta mea, et super vestem meam misérunt sortem.

Tu autem, Dómine, ne elongáveris auxílium tuum

à me : * ad defensiónem meam cónspice.

Erue à framea, Deus, ánimam meam, * et de manu canis únicam meam.

Salva me ex ore leónis, * et à córnibus unicórnium humilitátem meam.

Narrábo nomen tuum frátribus meis : * in médio ecclésiæ laudábo te.

ALTERA DIVISIO PSALMI 21.

Qui timétis Dóminum, laudáte eum : * universum semen Jacob, glorificáte eum.

Tímeat eum omne semen Israel; * quóniam non sprévit neque despexit deprecatiónem páuperis.

Nec avértit fáciem suam à me; * et cùm clamárem ad eum, exaudívit me.

Apud te laus mea in eccléssia magna : * vota mea reddam in conspectu timéntium eum.

Edent páuperes, et saturabúntur; et laudábunt Dóminum qui requírunt eum : * vivent corda eórum in séculum séculi.

Reminiscéntur et converténtur ad Dóminum * universi fines terræ.

Et adorábunt in conspectu ejus * universæ famíliæ géntium;

Quóniam Dómini est regnum, * et ipse dominábitur géntium.

Manducavérunt et adoravérunt omnes pingues terræ : * in conspectu ejus cadent omnes qui descendunt in terram.

Et ánima mea illi vivet; * et semen meum sérviet ipsi.

Annuntiábitur Dómino generátio ventúra; * et annuntiábunt cœli justítiam ejus pópulo qui nascétur, quem fecit Dóminus.

Ant. Deus meus, quare me dereliquisti? longè à salúte meâ verba delictórum meórum.

Capitulum. (*Thren.* 5.)

Quare in perpétuum obliviscéris nostri? derelinques nos in longitúdine diérum? Converte *nos*, *Dómine*, *ad* te, et convertémur : ínnova dies nostros, sicut à princípio; sed projíciens repulisti nos, irátus es contra nos vehementer.

℟. *br.* Usquequò, Dómine, * Obliviscéris me in finem? Usquequò. ℣. Usquequò exaltábitur * inimícus meus super me? * Obliviscéris me. Glória Patri. Usquequò. *Ps.* 12.

℣. Exurge, Dómine Deus, exaltétur manus tua : ℟. Ne obliviscáris páuperum. *Ps.* 9.

AD VESPERAS.

Ant. 4. A. Supra dorsum.

PSALMUS 128.

Christi et Ecclesiæ prælia et victoriæ.

Sæpe expugnavérunt me à juventúte mea, * dicat nunc Israel.

Sæpè expugnavérunt me à

juventúte mea; * étenim non potuérunt mihi.

Supra dorsum meum fabricavérunt peccatóres : * prolongavérunt iniquitátem suam.

Dóminus justus * concídit cervíces peccatórum.

Confundantur et convertantur retrorsùm * omnes qui odérunt Sion.

Fiant sicut fœnum tectórum, * quod, priusquàm evellátur, exáruit :

De quo non implévit manum suam, qui metit; * et sinum suum, qui manípulos cólligit.

Et non dixérunt qui præteríbant : Benedíctio Dómini super vos : * benedíximus vobis in nómine Dómini.

Ant. Supra dorsum meum fabricavérunt peccatóres : prolongavérunt iniquitátem suam.

Ant. 2. D. Posuisti.

PSALMUS 138.

Dei ubique præsentis et omnia cognoscentis mirabilis scientia. Vox Christi in passione.

DOMINE, probasti me, et cognovisti me : * tu cognovisti sessiónem meam, et resurrectiónem meam.

Intellexisti cogitatiónes meas de longè : * sémitam meam, et funículum meum investigasti.

Et omnes vias meas prævidisti, * quia non est sermo in lingua mea.

Ecce, Dómine, tu cognovisti ómnia, novíssima et antíqua : * tu formasti me, et posuisti super me manum tuam.

Mirábilis facta est sciéntia tua ex me : * confortáta est, et non pótero ad eam.

Quò ibo à spíritu tuo? * et quò à fácie tua fúgiam?

Si ascéndero in cœlum, tu illic es : * si descéndero in infernum, ades :

Si súmpsero pennas meas dilúculo, * et habitávero in extrémis maris;

Etenim illuc manus tua dedúcet me, * et tenébit me déxtera tua.

Et dixi : Fórsitan ténebræ conculcábunt me; * et nox illuminátio mea in delíciis meis.

Quia ténebræ non obscurabuntur à te; et nox sicut dies illuminábitur : * sicut ténebræ ejus, ita et lumen ejus.

Quia tu possedisti renes meos : * sucepisti me de útero matris meæ.

Ant. Posuisti super me manum tuam, Dómine : quò à fácie tua fúgiam?

Ant. 6. F. Confitébor tibi.

DIVISIO PSALMI 138.

CONFITEBOR tibi, [Dómine] quia terribíliter magnificátus es; * mirabília ópera tua, et ánima mea cognoscit nimis.

Non est occultátum os meum à te quod fecisti in

occulto : * et substántia mea in inferióribus terræ.

Imperfectum meum vidérunt óculi tui; et in libro tuo omnes scribentur : * dies formabuntur, et nemo in eis.

Mihi autem nimis honorificáti sunt amíci tui, Deus : * nimis confortátus est principátus eórum.

Dinumerábo eos, et super arénam multiplicabuntur : * exurrexi, et adhuc sum tecum.

Si occíderis, Deus, peccatóres : * viri sánguinum, declináte à me;

Quia dícitis in cogitatióne : * Accípient in vanitáte civitátes tuas.

Nonne qui odérunt te, Dómine, óderam? * et super inimícos tuos tabescébam?

Perfecto ódio óderam illos; * et inimíci facti sunt mihi.

Proba me, Deus, et scito cor meum : * intérroga me, et cognosce sémitas meas;

Et vide si via iniquitátis in me est, * et deduc me in via æterna.

Ant. Confitébor tibi, Dómine, quia terribíliter magnificátus es; ánima mea cognoscit nimis.

Ant. 3. b. Custódi me, Dómine.

PSALMUS 139.

Se ab improbis defendi precatur Ecclesia.

Eripe me, Dómine, ab hómine malo : * à viro iníquo éripe me.

Qui cogitavérunt iniquitátes in corde : * totâ die constituébant prælia.

Acuérunt linguas suas sicut serpentis : * venénum áspidum sub lábiis eórum.

Custódi me, Dómine, de manu peccatóris; * et ab homínibus iníquis éripe me.

Qui cogitavérunt supplantáre gressus meos : * abscondérunt superbi láqueum mihi,

Et funes extendérunt in láqueum : * juxta iter scándalum posuérunt mihi.

Dixi Dómino : Deus meus es tu; * exaudi, Dómine, vocem deprecatiónis meæ.

Ant. Custódi me, Dómine, de manu peccatóris.

Ant. 7. c. Dómine, Dómine.

DIVISIO PSALMI 139.

Domine, Dómine, virtus salútis meæ, * obumbrasti super caput meum in die belli.

Ne tradas me, Dómine, à desidério meo peccatóri : * cogitavérunt contra me; ne derelinquas me, ne fortè exaltentur.

Caput circúitus eórum; * labor labiórum ipsórum opériet eos.

Cadent super eos carbónes : in ignem dejícies eos; * in miséria non subsistent.

Vir linguósus non dirigétur in terra : * virum injustum mala cápient in intéritu.

Cognóvi quia fáciet Dó-

minus judícium ínopis, * et vindictam páuperum.

Verúmtamen justi confitebuntur nómini tuo; * et habitábunt recti cum vultu tuo.

Ant. Dómine, Dómine, virtus salútis meæ, ne derelinquas me.

Capitulum. (*Hebr.* 12.)

DEPONENTES omne pondus et circumstans nos peccátum, per patiéntiam currámus ad propósitum nobis certámen; aspicientes in auctórem fídei et consummatórem Jesum, qui, propósito sibi gáudio, sustínuit crucem, confusióne *contemptâ*.

HYMNUS.

LUGETE, pacis Angeli:
Mortális en ultrò Deus,
Culpæ gerens imáginem,
Pœnam nocentûm sústinet.

AMORIS ô miráculum!
O cordis humáni stupor!
Insons Deus neci datur;
Pigébit et sontes pati!

Nos sempiternis crux tua,
O Christe, flammis éruit:
Hic ure, vindex, híc seca,
Parcas in æternum modò.

CARO reclámat; sed Patris
Urget voluntas: nos tuà
Virtúte da fortes sequi,
Jesu, quod exemplo doces.

LIVORE sanátos tuo,
Tuoque lotos sánguine,
Peccando ne novam sinas
Paráre nos tibi crucem.

QUI Fílium tradit, Patri,
Natoque sit laus víctimæ:
Par sit tibi laus, qui sacram
Succendis aram, Spíritus.
Amen.

℣. Clamávi ad te, Dómine, totâ die: ℟. Expandi ad te manus meas. *Ps.* 87.

Ad Magníficat, *Ant.* 1. *D.* Fecit Dóminus poténtiam in bráchio suo: dispersit superbos mente cordis tui. *Luc.* 1.

AD COMPLETORIUM.

Ant. 2. D. Dómine.

PSALMUS 37.

Mala hujus vitæ sustinenda ad obtinendam peccatorum veniam.

DOMINE, ne in furóre tuo árguas me, * neque in ira tua corrípias me;

Quóniam sagittæ tuæ infixæ sunt mihi, * et confirmasti super me manum tuam.

Non est sánitas in carne mea à fácie iræ tuæ: * non est pax óssibus meis à fácie peccatórum meórum.

Quóniam iniquitátes meæ supergressæ sunt caput meum: * et sicut onus grave gravátæ sunt super me.

Putruérunt et corruptæ sunt cicatrices meæ, * à fácie insipiéntiæ meæ.

Miser factus sum et curvátus sum usque in finem: * totâ die contristátus ingrediébar.

Quóniam lumbi mei impléti sunt illusiónibus; * et non est sánitas in carne mea.

Afflictus sum et humiliátus sum nimis : * rugiébam a gémitu cordis mei.

Dómine, ante te omne desidérium meum ; * et gémitus meus a te non est abscónditus.

Cor meum conturbátum est, derelíquit me virtus mea ; * et lumen oculórum meórum, et ipsum non est mecum.

DIVISIO PSALMI 37.

Amici mei, et próximi mei * adversùm me appropinquavérunt et stetérunt.

Et qui juxta me erant, de longè stetérunt ; * et vim faciébant qui quærébant ánimam meam.

Et qui inquirébant mala mihi, locúti sunt vanitátes, * et dolos totâ die meditabántur.

Ego autem tanquam surdus non audiébam, * et sicut mutus non apériens os suum.

Et factus sum sicut homo non áudiens, * et non habens in ore suo redargutiónes.

Quóniam in te, Dómine, sperávi : * tu exáudies me, Dómine Deus meus.

Quia dixi : Nequando supergáudeant mihi inimíci mei ; * et, dum commoventur pedes mei, super me magna locúti sunt.

Quóniam ego in flagella parátus sum ; * et dolor meus in conspectu meo semper.

Quóniam iniquitátem meam annuntiábo ; * et cogitábo pro peccáto meo.

Inimíci autem mei vivunt, et confirmáti sunt super me ; * et multiplicáti sunt qui odérunt me iníquè.

Qui retríbuunt mala pro bonis, detrahébant mihi ; * quóniam sequébar bonitátem.

Ne derelinquas me, Dómine Deus meus, * ne discésseris à me.

Intende in adjutórium meum, * Dómine Deus salútis meæ.

PSALMUS 55.

Anima fidelis in Deo sperans, nihil ab homine timet.

Miserere meî, Deus, quóniam conculcávit me homo : * totâ die impugnans tribulávit me.

Conculcavérunt me inimíci mei totâ die, * quóniam multi bellantes adversùm me.

Ab altitúdine diéi timébo ; * ego verò in te sperábo.

In Deo laudábo sermónes meos, in Deo sperávi : * non timébo quid fáciat mihi caro.

Totâ die verba mea execrabantur : * adversùm me omnes cogitatiónes eórum in malum.

Inhabitábunt, et abscondent : * ipsi calcáneum meum observábunt.

Sicut sustinuérunt ánimam meam, pro níhilo sal-

vos fácies illos : * in ira pópulos confringes.

Deus, vitam meam annuntiávi tibi : * posuisti lácrymas meas in conspectu tuo, sicut et in promissióne tua.

Tunc convertentur inimici mei retrorsùm * in quacumque die invocávero te.

Ecce cognóvi * quóniam Deus meus es.

In Deo laudábo verbum : * in Dómino laudábo sermónem.

In Deo sperávi : * non timébo quid fáciat mihi homo.

In me sunt, Deus, vota tua, * quæ reddam laudatiónes tibi;

Quóniam eripuisti ánimam meam de morte, et pedes meos de lapsu ; * ut pláceam coram Deo in lúmine vivéntium.

Ant. Dómine Deus *meus*, ne discésseris à me. *Ps.* 37.

SABBATO.

AD OFFIC. NOCTURNUM.

INVITATORIUM.

Dominus ipse est Deus noster : * Veníte, adorémus.

Ps. 94. Veníte, 2.

HYMNUS.

Tandem peractis, ô Deus,
Sexto diérum límite,
Ponis modum labóribus,
Orbíque plaudis cóndito.
At dum perenni séptimam
Lucem quiéti cónsecras,
En te reposcit dénuo
Alter creatórem labor.
Te cuncta nempe prædicant;
Te terra, pontus, sídera
Cantu celébrant æmulo;
Peccátor unus díssonat.
Tu pectus aufer sáxeum;
Tu cárneum pectus crea :
Et caritátis úberes
Fructus canent hymnum tibi.
Hæc te juvant præcónia,
Si facta voci cónsonent :
Sic efficáci flectitur
Divína majestas prece.
Æterna laus et glória
Uni sit et trino Deo,
Qui cuncta nutu cóndidit,
Nutúque servat cóndita.
Amen.

Ant. 3. a. Propter *innocéntiam*.

PSALMUS 40.

Christus propter nos egenus, morti traditus, resurrectionem suam petit et impetrat.

Beatus qui intélligit super egénum et páuperem; * in die mala liberábit eum Dóminus.

Dóminus conservet eum, et vivíficet eum, et beátum fáciat eum in terra, * et non tradat eum in ánimam inimicórum ejus.

Dóminus opem ferat illi super lectum dolóris ejus : * universum stratum ejus versásti in infirmitáte ejus.

Ego dixi : Dómine, miserére mei ; * sana ánimam

meam, quia peccávi tibi.

Inimíci mei dixérunt mala mihi: * Quando moriétur, et períbit nomen ejus?

Et si ingrediebátur ut vidéret, vana loquebátur: * cor ejus congregávit iniquitátem sibi.

Egrediebátur foràs, * et loquebátur in idipsum.

Adversùm me susurrábant omnes inimíci mei: * adversùm me cogitábant mala mihi.

Verbum iníquum constituérunt adversùm me: * numquid qui dormit, non adjíciet ut resurgat?

Etenim homo pacis meæ, in quo sperávi, qui edébat panes meos, * magnificávit super me supplantatiónem.

Tu autem, Dómine, miserére meî, et resúscita me; * et retríbuam eis.

In hoc cognóvi quóniam voluisti me, * quóniam non gaudébit inimícus meus super me.

Me autem propter innocéntiam suscepisti, * et confirmasti me in conspectu tuo in æternum.

Benedictus Dóminus Deus Israel à século, et usque in séculum: * fiat, fiat.

PSALMUS 48.

Homo de pristino suo statu, per peccatum lapsus, divitiis non redimitur: nihil contra infernum prosunt opes.

Audite hæc, omnes gentes: * áuribus percípite, omnes qui habitátis orbem,

Quique terrígenæ, et fílii hóminum, * simul in unum dives et pauper.

Os meum loquétur sapiéntiam, * et meditátio cordis mei prudéntiam.

Inclinábo in parábolam aurem meam: * apériam in psaltério propositiónem meam.

Cur timébo in die mala? * iníquitas calcánei mei circúmdabit me.

Qui confídunt in virtúte sua, * et in multitúdine divitiárum suárum gloriantur.

Frater non rédimit, rédimet homo: * non dabit Deo placatiónem suam,

Et prétium redemptiónis ánimæ suæ: * et laborábit in æternum, et vivet adhuc in finem.

Non vidébit intéritum, * cùm víderit sapientes morientes.

Simul insípiens et stultus períbunt, * et relinquent aliénis divítias suas.

Et sepulcra eórum domus illórum in æternum; tabernácula eórum in progénie et progénie: * vocavérunt nómina sua in terris suis.

Et homo, cùm in honóre esset, non intellexit: * comparátus est jumentis insipiéntibus, et símilis factus est illis.

Hæc via illórum scándalum ipsis; * et póstea in ore suo complacébunt.

Sicut oves in inferno pósiti sunt: * mors depascet eos.

Et dominabuntur eórum justi in matutíno; et auxílium eórum veterascet in inferno à glória eórum.

Verúmtamen Deus rédimet ánimam meam de manu inferi, * cùm accéperit me.

DIVISIO PSALMI 48.

Ne timúeris, cùm dives factus fúerit homo, * et cùm multiplicáta fúerit glória domûs ejus.

Quóniam, cùm interíerit, non sumet ómnia; * neque descendet cum eo glória ejus.

Quia ánima ejus in vita ipsíus benedicétur: * confitébitur tibi, cùm beneféceris ei.

Introíbit usque in progénies patrum suórum; * et usque in æternum non vidébit lumen.

Homo, cùm in honóre esset, non intellexit: * comparátus est jumentis insipiéntibus, et símilis factus est illis.

Ant. Propter innocéntiam suscepisti me, Deus: et confirmasti me in conspectu tuo in æternum. *Ps.* 40.

Ant. 5. F. Tibi, Deus.

PSALMUS 61.

Frustra oppugnatur, qui Deo subjectus in ejus tutela manet.

Nonne Deo subjecta erit ánima mea? * ab ipso enim salutáre meum.

Nam et ipse Deus meus, et salutáris meus: * susceptor meus, non movébor ámpliùs.

Quousque irrúitis in hóminem? * interfícitis universi vos tanquam paríeti inclináto, et macériæ depulsæ?

Verúmtamen prétium meum cogitavérunt repéllere; cucurri in siti: * ore suo benedicébant, et corde suo maledicébant.

Verúmtamen Deo subjecta esto, ánima mea; * quóniam ab ipso patiéntia mea.

Quia ipse Deus meus, et Salvátor meus; * adjútor meus, non emigrábo.

In Deo salutáre meum, et glória mea: * Deus auxílii mei; et spes mea in Deo est.

Speráte in eo, omnis congregátio pópuli; effúndite coram illo corda vestra: * *Deus* adjútor *noster in* æternum.

Verúmtamen vani fílii hóminum, mendáces fílii hóminum in statéris, * ut decípiant ipsi de vanitáte in idipsum.

Nolíte speráre in iniquitáte, et rapínas nolíte concupíscere: * divítiæ si áfluant, nolíte cor appónere.

Semel locútus est Deus, duo hæc audívi; quia potestas Dei est, et tibi, Dómine, misericórdia; * quia tu reddes unicuíque juxta ópera sua.

PSALMUS 63.

Anima fidelis Dei justitiam contra calumniatores deprecatur.

Exaudi, Deus, oratiónem meam, cùm déprecor : * à timóre inimíci éripe ánimam meam.

Protexisti me à conventu malignántium, * à multitúdine operántium iniquitátem ;

Quia exacuérunt ut gládium linguas suas : * intendérunt arcum, rem amáram, ut sagittent in occultis immaculátum.

Súbitò sagittábunt eum, et non timébunt : * firmavérunt sibi sermónem nequam.

Narravérunt ut abscondérent láqueos : * dixérunt, Quis vidébit eos?

Scrutátisunt iniquitátes: * defecérunt scrutantes scrutínio.

Accédet homo ad cor altum ; * et exaltábitur Deus.

Sagittæ parvulórum factæ sunt plagæ eórum ; * et infirmátæ sunt contra eos linguæ eórum.

Conturbáti sunt omnes qui vidébant eos ; * et tímuit omnis homo,

Et annuntiavérunt ópera Dei ; * et facta ejus intellexérunt.

Lætábitur justus in Dómino, et sperábit in eo ; * et laudabuntur omnes recti corde.

PSALMUS 74.

Frustrà extollunt se iniqui. Deus judex est.

Confitebimur tibi, Deus, * confitébimur, et invocábimus nomen tuum : narrábimus mirabília tua.

Cùm accépero tempus, * ego justítias judicábo.

Liquefacta est terra, et omnes qui hábitant in ea : * ego confirmávi columnas ejus.

Dixi iníquis : Nolíte iníquè ágere ; * et delinquéntibus : Nolíte exaltáre cornu.

Nolíte extóllere in altum cornu vestrum : * nolíte loqui adversùs Deum iniquitátem ;

Quia neque ab oriente, neque ab occidente, * neque à desertis móntibus.

Quóniam Deus judex est: * hunc humíliat, et hunc exaltat.

Quia calix in manu Dómini vini meri plenus mixto ; * et inclinávit ex hoc in hoc.

Verúmtamen fæx ejus non est exinanita : * bibent omnes peccatóres terræ.

Ego autem annuntiábo in séculum : * cantábo Deo Jacob.

Et ómnia córnua peccatórum confringam ; * et exaltabuntur córnua justi.

Ant. Tibi, Deus, confitébimur, et invocábimus nomen tuum : narrábimus mirabília tua. *Ps.* 74.

Ant. 6. F. Cogitátio hóminis.

PSALMUS 75.

Terribilis est Deus in judiciis suis super iniquos.

NOTUS in Judæa Deus: * in Israel magnum nomen ejus.

Et factus est in pace locus ejus, * et habitátio ejus in Sion.

Ibi confrégit poténtias árcuum, * scutum, gládium, et bellum.

Illúminans tu mirabíliter à móntibus æternis: * turbáti sunt omnes insipientes corde.

Dormiérunt somnum suum; * et nihil invenérunt omnes viri divitiárum in mánibus suis.

Ab increpatióne tua, Deus Jacob, * dormitavérunt qui ascendérunt equos.

Tu terríbilis es, et quis resistet tibi? * ex tunc ira tua.

De cœlo audítum fecisti judícium: * terra trémuit, et quiévit,

Cùm exúrgeret in judícium Deus, * ut salvos fáceret omnes mansuétos terræ.

Quóniam cogitátio hóminis confitébitur tibi; * et relíquiæ cogitatiónis diem festum agent tibi.

Vovéte, et réddite Dómino Deo vestro, * omnes qui in circúitu ejus affertis múnera,

Terríbili, et ei qui aufert spíritum príncipum; * terríbili apud reges terræ.

PSALMUS 82.

Infidelium adversus Ecclesiam motus, ipsorumque confusio et interitus.

DEUS, quis símilis erit tibi? * ne táceas, neque compescáris, Deus;

Quóniam ecce inimíci tui sonuérunt: * et qui odérunt te, extulérunt caput.

Super pópulum tuum malignavérunt consílium, * et cogitavérunt adversùs sanctos tuos.

Dixérunt: Veníte, et disperdámus eos de gente; * et non memorétur nomen Israel ultrà.

Quóniam cogitavérunt unanímiter: * simul adversum te testamentum dispositúerunt tabernácula Idumæórum et Ismahelítæ,

Moab, et Agaréni, Gebal, et Ammon, et Amalec; * alienígenæ cum habitántibus Tyrum.

Etenim Assur venit cum illis; * facti sunt in adjutórium fíliis Lot.

Fac illis sicut Mádian, et Sísaræ, * sicut Jabin in torrente Cisson.

Disperiérunt in Endor; * facti sunt ut stercus terræ.

Pone príncipes eórum sicut Oreb, et Zeb, * et Zébee, et Sálmana;

Omnes príncipes eórum, * qui dixérunt: Hæreditáte possideámus sanctuárium Dei.

DIVISIO PSALMI 82.

DEUS meus, pone illos ut

rotam, * et sicut stípulam ante fáciem venti.

Sicut ignis qui combúrit silvam, * et sicut flamma combúrens montes,

Ita persequéris illos in tempestáte tua, * et in ira tua turbábis eos.

Imple fácies eórum ignomíniâ; * et quærent nomen tuum, Dómine.

Erubescant et conturbentur in séculum séculi, * et confundantur, et péreant:

Et cognoscant quia nomen tibi, Dóminus; * tu solus Altíssimus in omni terra.

Ant. Cogitátio hóminis confitébitur tibi; et relíquiæ cogitatiónis diem festum agent tibi. *Ps.* 75.

℣. Confiteantur tibi, Dómine, ómnia ópera tua; ℟. Et sancti tui benedícant tibi. *Ps.* 144.

Pater noster.

℣. *Sacerd.* Repleátur os meum laude, ut cantem glóriam tuam, ℟. Totà die magnitúdinem tuam. *Ps.* 70.

AD LAUDES.

Ant. 4. d. Pérfice.

PSALMUS 16.

Christi pro nobis patientis oratio, cum spe resurgendi.

Exaudi, Dómine, justítiam meam: * intende deprecatiónem meam.

Auribus pércipe oratiónem meam, * non in lábiis dolósis.

De vultu tuo judícium meum pródeat: * óculi tui vídeant æquitátes.

Probasti cor meum, et visitasti nocte: * igne me examinasti; et non est inventa in me iníquitas.

Ut non loquátur os meum ópera hóminum, * propter verba labiórum tuórum ego custodívi vias duras.

Pérfice gressus meos in sémitis tuis, * ut non moveantur vestígia mea.

Ego clamávi, quóniam exaudisti me, Deus: * inclína aurem tuam mihi, et exaudi verba mea.

Mirífica misericórdias tuas, * qui salvos facis sperantes in te.

A resisténtibus déxteræ tuæ custódi me, * ut pupillam óculi.

Sub umbra alárum tuárum prótege me * à fácie impiórum qui me afflixérunt.

Ant Pérfice gressus meos in sémitis tuis, Dómine, ut non moveantur vestígia mea.

Ant. 7. b. In justítia.

DIVISIO PSALMI 16.

Inimici mei ánimam meam circumdedérunt; ádipem suum conclusérunt: * os eórum locútum est supérbiam.

Projicientes me nunc circumdedérunt me: * óculos suos statuérunt declináre in terram.

Suscepérunt me sicut leo parátus ad prædam, * et sicut cátulus leónis hábitans in ábditis.

Exurge, Dómine, prævéni eum, et supplanta eum: * éripe ánimam meam ab ímpio, frámeam tuam ab inimícis manûs tuæ.

Dómine, à paucis de terra dívide eos in vita eórum: * de abscónditis tuis adimplétus est venter eórum.

Saturáti sunt fíliis; * et dimisérunt relíquias suas párvulis suis.

Ego autem in justítia apparébo conspéctui tuo: * satiábor, cùm apparúerit glória tua.

Ant. In justítia apparébo conspéctui tuo: satiábor, cùm apparúerit glória tua.

Ant. 1. *f.* Parátum.

PSALMUS 56.

Christi pro nobis patientis oratio: resurrectio et ascensio ejus prænuntiantur.

Miserere meî, Deus, miserére meî; * quóniam in te confídit ánima mea.

Et in umbra alárum tuárum sperábo, * donec tránseat iníquitas.

Clamábo ad Deum altíssimum, * Deum qui benefécit mihi.

Misit de cœlo, et liberávit me: * dedit in oppróbrium conculcántes me.

Misit Deus misericórdiam suam et veritátem suam; * et erípuit ánimam meam de médio catulórum leónum: dormívi conturbátus.

Fílii hóminum, dentes eórum arma et sagittæ; * et lingua eórum gládius acútus.

Exaltáre super cœlos, Deus; * et in omnem terram glória tua.

Láqueum paravérunt pédibus meis; * et incurvavérunt ánimam meam.

Fodérunt ante fáciem meam fôveam; * et incidérunt in eam.

Parátum cor meum, Deus, parátum cor meum; * cantábo et psalmum dicam.

Exurge, glória mea; exurge, psaltérium et cíthara: * exurgam dilúculo.

Confitébor tibi in pópulis, Dómine: * et psalmum dicam tibi in géntibus;

Quóniam magnificáta est usque ad cœlos misericórdia tua, * et usque ad nubes véritas tua.

Exaltáre super cœlos, Deus; * et super omnem terram glória tua.

Ant. Parátum cor meum, Deus, parátum cor meum: cantábo, et psalmum dicam.

Ant. 5. a. Date magnificéntiam.

In Feriis,

CANTICUM MOYSI.

(Deut. 32.)

Populi sui infidelitates, Deique vindictas et miserationes prænuntiat.

Audite, cœli, quæ loquor; * áudiat terra verba oris mei.

Concrescat ut plúvia doctrína mea: * fluat ut ros elóquium meum.

Quasi imber super her-

bam, * et quasi stillæ super grámina.

Quia nomen Dómini invocábo: * date magnificéntiam Deo nostro.

Dei perfecta sunt ópera, et omnes viæ ejus judícia: * Deus fidélis, et absque ulla iniquitáte, justus et rectus.

Peccavérunt ei, et non fílii ejus in sórdibus: * generátio prava atque perversa.

Hæccine reddis Dómino, * pópule stulte et insípiens?

Numquid non ipse est pater tuus, * qui possédit te, et fecit, et creávit te.

Memento diérum antiquórum: * cógita generatiónes síngulas.

Interroga patrem tuum, et annuntiábit tibi: * majóres tuos, et dicent tibi.

Quando dividébat Altíssimus gentes, * quando separábat fílios Adam,

Constítuit términos populórum * juxta número filiórum Israel.

Pars autem Dómini pópulus ejus: * Jacob funículus hæreditátis ejus.

Invénit eum in terra deserta, * in loco horróris, et vastæ solitúdinis.

Circumduxit eum, et dócuit, * et custodívit quasi pupillam óculi sui.

Sicut áquila próvocans ad volandum pullos suos, * et super eos vólitans,

Expandit alas suas, et assumpsit eum, * atque portávit in húmeris suis.

Dóminus solus dux ejus fuit; * et non erat cum eo deus aliénus.

Constítuit eum super excelsam terram, * ut comédéret fructus agrórum,

Ut súgeret mel de petra, * oleumque de saxo duríssimo;

Bútyrum de armento, et lac de óvibus, * cum ádipe agnórum et aríétum filiórum Basan,

Et hircos cum medulla trítici; * et sánguinem uvæ bíberet meracíssimum.

Incrassátus est dilectus, et recalcitrávit; * incrassátus, impinguátus, dilatátus.

Derelíquit Deum factórem suum, * et recessit à Deo salutári suo.

Provocavérunt eum in diis aliénis; * et in abominatiónibus ad iracúndiam concitavérunt.

Immolavérunt dæmóniis, et non Deo; * diis quos ignorábant.

Novi recentesque venérunt, * quos non coluérunt patres eórum.

Deum qui te génuit, dereliquisti; * et oblítus es Dómini creatóris tui.

Vidit Dóminus, et ad iracúndiam concitátus est; * quia provocavérunt eum fílii sui, et fíliæ.

Et ait: Abscondam fáciem meam ab eis, * et considerábo novíssima eórum;

Generátio enim perversa est, * et infidéles fílii.

Ipsi me provocavérunt in

eo qui non erat deus, *et irritavérunt in vanitátibus suis.

Et ego provocábo eos in eo qui non est pópulus, * et in gente stulta irritábo illos.

Ignis succensus est in furóre meo, * et ardébit usque ad inferni novíssima;

Devorabitque terram cum gérmine suo, * et móntium fundamenta combúret.

Congregábo super eos mala; * et sagittas meas complébo in eis.

Consumentur fame, * et devorábunt eos aves morsu amaríssimo.

Dentes bestiárum immittam in eos, * cum furóre trahéntium super terram, atque serpéntium.

Foris vastábit eos gládius et intùs pavor, * júvenem simul ac vírginem, lactentem *cum hómine sene.*

Dixi: Ubinam sunt? * cessáre fáciam ex homínibus memóriam eórum.

Sed propter iram inimicórum dístuli, * ne fortè superbírent hostes eórum;

Et dícerent: Manus nostra excelsa, et non Dóminus, * fecit hæc *ómnia.*

Gens absque consílio est, et sine prudéntia: * útinam sáperent, et intellígerent, ac novíssima providérent!

Quómodò persequátur unus mille, * et duo fugent decem míllia?

Nonne ídeò quia Deus suus véndidit eos, * et Dóminus conclúsit illos?

Non enim est Deus noster ut dii eórum; * et inimíci nostri sunt júdices.

De vínea Sodomórum, vínea eórum, * et de suburbánis Gomorrhæ.

Uva eórum, uva fellis; * et botri amaríssimi.

Fel dracónum vinum eórum, * et venénum áspidum insanábile.

Nonne hæc cóndita sunt apud me, * et signáta in thesauris meis?

Mea est últio, et ego retríbuam in témpore, * ut labátur pes eórum.

Juxtà est dies perditiónis; * et adesse festínant témpora.

Judicábit Dóminus pópulum suum, * et in servis suis miserébitur.

Vidébit quòd infirmáta sit *manus*, * et clausi quoque defecérunt, residuíque consumpti sunt.

Et dicet: Ubi sunt dii eórum, * in quibus habébant fidúciam;

De quorum víctimis comedébant ádipes, * et bibébant vinum libáminum?

Surgant, et *opitulentur* vobis, * et in necessitáte vos prótegant.

Vidéte quòd ego sim solus, * et non sit álius Deus præter me.

Ego occídam, et ego vívere fáciam; percútiam, et ego sanábo: * et non est qui de manu mea possit erúere.

Levábo ad cœlum manum

meam, et dicam: * Vivo ego in æternum.

Si acúero ut fulgur gládium meum, * et arripúerit judícium manus mea,

Reddam ultiónem hóstibus meis; * et his qui odérunt me, retríbuam:

Inebriábo sagittas meas sánguine, * et gládius meus devorábit carnes,

De cruóre occisórum, * et de captivitáte, nudáti inimicórum cápitis.

Laudáte, gentes, pópulum ejus; * quia sánguinem servórum suórum ulciscétur:

Et vindictam retríbuet in hostes eórum, * et propítius erit terræ pópuli sui.

Ant. Date magnificéntiam Deo nostro: Dei perfecta sunt ópera.

[*In festis Simpl. loco superioris cant. dicitur seq. In Semidupl. verò et supra, dicitur cant. de Prop. vel de Comm. S.*

CANTICUM.

(Judith 16.)

Plebs Judæa, pro debellato Holopherno, Deo gratulatur.

Incipite Dómino in tympanis: * cantáte Dómino in cymbalis.

Modulámini illi psalmum novum: * exaltáte, et invocáte nomen ejus.

Dóminus cónterens bella: * Dóminus nomen est illi.

Qui pósuit castra sua in médio pópuli sui, * ut eríperet nos de manu ómnium inimicórum nostrórum.

Venit Assur ex móntibus ab Aquilóne, * in multitúdine fortitúdinis suæ.

Cujus multitúdo obturávit torrentes, * et equi eórum cooperuérunt valles.

Dixit se incensúrum fines meos, * et júvenes meos occisúrum gládio,

Infantes meos dare in prædam, * et vírgines in captivitátem.

Dóminus autem omnípotens nócuit eum, et trádidit eum in manus féminæ, * et confódit eum.]

Ant. 2. D. Laudáte Dómin.

PSALMUS 116.

Misericordia et veritas Dei in populum suum a gentibus laudanda.

Laudate Dóminum, omnes gentes: * laudáte eum, omnes pópuli;

Quóniam confirmáta est super nos misericórdia ejus, * et véritas Dómini manet in æternum.

Ant. Laudáte Dóminum, omnes pópuli; quóniam confirmáta est super nos misericórdia ejus.

Capitulum. (*Coloss.* 1.)

Non cessámus pro vobis orantes, et postulantes ut impleámini agnitióne voluntátis Dei, in omni sapiéntia et intellectu spirituáli; ut ambulétis dignè Deo, per ómnia placentes, in omni ópere bono fructificántes, et crescentes in sciéntia Dei, in omni virtúte confortáti se-

cundùm poténtiam claritátis ejus.

HYMNUS.

RERUM Creátor ómnium,
Nostros labóres ádjuva;
Ut casta Christi nómine
Nos vita dignos árguat.

TU nempe sanctus et potens,
Placére das solus tibi:
Tu legis auctor das sequi
Quod lege præmonstras iter.

CINGUNT iter perícula,
Tu lúbricos firma pedes;
Et certióre férvidi
Pergémus ad metam gradu.

O META felix, pax ubi
Et vera nos manet quies;
Ubi voluptátis sacro
Torrente potábis tuos!

TE mens, ô alma Trínitas,
Anhélat ardens, te sitit:
Tuà redemptis grátiâ,
Æterna redde præmia. Am.

℣. Dedùc me, Dómine, et ingrédiar in veritáte tua: ℟. Lætétur cor meum, ut tímeat nomen tuum. *Ps.* 85.

Ad Benedictus, *Ant.* 8. G. Dírige pedes nostros in viam pacis, Deus Israel. *Luc.* 1.

AD PRIMAM.

Ant. 7. *d.* Notam.

PSALMUS 87.

Justus ab inimícis vexatus, et ab amícis derelictus, se Deo commendat.

DOMINE Deus salútis meæ, * in die clamávi et nocte coram te.

Intret in conspectu tuo orátio mea: * inclína aurem tuam ad precem meam;

Quia repléta est malis ánima mea, * et vita mea inferno appropinquávit.

Æstimátus sum cum descendéntibus in lacum: * factus sum sicut homo sine adjutório, inter mórtuos liber:

Sicut vulnerati dormientes in sepulcris, quorum non es memor ámpliùs; * et ipsi de manu tua repulsi sunt.

Posuérunt me in lacu inferióri, * in tenebrósis, et in umbra mortis.

Super me confirmátus est furor tuus, * et omnes fluctus tuos induxisti super me.

Longè fecisti notos meos à me: * posuérunt me abominatiónem sibi.

Tráditus sum, et non egrediébar: * óculi mei languérunt præ inópia.

Clamávi ad te, Dómine, totà die; * expandi ad te manus meas.

Numquid mórtuis fácies mirabília? * aut médici suscitábunt, et confitebuntur tibi?

Numquid narrábit áliquis in sepulcro misericordiam tuam, * et veritátem tuam in perditióne?

Numquid cognoscentur in ténebris mirabília tua; * et justítia tua in terra oblivionis?

Et ego ad te, Dómine, clamávi; * et mane orátio mea prævéniet te.

Ut quid, Dómine, repellis oratiónem meam? * avertis fáciem tuam à me?

Pauper sum ego, et in labóribus à juventúte mea : * exaltátus autem, humiliátus sum et conturbátus.

In me transiérunt iræ tuæ; * et terróres tui conturbavérunt me.

Circumdedérunt me sicut aqua totâ die; * circumdedérunt me simul.

Elongasti à me amícum et próximum, * et notos meos à miséria.

PSALMUS 142.

Oratio pœnitentis opem Dei deprecantis.

Domine, exaudi oratiónem meam : * áuribus pércipe obsecratiónem meam in veritáte tua; exaudi me in tua justítia.

Et non intres in judícium cum servo tuo; * quia non justificábitur in conspectu tuo omnis vivens.

Quia persecútus est inimícus ánimam meam : * humiliávit in terra vitam meam.

Collocávit me in obscúris sicut mórtuos séculi; * et anxiátus est super me spíritus meus : in me turbátum est cor meum.

Memor fui diérum antiquórum : meditátus sum in ómnibus opéribus tuis; * in factis mánuum tuárum meditábar.

Expandi manus meas ad te; * ánima mea sicut terra sine aqua tibi.

Velóciter exaudi me, Dómine; * defécit spíritus meus.

Non avertas fáciem tuam à me; * et símilis ero descendéntibus in lacum.

Audítam fac mihi mane misericórdiam tuam; * quia in te sperávi.

Notam fac mihi viam in qua ámbulem; * quia ad te levávi ánimam meam.

DIVISIO PSALMI 142.

Eripe me de inimícis meis, Dómine; ad te confúgi : * doce me fácere voluntátem tuam, quia Deus meus es tu.

Spíritus tuus bonus dedúcet me in terram rectam : * propter nomen tuum, Dómine, vivificábis me in æquitáte tua.

Edúces de tribulatióne ánimam meam; * et in misericórdia tua disperdes inimícos meos.

Et perdes omnes qui tríbulant ánimam meam; * quóniam ego servus tuus sum.

Ant. Notam fac mihi viam in qua ámbulem; quia ad te levávi ánimam meam, Dómine. *Ps.* 142.

AD TERTIAM.

Ant. 4. a. Afferte Dómino.

PSALMUS 28.

Christi regnum : vox prædicationis Evangelicæ.

Afferte Dómino, fílii Dei; * afferte Dómino fílios aríetum.

Afferte Dómino glóriam

et honórem; afferte Dómino glóriam nómini ejus : * adoráte Dóminum in átrio sancto ejus.

Vox Dómini super aquas; Deus majestatis intónuit : * Dóminus super aquas multas.

Vox Dómini in virtúte : * vox Dómini in magnificéntia.

Vox Dómini confringentis cedros; * et confringet Dóminus cedros Líbani;

Et commínuet eas tanquam vítulum Líbani; * et dilectus quemádmodùm fílius unicórnium.

Vox Dómini intercidentis flammam *ignis* : vox Dómini concutientis desertum; * et commovébit Dóminus desertum Cades.

Vox Dómini præparantis cervos, et revelábit *condensa*; * et in templo ejus omnes dicent glóriam.

Dóminus dilúvium inhabitáre facit, * et sedébit Dóminus rex in æternum.

Dóminus virtútem pópulo suo dabit : * Dóminus benedícet pópulo suo in pace.

PSALMUS 44.

Carmen nuptiale de Christi et Ecclesiæ dotibus.

ERUCTAVIT cor meum verbum bonum : * dico ego *ópera mea regi*.

Lingua mea * cálamus scribæ velóciter scribentis.

Speciósus formâ præ fíliis hóminum : diffúsa est grátia in lábiis tuis; * propterèa benedixit te Deus in æternum.

Accíngere gládio tuo super femur tuum, * Potentíssime.

Spécie tuâ et pulchritúdine tuâ intende, * próspere procéde,

Et regna propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam; * et dedúcet temirabíliter déxtera tua.

Sagittæ tuæ acútæ, pópuli sub te cadent, * in corda inimícorum regis.

Sedes tua, Deus, in séculum séculi : * virga directiónis, virga regni tui.

Dilexísti justítiam, et odísti iniquitátem; * propterèa unxit te Deus, Deus tuus, óleo lætítiæ, præ consórtibus tuis.

Myrrha, et gutta, et cásia à *vestimentis tuis*, à *dómibus* ebúrneis; * ex quibus delectavérunt te fíliæ regum in honóre tuo.

Astitit regína à dextris tuis in vestítu deauráto, * circúmdata varietáte.

Audi, fília, et vide, et inclína aurem tuam; * et oblivíscere pópulum tuum, et domum patris tui :

Et concupíscet rex decórem tuum, * quóniam ipse est Dóminus Deus tuus; et adorábunt eum.

Et fíliæ Tyri in munéribus : * vultum tuum deprecabuntur omnes dívites plebis.

Omnis glória ejus fíliæ

régis ab intús : * in fímbriis áureis, circumamicta varietátibus.

Adducentur regi vírgines post eam : * próximæ ejus afferentur tibi.

Afferentur in lætítia et exultatióne; * adducentur in templum regis.

Pro pátribus tuis nati sunt tibi fílii : * constítues eos príncipes super omnem terram.

Mémores erunt nóminis tui * in omni generatióne et generatiónem.

Proptéreà pópuli confitebuntur tibi in æternum * et in séculum séculi.

PSALMUS 149.

Laudandus Deus, qui exaltavit mansuetos in salutem.

CANTATE Dómino cánticum novum : * laus ejus in eccléśia sanctórum.

Lætétur Israel in eo qui fecit eum; * et fílii Sion exultent in rege suo.

Laudent nomen ejus in choro : * in tympano et psaltério psallant ei ;

Quia beneplácitum est Dómino in pópulo suo, * et exaltábit mansuétos in salútem.

Exultábunt sancti in glória : * lætabuntur in cubílibus suis.

Exaltatiónes Dei in gúttura eórum; * et gládii ancípites in mánibus eórum,

Ad faciendam vindictam in natiónibus, * increpatiónes in pópulis :

Ad alligandos reges eórum in compédibus, * et nóbiles eórum in mánicis férreis ;

Ut fáciant in eis judícium conscriptum : * glória hæc est ómnibus sanctis ejus

Ant. Afferte Dómino glóriam et honórem. *Ps.* 28.

Capitulum. (*Coloss.* 3.)

OMNE quodcumque fácitis, in verbo aut in ópere, ómnia in nómine Dómini Jesu Christi ; grátias agentes Deo et Patri per ipsum.

℟. *br.* Benedícam Dóminum * In omni témpore. Benedícam. ℣. *Semper laus ejus* * in ore meo, * In omni témpore. Glória Patri. Benedícam. *Ps.* 33.

℣. Laudábo Dóminum in vita mea : ℟. Psallam Deo meo, quámdiu fúero. *Ps.* 145.

AD SEXTAM.

Ant. 1. *g.* Adjútor.

PSALMUS 45.

Ecclesia, in se habens Deum inhabitantem, non commovebitur.

DEUS noster refúgium et virtus : * adjútor in tribulatiónibus quæ invenérunt nos nimis.

Proptéreà non timébimus, dum turbábitur terra, * et transferentur montes in cor maris.

Sonuérunt et turbátæ sunt aquæ eórum : * conturbáti sunt montes in fortitúdine ejus.

Flúminis ímpetus lætíficat civitátem Dei : * sanctificávit tabernáculum suum Altíssimus.

Deus in médio ejus ; non commovébitur : * adjuvábit eam Deus mane dilúculo.

Conturbátæ sunt gentes, et inclináta sunt regna : * dedit vocem suam, mota est terra.

Dóminus virtútum nobiscum, * susceptor noster Deus Jacob.

Veníte, et vidéte ópera Dómini, quæ pósuit prodígia super terram, * áuferens bella usque ad finem terræ.

Arcum cónteret, et confringet arma, * et scuta combúret igni.

Vacáte, et vidéte quóniam ego sum Deus : * exaltábor in géntibus, et exaltábor in terra.

Dóminus virtútum nobiscum, * susceptor noster Deus Jacob.

PSALMUS 47.

Ecclesia Dei frustrà oppugnatur : Deus fundavit eam in æternum.

MAGNUS Dóminus, et laudábilis nimis, * in civitáte Dei nostri, in monte sancto ejus.

Fundátur exultatióne universæ terræ mons Sion, * látera Aquilónis, cívitas Regis magni.

Deus in dómibus ejus cognoscétur, * cùm suscípiet eam.

Quóniam ecce reges terræ congregáti sunt : * convenérunt in unum.

Ipsi vidéntes sic admiráti sunt, * conturbáti sunt, commóti sunt.

Tremor apprehendit eos : * ibi dolóres ut parturiéntis.

In spíritu vehementi * conteres naves Tharsis.

Sicut audívimus, sic vídimus in civitáte Dómini virtútum, in civitáte Dei nostri : * Deus fundávit eam in æternum.

Suscépimus, Deus, misericórdiam tuam * in médio templi tui.

Secundùm nomen tuum, Deus, sic et laus tua in fines terræ : * justítiâ plena est déxtera tua.

Lætétur mons Sion, et exultent fíliæ Judæ, * propter judícia tua, Dómine.

Circúmdate Sion, et complectímini eam : * narráte in túrribus ejus.

Pónite corda vestra in virtúte ejus, et distribúite domos ejus, * ut enarrétis in progénie áltera ;

Quóniam hic est Deus, Deus noster in æternum, et in séculum séculi : * ipse reget nos in sécula.

PSALMUS 86.

Ecclesiæ Dei dilatatio ; ipse fundavit eam Altissimus.

FUNDAMENTA ejus in móntibus sanctis : * díligit Dóminus portas Sion super ómnia tabernácula Jacob.

Gloriósa dicta sunt de te, * cívitas Dei.

Memor ero Rahab et Babylónis, * sciéntium me.

Ecce alienígenæ, et Tyrus, et pópulus Æthiopum; * hi fuérunt illic.

Numquid Sion dicet: Homo, et homo natus est in ea; * et ipse fundávit eam Altíssimus?

Dóminus narrábit in scriptúris populórum et príncipum, * horum qui fuérunt in ea.

Sicut lætántium ómnium * habitátio est in te.

Ant. Adjútor noster Deus; proptéreà non timébimus. *Ps.* 45.

Capitulum. (2. *Petr.* 1.)

SATAGITE ut per bona ópera certam vestram vocatiónem et electiónem faciátis; hæc enim facientes, non peccábitis aliquando.

℟. *br.* Quærite Dóminum, * Et confirmámini. Quærite. ℣. Quærite * fáciem ejus semper, * Et confirmámini. Glória Patri. Quærite Dóminum. *Ps.* 104.

℣. Accédite ad eum, et illuminámini; ℟. Et fácies vestræ non confundentur. *Ps.* 33.

AD NONAM.

Ant. 8. c. Pauper.

PSALMUS 59.

Christus mala gentis suæ deflet, regnique sui dilatationem prænuntiat.

DEUS, repulisti nos, et destruxisti nos: * irátus es, et misertus es nobis.

Commovisti terram, et conturbasti eam: * sana contritiónes ejus, quia commóta est.

Ostendisti pópulo tuo dura: * potasti nos vino compunctiónis.

Dedisti metuéntibus te significatiónem, * ut fúgiant à fácie arcùs;

Ut liberentur dilecti tui: * salvum fac déxterà tuà, et exaudi me.

Deus locútus est in sancto suo: * Lætábor, et partíbor Síchimam, et convallem tabernaculórum metíbor.

Meus est Gálaad, et meus est Manasses; * et Ephraim fortitúdo cápitis mei:

Juda rex meus, * Moab olla spei meæ.

In Idumæam extendam calceamentum meum: * mihi alienígenæ súbditi sunt.

Quis dedúcet me in civitátem munítam? * quis dedúcet me usque in Idumæam?

Nonne tu, Deus, qui repulisti nos; * et non egrediéris, Deus, in virtútibus nostris?

Da nobis auxílium de tribulatióne, * quia vana salus hóminis.

In Deo faciémus virtútem; * et ipse ad níhilum dedúcet tribulantes nos.

PSALMUS 73.

Inter hujus mundi calamitates refugium nostrum in Deo omnium creatore.

UT quid, Deus, repulisti in

finem? * irátus est furor tuus super oves páscuæ tuæ?

Memor esto congregatiónis tuæ, * quam possedisti ab inítio.

Redemisti virgam hæreditátis tuæ: * mons Sion, in quo habitasti in eo.

Leva manus tuas in superbias eórum in finem: * quanta malignátus est inimícus in sancto!

Et gloriáti sunt qui odérunt te, * in médio solemnitátis tuæ.

Posuérunt signa sua, signa; * et non cognovérunt, sicut in éxitu super summum.

Quasi in sylva lignórum secúribus excidérunt jánuas ejus in idipsum: * in secúri et áscia dejecérunt eam.

Incendérunt igni sanctuárium tuum: * in terra polluérunt tabernáculum nóminis tui.

Dixérunt in corde suo cognátio eórum simul: * Quiéscere faciámus omnes dies festos Dei à terra.

Signa nostra non vídimus: jam non est prophéta; * et nos non cognoscet ámpliùs.

DIVISIO PSALMI 73.

Usquequo, Deus, improperábit inimícus? * irritat adversárius nomen tuum in finem?

Ut quid avertis manum tuam et déxteram tuam * de médio sinu tuo in finem?

Deus autem, rex noster ante sécula, * operátus est salútem in médio terræ.

Tu confirmasti in virtúte tua mare; * contribulasti cápita dracónum in aquis.

Tu confregisti cápita dracónis: * dedisti eum escam pópulis Æthiopum.

Tu dirupisti fontes et torrentes: * tu siccasti flúvios Ethan.

Tuus est dies, et tua est nox: * tu fabricátus es auróram et solem.

Tu fecisti omnes términos terræ: * æstátem et ver, tu plasmasti ea.

Memor esto hujus, inimícus improperávit Dómino; * et pópulus insípiens incitávit nomen tuum.

Ne tradas béstiis ánimas confitentes tibi; * et ánimas páuperum tuórum ne obliviscáris in finem.

Réspice in testamentum tuum; * quia repléti sunt, qui obscuráti sunt terræ, dómibus iniquitátum.

Ne avertátur húmilis factus confúsus: * pauper et inops laudábunt nomen tuum.

Exurge, Deus, júdica causam tuam: * memor esto improperiórum tuórum, eórum quæ ab insipiente sunt totà die.

Ne obliviscáris voces inimicórum tuórum: * superbia eórum qui te odérunt, ascendit semper.

Ant. Pauper et inops lau-

dábunt nomen tuum Dómine. *Ps.* 73.

Capitulum. (*Philipp.* 4.)

QUÆCUMQUE sunt vera, quæcumque pudíca, quæcumque justa, quæcumque sancta, quæcumque amabília, quæcumque bonæ famæ, si qua virtus, si qua laus disciplínæ, hæc cogitáte.

℟. *br.* Mandasti justítiam * Testimónia tua. Mandasti. ℣. Et veritátem tuam * nimis, * Testimónia tua. Glória Patri. Mandasti.

℣. Feci judícium et justítiam: ℟. Non tradas me calumniántibus me. *Ps.* 118.

AD VESPERAS.

Ant. 4. *D.* Beáti omnes.

PSALMUS 127.

Christi et Ecclesiæ filii in circuitu mensæ Domini.

BEATI omnes qui timent Dóminum, * qui ámbulant in viis ejus.

Labóres mánuum tuárum quia manducábis: * beátus es, et bene tibi erit.

Uxor tua *sicut* vitis abundans * in latéribus domûs tuæ.

Fílii tui sicut novellæ olivárum * in circúitu mensæ tuæ.

Ecce sic benedicétur homo, * qui timet Dóminum.

Benedícat tibi Dóminus ex Sion; * et vídeas bona Jerúsalem ómnibus diébus vitæ tuæ.

Et vídeas fílios filiórum tuórum, * pacem super Israel.

Ant. Beáti omnes qui timent Dóminum, qui ámbulant in viis ejus.

Ant. 1. a. Surge, Dómine.

PSALMUS 131.

Christus promissus: per ipsum Deus Ecclesiam suam inhabitat, sacerdotes ejus induit salutari, pauperesque saturat panibus.

MEMENTO, Dómine, David, * et omnis mansuetúdinis ejus.

Sicut jurávit Dómino, * votum vovit Deo Jacob:

Si introíero in tabernáculum domûs meæ, * si ascéndero in lectum strati mei:

Si dédero somnum óculis meis, * et pálpebris meis dormitatiónem,

Et réquiem tempóribus meis, donec invéniam locum Dómino, * tabernáculum Deo Jacob.

Ecce audívimus eam in Ephrata: * invénimus eam in campis sylvæ.

Introíbimus in tabernáculum ejus: * adorábimus in loco ubi stetérunt pedes ejus.

Surge, Dómine, in requiem tuam; * tu et arca sanctificatiónis tuæ.

Sacerdótes tui induantur justítiam; * et sancti tui exultent.

Propter David servum tuum, * non avertas fáciem christi tui.

Ant. Surge, Dómine, in réquiem tuam; et sancti tui exultent.

Ant. 7. ç. Sion réquies mea.

DIVISIO PSALMI 131.

JURAVIT Dóminus David veritátem, et non frustrábitur eum: * De fructu ventris tui ponam super sedem tuam.

Si custodíerint fílii tui testamentum meum, * et testimónia mea hæc quæ docébo eos;

Et fílii eórum usque in séculum * sedébunt super sedem tuam.

Quóniam elégit Dóminus Sion: * elégit eam in habitatiónem sibi.

Hæc réquies mea in séculum séculi: * hic habitábo, quóniam elégi eam.

Víduam ejus benedícens benedícam: * páuperes ejus saturábo pánibus.

Sacerdótes ejus índuam salutári; * et sancti ejus exultatióne exultábunt.

Illuc prodúcam cornu David: * parávi lucernam christo meo.

Inimícos ejus índuam confusióne; * super ipsum autem efflorébit sanctificátio mea.

Ant. Sion réquies mea in séculum séculi: sancti ejus exultatióne exultábunt.

Ant. 2. D. Deus meus;

PSALMUS 143.

Christus pro populo sibi subdito gratias agit: Ecclesia sibi opem postulat.

BENEDICTUS Dóminus Deus meus, qui docet manus meas ad prælium, * et dígitos meos ad bellum.

Misericórdia mea, et refúgium meum; * susceptor meus, et liberátor meus.

Protector meus, et in ipso sperávi: * qui subdit pópulum meum sub me.

Dómine, quid est homo, quia innotuisti ei? * aut fílius hóminis, quia réputas eum?

Homo vanitáti símilis factus est: * dies ejus sicut umbra prætéreunt.

Dómine, inclína cœlos tuos, et descende: * tange montes, et fumigábunt.

Fúlgura coruscatiónem, et dissipábis eos: * emitte sagittas tuas, et conturbábis eos.

Emitte manum tuam de alto: éripe me, et líbera me de aquis multis, * de manu filiórum alienórum,

Quorum os locútum est vanitátem; * et déxtera eórum, déxtera iniquitátis.

Ant. Deus meus, misericórdia mea, et susceptor meus.

Ant. 6. F. Beátus.

DIVISIO PSALMI 143.

DEUS, cánticum novum cantábo tibi: * in psaltério decachordo psallam tibi.

Qui das salútem régibus; * qui redemisti David servum tuum de gládio maligno, éripe me,

Et érue me de manu filió

rum alienórum, quorum os locútum est vanitátem; * et déxtera eórum, déxtera iniquitátis:

Quorum fílii sicut novellæ plantatiónes * in juventúte sua.

Filiæ eórum compósitæ, * circumornátæ ut similitúdo templi.

Promptuária eórum plena, * eructántia ex hoc in illud.

Oves eórum fœtósæ, abundantes in egréssibus suis; * boves eórum crassæ.

Non est ruína macériæ, neque tránsitus, * neque clamor in platéis eórum.

Beátum dixérunt pópulum cui hæc sunt: * beátus pópulus, cujus Dóminus Deus ejus.

Ant. Beátus pópulus, cujus Dóminus Deus ejus.

Capitulum. (*Tit.* 2.)

Salvator noster Jesus Christus dedit semetipsum pro nobis, ut nos redímeret ab omni iniquitáte, et mundáret sibi pópulum acceptábilem, sectatórem bonórum óperum.

HYMNUS.

Supreme motor córdium,
Tu sanctitátis frúgibus
Justos ab orbe cóndito
Tenóre ditas pérpeti.

Hic spes, fides et cáritas
Dulci cohærent vínculo:
Præsentis ævi post diem
Manébit una cáritas.

O caritas! ô véritas!
O lux perennis! en erit,
Post tot labóres, ut tuo
Tandem fruámur Sábbato.

Hic mille per discrímina
Semen gementes spárgimus;
Illic ovante spléndidam
Gestábimus messem manu.

Tu trine, tu potens Deus,
Fructus adauge quos petis:
Mox dona, justus árbiter,
Cœlo coronábis tua.

Amen.

℣. Beneplácitum est Dómino in pópulo suo; ℟. Et exaltábit mansuétos in salútem. *Ps.* 149.

Ad Magníficat, *Antiph. et Oratio, ut in Proprio.*

AD COMPLETORIUM.

Ant. 8. G. Miserére meî.

PSALMUS 50.

Animæ pœnitentis oratio. Ecclesiæ bona desideranda.

Miserere meî, Deus, * secundùm magnam misericórdiam tuam.

Et secundùm multitúdinem miseratiónum tuárum * dele iniquitátem meam.

Ampliùs lava me ab iniquitáte mea, * et à peccáto meo munda me;

Quóniam iniquitátem meam ego cognosco, * et peccátum meum contra me est semper.

Tibi soli peccávi, et malum coram te feci; * ut justificéris in sermónibus tuis, et vincas cùm judicáris.

Ecce enim in iniquitáti-

bus conceptus sum, * et in peccátis concépit me mater mea.

Ecce enim veritátem dilexisti: * incerta et occulta sapiéntiæ tuæ manifestasti mihi.

Asperges me hyssópo, et mundábor: * lavábis me, et super nivem dealbábor.

Audítui meo dabis gáudium et lætítiam; * et exultábunt ossa humiliáta.

Averte fáciem tuam à peccátis meis, * et omnes iniquitátes meas dele.

Cor mundum crea in me, Deus; * et spíritum rectum ínnova in viscéribus meis.

Ne projícias me à fácie tua; * et Spíritum sanctum tuum ne áuferas à me.

Redde mihi lætítiam salutáris tui; * et spíritu principáli confirma me.

Docébo iníquos vias tuas; * et ímpii ad te convertentur.

Líbera me de sanguínibus, Deus, Deus salútis meæ; * et exultábit lingua mea justítiam tuam.

Dómine, lábia mea apéries; * et os meum annuntiábit laudem tuam.

Quóniam si voluisses sacrifícium, dedissem útique; * holocaustis non delectáberis.

Sacrifícium Deo spíritus contribulátus: * cor contrítum et humiliátum, Deus, non despícies.

Benignè fac, Dómine, in bona voluntáte tua Sion, * ut ædificentur muri Jerúsalem.

Tunc acceptábis sacrifícium justítiæ, oblatiónes et holocausta; * tunc impónent super altáre tuum vítulos.

PSALMUS 85.

Christus in angustiâ mortis à Deo Patre salutem poscit.

Inclina, Dómine, aurem tuam, et exaudi me; * quóniam inops et pauper sum ego.

Custódi ánimam meam, quóniam sanctus sum: * salvum fac servum tuum, Deus meus, sperantem in te.

Miserére meî, Dómine, quóniam ad te clamávi totâ die: * lætífica ánimam servi tui, quóniam ad te, Dómine, ánimam meam levávi.

Quóniam tu, Dómine, suávis et mitis; * et multæ misericórdiæ ómnibus invocántibus te.

Auribus pércipe, Dómine, oratiónem meam; * et intende voci deprecatiónis meæ.

In die tribulatiónis meæ clamávi ad te, * quia exaudisti me.

Non est símilis tuî in diis, Dómine; * et non est secundùm ópera tua.

Omnes gentes, quascumque fecisti, vénient et adorábunt coram te, Dómine, * et glorificábunt nomen tuum;

Quóniam magnus es tu, et fáciens mirabília; * tu es Deus solus.

DIVISIO PSALMI 85.

Deduc me, Dómine, in via tua, et ingrédiar in veritáte tua : * lætétur cor meum, ut tímeat nomen tuum.

Confitébor tibi, Dómine Deus meus, in toto corde meo, * et glorificábo nomen tuum in æternum ;

Quia misericórdia tua magna est super me, * et eruisti ánimam meam ex inferno inferióri.

Deus, iníqui insurrexérunt super me, et synagóga poténtium quæsiérunt ánimam meam ; * et non proposuérunt te in conspectu suo.

Et tu, Dómine, Deus miserátor et miséricors, * pátiens, et multæ misericórdiæ, et verax.

Réspice in me, et miserére meî : * da impérium tuum púero tuo, et salvum fac fílium ancillæ tuæ.

Fac mecum signum in bonum, ut vídeant qui odérunt me, et confundantur; * quóniam tu, Dómine, adjuvisti me, et consolátus es me.

Ant. Miserére meî, Dómine; quóniam ad te clamávi totâ die. *Ps.* 85.

Hymnus, Capit. etc. habentur infrà post Suffragia ad Vesperas.

IN FERIIS PER ANNUM.

AD LAUDES.

In Feriis IV Temporum et Vigiliis simplicibus, dicuntur flexis genibus PRECES *seq.*

KYRIE, eléison. Christe, eléison. Kyrie, eléison.

Pater noster, *secretò.*

℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem ; ℟. Sed líbera nos à malo.

℣. Ego dixi : Dómine, miserére meî : ℟. Sana ánimam meam, quia peccávi tibi. *Ps.* 40.

℣. Convértere, Dómine : úsquequò? ℟. Et deprecábilis esto super servos tuos. *Ps.* 89.

℣. Fiat misericórdia tua, Dómine, super nos; ℟. Quemádmodùm *sperávimus in te. Ps.* 32.

℣. Sacerdótes tui induantur justítiam ; ℟. Et sancti tui exultent. *Ps.* 131.

℣. *Orémus* Pro Papâ nostro N. ℟. Pascat hæreditátem Dómini in innocentiâ cordis sui.

℣. Pro Pastóre nostro *N.* ℟. Dóminus conservet eum, et vivíficet eum. *Ps.* 40.

℣. Memor esto congregatiónis tuæ, ℟. Quam possedisti ab initio. *Ps.* 73.

℣. Dómine, salvum fac regem nostrum *N.* ℟. Et exaudi nos in die quâ invocavérimus te. *Ps.* 19.

℣. Salvum fac pópulum tuum, Dómine, et benedic hæreditáti tuæ : ℟. Et rege eos, et extolle illos usque in æternum. *Ps.* 27.

℣. Rogáte quæ ad pacem sunt Jerúsalem : ℟. Fiat pax in virtúte tua, et abundántia in túrribus tuis. *Ps.* 121.

℣. Orémus pro frátribus nostris absséntibus. ℟. Bénefac, Dómine, bonis et rectis corde. *Ps.* 124.

℣. Pro infirmis, afflictis, et captívis. ℟. Líbera, Deus, Israel exómnibus tribulatiónibus suis. *Ps.* 24.

℣. Pro cunctis fidélibus defunctis. ℟. Educat eos Dóminus in lucem, et vídeant *justítiam ejus. Mich.* 7.

Deinde dicitur Psalmus De profundis, *qui habetur suprà in Vesperis Feriæ quartæ*; et *in fine*, Glória Patri.

[*In Vesperis, ejus loco dicitur Ps.* Miserére, *suprà*, 153, *cum* Glória Patri.]

Finito Psalmo, dicitur :

℣. Dómine Deus virtútum, converte nos : ℟. Et ostende fáciem tuam, et salvi érimus. *Ps.* 79.

℣. Exurge, Dómine, ádjuva nos; ℟. Et rédime nos

propter nomen tuum. *Ps.* 43.

℣. Dómine, exaudi oratiónem meam; ℟. Et clamor meus ad te véniat. *Ps.* 101.

℣. Dóminus vobiscum, ℟. Et cum spíritu tuo.

Et dicitur Oratio conveniens.

Dicto Benedicámus, *si facienda sit Commemoratio de aliquo Sancto, fit eo loco.*

Deinde fiunt Suffragia, seu Commemorationes communes, ut sequitur.

DE S. CRUCE

[*In Officio Feriali tantùm.*]

Ant. Peccáta nostra Christus pértulit in córpore suo super lignum; ut peccátis mórtui, justítiæ vivámus 1. *Petr.* 2.

℣. Ipse rédimet Israel ℟. Ex ómnibus iniquitátibus ejus. *Ps.* 129.

Orémus.

PERPETUA nos, quæsumus, Dómine, pace custódi, quos per lignum sanctæ Crucis redímere dignátus es; Qui vivis et regnas Deus.

℟. Amen.

[*Si sequatur Officium parvum B. Mariæ, tunc fit integra conclusio:* Qui vivis et regnas cum Deo Patre in unitáte Spíritûs sancti Deus, per ómnia sécula seculórum.

℟. Amen.

℣. Dóminus vobiscum.

℣. Benedicámus Dómino.

Deinde inchoatur Officium parvum, quod dicitur in Feriis et Festis simplicibus.

Ubi verò non dicitur, ejus loco fit suffragium sequens:]

DE B. MARIA.

Ant. Benedicentur in te et in sémine tuo cunctæ tribus terræ. *Gen.* 28.

℣. Pópuli confitebuntur tibi in æternum: ℟. Mémores erunt nóminis tui. *Ps.* 44.

Orémus.

CONCEDE nos fámulos tuos, quæsumus, Dómine Deus, perpétuâ mentis et córporis sanitáte gaudere; et gloriósâ beátæ Maríæ semper Vírginis intercessióne, a præsenti liberári tristítia, et æternâ perfrui lætítiâ; Per Christum, *etc.*

℟. Amen.

DE SANCTA CÆCILIA.

Ant. Fecisti viríliter et confortátum est cor tuum, eò quòd castitátem amáveris; ídeò et manus Dómini confortávit te. *Judith.* 15.

℣. Secundùm puritátem mánuum meárum, ℟. Retríbuet mihi Dóminus. *Ps.* 17.

Orémus.

DEUS, sanctæ puritátis amátor, qui beátæ Cæcíliæ cástum Virginitátis propósitum infudisti: da nobis, quæsumus, sic ejus agónem gloriósum venerári, ut perpétuis ejusdem mereámur

fovéri præsídiis; Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

Posteà fit Comm. de Patrono Ecclesiæ, ac de Titulari, si à Patrono differat. Si autem Ecclesia dedicata sit sub titulo SS. Trinitatis, aut S. Spiritûs, vel alicujus ex Mysteriis Christi, ejusmodi Commemoratio fit post Orationem de Cruce, ante Suffragium de Beatâ. Quòd si in honorem S. Crucis dedicata sit, Commem. de Cruce fit etiam in Festis simplicibus. Si verò sub invocatione S. Mariæ, non fit alia Commemoratio de ea quàm quæ hic habetur. Pariter de S. Cæcilia.

Deinde fit Commem. de omnibus Sanctis, et speciatim de iis quorum Reliquiæ habentur.

Ant. Hi sunt ante thronum Dei, et sérviunt ei die ac nocte in templo ejus; et qui sedet in throno, habitábit super illos. *Apoc.* 7.

℣. In æternum exultábunt, et habitábis in eis; ℟. Et gloriabuntur in te, Dómine. *Ps.* 5.

In Oratione sequenti, extra Eccles. omittitur vox [hac].

OREMUS.

PROPITIARE, quæsumus, Dómine, fámulis tuis, per Sanctórum quorum Relíquiæ in [hac] Ecclésia tua requiescunt, et ómnium Sanctórum, mérita gloriósa; ut eórum intercessióne ab ómnibus semper protegámur adversis; Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

ULTIMO, PRO PACE.

Ant. Deus qui fecit nobiscum secundùm suam misericórdiam, det nobis jucunditátem cordis, et fieri pacem in diébus nostris. *Eccli.* 50.

℣. Dóminus virtútem pópulo suo dabit: ℟. Dóminus benedícet pópulo suo in pace. *Ps* 28.

Orémus

DEUS, à quo sancta desidéria, recta consília et justa sunt ópera: da servis tuis illam quam mundus dare non potest pacem; ut, et corda nostra mandátis tuis dédita, et, hóstium sublátâ formídine, témpora sint tuà protectióne tranquilla; Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum.

℟. Amen.

℣. Dóminus vobiscum, *vel* Dómine, exaudi.

℣. Benedicámus Dómino.

℟. Deo grátias.

AD PRIMAM.

℣. Deus, in adjutórium meum intende, *etc.*

HYMNUS.

JAM lucis orto sídere,
Deum precémur súpplices,
Nostras ut ipse dírigat,
Lux increáta, sémitas.

Nil lingua, nil peccet manus,
Nil mens ináne cógitet :
In ore simplex véritas,
In corde reguet cáritas.

Incœpta dum fluet dies,
O Christe, custos pérvigil,
Quas sævus hostis óbsidet
Portas tuére sénsuum.

Præsta diurnus ut tuæ
Subsérviat laudi labor :
Auctóre quæ te cœpímus,
Da, te favente, prósequi.

Superba ne nimis caro
Menti licenter ímperet ;
Carnis domet superbiam
Potûs cibíque párcitas.

Deo Patri sit glória ;
Ejusque soli Fílio,
Sancto simul cum Spíritu,
Nunc, et per omne séculum.
Amen.

[*In feriali Officio Psalmi et Antiph. dicuntur secundùm Feriam, ut singulis diebus assignantur.*

In Festis verò, Antiph. semper sumitur de Proprio, vel de Communi, et Psalmi tantùm dicuntur de feria, nisi aliter notetur.]

Capitulum. (*Ephes.* 5.)

Videte, fratres, quómodò cautè ambulétis, non quasi insipientes, sed ut sapientes ; redimentes tempus, quóniam dies mali sunt.

℟. *br.* Christe, Fili Dei vivi, * Miserére nobis. *Repet.* Christe, Fili Dei vivi, * Miserére nobis. ℣. Qui sedes ad déxteram Patris, [*hic versus quandoquè mutandus est, ut notatur in Proprio.*] * Miserére nobis. Glória Patri, et Fílio, et Spirítui sancto. *Repet.* Christe, Fili Dei vivi, * Miserére nobis. *Matth.* 16. *Tob.* 8. *Hebr.* 1.

℣. Exurge, Dómine, ádjuva nos ; ℟. Et rédime nos propter nomen tuum. *Ps.* 43.

PRECES.

Quando ad Laudes dictæ sunt Preces, hæ dicuntur flexis genibus.

Omittuntur verò in Semiduplicibus et intra Octavas : et tunc, post ℣. Exurge, *suprà, statim dicitur :* Dóminus vobiscum, *et oratio :* Dómine, Deus omnípotens, *infrà.*

Kyrie, eléison. Christe, eléison. Kyrie, eléison.

Pater noster, *secretò.*

℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem ; ℟. Sed líbera nos à malo.

Credo in Deum. ℣. Carnis resurrectiónem, ℟. Vitam æternam. Amen.

℣. Et ego ad te, Dómine, clamávi ; ℟. Et mane orátio mea prævéniet te. *Ps.* 87.

℣. Repleátur os meum laude ; ℟. Ut cantem glóriam tuam, totà die magnitúdinem tuam. *Ps.* 70.

℣. Averte fáciem tuam à peccátis meis ; ℟. Et omnes iniquitátes meas dele. *Ps.* 50.

℣. Cor mundum crea in me, Deus ; ℟. Et spíritum rectum ínnova in viscéribus meis. *Ps.* 50.

℣. Ne projícias me à fácie tua; ℟. Spíritum sanctum tuum ne áuferas à me. *Ps.* 50.

℣. Redde mihi lætítiam salutáris tui; ℟. Et spíritu principáli confirma me. *Ps.* 50.

[*Quandò preces non dicuntur flexis genibus, hic dicitur* ℣. Adjutórium, *et fit confessio, ut infrà. Quandò autem genua flectuntur, adduntur seq.* ℣℣. *ante* Adjutórium.

℣. Eripe me, Dómine, ab hómine malo: ℟. A viro iníquo éripe me. *Ps.* 139.

℣. Eripe me de inimícis meis, Deus meus; ℟. Et ab insurgéntibus in me líbera me. *Ps.* 58.

℣. Eripe me de operántibus iniquitátem; ℟. Et de viris sánguinum salva me. *Ps.* 58.

℣. Sic psalmum dicam nómini tuo in séculum séculi, ℟. Ut reddam vota mea de die in diem. *Ps.* 60.

℣. Dírige me, Dómine, in veritáte tua, et doce me; ℟. Quia tu es Deus salvátor meus. *Ps.* 24.

℣. Deus, in adjutórium meum intende; ℟. Dómine, ad adjuvandum me festína. *Ps.* 69.

℣. Reminíscere miseratiónum tuárum, Dómine, ℟. Et misericordiárum tuárum quæ à século sunt. *Ps.* 24.

℣. Bénedic, ánima mea, Dómino; ℣. Et ómnia quæ intra me sunt, nómini sancto ejus. *Ps.* 102.

℣. Bénedic, ánima mea, Dómino; ℟. Et noli oblivísci omnes retributiónes ejus. *Ps.* 102.

℣. Qui propitiátur ómnibus iniquitátibus tuis; ℟. Qui sanat omnes infirmitátes tuas. *Ps.* 102.

℣. Qui rédimit de intéritu vitam tuam; ℟. Qui corónat te in misericórdia et miseratiónibus. *Ps.* 102.

℣. Qui replet in bonis desidérium tuum: ℟. Renovábitur ut áquilæ juventus tua. *Ps.* 102.]

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini, ℟. Qui fecit cœlum et terram. *Ps.* 123.

Hebdomadarius facit Confessionem, mediocri voce dicens:

Confíteor Deo omnipoténti, beátæ Maríæ semper vírgini, beáto Michaéli Archángelo, beáto Joanni Baptístæ, sanctis Apóstolis Petro et Paulo, ómnibus Sanctis, [et vobis, fratres] quia peccávi nimis cogitatióne, verbo et ópere, meâ culpâ, meâ culpâ, meâ máximâ culpâ. Ideò precor beátam Maríam semper vírginem, beátum Michaélem Archángelum, beátum Joannem Baptístam, sanctos Apóstolos Petrum et Paulum, omnes Sanctos, [et vos, fratres] oráre pro me ad Dóminum Deum nostrum.

Chorus dicit:

Misereátur tuî omnípotens Deus; et, dimissis peccátis tuis, perdúcat te ad

vitam æternam. *Hebdomadarius respondet*, Amen.

Deinde Chorus facit Confessionem; et ubi dictum est vobis, fratres, *et* vos, fratres, *dicit* tibi, pater, *et* te, pater.

Factâ Confessione à Choro, Hebdomadarius dicit:

Misereatur vestrî omnípotens Deus; et dimissis peccátis vestris, perdúcat vos ad vitam æternam. ℟. Amen.

[*Qui extra chorum recitat, semel dicit*, Confiteor, *omissis vocibus quæ clauduntur parenthesi, et additâ particulâ* et, *ante voces* ómnibus *et* omnes. *Deinde* Misereátur, *semel, ad quod dicit*, nostrî, nostris, nos.]

Indulgentiam, absolutiónem, et remissiónem peccatórum nostrórum tríbuat nobis omnípotens et miséricors Dóminus. ℟. Amen.

Elevans vocem, dicit:

℣. Exaudi nos, Deus, salutáris noster, ℟. Spes ómnium fínium terræ. *Ps.* 64.

℣. Miserére nostrî, Dómine, ℟. Misérere nostrî. *Ps.* 122.

℣. Fiat misericórdia tua, Dómine, super nos, ℟. Quemádmodùm sperávimus in te. *Ps.* 32.

℣. Dómine, exaudi oratiónem meam; ℟. Et clamor meus ad te véniat. *Ps.* 101.

℣. Dóminus vobisc., *etc.*

Orémus.

Domine, Deus omnípotens, qui ad princípium hujus diéi nos pervenire fecisti: tuâ nos hódie salva virtúte; ut ad nullum declinémus peccátum, sed semper ad tuam justítiam faciendam nostra procédant elóquia, dirigantur cogitatiónes et ópera; Per Dóminum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritûs sancti Deus, per ómnia sécula seculórum. ℟. Amen.

℣. Dóminus vobiscum, ℟. Et cum spíritu tuo.

℣. Benedicámus Dómino. ℟. Deo grátias.

Si dicenda sit Prima de Officio parvo B. Mariæ, præponitur Officio Capituli.

AD OFFICIUM CAPITULI.

Primò fit lectio Martyrologii, in cujus fine nihil respondetur; deindè Hebdomadarius dicit:

℣. Pretiósa in conspectu Dómini ℟. Mors Sanctórum ejus. *Ps.* 115.

Sancta María, et omnes Sancti ádjuvent nos in oratiónibus suis pro nobis ad Deum; ut secundum eum qui vocávit nos, Sanctum, et ipsi in omni conversatióne sancti simus. *Rom.* 15. 1. *Petr.* 1. ℟. Amen.

Posteà dicitur: ℣. Deus, in adjutórium meum intende: ℟. Dómine, ad adjuvandum me festína. *Ps.* 69.

℣. Deus, in adjutórium meum intende: ℟. Dómine,

ad adjuvandum me festína.

℣. Deus, in adjutórium meum intende : ℟. Dómine, ad adjuvandum me festína. Glória Patri, et Fílio, et Spirítui sancto : Sicut erat in princípio, et nunc, et semper, et in sécula seculórum. Amen.

Kyrie, eléison. Christe, eléison. Kyrie, eléison. *Secretò*, Pater. *Altâ voce*, ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem; ℟. Sed líbera nos à malo.

℣. Réspice in servos tuos, Dómine, et in ópera tua; et dírige fílios eórum : ℟. Et sit splendor Dómini Dei nostri super nos; et ópera mánuum nostrárum dírige super nos, et opus mánuum nostrárum dírige. *Ps.* 89.

Glória Patri, *et* Sicut erat.

Orémus.

Dirigere et sanctificáre, régere et gubernáre dignáre, Dómine Deus, Rex cœli et terræ, hódie corda et córpora nostra, sensus, sermónes et actus nostros, in lege tua et in opéribus mandatórum tuórum; ut hìc, et in æternum, te auxiliante, salvi et liberi esse mereámur, Salvátor mundi; Qui vivis et regnas in sécula seculórum.

℟. Amen.

Lector : Jube, domne, benedícere. [*Solus recitans dicit :* Dómine.] *Bened.* Det Dóminus leges suas in mentem nostram, et in corde nostro superscribat eas. *Hebr.* 8. ℟. Amen.

Tum fit lectio Canonis, qui pro singulis diebus habetur ad calcem; in cujus fine dicitur, Tu autem, Dómine, miserére nostrî.

℟. Deo grátias.

Post Lectionem, Hebdomadarius dicit : Adjutórium nostrum in nómine Dómini, ℟. Qui fecit cœlum et terram. *Ps.* 123.

Submissiori voce dicit : Benedícite. ℟. Deus. *Hebdom.* Deus pacis aptet nos in omni bono, ut faciámus ejus voluntátem, fáciens in nobis quod pláceat coram se. *Hebr* 13. ℟. Amen.

Si non continuò sequatur Tertia, hic dicitur : Fidélium ánimæ per misericórdiam Dei requiescant in pace.

℟. Amen.

Nota. Qui extra chorum recitant non tenentur ad lectionem Martyrologii.

AD TERTIAM.

℣. Deus, in adjutórium meum, *etc.*

HYMNUS.

O fons amóris, Spíritus,
O sancte donórum parens,
Tuas refúsus íntimis
Accende flammas córdibus.
Qui caritátis vínculo
Cum Patre nectis Fílium,
Et nos amóris mútui
Arctis coapta néxibus.
Deo Patri sit glória,

Ejusque soli Fílio,
Sancto simul cum Spíritu,
Nunc, et per omne séculum.
Amen.

[*In Feriali Officio Psalmi et Antiphonæ dicuntur secundùm Feriam, ut singulis diebus assignantur.*

In Festis verò, Ant. semper sumitur de Proprio, vel de Communi, et Psalmi tantùm dicuntur de Feria, nisi aliter notetur.]

Capit. et ℟. breve sumuntur undè sumitur Ant. super Psalmos; et sic ad alias Horas.

PRECES.

Quando ad Laudes dictæ sunt Preces, tunc ad Tertiam, Sextam, et Nonam, hæ dicuntur flexis genibus.

KYRIE, eléison. Christe, eléison. Kyrie, eléison.

Pater noster, *secretò*, ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem; ℟. Sed líbera nos à malo.

℣. Dómine. Deus virtútum, converte nos; ℟. Et ostende fáciem tuam, et salvi érimus. *Ps.* 79.

℣. Exurge, Dómine, ádjuva nos, ℟. Et rédime nos propter nomen tuum. *Ps.* 43.

℣. Dómine, exaudi oratiónem meam; ℟. Et clamor meus ad te véniat. *Ps.* 101.

℣. Dóminus vobiscum, ℟. Et cum spíritu tuo.

Oratio conveniens.

℣. Dóminus vobiscum, ℟. Et cum spíritu tuo.

℣. Benedicámus Dómino. ℟. Deo grátias.

AD SEXTAM.

℣. Deus, in adjutórium.

HYMNUS.

NUNC solis excelsum jubar
Pleno coruscat lúmine;
Sic, Christe, tu mundum novâ,
Sol verus, accendis face.

FAC pura nostris fúlgeat
Lux veritátis méntibus;
Fac nostra plenam cáritas
Crescendo surgat ad diem.

DEO Patri sit glória,
Ejusque soli Fílio,
Sancto simul cum Spíritu,
Nunc, et per omne séculum.
Amen.

Ant. Psalmi, Capit. ℟. br. et Preces, si dicendæ sint, dicuntur ut suprà ad Tertiam.

Oratio conveniens.

AD NONAM.

℣. Deus, in adjutórium.

HYMNUS.

PRONO volútus ímpetu
Inclinat in noctem dies;
Sic vita suprémam cito
Festínat ad metam gradu.

O CHRISTE, dum fixus cruci
Expandis orbi bráchia,
Amáre da crucem; tuo
Da nos in amplexu mori.

DEO Patri sit glória,
Ejusque soli Fílio,
Sancto simul cum Spíritu,
Nunc, et per omne séculum.
Amen.

Ant. Psalmi, Capit., ℟. br. et Preces, si dicendæ sint, dicuntur ut suprà ad Tertiam

Oratio conveniens.

AD VESPERAS.

Preces, si dicendæ sint, habentur suprà ad Laudes, 156. *In iis loco Ps.* De profundis, *dicitur Ps.* Miserére, *pag.* 153.

SUFFRAGIA.

DE SANCTA CRUCE.

[*In Officio Feriali tantùm.*]

Ant. Mihi absit gloriári, nisi in cruce Dómini nostri Jesu Christi. *Galat.* 6.

℣. In Deo salutáre meum ℟. Et glória mea. *Ps.* 61.

Orémus.

Perpetua nos, quæsumus, Dómine, pace custódi, quos per lignum sanctæ Crucis redímere dignátus es: Qui vivis et regnas Deus.

℟. Amen.

[*Si sequantur Vesperæ de B. Maria, tunc fit integra conclusio:* Qui vivis et regnas cum Deo Patre in unitáte Spíritûs sancti Deus, per ómnia sécula seculórum. ℟. Amen. *Et post* Benedicámus; *dicitur*, Deus, in adjutórium.

Ubi verò non dicitur Officium parvum, ejus loco fit Suffragium sequens.]

DE B. MARIA.

Ant. Benedicta tu inter mulíeres, et benedictus fructus ventris tui. *Luc.* 1.

℣. Ipse est Dóminus Deus tuus; et adorábunt eum: ℟. Vultum tuum deprecabúntur omnes dívites plebis. *Ps.* 44.

Orémus.

Concede nos fámulos tuos, quæsumus, Dómine Deus, perpétuâ mentis et córporis sanitáte gaudére; et gloriósâ beátæ Maríæ semper vírginis intercessióne, à præsenti liberári tristítia, et æternâ pérfrui lætítiâ; Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

DE SANCTA CÆCILIA.

Ant. Confitébor nómini tuo, Dómine, quóniam protector factus es mihi, et liberásti corpus meum à perditióne. *Eccli.* 51.

℣. Fortitúdo mea et laus mea Dóminus, ℟. Factus est mihi in salútem. *Ps.* 117.

Orémus.

Deus, sanctæ puritátis amátor, qui beátæ Cæciliæ castum Virginitátis propósitum infudísti: da nobis, quæsumus, sic ejus agónem gloriósum venerári, ut perpétuis ejusdem mereámur fovéri præsídiis; Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Postea fit Commem. de Patrono et Titulari, ut dictum est suprà, 158.

Deinde de omnibus Sanctis, et specialim de iis quorum Corpora aut saltem Reliquiæ habentur.

Ant. Fulgébunt justi sicut sol in regno Patris eórum. *Matth.* 13.

℣. Justi confitebuntur nómini tuo, Dómine; ℟. Et habitábunt recti cum vultu tuo. *Ps* 139.

Orémus.

PROPITIARE, quæsumus, Dómine, fámulis tuis, per Sanctórum quorum Relíquiæ in [hac] Ecclésia tua requiescunt, et ómnium Sanctórum mérita gloriósa; ut eórum intercessióne ab ómnibus semper protegámur adversis; Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

ULTIMO, PRO PACE.

Ant. Deus memínerit testamenti sui, et fáciat pacem; nec déserat in témpore malo. 2. *Mach.* 1.

℣. Dóminus Deus loquétur pacem ℟. In plebem suam. *Ps.* 84.

Orémus.

DEUS, à quo sancta desidéria, recta consília et justa sunt ópera: da servis tuis illam quam mundus dare non potest, pacem; ut, et corda nostra mandátis tuis dédita, et hóstium sublátâ formídine, témpora sint tuâ protectióne tranquilla; Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum, *etc.*

℣. Dóminus vobiscum.

℣. Benedicámus Dómino.

AD COMPLETORIUM.

CONVERTE NOS, Deus salutáris noster; ℟. Et averte iram tuam à nobis. *Ps.* 84.

℣. Deus, in adjutórium.

Antiphona et Psalmi convenientes.

HYMNUS.

GRATES, peracto jam die
Deus, tibi persólvimus;
Pronóque, dum nox íncipit,
Prostérnimus vultu preces.

QUOD longa peccávit dies,
Amárus éxpiet dolor;
Somno gravátis ne nova
Inflígat hostis vúlnera.

INFESTUS usque círcuit
Quærens leo quem dévoret:
Umbrà sub alárum tuos
Defende fílios, Pater.

O QUANDO lucescet tuus
Qui nescit occásum dies!
O quando sancta se dabit
Quæ nescit hostem pátria!

DEO Patri sit glória,
Ejusque soli Fílio,
Sancto simul cum Spíritu,
Nunc, et per omne seculum.
Amen.

In omni Officio de Beata Maria, loco præcedentis Hymni, dicitur sequens

HYMNUS.

VIRGO, Dei génitrix, quem
totus non capit orbis,
In tua se clausit víscera, factus homo.

HINC méritò dicent te sécula cuncta beátam:
Hinc pópuli matrem te dominamque colunt.

Suscipe, quos pia plebs tibi péndere certat, honóres :
Annue, sollícità quam prece poscit, opem.
Gloria magna Patri ; compar sit glória Nato ;
Ambórum tibi par, Spíritus alme, decus. Amen.

Capitulum. (1. *Petr.* 5.)

Sobrii estóte, et vigiláte ; quia adversárius vester diábolus, tanquam leo rúgiens, circuit quærens quem dévoret : cui resístite fortes in fide :

℟. *br.* In manus tuas, Dómine,* Commendo spíritum meum. In manus tuas. ℣. Redemisti me, Dómine,* Deus veritátis: *Commendo. Glória Patri. In manus. *Ps.* 30.

℣. Custódi me, Dómine, ut pupíllam óculi : ℟. Sub umbra alárum tuárum prótege me. *Ps.* 16.

Ant. 3. c. Dómine.

CANTICUM SIMONIIS.

(Luc. 2.)

De Salvatoris adventu gratiarum actio.

Nunc dimittis servum tuum, Dómine, * secundùm verbum tuum, in pace;

Quia vidérunt óculi mei * salutáre tuum,

Quod parásti * ante fáciem ómnium populórum,

Lumen ad revelatiónem géntium, * et glóriam plebis tuæ Israel.

Ant. Domine, dabis pacem nobis ; ómnia enim ópera nostra operátus es nobis. *Is.* 26.

PRECES.

Quando dictæ sunt Preces in Vesperis, hæ dicuntur flexis genibus.

Omittuntur verò in Semiduplecibus et intrà Octavas : et tunc, post Ant. ad Nunc dimittis, *statim dicitur :* Dóminus vobiscum, *et oratio* Vísita.

Kyrie, eléison. Christe, eléison. Kyrie, eléison.

Pater noster. ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem ; ℟. Sed líbera nos à malo.

Credo in Deum.

℣. Carnis resurrectiónem, ℟. Vitam æternam. Amen.

℣. Benedictus es, Dómine, Deus patrum nostrórum ; ℟. Et laudábilis, et gloriósus, et superexaltátus in sécula. *Dan.* 3.

℣. Benedictum nomen glóriæ tuæ sanctum ; ℟. Et laudábile, et superexaltátum in ómnibus séculis. *Dan.* 3.

℣. Benedictus es in firmamento cœli ; ℟. Et laudábilis, et glóriosus in sécula. *Dan.* 2.

℣. Benedícat nos Deus, Deus noster : ℟. Benedícat nos Deus. *Ps.* 66.

Deinde fit Confessio ut suprà ad Primam, 160.

℣. Exaudi nos, Deus salutáris noster, ℟. Spes ómnium finium terræ. *Ps.* 64.

℣. Miserére nostrî, Dómine ; ℟. Miserére nostrî *Ps.* 122.

℣. Fiat misericórdia tua, Dómine, super nos, ℟. Quemádmodum sperávimus in te. *Ps.* 32.

℣. Dómine, exaudi, oratiónem meam; ℟. Et clamor meus ad te véniat. *Ps.* 101.

℣. Dóminus vobiscum, ℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus.

VISITA, quæsumus, Dómine, habitatiónem nostram, et omnes insídias inimíci ab ea longè repelle: Angeli tui sancti hábitent in ea, qui nos in pace custódiant; et benedíctio tua sit super nos semper; Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritûs sancti Deus, per ómnia sécula seculórum.

℟. Amen.

℣. Dóminus vobiscum, ℣. Benedicámus Dómino.

Finito Completorio, submissâ voce dicitur: Grátia Dómini nostri Jesu Christi, et cáritas Dei, et communicátio sancti Spíritûs sit cum ómnibus vobis (*solus recitans dicit:* ómnibus nobis.) 2. *Cor.* 13. ℟. Amen.

Fidélium ánimæ per misericórdiam Dei requiescant in pace ℟. Amen.

Posteà, dicitur Antiphona de B. Maria, ut sequitur.

Post completum Offic. dicitur secretò, Pater. Ave. Credo.

ANTIPHONA DE BEATA.

SALVE, Regína, mater misericórdiæ; vita, dulcédo et spes nostra, salve: ad te clamámus, éxules fílii Evæ; ad te suspirámus, gementes et flentes in hac lacrymárum valle: eia ergo, advocáta nostra, illos tuos misericórdes óculos ad nos converte; et Jesum benedictum fructum ventris tui, nobis post hoc exílium ostende, ô clemens, ô pia, ô dulcis virgo Maria.

℣. Vultum tuum deprecabuntur ℟. Omnes dívites plebis. *Ps.* 44.

OREMUS.

OMNIPOTENS, sempiterne *Deus*, qui gloriósæ vírginis matris Maríæ corpus et ánimam, ut dignum Fílii tui habitáculum éffici mererétur, Spíritu sancto cooperante, præparasti: da, ut cujus commemoratióne lætámur, ejus piâ intercesióne, ab instántibus malis et à morte perpétua liberémur; Per eumdem Christum.

ABSOLUTIONES

ET BENEDICTIONES

DICENDÆ IN OFFICIO NOCTURNO ANTE LECTIONES.

DOMINICA,

Et in omni Officio IX Lectionum.

IN I.° NOCTURNO,

Et pro II et V Feria.

ABSOLUTIO.

(2. Mach. 1.)

ADAPERIAT Deus cor nostrum in lege sua, et in præceptis suis; et det nobis cor ómnibus, ut colámus eum. ℟. Amen.

Sic respondetur ad singulas Absolutiones et Benedictiones.

BENEDICTIONES.

1. Deus Dómini nostri Jesu Christi, Pater glóriæ, det nobis spíritum sapiéntiæ. *Ephes.* 1. ℟. Amen.
2. Fílius Dei det nobis sensum, ut cognoscámus verum Deum. 1. *Joan.* 5.
3. Spíritus veritátis dóceat nos omnem veritátem. *Joan.* 16.

IN II.° NOCTURNO.

Et pro III et VI Feria.

ABSOLUTIO.

(3. Reg. 8.)

DEUS noster inclínet corda nostra ad se, ut custodiámus mandáta ejus.

BENEDICTIONES.

4. Pater Dómini nostri Jesu Christi benedícat nos in omni benedictióne spirituáli. *Ephes.* 1.
5. Sciámus supereminentem sciéntiæ caritátem Christi, ut impleámur in omnem plenitúdinem Dei. *Ephes.* 3.
6. Unctio quam accépimus à Deo, máneat in nobis, et dóceat nos de ómnibus. 1. *Joan.* 2.

IN FESTIS B. MARIÆ V.

IN II.° NOCTURNO.

BENEDICTIONES.

4. Exultet spiritus noster in Deo, quia réspexit humilitátem ancillæ suæ. *Luc.* 1.
5. Nobiscum sit Deus, qui in ancillâ suâ adimplévit misericórdiam suam, quam promísit dómui Israel. *Judith* 13.
6. Invocet Dóminum, et loquátur regi pro nobis, et liberet nos de morte. *Esther* 15.

IN FESTIS SANCTORUM.

IN II.° NOCTURNO.

BENEDICTIONES.

4. Deus det nobis illumina-

tos óculos cordis, ut sciámus quæ sit spes vocatiónis ejus in Sanctis. *Ephes.* c. 1.

5. Dignos nos fáciat in partem sortis Sanctórum, qui erípuit nos de potestáte tenebrárum. *Coloss.* 1.
6. Aperiántur óculi nostri, ut convertámur à ténebris ad lucem, et accipiámus sortem inter Sanctos. *Act.* 26.

IN III.° NOCTURNO.

ABSOLUTIO.

(2. Mach. 1.)

Deus memínerit testamenti sui quod locútus est, et exáudiat oratiónes nostras.

BENEDICTIONES.

7. Detur *nobis sermo in* apertióne oris nostri cum fidúcia, notum fácere mystérium Evangélii. *Ephes.* c. 6.
8. Occurrámus omnes in unitátem fídei, et agnitiónis Fílii Dei; ut non circumferámur omni vento doctrínæ. *Ephes.* 4.
9. Deus spei répleat nos omni gáudio et pace in credendo; ut abundémus in spe et virtúte Spíritûs sancti. *Rom.* 15.

Si pro ultima Lectione legatur Evangelium cum Homilia, tunc nona Benedictio erit:

9. Fúlgeat nobis illuminátio Evangélii glóriæ Christi, qui est imágo Dei. 2. *Cor.* 4.

Si tria legantur Evangelia, tertii Noct. Bened. erunt

7. Detur nobis, etc. *suprà.*
8. Fúlgeat nobis, etc. *suprà.*
9. Permaneámus in fide fundáti, et immóbiles à spe Evangélii. *Coloss.* 1.

Si nona Lectio sit de Sancto, Benedictio erit:

9. Digni habeámur regno Dei, cùm vénerit in Sanctis suis admirábilis fíeri. 2. *Thess.* 1.

[*Quando D. Archiepiscopus Lectionem lecturus est, postquàm ipse præmisit ex more,* Jube, domne, benedícere: *dignior post ipsum dicit illi:* Ora pro nobis, Pater. *Ipse autem Archiepisc. respondet:* Oro ut cáritas vestras magis ac magis abundet in sciéntia et in omni sensu. *Philipp.* 1. *Chor.* ℣. Amen.

Idem observatur, ubi unicus est Presbyter, etiam extra chorum; modò non solus recitet.]

IN FERIIS.

Feriis II et V, III et VI, ut dictum est in I et II Nocturno.

FERIA IV. ET SABBATO.

ABSOLUTIO.

(2. Mach. 1.)

Deus memínerit, *ut suprà.*

BENEDICTIONES.

1. Pater Dómini nostri Jesu Christi det nobis Christum habitáre per fidem in córdibus nostris. *Ephes.* 3.
2. Occurrámus omnes, *ut in III Nocturno.*
3. Deus spei. *Ibid.*

In quâlibet feria, si tertia Lectio sit de Evangelio, tunc tertia Benedictio erit :

3. Fúlgeat, etc. *ut suprà.*

Si tertia Lectio sit de Sancto, dicitur Benedictio : Digni habeámur.

IN OMNI OFFICIO

B. MARIÆ VIRGINIS,

Quod est trium Lectionum,

ABSOLUTIO *secundum Feriam;*

BENEDICTIONES.

1. Exultet, *ut in II Nocturno.*
2. Nobiscum sit, *Ibid.*
3. Invocet, *Ibid.*

Si tertia Lectio sit de Sancto, Benedictio erit : Digni habeámur.

IN FESTIS.

SANCTORUM,

Quæ sunt trium Lectionum,

ABSOLUTIO *secundum Feriam;*

BENEDICTIONES.

1. Deus det nobis, *ut in II Nocturno.*
2. Dignos, *Ibid.*
3. Aperiantur, *Ibid.*

Si pro tertia Lectione legendum sit Evangelium cum Homilia, dicitur Benedictio Fúlgeat, *etc. ut suprà.*

Idem servatur, diebus intra octavam B. M. et Sanctorum, quando fit de ea.

PROPRIUM DE TEMPORE.

PARS AUTUMNALIS.

FERIA QUARTA

INTRA HEBDOM. XI

POST PENTECOSTEN.

Officium ut in Psalterio, additis quæ sequuntur; et sic in aliis Feriis.

LECTIO I.

De libro Sapiéntiæ.

(Cap. 7.)

Ego natus accépi commúnem áerem, et in simíliter factam décidi terram, et primam vocem símilem ómnibus emísi plorans. In involumentis nutrítus sum, et curis magnis. Nemo enim ex régibus áliud hábuit nativitátis inítium. Unus ergo intróitus est ómnibus ad vitam, et símilis éxitus. Propter hoc optávi, et datus est mihi sensus; et invocávi, et venit in me spíritus sapiéntiæ: et præpósui illam regnis et sédibus, et divítias nihil esse duxi in comparatióne illíus, nec comparávi illi lápidem pretiósum; quóniam omne aurum, in comparatióne illíus, aréna est exígua; et tanquam lutum æstimábitur argentum in conspectu illíus. Super salútem et spéciem dilexi illam, et propósui pro luce habére illam; quóniam inextinguíbile est lumen illíus.

℟. Beátus homo qui invénit sapiéntiam: pretiósior est cunctis ópibus; * Viæ ejus viæ pulchræ, et omnes sémitæ illíus pacíficæ. ℣. Quæ desursum est sapiéntia, pudíca est, pacífica, modesta, plena misericórdiâ et frúctibus bonis. * Viæ. *Prov.* 3. *Jac.* 3.

LECTIO II.

Venerunt autem mihi ómnia bona páriter cum illa, et innumerábilis honestas per manus illíus: et lætátus sum in ómnibus, quóniam antecedébat me ista sapiéntia; et ignorábam quóniam horum ómnium mater est. Quam sine fictióne dídici, et sine invídia commúnico, et honestátem illíus non abscondo. Infinítus enim thesaurus est homínibus; quo qui usi sunt, partícipes facti sunt amicítiæ Dei, propter disciplínæ dona commendáti. Mihi autem dedit Deus dícere ex senténtia, et præsúmere digna horum quæ mihi dantur; quóniam ipse sapiéntiæ dux est, et sapiéntium emendátor. In manu enim illíus et nos, et sermó-

nes nostri, et omnis sapiéntia, et óperum sciéntia, et disciplína.

℟. Vani sunt omnes hómines * In quibus non subest sciéntia Dei; et de his quæ videntur bona, non potuérunt intellígere eum qui est. ℣. Invisibília Dei per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur; ita ut sint inexcusábiles,* In. *Sap.* 13. *Rom.* 1.

LECTIO III.

Quæcumque sunt absconsa et improvísa, dídici; ómnium enim ártifex dócuit me sapiéntia. Est enim in illa spíritus intelligéntiæ, sanctus, únicus, múltiplex, súbtilis, disertus, móbilis, incoinquinátus, certus, suávis, amans bonum, acútus, quem nihil vetat, benefáciens, humánus, benignus, stábilis, certus, secúrus, omnem habens virtútem, ómnia prospíciens, et qui cápiat omnes spíritus: intelligíbilis, mundus, subtílis. Omnibus enim mobílibus mobílior est sapiéntia; attingit autem ubíque propter suam mundítiam. Vapor est enim virtútis Dei, et emanátio quædam est claritátis omnipotentis Dei sincéra; et ídeo nihil inquinátum in eam incurrit: candor est enim lucis æternæ, et spéculum sine mácula Dei majestátis, et imágo bonitátis illíus.

℟. Finem loquendi páriter omnes audiámus: * Deum time, et † Mandáta ejus observa; hoc est enim omnis homo. ℣. Finis præcepti est cáritas de corde puro, et consciéntiâ bonâ, et fide non fictâ. * Deum. Glória Patri. † Mandáta ejus. *Eccles.* 12. 1. *Tim.* 1.

ORATIO.

Omnipotens sempiterne Deus, qui abundántia pietátis tuæ et mérita súpplicum excédis et vota: effunde super nos misericórdiam tuam, ut dimittas quæ consciéntia métuit, et adjícias quod orátio non præsúmit; Per.

FERIA QUINTA.

LECTIO I.

De libro Sapiéntiæ.

(Cap. 8.

Sapientia attingit à fine usque ad finem fórtiter, et dispónit ómnia suáviter. Hanc amávi, et exquisívi à juventúte mea, et quæsívi sponsam mihi eam assúmere, et amátor factus sum formæ illíus. Generositátem illíus glorificat, contubérnium habens Dei; sed et ómnium Dóminus dilexit illam: doctrix enim est disciplínæ Dei, et electrix óperum illíus. Et si divítiæ appetuntur in vita, quid sapiéntiâ locuplétius, quæ operátur ómnia? Si autem sensus operátur, quis horum quæ sunt, magis

quàm illa, est ártifex? Et si justítiam quis díligit, labóres hujus magnas habent virtútes: sobrietátem enim et prudéntiam docet, et justítiam, et virtútem, quibus utílius nihil est in vita homínibus.

℟. Dómine, ne adincrescant ignorántiæ meæ, et multiplicentur delicta mea, et peccáta mea abundent, et incídam in conspectu adversariórum meórum. * Dómine Pater, et Deus vitæ meæ, ne derelinquas me in cogitátu illórum. ℣. Hujuscémodi Dómino nostro non sérviunt, sed per dulces sermónes et benedictiónes sedúcunt corda innocéntium. * Dómine. *Eccli.* 23. *Rom.* 16.

LECTIO II.

Proposui ergo hanc addúcere mihi ad convivendum; sciens quóniam mecum communicábit de bonis, et erit allocútio cogitatiónis et tædii mei. Habébo propter hanc claritátem ad turbas, et honórem apud senióres júvenis: et acútus invéniar in judício, et in conspectu poténtium admirábilis ero, et fácies príncipum mirabuntur me: tacéntem me sustinébunt, et loquéntem me respícient; et, sermocinante me plura, manus ori suo impónent. Prætéreà habébo per hanc immortalitátem; et memóriam æternam his qui post me futúri sunt, relinquam. Dispónam pópulos; et natiónes mihi erunt súbditæ. Timébunt me audientes reges horrendi: in multitúdine vidébor bonus, et in bello fortis. Intrans in domum meam, conquiescam cum illa: non enim habet amaritúdinem conversátio illíus, nec tædium convictus illíus, sed lætítiam et gáudium. Hæc cógitans apud me, et commémorans in corde meo, quóniam immortálitas est in cognatióne sapiéntiæ, et in amicítia illíus delectátio bona, et in opéribus mánuum illíus honestas sine defectióne, et in certámine loquélæ illíus sapiéntia, et præclaritas in communicatióne sermónum ipsíus; circuíbam quærens, ut mihi illam assúmerem.

℟. Vanitátem et verba mendácia longè fac à me, Dómine: * Mendicitátem et dívitias ne déderis mihi: tríbue tantùm víctui meo necessária. ℣. Qui volunt dívites fíeri, incídunt in desidéria multa inutília et nocíva, quæ mergunt hómines in intéritum et perditiónem. * Mendicitátem. *Prov.* 30. 1. *Tim.* 6.

LECTIO III.

(Cap. 8 et 9.)

Et ut scivi quóniam áliter non possem esse continens, nisi Deus det: et hoc ipsum erat sapiéntiæ, scire cujus esset hoc donum; ádii Dómi-

num, et deprecátus sum illum, et dixi ex totis præcórdiis meis: Deus patrum meórum, et Dómine misericórdiæ, qui fecísti ómnia verbo tuo, et sapiéntiâ tuâ constituísti hóminem, ut dominarétur creatúræ quæ à te facta est; ut dispónat orbem terrárum in æquitáte et justítia, et in directióne cordis judícium júdicet: da mihi sédium tuárum assistrícem sapiéntiam, et noli me reprobáre à púeris tuis; quóniam servus tuus sum ego, et fílius ancillæ tuæ, homo infirmus, et exígui témporis, et minor ad intellectum judícii et legum. Nam et si quis erit consummátus inter fílios hóminum, si ab illo abfúerit sapiéntia tua, in níhilum computábitur.

℣. Nonne Dóminus abyssum et cor hóminum investigávit? Cognóvit enim Dóminus omnem sciéntiam:* Non præterit illum omnis cogitátus, et † Non abscondit se ab eo ullus sermo. ℣. Non est ulla creatúra invisíbilis in conspectu ejus: ómnia autem nuda et aperta sunt óculis ejus: * Non præterit illum. Glória Patri. † Non. *Eccli.* 42. *Hebr.* 4.

FERIA SEXTA.

LECTIO I.

De libro Sapiéntiæ.

(Cap. 13.)

VANI sunt omnes hómines, in quibus non subest sciéntia Dei; et de his quæ vidéntur bona, non potuérunt intellígere eum qui est, neque opéribus attendentes agnovérunt quis esset ártifex: sed aut ignem, aut spíritum, aut citátum áerem, aut gyrum stellárum, aut nímiam aquam, aut solem et lunam, rectóres orbis terrárum deos putavérunt. Quorum si spécie delectáti, deos putavérunt, sciant quantò his dominátor eórum speciósior est; speciéi enim generátor hæc ómnia constítuit. Aut si virtútem, et ópera eórum miráti sunt, intélligant ab illis, quóniam qui hæc fecit, fórtior est illis: à magnitúdine enim speciéi et creatúræ, cognoscibíliter póterit creátor horum vidéri.

℟. Beátus homo, 171.

LECTIO II.

SED tamen adhuc in his minor est querela. Et hi enim fortasse errant, Deum quærentes, et volentes invenire. Etenim cùm in opéribus illíus conversentur, inquírunt, et persuásum habent quóniam bona sunt quæ vidéntur. Iterùm autem nec his debet ignosci. Si enim tantùm potuérunt scire, ut possent æstimáre séculum; quómodò hujus Dóminum non facíliùs invenérunt? Infelíces autem sunt, et inter mórtuos spes illórum est, qui appellavérunt deos ópe-

ra mánuum hóminum, aurum et argentum, artis inventiónem, et similitúdines animálium, aut lápidem inútilem opus manûs antíquæ.

℣. Vani sunt, 172.

LECTIO III.

(Cap. 14.)

Et hæc fuit vitæ humánæ decéptio; quóniam aut affléctui, aut régibus deservientes hómines, incommunicábile nomen lapídibus et lignis imposuérunt. Et non suffécerat errasse eos circa Dei sciéntiam; sed et in magno viventes insciéntiæ bello, tot et tam magna mala pacem appellant. Aut enim fílios suos sacrificántes, aut obscúra sacrifícia facientes, aut insániæ plenas vigílias habentes, neque vitam, neque núptias mundas jam custódiunt; sed álius álium per invídiam occídit, aut adúlterans contristat: et ómnia commista sunt; sanguis, homicídium, furtum et fíctio, corrúptio et infidélitas, turbátio et perjúrium, tumultus bonórum, Dei immemorátio, animárum inquinátio, nativitátis immutátio, nuptiárum inconstántia, inordinátio mœchiæ et impudicítiæ. Infandórum enim idolórum cultúra omnis mali causa est, et inítium et finis.

℣. Finem loquendi, 172.

SABBATO.

LECTIO I.

De libro Sapiéntiæ.

(Cap. 15.)

Tu, Deus noster, suávis et verus es, pátiens, et in misericórdia dispónens ómnia. Etenim si peccavérimus, tui sumus, scientes magnitúdinem tuam; et si non peccavérimus, scimus quóniam apud te sumus computáti. Nosse enim te, consummáta justítia est; et scire justítiam et virtútem tuam, radix est immortalitátis. Non enim in errórem induxit nos hóminum malæ artis excogitátio, nec umbra pictúræ, labor sine fructu, effígies sculpta per vários colóres, cujus aspectus insensáto dat concupiscéntiam, et díligit mórtuæ imáginis effígiem sine ánima. Malórum amatóres digni sunt qui spem hábeant in tálibus, et qui fáciunt illos, et qui díligunt, et qui colunt.

[*Si fiat de Sabbato*, ℟℟℣. *sumentur è Feria quinta præcedenti.*]

LECTIO II.

Sed et fígulus mollem terram premens laboriósè fingit ad usus nostros unumquodque vas, et de eódem luto fingit quæ munda sunt in usum vasa, et similiter quæ his sunt contrária: horum autem vasórum quis sit

usus, judex est fígulus. Et cum labóre vano deum fingit de eódem luto: ille qui paulò antè de terra factus fúerat, et post pusillum redúcit se unde acceptus est, repetítus ánimæ débitum quam habébat. Sed cura est illi, non quia laboratúrus est, nec quóniam brevis illi vita est, sed concertátur aurifícibus et argentáriis; sed et ærários imitátur, et glóriam præfert, quóniam res supervácuas fingit. Cinis est enim cor ejus, et terra supervácua spes illíus, et luto vílior vita ejus; quóniam ignorávit qui se finxit, et qui inspirávit illi ánimam quæ operátur, et qui insufflávit ei spíritum vitálem. Sed et æstimavérunt lusum esse vitam nostram, et conversatiónem vitæ compósitam ad lucrum, et oportére undecumque étiam ex malo acquírere. Hic enim scit se super omnes delínquere, qui ex terræ matéria fragília vasa et sculptília fingit.

LECTIO III.

Omnes enim insipientes, et infelíces supra modum ánimæ superbi, sunt inimíci pópuli tui, et imperantes illi; quóniam ómnia idóla natiónum deos æstimavérunt, quibus neque oculórum usus est ad videndum, neque nares ad percipiendum spíritum, neque aures ad audiendum, neque dígiti mánuum ad tractandum, sed et pedes eórum pigri ad ambulandum. Homo enim fecit illos; et qui spíritum mutuátus est, is finxit illos. Nemo enim sibi símilem homo póterit deum fíngere. Cùm enim sit mortális, mórtuum fingit mánibus iníquis. Mélior enim est ipse his quos colit; quia ipse quidem vixit, cùm esset mortális; illi autem nunquam.

Ad Magníficat, *Ant.* 3. a. Doctrínam sapiéntiæ et disciplínæ scripsit Jesus fílius Sirach: Beátus qui in istis versátur bonis. Si enim hæc fécerit, ad ómnia valébit. *Eccli.* 50.

Oratio, ut infrà ad Laud.

DOMINICA XII
POST PENTECOSTEN.

Officium ut in Psalterio, additis quæ sequuntur.

IN I.º NOCTURNO.

LECTIO I.

Incipit liber Ecclesiástici.

(Cap. 1.)

Omnis sapiéntia à Dómino Deo est, et cum illo fuit semper, et est ante ævum. Arénam maris, et plúviæ guttas, et dies séculi quis dinumerávit? Altitúdinem cœli, et latitúdinem terræ, et profundum abyssi quis dimensus est? Sapiéntiam Dei præcedéntem ómnia quis investigávit? Prior ómnium

creáta est sapiéntia, et intellectus prudéntiæ ab ævo. Fons sapiéntiæ verbum Dei in excelsis, et ingressus illíus mandáta æterna. Radix sapiéntiæ cui revelàta est? et astútias illíus quis agnóvit? Disciplína sapiéntiæ cui revelàta est et manifestáta? et multiplicatiónem ingressûs illíus quis intellexit? Unus est altíssimus Creátor omnípotens, et Rex potens, et metuendus nimis, sedens super thronum illíus, et dóminans Deus.

℣. Beátus homo qui invénit sapiéntiam: pretiósior est cunctis ópibus; * Viæ ejus viæ pulchræ, et omnes sémitæ illíus pacíficæ. ℣. Quæ desursum est sapiéntia, pudíca est, pacífica, modesta, plena misericórdiâ et frúctibus bonis. * Viæ ejus. *Prov.* 3. *Jac.* 3.

LECTIO II.

Timor Dómini delectábit cor, et dabit lætítiam, et gáudium, et longitúdinem diérum. Timenti Dóminum bene erit in extrémis, et in die defunctiónis suæ benedicétur. Dilectio Dei honorábilis sapiéntia. Quibus autem apparúerit in visu, díligunt eam in visióne et in agnitióne magnálium suórum. Inítium sapiéntiæ, timor Dómini; et cum fidélibus in vulva concreátus est: cum electis féminis gráditur, et cum justis et fidélibus agnóscitur. Timor Dómini, sciéntiæ religiósitas. Religiósitas custódiet et justificábit cor, jucunditátem atque gáudium dabit. Timenti Dóminum bene erit, et in diébus consummatiónis illíus benedicétur.

℣. Vani sunt omnes hómines * In quibus non subest sciéntia Dei; et de his quæ vidéntur bona, non potuérunt intellígere eum qui est. ℣. Invisibília Dei per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur; ita ut sint inexcusábiles, * In quibus. *Sap.* 13. *Rom.* 1.

LECTIO III.

Fili, concupiscens sapiéntiam, conserva justítiam; et Deus præbébit illam tibi. Sapiéntia enim et disciplína, timor Dómini: et quod beneplácitum est illi, fides et mansuetúdo; et adimplébit thesauros illíus. Ne sis incredíbilis timóri Dómini; et ne accésseris ad illum dúplici corde. Ne fúeris hypócrita in conspectu hóminum, et non scandalizéris in lábiis tuis. Attende in illis, ne fórte cadas, et addúcas ánimæ tuæ inhonoratiónem, et revélet Deus absconsa tua, et in médio synagógæ elídat te; quóniam accessísti malígne ad Dóminum, et cor tuum plenum est dolo et fallácià.

℣. Finem loquendi páriter omnes audiámus: * Deum time, et † Mandáta ejus ob-

serva; hoc est enim omnis homo. ℣. Finis præcepti est cáritas de corde puro, et consciéntiâ bonâ, et fide non fictâ. * Deum. Glória Patri. † Mandáta ejus. *Eccles.* 12. 1. *Tim.* 1.

IN II.° NOCTURNO.

LECTIO IV.

Ex libro Morálium sancti Gregórii Papæ.

(Lib. 1, cap. 25.)

Sunt nonnulli qui vitam suam négligunt, et dum transitória áppetunt, dum ætérna vel non intélligunt, vel intellecta contemnunt; nec dolórem séntiunt, nec habére consílium sciunt. Cùmque superna quæ amiérunt, non considerant, esse se (heu míseri!) in bonis felíces putant. Nequáquam enim ad veritátis lucem, cui cónditi fúerant, mentis óculos érigunt: nequáquam ad contemplatiónem æternæ pátriæ, desidérii áciem tendunt; sed semetipsos in iis ad quæ projecti sunt, deserentes, vice pátriæ díligunt exílium quod patiuntur; et in cæcitáte quam tólerant, quasi in claritáte lúminis exultant.

℟. Dómine, ne adincrescant ignorántiæ meæ, et multiplicentur delicta mea, et peccáta mea abundent, et íncidam in conspectu adversariórum meórum. * Dómine Pater, et Deus vitæ meæ, ne derelinquas me in cogitátu illórum. ℣. Hujuscémodi Dómino nostro non sérviunt, sed per dulces sermónes et benedictiónes sedúcunt corda innocéntium. * Dómine. *Eccli.* 23. *Rom.* 16.

LECTIO V.

At contrà, electórum mentes, dum cuncta transitória nulla esse conspíciunt, ad quæ sint cónditæ exquírunt: cùmque eórum satisfactióni nihil extra Deum súfficit, ipsâ inquisitiónis exercitatióne fatigáta illórum cogitátio, in Conditóris sui spe et contemplatióne requiescit, supernis intérseri cívibus áppetit; et unusquisque eórum adhuc in mundo, córpore pósitus, mente jam extra mundum surgit; ærumnam exílii, quam tólerat, deplórat; et ad sublímem pátriam incessántibus se amóris stímulis éxcitat. Cùm ergo dolens videt quàm sit æternum quod pérdidit, ínvenit salúbre consílium, temporále hoc despícere quod percurrit; et quò magis crescit consílii sciéntia, ut peritúra déserat, eò augétur dolor, quòd necdum ad mansúra pertingat.

℟. Vanitátem et verba mendácia longè fac à me, Dómine: * Mendicitátem et divítias ne déderis mihi; tríbue tantùm víctui meo necessária. ℣. Qui volunt dívites fíeri, íncidunt in desidé-

ria multa inutília et nociva, quæ mergunt hómines in intéritum et perditiónem. * Mendicitátem et divítias ne déderis. *Prov.* 30. 1. *Tim.* 6.

LECTIO VI.

INTUENDUM quoque est quàm nullus dolor mentis sit in actióne præcipitatiónis. Qui enim sine consíliis vivunt, qui seipsos rerum evéntibus præcípites déserunt, nullo ínterim cogitatiónum dolóre fatigantur. Nam qui solerter in vitæ consílio figit mentem, cautè sese in omni actióne circumspiciendo considérat: et ne ex re quæ ágitur, repentínus finis adversusque subrípiat, hunc priùs mólliter pósito pede cogitatiónis palpat: pensat ne ab his quæ agenda sunt, formído præpédiat; ne in his quæ differenda sunt, præcipitátio impellat; ne prava per concupiscéntiam aperto bello súperent; ne recta per inánem glóriam insidiando supplantent.

℣. Nonne Dóminus abyssum et cor hóminum investigávit? Cognóvit enim Dóminus omnem sciéntiam:* Non præterit illum omnis cogitátus, et † Non abscondit se ab eo ullus sermo. ℣. Non est ulla creatúra invisíbilis in conspectu ejus: ómnia autem nuda et aperta sunt óculis ejus:* Non præterit. Glória. † Non abscondit. *Eccli.* 42. *Hebr.* 4.

IN III.º NOCTURNO.

LECTIO VII.

Léctio sancti Evangélii secundùm Lucam.

(Cap. 10.)

IN illo témpore; Conversus Jesus ad discípulos suos, dixit: Beáti óculi qui vident quæ vos vidétis. Dico enim vobis quòd multi prophétæ et reges voluérunt vidére quæ vos vidétis, et non vidérunt. Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Epíscopi.

(Lib. 1, de Doct. Chr. c. 26.)

QUONIAM præcepto non opus est ut se quisque et corpus suum díligat; id est, quóniam id quod sumus, et id quod infra nos est, et ad nos tamen pértinet, inconcussà natúræ lege dilígimus; restábat ut et de illo quod supra nos est, et de illo quod juxta nos est, præcepta sumerémus. Díliges, inquit, Dóminum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota ánima tua, et ex tota mente tua; et, Díliges próximum tuum tanquam teipsum. In his duóbus præceptis tota lex pendet, et Prophétæ. Finis ítaque præcepti est diléctio; et ea gémina, id est, Dei et próximi. Quòd si te totum intélligas, id est, ánimum et corpus tuum, et próximum totum, id est, ánimum et

corpus ejus, (homo enim ex ánimo constat et corpore) nullum rerum diligendárum genus in his duóbus præceptis prætermissum est. Cùm enim præcurrat diléctio Dei, ejusque dilectiónis modus præscriptus appáreat, ita ut cétera in illum cónfluant, de dilectióne tua nihil dictum vidétur : sed cùm dictum est, Díliges próximum tuum tanquam teipsum, simul et tuî abs te diléctio non prætermissa est.

℟. Latrónes despoliavérunt hóminem ; et, plagis impósitis, abiérunt semivívo relicto. * Sacerdos, viso illo, præterívit ; similiter et Levíta : Samaritánus autem videns eum, misericórdiâ motus est. ℣. Fácere misericórdiam et judícium magis placet Dómino, quàm víctimæ. * Sacerdos. *Luc.* 10. *Prov.* 21.

LECTIO VIII.

(Cap. 27.)

Ille autem justè et sanctè vivit, qui rerum ínteger æstimátor est : ipse est autem qui ordinátam dilectiónem habet, ne aut díligat quod non est diligendum, aut non díligat quod est diligendum, aut ámpliùs díligat quod minùs est diligendum, aut æquè díligat quod vel minùs vel ámpliùs diligendum est, aut minùs vel ámpliùs quod æquè diligendum est. Omnis peccátor, in quantum peccátor est, non est diligendus; et omnis homo, in quantum homo est, diligendus est propter Deum ; Deus verò propter seipsum. Et si Deus omni hómine ámpliùs diligendus est, ámpliùs quisque debet Deum dilígere quàm seipsum. Item ámpliùs álius homo diligendus est quàm corpus nostrum, quia propter Deum ómnia ista diligenda sunt : et potest nobiscum álius homo Deo pérfrui, quod non potest corpus ; quia corpus per ánimam vivit, quâ frúimur Deo.

℟. Alligávit Samaritánus vúlnera ejus, infundens óleum et vinum ; et * Impónens illum in jumentum suum, duxit in stábulum, et curam ejus egit. ℣. Qui credit in Dómino, misericórdiam díligit : misericórdia et véritas præparant bona. * Impónens illum. *Luc.* 10. *Prov.* 14.

LECTIO IX.

(Cap. 28 et 30.)

Omnes autem æquè diligendi sunt. Nam quòd nullum hóminum excéperit, qui præcépit ut próximum diligámus, et ipse in Evangélio Dóminus ostendit, et Paulus Apóstolus. Namque ille cui duo ipsa præcepta protúlerat, atque in eis pendére totam legem prophetasque díxerat, cùm interrogáret

eum, dicens: Et quis est meus próximus? hóminem quemdam propósuit descendentem ab Jerúsalem in Jéricho, incidisse in latrónes, et ab eis gráviter vulnerátum, sáucium, et semivívum esse derelictum: cui próximum esse non dócuit, nisi qui erga illum recreandum atque curandum misércors éxtitit, ita ut hoc qui interrogáverat, interrogátus ipse fatérétur. Cui Dóminus ait: Vade, et tu fac simíliter; ut vidélicet eum esse próximum intelligámus, cui vel exhibendum est offícium misericordiæ, si índiget, vel exhibendum esset, si indigéret. Nullum autem exceptum esse cui misericórdiæ denegétur offícium, quis non vídeat? quando usque ad inimícos étiam porrectum est, eódem Dómino dicente: Dilígite inimícos vestros, benefácite iis qui odérunt vos.

℣. Quis horum trium vidétur tibi próximus fuisse illi qui íncidit in latrónes? Legisperítus dixit: Qui fecit misericórdiam in illum. Ait Jesus: *Vade, et tu fac simíliter. ℣. Indicábo tibi, ô homo, quid Dóminus requírat à te: útique fácere judícium, et dilígere misericórdiam. *Vade. Glória. *Vade. *Luc.* 10. *Mich.* 6.

Ad Benedictus, *Ant.* 2. D. Legisperítus tentans Jesum, dixit: Magister, quid faciendo vitam æternam possidébo? At ille dixit ad eum: In lege quid scriptum est? Quómodò legis? Ille respondens dixit: Díliges Dóminum Deum tuum. *Luc.* 10.

ORATIO.

Omnipotens et misércors Deus, de cujus múnere venit ut tibi à fidélibus tuis dignè et laudabíliter serviátur: tríbue, quæsumus, nobis, ut ad promissiónes tuas sine offensióne currámus; Per.

Ad Magníficat, *Ant.* 7. G. Díliges Dóminum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota ánima tua, et ex ómnibus víribus tuis, et ex ómni mente tua; et próximum tuum sicut teipsum: hoc fac, et vives. *Luc.* 10.

FERIA SECUNDA.

LECTIO I.

De libro Ecclesiástici.

(Cap. 2.)

Fili, accédens ad servitútem Dei, sta in justítia et timóre, et præpara ánimam tuam ad tentatiónem. Déprime cor tuum, et sústine: inclína aurem tuam, et súscipe verba intellectûs; et ne festínes in témpore obductiónis. Sústine sustentatiónes Dei: conjúngere Deo, et sústine, ut crescat in novíssimo vita tua. Omne quod tibi applícitum fúerit, áccipe: et in dolóre sústine, et in humilitáte tua patiéntiam

habe; quóniam in igne probátur aurum et argentum, hómines verò receptíbiles in camíno humiliatiónis. Crede Deo, et recuperábit te; et dírige viam tuam, et spera in illum: serva timórem illíus, et in illo veterasce.

℟. Beátus homo, 177.

LECTIO II.

Respicite, fílii, natiónes hóminum; et scitóte quia nullus sperávit in Dómino, et confúsus est. Quis enim permansit in mandátis ejus, et derelictus est? aut quis invocávit eum, et despexit illum? Quóniam pius et miséricors est Deus, et remittet in die tribulatiónis peccáta; et protector est ómnibus exquiréntibus se in veritáte. Væ dúplici corde, et lábiis scelestis, et mánibus malefaciéntibus, et peccatóri terram ingredienti duábus viis. Væ dissolútis corde, qui non credunt Deo; et ídeò non protegentur ab eo. Væ his qui perdidérunt sustinéntiam, et qui dereliquérunt vias rectas, et divertérunt in vias pravas. Et quid fácient, cùm inspícere cœperit Dóminus?

℟. Vani sunt, 177.

LECTIO III.

Qui timent Dóminum, non erunt incredíbiles verbo illíus; et qui díligunt illum, conservábunt viam illíus. Qui timent Dóminum, inquírent quæ beneplácita sunt ei; et qui díligunt eum, replebuntur lege ipsíus. Qui timent Dóminum, præparábunt corda sua, et in conspectu illíus sanctificábunt ánimas suas. Qui timent Dóminum, custódiunt mandáta illíus; et patiéntiam habébunt usque ad inspectiónem illíus, dicentes: Si pœniténtiam non egérimus, incidémus in manus Dómini, et non in manus hóminum. Secundùm enim magnitúdinem ipsíus, sic et misericórdia illíus cum ipso est.

℟. Finem loquendi, 177.

FERIA TERTIA.

LECTIO I.

De libro Ecclesiástici.

(Cap. 3.)

Qui honórat patrem suum, vitâ vivet longióre; et qui óbedit patri, refrigerábit matrem. Qui timet Dóminum, honórat parentes; et quasi dóminis sérviet his qui se genuérunt. In ópere et sermóne, et omni patiéntia honóra patrem tuum, ut supervéniat tibi benedíctio ab eo, et benedíctio illíus in novíssimo máneat. Benedíctio patris firmat domos filiórum; maledíctio autem matris eradícat fundamenta. Ne gloriéris in contumélia patris tui; non enim est tibi glória, ejus confúsio: glória enim hóminis ex honóre patris sui, et dédecus fílii pater sine honóre. Fili, súscipe

senectam patris tui, et non contristes eum in vita illíus; et si defécerit sensu, véniam da, et ne spernas eum in virtúte tua.

℣. Dómine, 178.

LECTIO II.

Fili, in mansuetúdine ópera tua pérfice, et super hóminum glóriam diligéris. Quantò magnus es, humília te in ómnibus, et coram Deo invénies grátiam; quóniam magna poténtia Dei solíus, et ab humílibus honorátur. Altióra te ne quæsíeris, et fortióra te ne scrutátus fúeris; sed quæ præcépit tibi Deus, illa cógita semper, et in plúribus opéribus ejus ne fúeris curiósus. Non est enim tibi necessárium ea quæ abscóndita sunt vidére óculis tuis. In supervácuis rebus noli scrutári multipliciter, et in plúribus opéribus ejus non eris curiósus; plúrima enim super sensum hóminum ostensa sunt tibi. Multos quoque supplantávit suspício illórum, et in vanitáte detínuit sensus illórum.

℣. Vanitátem, 178.

LECTIO III.

Cor durum habébit malè in novíssimo, et qui amat períclum, in illo períbit. Cor ingrediens duas vias, non habébit successus; et pravus corde in illis scandalizábitur. Cor nequam gravábitur in dolóribus, et peccátor adjíciet ad peccandum. Synagógæ superbórum non erit sánitas; frutex enim peccáti radicábitur in illis, et non intelligétur. Cor sapientis intellígitur in sapiéntia; et auris bona áudiet cum omni concupiscéntia sapiéntiam. Sápiens cor et intelligíbile abstinébit se à peccátis; et in opéribus justítiæ successus habébit. Ignem ardentem extinguit aqua, et eleemósyna resistit peccátis; et Deus protector est ejus qui reddit grátiam: méminit ejus in pósterum, et in témpore casûs sui invéniet firmamentum.

℣. Nonne Dóminus, 179.

FERIA QUARTA.

LECTIO I.

De libro Ecclesiástici.

(Cap. 4.)

Fili, eleemósynam páuperis ne defraudes, et óculos tuos ne transvertas à páupere. Animam esurientem ne despéxeris, et non exásperes páuperem in inópia sua. Cor ínopis ne afflíxeris, et non prótrahas datum angustianti. Rogatiónem contribuláti ne abjícias, et non avertas fáciem tuam ab egéno. Ab ínope ne avertas óculos tuos propter iram; et non relínquas quæréntibus tibi retrò maledícere: maledicentis enim tibi in amaritúdine ánimæ, exaudiétur deprecá-

tio illíus; exáudiet autem eum qui fecit illum. Congregatióni páuperum affábilem te fácito; et presbytero humília ánimam tuam, et magnáto humília caput tuum. Declina páuperi sine tristítia aurem tuam, et redde débitum tuum, et responde illi pacífica in mansuetúdine. Líbera eum qui injúriam pátitur de manu superbi, et non ácidè feras in ánima tua. In judicando esto pupillis misércors ut pater, et pro viro matri illórum: et eris tu velut fílius Altíssimi obédiens, et miserébitur tuî magis quàm mater.

℟. Beátus homo qui invénit, 177.

LECTIO II.

Fili, conserva tempus, et devíta à malo. Pro ánima tua ne confundáris dícere verum. Est enim confúsio addúcens peccátum, et est confúsio addúcens glóriam et grátiam. Ne accípias fáciem adversùs fáciem tuam, nec adversùs ánimam tuam mendácium. Ne revereáris próximum tuum in casu suo, nec retíneas verbum in témpore salútis. Non abscondas sapiéntiam tuam in decóre suo: in língua enim sapiéntia dignóscitur; et sensus, et sciéntia, et doctrína in verbo sensáti, et firmamentum in opéribus justítiæ. Non contradícas verbo veritátis ullo modo; et de mendácio ineruditiónis tuæ confúndere.

℟. Vani sunt, 177.

LECTIO III.

Non confundáris confitéri peccáta tua, et ne subjícias te omni hómini pro peccáto. Noli resístere contra fáciem potentis, nec conéris contra ictum flúvii. Pro justítia agonizáre pro ánima tua, et usque ad mortem certa pro justítia, et Deus expugnábit pro te inimícos tuos. Noli citátus esse in língua tua; et inútilis, et remissus in opéribus tuis. Noli esse sicut leo in domo tua, evertens domésticos tuos, et óppримens subjectos tibi. Non sit porrecta manus tua ad accipiéndum, et ad dandum collecta.

℟. Finem loquendi, 177.

FERIA QUINTA.

LECTIO I.

De libro Ecclesiástici.

(Cap. 5.)

Noli atténdere ad possessiónes iníquas, et ne díxeris: Est mihi suffíciens vita; nihil enim próderit in témpore vindictæ et obductiónis. Ne sequáris in fortitúdine tua concupiscéntiam cordis tui; et ne díxeris: Quómodò pótui? aut quis me subjíciet propter facta mea? Deus enim víndicans vindicábit. Ne díxeris: Peccávi, et quid mihi áccidit triste? Altíssi-

mus enim est pátiens réddi-tor. De propitiáto peccáto noli esse sine metu, neque adjícias peccátum super peccátum. Et ne dicas: Miserátio Dómini magna est, multitúdinis peccatórum meórum miserébitur. Misericórdia enim et ira ab illo citò próximant, et in peccatóres réspicit ira illíus.

℟. Dómine, 178.

LECTIO II.

Non tardes converti ad Dóminum, et ne différas de die in diem; súbitò enim véniet ira illíus, et in témpore vindictæ disperdet te. Noli ánxius esse in divítiis injustis; non enim próderunt tibi in die obductiónis et vindictæ. Non véntiles te in omnem ventum, et non eas in omnem viam; sic enim omnis peccátor probátur in dúplici lingua. Esto firmus in via Dómini, et in veritáte sensûs tui, et sciéntia; et prosequátur te verbum pacis et justítiæ.

℟. Vanitátem, 178.

LECTIO III.

Esto mansuétus ad audiendum verbum, ut intélligas, et cum sapiéntia próferas responsum verum. Si est tibi intellectus, responde próximo: sin autem, sit manus tua super os tuum, ne capiáris in verbo indisciplináto, et confundáris. Honor et glória in sermóne sensáti; lingua verò imprudentis subvérsio est ipsíus. Non appelléris susurro, et linguâ tuâ ne capiáris et confundáris. Super furem enim est confúsio et pœniténtia, et denotátio péssima super bilinguem: susurratóri autem ódium, et inimicítia, et contumélia. Justífica pusillum et magnum similiter.

℟. Nonne Dóminus abyssum, 179.

FERIA SEXTA.

LECTIO I.

De libro Ecclesiástici.

(Cap. 6.)

Verbum dulce multíplicat amícos, et mítigat inimícos; et lingua éucharis in bono hómine abundat. Multi pacífici sint tibi, et consiliárius sit tibi unus de mille. Si póssides amícum, in tentatióne pósside eum; et ne fácilè credas ei. Est enim amícus secundùm tempus suum, et non permanébit in die tribulatiónis. Et est amícus qui convértitur ad inimicítiam: et est amícus qui ódium et rixam et convícia denudábit. Est autem amícus sócius mensæ, et non permanébit in die necessitátis. Amícus si permánserit fixus, erit tibi quasi coæquális, et in domésticis tuis fiduciáliter aget.

℟. Beátus homo qui invenit sapiéntiam, 177.

LECTIO II.

Ab inimícis tuis separáre, et ab amícis tuis attende. Amícus fidélis, protéctio fortis: qui autem invénit illum, invénit thesaurum. Amíco fidéli nulla est comparátio; et non est digna ponderátio auri et argenti contra bonitátem fídei illíus. Amícus fidélis, medicaméntum vitæ et immortalitátis; et qui métuunt Dóminum, invénient illum. Qui timet Deum, æquè habébit amicítiam bonam; quóniam secundùm illum erit amícus illíus.

℣. Vani sunt omnes hómines, 177.

LECTIO III.

(Cap. 7.)

Noli quærere à Dómino ducátum, neque à rege cáthedram honóris. Non te justífices ante Deum, quóniam ágnitor cordis ipse est: et penès regem noli velle vidéri sápiens. Noli quærere fíeri judex, nisi váleas virtúte irrúmpere iniquitátes; ne fortè extimescas fáciem potentis, et ponas scándalum in æquitáte tua. Non pecces in multitúdinem civitátis, nec te immittas in pópulum, neque álliges duplícia peccáta; nec enim in uno eris immúnis. Noli esse pusillánimis in ánimo tuo. Exoráre, et fácere eleemósynam ne despícias. Ne dicas: In multitúdine múnerum meórum respíciet Deus; et offerente me Deo altíssimo, múnera mea suscípiet.

℣. Finem loquendi páriter, 177.

SABBATO.

LECTIO I.

De libro Ecclesiástici.

(Cap. 7.)

Non irrídeas hóminem in amaritúdine ánimæ; est enim qui humíliat et exaltat circumspector Deus. Noli aráre mendácium adversùs fratrem tuum; neque in amícum simíliter fácias. Noli velle mentíri omne mendácium; assíduitas enim illíus non est bona. Noli verbósus esse in multitúdine presbyterórum; et non íteres verbum in oratióne tua. Non óderis laboriósa ópera, et rusticatiónem creátam ab Altíssimo. Non te réputes in multitúdine indisciplinatórum. Memento iræ, quóniam non tardábit.

[*Si fiat de Sabbato*, ℟℟℣. *sumentur è II Nocturno Dominicæ præcedentis.*]

LECTIO II.

Non lædas servum in veritáte operantem, neque mercenárium dantem ánimam suam. Servus sensátus sit tibi dilectus quasi ánima tua: non defraudes illum libertáte, neque ínopem derelin-

quas illum. Pécora tibi sunt? attende illis; et si sunt utília, persevérent apud te. Fílii tibi sunt? érudi illos, et curva illos à puerítia illórum. Fíliæ tibi sunt? serva corpus illárum, et non ostendas hílarem fáciem tuam ad illas. Trade fíliam, et grande opus féceris; et hómini sensáto da illam. Múlier si est tibi secundùm ánimam tuam, non projícias illam; et odíbili non credas te. In toto corde tuo honóra patrem tuum, et gémitûs matris tuæ ne obliviscáris: memento quóniam nisi per illos natus non fuísses; et retríbue illis, quómodò et illi tibi.

LECTIO III.

In tota ánima tua time Dóminum; et sacerdótes illíus sanctífica. In omni virtúte tua dílige eum qui te fecit; et ministros ejus ne derelinquas. Honóra Deum ex tota ánima tua; et honorífica sacerdótes, et propurga te cum bráchiis. Da illis partem, sicut mandátum est tibi, primitiárum et purgatiónis; et de negligéntia tua purga te cum paucis. Datum brachiórum tuórum, et sacrifícium sanctificatiónis ófferes Dómino, et inítia sanctórum. Et páuperi pórrige manum tuam, ut perficiátur propitiátio et benedíctio tua. Grátia dati in conspectu omnis viventis; et mórtuo non prohíbeas grátiam. Non desis plorántibus in consolatióne, et cum lugéntibus ámbula. Non te pígeat visitáre infírmum; ex his enim in dilectióne firmáberis. In ómnibus opéribus tuis memoráre novíssima tua, et in æternum non peccábis.

Ad Magníficat, *Ant.* 6. *C.* Sapiéntia, et disciplína, et sciéntia legis apud Deum: diléctio, et viæ bonórum apud ipsum. *Eccli.* 11.

Oratio, ut infrà ad Laudes.

DOMINICA XIII
POST PENTECOSTEN.
IN I.° NOCTURNO.

LECTIO I.

De libro Ecclesiástici.

(Cap. 8.)

Non júdices contra júdicem; quóniam secundùm quod justum est, júdicat. Cum audáce non eas in via, ne fortè gravet mala sua in te: ipse enim secundùm voluntátem suam vadit, et simul cum stultítia illíus péries. Cum iracundo non fácies rixam, et cum audáce non eas in desértum; quóniam quasi nihil est ante illum sanguis: et ubi non est adjutórium, elídet te. Cum fátuis consílium non hábeas; non enim póterunt diligere, nisi quæ eis placent. Coram extráneo ne fácias consílium; nescis enim quid páriet. Non omni hómini cor tuum manifestes; ne fortè

inferat tibi grátiam falsam, et conviciétur tibi.

℟. Beátus homo, 177.

LECTIO II.

(Cap. 10.)

Judex sápiens judicabit pópulum suum, et principátus sensáti stábilis erit. Secundùm júdicem pópuli, sic et ministri ejus : et qualis rector est civitátis, tales et inhabitantes in ea. Rex insípiens perdet pópulum suum; et civitátes inhabitabuntur per sensum poténtium. In manu Dei potestas terræ; et útilem rectórem suscitábit in tempus super illam. In manu Dei prospéritas hóminis, et super fáciem scribæ impónet honórem suum. Omnis injúriæ próximi ne memíneris, et nihil agas in opéribus injúriæ.

℟. Vani sunt, 177.

LECTIO III.

Odibilis coram Deo est et homínibus superbia; et execrábilis omnis iníquitas géntium. Regnum à gente in gentem transfertur propter injustítias, et injúrias, et contumélias, et diversos dolos. Aváro autem nihil est sceléstius. Quid superbit terra et cinis? Nihil est iníquius quàm amáre pecúniam. Hic enim et ánimam suam venálem habet, quóniam in vita sua projécit íntima sua. Omnis potentátûs brevis vita. Languor prolíxior gravat médicum. Brevem languórem præcídit médicus : sic et rex hódie est, et cras moriétur. Cùm enim moriétur homo, hæreditábit serpentes, et bestias, et vermes. Inítium superbiæ hóminis, apostatáre à Deo; quóniam ab eo qui fecit illum, recessit cor ejus, quóniam inítium omnis peccáti est supérbia. Qui tenúerit illam, adimplébitur maledictis; et subvertet eum in finem. Proptéreà exhonorávit Dóminus conventus malórum, et destruxit eos usque in finem. Sedes ducum superbórum destruxit Deus, et sedére fecit mites pro eis.

℟. Finem loquendi, 177.

IN II.° NOCTURNO.

LECTIO IV.

Sermo sancti Joannis Chrysóstomi.

(Homil. 20, in Ep. 2 ad Cor.)

Ne tardes converti ad Dóminum, et ne différas de die in diem; nescis enim quid paritúra sit superventúra dies. Perículum enim et métus est in dilatióne; salus verò certa ac secúra, si nulla sit dilátio. Virtútem ígitur cole : sic enim sive júvenis hinc abscédas, tutò abscédes; sive ad senectútem pervénias, cum amplíssimis ópibus excédes; duplicemque festivitátem per omnem

vitam habébis, et à vítio ábstinens, et virtútem amplexans.

℣. Dómine ne adincrescant, 178.

LECTIO V.

Ne dicas : Erit tempus, quando converti licébit; verba enim hæc Deum valde exásperant. Cur enim, cùm ipse tibi æterna sécula promíserit, tu in præsenti vita quæ brevis et momentánea est, laboráre non vis; sed sic ignávus ac dissolútus agis, quasi hàc breviórem áliam quamdam inquíras? Annon eædem quotídie comessatiónes? annon eædem mensæ? annon éadem theátra? annon eædem pecúniæ?

℣. Vanitátem et verba mendácia, 178.

LECTIO VI.

Inebriatus es? ventri indulsisti? rapuisti? Siste jam gradum, verte te in diversum: confitére Deo grátiam, quòd non in médiis peccátis te abripúerit : ne quære áliud tibi prorogári tempus, ut malè operéris. Multi aliis fraudem facientes abrepti sunt, et in manifestam damnatiónem abiérunt : time ne idem tibi áccidat. Sed multis, inquis, dedit Deus spátium, ut in última senecta confiterentur. Quid ígitur? Numquid et tibi dabit? Fortasse dabit, inquis. Cur dicis, Fortasse? Contigit aliquóties. Cógita quòd de ánima delíberas; et contrárium étiam pone, ac réputa, et dic: Quid autem, si non det? Quid autem si det, inquis? Dedit quidem ipse : verúmtamen hoc illo tútius est et utílius.

℣. Nonne Dóminus abyssum, 179.

IN III.° NOCTURNO.

LECTIO VII.

Léctio sancti Evangélii secundùm Lucam.

(Cap. 17.)

In illo témpore; Dum iret Jesus in Jerúsalem, transíbat per médiam Samaríam et Galilæam : et cùm ingrederétur quoddam castellum, occurrérunt ei decem viri leprósi. Et réliqua.

Homília sancti Bernardi Abbátis.

(Serm. 27, de Divers. contra vitium ingratitudinis.

Nonne decem mundáti sunt? Et novem ubi sunt? Meministis, credo, verba Salvatóris hæc esse, novem illórum ingratitúdinem arguentis. Bene síquidem orasse, obsecrasse, postulasse leguntur, qui levavérunt vocem, dicentes : Jesu fili David, miserére nobis. Sed défuit eis quarta, quam adjécit Apóstolus, gratiárum áctio; quóniam non rediérunt, nec egérunt grátias Deo. Multos

quoque vidémus usque hódie satis importúnè petentes quod sibi deesse cognóverint; sed paucos ádmodùm nóvimus, qui dignas super acceptis beneficiis grátias ágere videantur. Nec reprehensíbile est quod instanter pétimus; sed plánè petitióni negat effectum, quòd invenímur ingráti. Et fortè hoc étiam cleméntiæ esse vidétur, ingrátis negáre quod póstulant; ne contingat nobis, ut tantò gráviùs de ingratitúdine judicémur, quantò magis accumulátis beneficiis ingráti probábimur extitisse. Ergo misericórdiæ res est in hac parte subtráhere misericórdiam, quemádmodùm iræ et indignatiónis misericórdiam exhibére, eam sanè de qua per Prophétam ipse Pater misericordiárum lóquitur, dicens: Misereámur ímpio, et non discet fácere justítiam.

℟. Cùm ingrederétur Jesus quoddam castellum, occurrérunt ei decem viri leprósi, qui stetérunt à longè, dicentes: * Jesu præceptor, miserére nostrî. ℣. Tu es, Dómine, qui líberas ab omni malo: * Jesu præceptor, miserére nostrî. *Luc.* 17. *Sap.* 16.

LECTIO VIII.

Quam multos enim vidémus et plángimus, fratres, non considerantes quemádmodùm ingratitúdinis vermis interióra corródens, ob hoc tantùm córticem, quem vident, transforáre dissímulet, ne fortè recógitent et erubescant, ipsâque verecúndiâ emendentur! Qui sic interdum in nonnullis consumpta esse interióra universa præsúmit, ut non vereátur ad ea quoque quæ foris appárent, venenátum producere caput: nisi fortè, quos vidémus manifestè apostatáre à Deo, repentè fíeri péssimos arbitrámur; et non magis paulátim defecísse, cùm comederint aliéni robur eórum, et nesciérunt. Vides ergo non ómnibus prodesse, quòd à lepra seculáris conversatiónis, cujus peccáta manifesta sunt, emundantur: sed nonnullis pejus in occulto ingratitúdinis ulcus oríri, quod tantò periculósius sit quantò intérius. Et bene Salvátor hinc in Evangélio novem illos ubi sunt quærit, quóniam longè à peccatóribus salus. Sic enim et primum hóminem post peccátum ubi sit interrogat, et in judício nescíre sese profitébitur operários iniquitátis, cùm legámus in Psalmo: Quóniam novit Dóminus viam justórum, et iter impiórum períbit.

℟. Leprósos ut vidit Jesus, dixit: * Íte, osténdite vos sacerdótibus. ℣. Sacerdótes pópulum docébunt quid sit inter sanctum et pollútum, et inter mundum et immun-

dum ostendent eis. * Ite, osténdite vos sacerdótibus. *Luc.* 17. *Ezech.* 44.

LECTIO IX.

Felix autem Samaritánus ille, qui cognóvit se nihil habére quod non accepisset: et idcirco servávit depósitum, et cum gratiárum actióne ad Dóminum est reversus. Felix, qui ad síngula dona grátiæ redit ad eum, in quo est plenitúdo ómnium gratiárum; cui, dum nos pro acceptis non ingrátos exhibémus, locum in nobis fácimus grátiæ, ut majóra adhuc accípere mereámur. Omnínò enim sola nos à profectu conversatiónis ímpedit ingratitúdo nostra, dum quodam modo amissum réputans dator, quod ingrátus accépit, cavet sibi de cétero ne tantò plura amítteret, quantò plura conferret ingráto. Felix proinde, qui se alienígenam réputans, étiam pro mínimis quibusque benefíciis non mínimas refert grates, gratúitum esse non dúbitans neque dissímulans, quod aliéno impénditur et ignóto. Nos autem míseri et miserábiles, cùm in initio, dum adhuc aliénos nos æstimámus, timoráti satis, satis devóti et húmiles inveniámur; tam fácilè póstmodùm oblivíscimur quàm gratúitum sit quidquid accépimus: et præsumentes non bene quasi de familiaritáte Dei, nequáquam advértimus quod mereámur audíre; Quóniam inimíci Dómini doméstici ejus.

℟. Dum irent leprósi, mundáti sunt; * Unus autem regressus est cum magna voce magníficans Deum, et † Cécidit in fáciem ante pedes Jesu, grátias agens; et hic erat Samaritánus. ℣. Obliti sunt benefactórum Dei, et mirabílium ejus. * Unus. Glória. † Cécidit. *Luc.* 17. *Ps.* 77.

Ad Benedictus. *Ant.* 1. g. Dixit Jesus: Nonne decem mundáti sunt? et novem ubi sunt? Non est inventus qui redíret, et daret glóriam Deo, nisi hic alienígena. *Luc.* 17.

ORATIO.

Omnipotens sempiterne Deus, da nobis fidei, spei et caritátis augmentum: et ut mereámur ássequi quod promíttis, fac nos amare quod præcipis; Per Dóminum.

Ad Magníficat. *Ant.* 5. C. Ait Samaritáno Jesus: Surge, vade, quia fides tua te salvum fecit. *Luc.* 17.

FERIA SECUNDA.

LECTIO I.

De libro Ecclesiástici.

(Cap. 11.)

In vestítu ne glorióris unquam, nec in die honóris tui extolláris; quóniam mi-

rabília ópera Altíssimi solíus, et gloriósa, et absconsa, et invísa ópera illíus. Multi tyranni sedérunt in throno ; et insuspicábilis portávit diadéma. Multi potentes oppressi sunt válidè, et gloriósi tráditi sunt in manus alterórum. Priusquàm intérroges, ne vitúperes quemquam ; et cùm interrogáveris, córripe justè. Priusquàm áudias, ne respóndeas verbum ; et in médio sermónum ne adjícias loqui. De ea re quæ te non molestat, ne certéris ; et in judício peccántium ne consistas. Fili, ne in multis sint actus tui ; et si dives fúeris, non eris immúnis à delicto.

℟. Beátus homo, 177.

LECTIO II.

(Cap. 13.

Qui tetígerit picem, inquinábitur ab ea ; et qui communicáverit superbo, índuet supérbiam. Pondus super se tollet, qui honestióri se commúnicat. Et ditióri te ne sócius fúeris. Quid communicábit cácabus ad ollam? quando enim se collíserint, confringétur. Dives injustè egit, et fremet ; pauper autem læsus tacébit. Si largítus fúeris, assúmet te ; et si non habúeris, derelinquet te. Si habes, convívet tecum, et evacuábit te ; et ipse non dolébit super te. Si necessárius illi fúeris, supplantábit te ; et subrídens spem dabit, narrans tibi bona, et dicet : Quid opus est tibi?

℟. Vani sunt, 177.

LECTIO III.

Advocatus à potentióre, discéde ; ex hoc enim magis te advocábit. Ne ímprobus sis, ne impingáris ; et ne longè sis ab eo, ne eas in oblivionem. Ne retíneas ex æquo loqui cum illo, nec credas multis verbis illíus ; ex multa enim loquéla tentábit te, et subrídens interrogábit te de abscónditis tuis. Immítis ánimus illíus conservábit verba tua ; et non parcet de malítia, et de vínculis. Cave tibi, et attende diligenter audítui tuo ; quóniam cum subversióne tua ámbulas. Audiens verò illa quasi in somnis vide, et vigilábis. Omni vitâ tuâ dílige Deum, et ínvoca illum in salúte tua. Omne ánimal díligit símile sibi ; sic et omnis homo próximum sibi.

℟. Finem loquendi, 177.

FERIA TERTIA.

LECTIO I.

De libro Ecclesiástici.

(Cap. 13.)

Venatio leónis, ónager in erémo ; sic et páscua dívitum sunt páuperes. Et sicut abominátio est superbo humílitas, sic et execrátio dívitis pauper. Dives commótus confirmátur ab amícis suis ;

húmilis autem, cùm cecíderit, expellétur et à notis. Díviti decepto multi recuperatóres: locútus est superba, et justificavérunt illum. Húmilis deceptus est, ínsuper et argúitur: locútus est sensátè, et non est datus ei locus. Dives locútus est, et omnes tacuérunt, et verbum illíus usque ad nubes perdúcent. Pauper locútus est, et dicunt: Quis est hic? et si offénderit, subvertent illum. Bona est substántia, cui non est peccátum in consciéntia; et nequíssima paupertas in ore ímpii.

℣. Dómine, 178.

LECTIO II.

(Cap. 14.)

Beatus vir qui non est lapsus verbo ex ore suo, et non est stimulátus in tristítia delícti. Felix qui non hábuit ánimi sui tristítiam, et non éxcidit à spe sua. Viro cúpido et tenáci sine ratióne est substántia; et hómini lívido ad quid aurum? Qui acervat ex ánimo suo injustè, áliis cóngregat, et in bonis illíus álius luxuriábitur. Qui sibi nequam est, cui álii bonus erit? et non jucundábitur in bonis suis. Qui sibi ínvidet, nihil est illo néquius, et hæc reddítio est malítiæ illíus: et si bene fécerit, ignoranter et non volens facit; et in novíssimo manifestat malítiam suam.

℣. Vanitátem, 178.

LECTIO III.

Insatiabilis óculus cúpidi in parte iniquitátis; non satiábitur, donec consúmat arefáciens ánimam suam. Oculus malus ad mala, et non satiábitur pane; sed índigens et in tristítia erit super mensam suam. Fili, si habes, bénefac tecum, et Deo dignas oblatiónes offer. Memor esto quóniam mors non tardat, et testamentum inferórum quia demonstrátum est tibi; testamentum enim hujus mundi morte moriétur. Ante mortem bénefac amíco tuo, et secundùm vires tuas expórrigens da páuperi. Non defraudéris à die bono, et partícula boni doni non te prætéreat. Nonne áliis relinques dolóres, et labóres tuos in divisióne sortis? Da et áccipe, et justífica ánimam tuam. Ante óbitum tuum operáre justítiam; quóniam non est apud ínferos invenire cibum.

℣. Nonne Dóminus, 179.

FERIA QUARTA.

LECTIO I.

De libro Ecclesiástici.

(Cap. 20 et 21.)

Xenia et dona excæcant óculos júdicum, et quasi mutus in ore avertit correptiónes eórum. Sapiéntia absconsa, et thesaurus invísus; quæ utílitas in utrisque? Mé-

lior est qui celat insipiéntiam suam, quàm homo qui abscondit sapiéntiam suam. Fili, peccásti? non adjícias íterùm; sed et de prístinis deprecáre, ut tibi dimittántur. Quasi à fácie cólubri fuge peccáta: et si accésseris ad illa, suscípient te. Dentes leónis, dentes ejus, interfícientes ánimas hóminum. Quasi rhomphæa bis acúta, omnis iníquitas; plagæ illíus non est sánitas. Objurgátio et injúriæ annullábunt substántiam: et domus quæ nimis lócuples est, annullábitur superbià; sic substántia superbi eradicábitur.

℟. Beátus homo, 177.

LECTIO II.

(Cap. 25.)

In tribus plácitum est spirítui meo, quæ sunt probáta coram Deo et hóminibus; concórdia fratrum, et amor proximórum, et vir et múlier bene sibi consentientes Tres spécies odívit ánima mea, et ággravor valde ánimæ illórum: páuperem superbum, dívitem mendácem, senem fátuum et insensátum. Quæ in juventúte tua non congregásti, quómodò in senectúte tua invénies? Quàm speciósum canitiéi judícium, et presbyteris cognóscere consílium! Quàm speciósa veteránis sapiéntia, et gloriósis intellectus et consílium! Coróna senum, multa perítia; et glória illórum timor Dei.

℟. Vani sunt, 177.

LECTIO III.

(Cap. 28.)

Qui vindicári vult, à Dómino invéniet vindictam; et peccáta illíus servans servábit. Relinque próximo tuo nocenti te; et tunc deprecanti tibi peccáta solventur. Homo hómini reservatiram, et à Deo quærit medélam? In hóminem símilem sibi non habet misericórdiam, et de peccátis suis deprecátur? Ipse, cùm caro sit, reservat iram; et propitiatiónem petit à Deo? quis exorábit pro delictis illíus? Memento novissimórum, et désine inimicári: tabitúdo enim et mors imminent in mandátis ejus. Memoráre timórem Dei, et non irascáris próximo. Memoráre testamentum Altíssimi, et déspice ignorántiam próximi. Abstine te à lite, et mínues peccáta.

℟. Finem loquendi, 177.

FERIA QUINTA.

LECTIO I.

De libro Ecclesiástici.

(Cap. 31.)

Intellige quæ sunt próximi tui ex teipso: útere quasi homo frugi his quæ tibi apponuntur; ne, cùm mandúcas multùm, ódio habeáris.

Cessa prior causâ disciplínæ; et noli nímius esse, ne forte offendas. Et si in médio multórum sedísti, prior illis ne extendas manum tuam, nec prior poscas bíbere. Quàm suffíciens est hómini erudíto vinum exíguum! et in dormiendo non laborábis ab illo, et non sénties dolórem. Vigília, chólera et tortúra viro infruníto: somnus sanitátis in hómine parco; dórmiet usque mane, et ánima illíus cum ipso delectábitur.

℣. Dómine, ne adincrescant, 178.

LECTIO II.

Audi me, fili, et ne spernas me; et in novíssimo invénies verba mea. In omnibus opéribus tuis esto velox, et omnis infírmitas non occurret tibi. Splendídum in pánibus benedícent lábia multórum, et testimónium veritátis illíus fidéle. Nequíssimo in pane murmurábit cívitas, et testimónium nequítiæ illíus verum est. Diligentes in vino noli provocáre; multos enim exterminávit vinum. Ignis probat ferrum durum; sic vinum corda superbórum árguet in ebrietáte potátum. Æqua vita homínibus vinum in sobrietáte: si bibas illud moderátè, eris sóbrius. Quæ vita est ei qui minúitur vino? Quid defraudat vitam? Mors.

℣. Vanitátem, 178.

LECTIO III.

Vinum in jucunditátem creátum est, et non in ebrietátem, ab inítio. Exultátio ánimæ et cordis, vinum moderátè potátum. Sánitas est ánimæ et córpori sóbrius potus. Vinum multum potátum irritatiónem, et iram, et ruínas multas facit. Amaritúdo ánimæ vinum multum potátum. Ebrietátis animósitas, imprudentis offénsio, minórans virtútem, et fáciens vúlnera. In convívio vini non árguas próximum, et non despícias eum in jucunditáte illíus: verba impropérii non dicas illi, et non premas illum in repetendo.

℣. Nonne Dóminus, 179.

FERIA SEXTA.

LECTIO I.

De libro Ecclesiástici.

(Cap. 32.)

Audi tacens; et pro reveréntia accédet tibi bona grátia. Adolescens, lóquere in tua causa vix. Si bis interrogátus fúeris, hábeat caput responsum tuum. In multis esto quasi ínscius, et audi tacens simul, et quærens. In médio magnatórum non præsúmas; et ubi sunt senes, non multùm loquáris. Ante grándinem præíbit coruscátio, et ante verecúndiam præíbit grátia; et pro reveréntia accédet tibi bona grá-

a. Et hórâ surgendi non te ices: prævurre autem prior i domum tuam, et illic avoáre, et illic lude, et age conceptiónes tuas, et non in lelectis et verbo superbo. Et super his ómnibus benedícito Dóminum qui fecit te, et inebriantem te ab ómnibus bonis suis.

℟. Beátus homo, 177.

LECTIO II.

(Cap. 32 et 33.)

Fili, sine consílio nihil fácias, et post factum non pœnitébis. In via ruínæ non eas, et non offendes in lápides; nec credas te viæ laboriósæ, ne ponas ánimæ tuæ scándalum: et à fíliis tuis cave, et à domésticis tuis attende. In omni ópere tuo crede ex fide ánimæ tuæ; hoc est enim conservátio mandatórum. Qui credit Deo, attendit mandátis; et qui confídit in illo, non minorábitur. Timenti Dóminum non occurrent mala; sed in tentatióne Deus illum conservábit, et liberábit à malis. Sápiens non odit mandáta et justítias, et non illidétur quasi in procella navis. Homo sensátus credit legi Dei, et lex illi fidélis.

℟. Vani sunt, 177.

LECTIO III.

(Cap. 34.)

Qui offert sacrifícium ex substántia páuperum, quasi qui víctimat filium in conspectu patris sui. Panis egéntium, vita páuperum est: qui defraudat illum, homo sánguinis est. Qui aufert in sudóre panem, quasi qui occídit próximum suum. Qui effundit sánguinem, et qui fraudem facit mercenário, fratres sunt. Unus ædíficans, et unus déstruens; quid prodest illis nisi labor? Unus orans, et unus maledícens; cujus vocem exáudiet Deus? Qui baptizátur à mórtuo, et íterùm tangit eum, quid próficit lavátio illíus? Sic homo qui jejúnat in peccátis suis; et íterùm éadem fáciens, quid próficit humiliando se? Oratiónem illíus quis exáudiet?

℟. Finem loquendi, 177.

SABBATO.

LECTIO I.

De libro Ecclesiástici.

(Cap. 37.)

Cum viro sancto assíduus esto, quemcumque cognóveris observantem timórem Dei, cujus ánima est secundùm ánimam tuam; et qui, cùm titubáveris in ténebris, condolébit tibi. Cor boni consílii státue tecum: non est enim tibi áliud plúris illo. Anima viri sancti enúntiat aliquando vera, quàm septem circumspectóres sedentes in excelso ad speculándum. Et in his ómnibus deprecáre Altíssimum, ut dírigat in veritáte viam tuam.

Ante ómnia ópera verbum verax præcédat te, et ante omnem actum consílium stábile. Verbum nequam immutábit cor, ex quo partes quátuor oriuntur, bonum et malum, vita et mors; et dominátrix illórum est assídua lingua. Est vir astútus multórum erudítor, et ánimæ suæ inútilis est. Vir perítus multos erudívit, et ánimæ suæ suávis est. Qui sophístice lóquitur, odíbilis est; in omni re defraudábitur.

[*Si fiat de Sabbato*, R̃.B̃.R̃. *sumentur è II Nocturno Dominicæ præcedentis.*]

LECTIO II.

(Cap. 41.)

O MORS, quàm amára est memória tua hómini pacem habenti in substántiis suis; viro quiéto, et cujus viæ directæ sunt in ómnibus, et adhuc valenti accípere cibum! O mors, bonum est judícium tuum hómini indigenti, et qui minorátur víribus, defecto ætáte, et cui de ómnibus cura est, et incredíbili, qui perdit patiéntiam. Noli metúere judícium mortis. Memento quæ ante te fuérunt, et quæ superventúra sunt tibi; hoc judícium à Dómino omni carni. Et quid supervéniet tibi in beneplácito Altíssimi? sive decem, sive centum, sive mille anni: non est enim in inferno accusátio vitæ.

LECTIO III

VÆ vobis, viri ímpii, qui dereliquistis legem Dómini Altíssimi. Et si nati fuéritis, in maledictióne nascémini; et si mórtui fuéritis, in maledictióne erit pars vestra. Omnia quæ de terra sunt, in terram convertentur; sic ímpii à maledicto in perditiónem. Luctus hóminum in córpore ipsórum; nomen autem impiórum delébitur. Curam habe de bono nómine; hoc enim magis permanebit tibi, quàm mille thesauri pretiósi et magni. Bonæ vitæ número rum diérum; bonum autem nomen permanébit in ævum. Disciplínam in pace conserváte, fílii.

Ad Magníficat. *Ant.* 1. D. Numquid considerasti servum meum Job, quòd non sit ei símilis in terra, vir simplex et rectus, ac timens Deum, et recédens à malo, et adhuc rétinens innocéntiam? *Job.* 2.

Oratio, ut infrà ad Laudes.

DOMINICA XIV
POST PENTECOSTEN.

IN I.º NOCTURNO.

LECTIO I.

Incipit liber Job.

(Cap. 1.)

VIR erat in terra Hus, nómine Job; et erat vir ille simplex et rectus, ac timens

Deum, et recédens à malo : natique sunt ei septem fílii et tres fíliæ. Et fuit posséssio ejus septem míllia óvium, et tria millia camelórum, quingenta quoque juga boum, et quingentæ ásinæ, ac família multa nimis ; eratque vir ille magnus inter omnes orientáles. Et ibant fílii ejus, et faciébant convívium per domos, unusquisque in die suo. Et mittentes vocábant tres soróres suas, ut coméderent et bíberent cum eis. Cùmque in orbem transissent dies convívii, mittébat ad eos Job, et sanctificábat illos ; consurgensque dilúculo, offerébat holocausta pro síngulis. Dicébat enim : Ne fortè peccáverint fílii mei, et benedíxerint Deo in córdibus suis. Sic faciébat Job cunctis diébus.

℣. Job córruens in terram adorávit, et dixit : * Nudus egressus sum de útero matris meæ, et nudus revertar illuc : Dominus dedit, Dóminus ábstulit : sit nomen Dómini benedictum. ℣. Nihil intúlimus in hunc mundum ; haud dúbium quòd nec auferre quid póssumus.* Nudus. *Job* 1. 1. *Tim.* 6.

LECTIO II.

Quadam autem die, cùm venissent fílii Dei ut assísterent coram Dómino, áffuit inter eos étiam Satan. Cui dixit Dóminus : Unde venis ? Qui respondens, ait : Circuívi terram, et perambulávi eam. Dixitque Dóminus ad eum : Numquid considerasti servum meum Job, quòd non sit ei símilis in terra, homo símplex et rectus, ac timens Deum, et recédens à malo ? Cui respondens Satan, ait : Numquid Job frustrà timet Deum ? Nónne tu vallasti eum, ac domum ejus, universamque substántiam per circúitum ? Opéribus mánuum ejus benedixisti, et possessio ejus crevit in terra. Sed extende páululùm manum tuam, et tange cuncta quæ póssidet, nisi in fáciem benedíxerit tibi. Dixit ergo Dóminus ad Satan : Ecce, universa quæ habet, in manu tua sunt ; tantùm in eum ne extendas manum tuam. Egressusque est Satan à fácie Dómini.

℣. Quis respondébit Deo ? vel quis dícere potest : Cur ita facis ? * Deus, cujus iræ nemo resístere potest, et sub quo curvantur qui portant orbem. Quantus sum ego, ut respóndeam ei ? ℣. Numquid dicit figmentum ei qui se finxit : Quid me fecisti sic ? * Deus. *Job.* 9. *Rom.* 9.

LECTIO III.

Cum autem quâdam die fílii et fíliæ ejus coméderent, et bíberent vinum in domo fratris sui primogéniti, núntius venit ad Job, qui díceret : Boves arábant, et ásinæ pascebantur juxta eos, et irruérunt Sabæi, tuleruntque ómnia, et púeros percussérunt

gládio, et evási ego solus ut nuntiárem tibi. Cùmque adhuc ille loquerétur, venit alter, et dixit : Ignis Dei cécidit è cœlo, et tactas oves puerosque consumpsit ; et effúgi ego solus ut nuntiárem tibi. Sed et illo adhuc loquente, venit álius, et dixit : Chaldæi fecérunt tres turmas, et invasérunt camélos, et tulérunt eos, necnon et púeros percussérunt gládio, et ego fugi solus ut nuntiárem tibi. Adhuc loquebátur ille, et ecce álius intrávit, et dixit : Fíliis tuis et filiábus vescéntibus et bibéntibus vinum in domo fratris sui primogéniti, repentè ventus véhemens írruit à regióne deserti, et concussit quátuor ángulos domûs, quæ córruens oppressit líberos tuos, et mórtui sunt ; et effúgi ego solus ut nuntiárem tibi.

℣. Benedíctio perítúri super me veniébat, et cor víduæ consolátus sum : justítiâ índútus sum ; * Oculus fui cæco, et pes claudo ; † Pater eram páuperum. ℣. Factus sum infírmis infírmus : ómnibus ómnia factus sum ; * Oculus. Glória Patri. † Pater. *Job.* 29. 1. *Cor.* 9.

IN II.º NOCTURNO.

LECTIO IV.

Ex libris Morálium sancti Gregórii Papæ.

(Lib. 2, cap. 18.)

Dominus dedit, Dóminus ábstulit ; sicut Dómino plácuit, ita factum est. Sanctus vir Job, tentante adversário, cuncta perdíderat ; sed tamen sciens quia contra se Satan tentandi vires, nisi permittente Dómino, non habébat, non ait : Dóminus dedit, diábolus ábstulit ; sed : Dóminus dedit, Dóminus ábstulit. Fortasse enim fúerat dolendum, si quod Cónditor déderat, hostis abstulisset : at postquàm non ábstulit nisi ipse qui dedit, sua recépit, non nostra ábstulit. Si enim ab illo accípimus quibus in hac vita útimur, cur doleámus quòd ipso judicante exígimur, quo largiente fœnerámur ? Nec aliquando injustus est créditor, qui dum præfixo reddendi témpore non constríngitur, quando vult, éxigit quod fœnerátur. Ubi et bene subjúngitur : Sicut Dómino plácuit, ita factum est. Cùm enim in hac vita ea quæ nólumus pátimur, necesse est ut ad eum qui injustum velle nil potest, stúdia nostræ voluntátis inclinémus.

℣. Beátus homo qui corrípitur à Deo : increpatiónem ergo Dómini ne réprobes ; * Quia ipse vúlnerat, et medétur. ℣. Noli neglígere disciplínam Dómini, neque fatigéris dum ab eo argúeris ; * Quia. *Job* 5. *Hebr.* 12.

LECTIO V.

Magna quippe est consolá-

tio in eo quod displicet, quòd illo ordinante erga nos ágitur, cui non nisi justum placet. Si ígitur justa placére Dómino scimus, pati autem nulla, nisi quæ Dómino placúerint, póssumus, justa sunt cuncta quæ pátimur; et valde injustum est, si de justa passióne murmurámus. Sed quia orátor fortis quómodò assertiónem partis suæ contra adversárium allegávit, audívimus; nunc quómodò in oratiónis suæ término júdicem benedicendo laudet, audiámus. Séquitur : Sit nomen Dómini benedictum. Ecce omne quod rectum sensit, Dómini benedictióne conclúsit; ut hinc adversárius inspíciat, et ad pœnam suam victus erubescat: quia ipse Dómino cóntumax, étiam in beatitúdine cónditus éxtitit, cui homo hymnum glóriæ étiam percussus dicit.

℣. Addidit Dóminus ómnia quæcumque fúerant Job duplícia, et fratres sui consoláti sunt eum. * Dóminus autem benedixit novíssimis Job magis quàm princípio ejus. ℣. Fidélis Deus est, qui non patiétur vos tentári supra id quod potestis, sed fáciet étiam cum tentatióne proventum. * Dóminus autem. *Job* 42. 1. *Cor.* 10.

LECTIO VI.

Intuendum verò est quia hostis noster tot nos jáculis pércutit, quot tentatiónibus afflígit. Quotídie namque in ácie stamus, quotídie tentatiónum ejus tela excípimus. Sed et nos contra illum jácula míttimus, si confossi tribulatiónibus humília respondémus. Beátus ígitur Job percussus damno rerum, percussus morte filiórum, quia vim dolóris vertit in laudem Conditóris, dicens: Dóminus dedit, Dóminus ábstulit; sicut Dómino plácuit, ita factum est: sit nomen Dómini benedictum; superbum hostem humilitáte pérculit, crudélem patiéntiâ stravit.

℣. Patientes estóte et vos, et confirmáte corda vestra : * Exemplum accípite labóris et patiéntiæ : ✝ Sufferéntiam Job audístis, et finem Dómini vidístis. ℣. Sustinéte misericórdiam Dómini : respícite natiónes hóminum; et scitóte quia nullus sperávit in Dómino, et confúsus est. * Exemplum accípite. Glória Patri. ✝ Sufferéntiam. *Jac.* 5. *Eccli.* 2.

IN III.° NOCTURNO.

LECTIO VII.

Léctio sancti Evangélii secundùm Matthæum.

(Cap. 6.)

In illo témpore; Dixit Jesus discípulis suis: Nemo potest duóbus dóminis servíre. Aut enim unum ódio habébit, et

álterum díliget; aut unum sustinébit, et álterum contemnet. Non potestis Deo servíre, et mammónæ. Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Epíscopi

(Lib. 2 de Serm. Domini in Monte, cap. 14.)

NEMO potest duóbus dóminis servíre. Ad hanc ipsam intentiónem referendum est quod consequenter expónit, dicens: Aut enim unum ódio habébit, et álterum díliget; aut álterum patiétur, et álterum contemnet. Quæ verba diligenter consideranda sunt; nam qui sint duo dómini, deinceps ostendit, cùm dicit: Non potestis Deo servíre, et mammónæ. Mammóna apud Hebræos divítiæ appellári dicuntur. Cóngruit et Púnicum nomen; nam lucrum Púnicè mammon dícitur.

℣. Ne sollíciti sitis ánimæ vestræ quid manducétis, neque córpori vestro quid induámini? *Nonne ánima plus est quàm esca, et corpus plus quàm vestimentum? ℣. Quadraginta annis in deserto nihil pátribus défuit; vestimenta eórum non inveteravérunt. * Nonne. *Matth.* 6. 2. *Esdr.* 9.

LECTIO VIII.

(Cap. 16.)

NOLITE ergo sollíciti esse, dicentes: Quid edémus, aut quid bibémus, aut quid vestiémur? Hic manifestíssimè ostendit, non hæc esse appetenda, tanquam tália bona nostra, ut propter ipsa debeámus bene fácere, si quid fácimus; sed tamen esse necessária. Quid enim intersit inter bonum quod appetendum est, et necessárium quod sumendum est, hâc sententiâ declarávit, cùm ait: Quæríte primùm regnum Dei et justítiam ejus, et hæc ómnia apponentur vobis. Regnum ergo et justítia Dei bonum nostrum est: et hoc appetendum, et ibi finis constituendus, propter quod ómnia faciámus quæcumque fácimus.

℣. Respícite volatília cœli: non serunt, neque metunt, neque congregant in hórrea; et Pater vester cœlestis pascit illa. *Nonne vos magis pluris estis illis? ℣. Dat jumentis escam ipsórum, et pullis corvórum invocántibus eum. * Nonne. *Matth.* 6. *Ps.* 146.

LECTIO IX.

SED quia in hac vita militámus, ut ad illud regnum perveníre possímus, quæ vita sine his necessáriis agi non potest: Apponentur vobis hæc, inquit; sed vos regnum Dei et justítiam ejus primùm quærite. Cùm enim dixit illud, Primùm, significávit quia hoc postériùs quæren-

dum est, non témpore, sed dignitáte: illud, tanquam bonum nostrum; hoc, tanquam necessárium nostrum: necessárium autem propter illud bonum. Neque enim, verbi grátiâ, ídeò debémus evangelizáre ut manducémus; sed ídeò manducáre ut evangelizémus: nam si propteréa evangelizámus ut manducémus, vílius habémus Evangélium quàm cibum; et erit jam bonum nostrum in manducando, necessárium autem in evangelizando.

℣. Nolíte sollíciti esse, dicentes: Quid manducábimus, aut quo operiémur? * Hæc ómnia gentes inquírunt: † Scit Pater vester quia his indigétis. ℣. Peccatóri dedit Deus curam supérfluam, ut addat et congreget; et hoc vánitas est, et cassa sollicitúdo. * Hæc. Glória Patri. † Scit. *Matth.* 6. *Eccles.* 2.

Ad Benedictus, *Ant.* 3. à. Nemo potest duóbus dóminis servíre: non potestis Deo servíre et mammónæ. *Matt.* 6.

ORATIO.

Custodi, Dómine, quæsumus, Ecclésiam tuam propitiatióne perpétuâ: et quia sine te lábitur humána mortálitas, tuis semper auxíliis et abstrahátur à nóxiis, et ad salutária dirigátur; Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum qui tecum vivit et regnat.

Ad Magníficat, *Ant.* 1. g. Quærite primùm regnum Dei et justítiam ejus; et hæc ómnia adjicientur vobis. *Matth.* 6.

FERIA SECUNDA.

LECTIO I.

De libro Job.

(Cap. 1 et 2.)

Surrexit Job, et scidit vestimenta sua, et tonso cápite córruens in terram, adorávit, et dixit: Nudus egressus sum de útero matris meæ, et nudus revertar illuc: Dóminus dedit, Dóminus ábstulit; sicut Dómino plácuit, ita factum est: sit nomen Dómini benedictum. In ómnibus his non peccávit Job lábiis suis, neque stultum quid contra Deum locútus est. Factum est autem cùm quâdam die venissent fílii Dei, et starent coram Dómino, venisset quoque Satan inter eos et staret in conspectu ejus; ut díceret Dóminus ad Satan: Unde venis? Qui respondens, ait: Circuívi terram, et perambulávi eam.

℣. Job córruens, 198.

LECTIO II.

Et dixit Dóminus ad Satan: Numquid considerasti servum meum Job, quòd non sit ei símilis in terra, vir simplex et rectus, ac timens Deum, et recédens à malo, et adhuc rétinens innocén-

tiam? Tu autem commovisti me adversùs eum, ut afflígerem eum frustrà. Cui respondens Satan, ait: Pellem pro pelle, et cuncta quæ habet homo, dabit pro ánima sua; alióquin mitte manum tuam, et tange os ejus et carnem; et tunc vidébis quòd in fáciem benedícat tibi. Dixit ergo Dóminus ad Satan: Ecce in manu tua est, verúmtamen ánimam illíus serva. Egressus ígitur Satan à fácie Dómini, percussit Job úlcere péssimo, à planta pedis usque ad vérticem ejus: qui testâ sániem radébat, sedens in sterquilínio. Dixit autem illi uxor sua: Adhuc tu pérmanes in simplicitáte tua? bénedic Deo, et mórere. Qui ait ad illam: Quasi una de stultis muliéribus locúta es: si bona suscépimus de manu Dei, mala quare non suscipiámus? In ómnibus his non peccávit Job lábiis suis.

℣. Quis respondébit Deo? vel quis, 198.

LECTIO III.

Igitur audientes tres amíci Job omne malum quod accidísset ei, venérunt sínguli de loco suo; Eliphaz Themanítes, et Baldad Suhítes, et Sophar Naamathítes. Condíxerant enim ut páriter venientes visitárent eum, et consolarentur. Cùmque elevassent procul óculos suos, non cognovérunt eum; et exclamantes ploravérunt; scissisque véstibus, sparsérunt púlverem super caput suum in cœlum. Et sedérunt cum eo in terra septem diébus et septem nóctibus, et nemo loquebátur ei verbum; vidébant enim dolórem esse vehementem.

℟. Benedíctio, 199.

FERIA TERTIA.

LECTIO I.

De libro Job.

(Cap. 3.)

Post hæc apéruit Job os suum, et maledixit diéi suo, et locútus est: Péreat dies in qua natus sum, et nox in qua dictum est: Conceptus est homo. Dies ille vertátur in ténebras; non requírat eum Deus désuper, et non illustrétur lúmine. Obscúrent eum ténebræ, et umbra mortis; óccupet eum calígo, et involvátur amaritúdine. Noctem illam tenebrósus turbo possídeat, non computétur in diébus anni, nec numerétur in ménsibus. Sit nox illa solitária, nec laude digna: maledícant ei qui maledícunt diéi, qui parati sunt suscitáre Leviathan. Obtenebrentur stellæ calígine ejus: expectet lucem, et non vídeat, nec ortum surgentis auróræ; quia non conclúsit óstia ventris qui portávit me, nec ábstulit mala ab óculis meis.

℣. Beátus homo, 199.

LECTIO II.

(Cap. 4.)

RESPONDENS autem Eliphaz Themanítes, dixit: Si cœpérimus loqui tibi, fórsitan molestè accípies; sed conceptum sermónem tenére quis póterit? Ecce docuísti multos, et manus lassas roborásti: vacillantes confirmavérunt sermónes tui, et génua treméntia confortásti: nunc autem venit super te plaga, et defecísti; tétigit te, et conturbátus es. Ubi est timor tuus, fortitúdo tua, patiéntia tua, et perféctio viárum tuárum? Recordáre, óbsecro te, quis unquam ínnocens périit? aut quando recti deléti sunt? Quin pótiùs vidi eos qui operantur iniquitátem, et séminant dolóres, et metunt eos, flante Deo, periísse, et spíritu iræ ejus esse consumptos.

℣. Addidit Dóminus, 200.

LECTIO III.

(Cap. 6.)

RESPONDENS autem Job, dixit: Utinam appenderentur peccáta mea quibus iram mérui, et calámitas quam pátior, in statéra! quasi aréna maris hæc grávior apparéret: unde et verba mea dolóre sunt plena; quia sagittæ Dómini in me sunt, quarum indignátio ébibit spíritum meum, et terróres Dómini mílitant contra me. Numquid rúgiet ónager, cùm habúerit herbam? aut múgiet bos, cùm ante præsépe plenum stéterit? aut póterit cómedi insulsum, quod non est sale condítum? aut potest áliquis gustáre, quod gustátum affert mortem? Quæ priùs nolébat tángere ánima mea, nunc præ angústia cibi mei sunt. Quis det ut véniat petítio mea; et quod expecto, tríbuat mihi Deus? et qui cœpit, ipse me cónterat? solvat manum suam, et succídat me? Et hæc mihi sit consolátio, ut affligens me dolóre non parcat, nec contradícam sermónibus Sancti.

℣. Patientes estóte, 200.

FERIA QUARTA.

LECTIO I.

De libro Job.

(Cap. 8.)

RESPONDENS Baldad Suhítes, dixit: Usquequò loquéris tália, et spíritus múltiplex sermónes oris tui? Numquid Deus supplantat judícium? aut Omnípotens subvertit quod justum est? Etiamsi fílii tui peccavérunt ei, et dimisit eos in manu iniquitátis suæ; tu tamen si dilúculo consurréxeris ad Deum, et Omnipotentem fúeris deprecátus, si mundus et rectus incésseris, statim evigilábit ad te, et pacátum reddet habitáculum justitiæ

tuæ; in tantum ut si prióra tua fúerint parva, et novíssima tua multiplicentur nimis.

℟. Job córruens, 198

LECTIO II.

(Cap. 9.)

Et respondens Job, ait: Verè scio quòd ita sit, et quòd non justificétur homo compósitus Deo. Si volúerit contèndere cum eo, non póterit ei respondére unum pro mille. Sápiens corde est, et fortis róbore: quis réstitit ei, et pacem hábuit? Qui tránstulit montes, et nesciérunt hi quos subvertit in furóre suo. Qui cómmovet terram de loco suo, et columnæ ejus concutiuntur. Qui præcipit soli, et non orítur; et stellas claudit quasi sub signáculo. Qui extendit cœlos solus, et gráditur super fluctus maris. Qui facit Arctúrum, et Orióna, et Hyadas, et interióra Austri. Qui facit magna, et incomprehensibília et mirabília, quorum non est número.

℣. Quis respondébit, 198.

LECTIO III.

Si vénerit ad me, non vidébo eum; si abíerit, non intélligam. Si repentè intérroget, quis respondébit ei? vel quis dícere potest: Cur ita facis? Deus, cujus iræ nemo resístere potest, et sub quo curvantur qui portant orbem. Quantus ergo sum ego, ut respóndeam ei, et loquar verbis meis cum eo? Qui etiamsi habúero quídpiam justum, non respondébo, sed meum júdicem deprecábor. Et cùm invocántem exaudíerit me, non credo quòd audíerit vocem meam. In túrbine enim cónteret me, et multiplicábit vúlnera mea étiam sine causa. Non concédit requiéscere spíritum meum, et implet me amaritudínibus. Si fortitúdo quæritur, robustíssimus est: si æquitas judícii, nemo audet pro me testimónium dícere. Si justificáre me volúero, os meum condemnábit me: si innocéntem osténdero, pravum me comprobábit.

℟. Benedíctio, 199.

FERIA QUINTA.

LECTIO I.

De libro Job.

(Cap. 11.)

Respondens autem Sophar Naamathítes, dixit: Numquid qui multa lóquitur, non et áudiet? aut vir verbósus justificábitur? Tibi soli tacébunt hómines? et cùm céteros irríseris, à nullo confutáberis? Dixisti enim: Purus est sermo meus, et mundus sum in conspectu tuo. Atque útinam Deus loquerétur tecum, et aperíret lábia sua tibi; ut ostenderet tibi secréta sapiéntiæ, et

quòd múltiplex esset lex ejus; et intellígeres quòd multò minóra exigáris ab eo, quàm merétur iníquitas tua!

℣. Beátus homo, 199.

LECTIO II.

(Cap. 12.)

Respondens autem Job, dixit: Ergo vos estis soli hómines, et vobiscum moriétur sapiéntia? Et mihi est cor sicut et vobis, nec inférior vestrî sum: quis enim hæc quæ nostis ignórat? Qui deridétur ab amíco suo sicut ego, invocábit Deum, et exáudiet eum: deridétur enim justi simplícitas. Lampas contempta apud cogitatiónes dívitum, paráta ad tempus statútum. Abundant tabernácula prædónum, et audacter próvocant Deum, cùm ipse déderit ómnia in manus eórum. Nimírum intérroga jumenta, et docébunt te; et volatília cœli, et indicábunt tibi. Lóquere terræ, et respondébit tibi; et narrábunt pisces maris. Quis ignórat quòd ómnia hæc manus Dómini fécerit? In cujus manu ánima omnis viventis, et spíritus universæ carnis hóminis.

℣. Addidit Dóminus ómnia, 200.

LECTIO III.

(Cap. 13.)

Audite ergo correptiónem meam, et judícium labiórum meórum atténdite. Numquid Deus índiget vestro mendácio, ut pro illo loquámini dolos? Numquid fáciem ejus accípitis, et pro Deo judicáre nitímini? Aut placébit ei quem celáre nihil potest? aut decipiétur ut homo vestris frauduléntiis? Ipse vos árguet, quóniam in abscóndito fáciem ejus accípitis. Statim ut se commóverit, turbábit vos; et terror ejus írruet super vos. Memória vestra comparábitur cíneri, et redigentur in lutum cervíces vestræ. Tacéte paulisper, ut loquar quodcumque mihi mens suggésserit. Quare lácero carnes meas déntibus meis, et ánimam meam porto in mánibus meis? Etiamsi occíderit me, in ipso sperábo: verúmtamen vias meas in conspectu ejus árguam. Et ipse erit salvátor meus: non enim véniet in conspectu ejus omnis hypócrita.

℣. Patientes estóte, 200.

FERIA SEXTA.

LECTIO I.

De libro Job.

(Cap. 32.)

Omiserunt tres viri isti respondére Job, eò quòd justus sibi vidérétur. Et irátus, indignatusque est Eliu fílius Bárachel Buzítes, de cognatióne Ram: irátus est autem adversùm Job, eò quòd justum se esse díceret coram

Deo. Porrò adversùm amícos ejus indignátus est, eò quòd non invenissent responsiónem rationábilem, sed tantúmmodò condemnassent Job. Igitur Elíu expectávit Job loquentem, eò quòd senióres essent qui loquebantur. Cùm autem vidisset quòd tres respondére non potuíssent, irátus est vehementer. Respondensque Elíu fílius Bárachel Búzites, dixit: Júnior sum témpore, vos autem antiquióres; idcirco demisso cápite, véritus sum vobis indicáre meam sententiam. Sperábam enim quòd ætas prolíxior loquerétur, et annórum multitúdo docéret sapiéntiam. Sed, ut vídeo, spíritus est in homínibus, et inspirátio Omnipotentis dat intelligéntiam. Non sunt longævi sapientes, nec seues intélligunt judícium.

℣. Job córruens in terram, 198.

LECTIO II.

(Cap. 36.)

Addens quoque Elíu, hæc locútus est: Sústine me páululùm, et indicábo tibi; ádhuc enim hábeo quod pro Deo loquar. Répetam sciéntiam meam à princípio, et operatórem meum probábo justum. Verè enim absque mendácio sermónes mei, et perfecta sciéntia probábitur tibi. Deus potentes non ábjicit, cùm et ipse sit potens. Sed non salvat ímpios, et judícium paupéribus tríbuit. Non áuferet à justo óculos *suos*, et reges in sólio cóllocat in perpétuum; et illi eriguntur. Et si fúerint in caténis, et vinciantur' fúnibus paupertátis, indicábit eis ópera eórum, et scélera eórum, quia violenti fuérunt.

℣. Quis respondébit Deo, 198.

LECTIO III.

(Cap. 38.)

Respondens autem Dóminus Job de túrbine, dixit: Quis est iste involvens sententias sermónibus imperítis? Accinge sicut vir lumbos tuos; interrogábo te, et responde mihi. Ubi eras quando ponébam fundamenta terræ? Indica mihi, si habes intelligéntiam. Quis pósuit mensúras ejus, si nosti? vel quis tetendit super eam líneam? Super quo bases illíus solidátæ sunt? aut quis demísit lápidem angulárem ejus; cùm me laudárent simul astra matutína, et jubilárent omnes fílii Dei? Quis conclúsit óstiis mare, quando erumpébat quasi de vulva procédens: cùm pónerem nubem vestimentum ejus, et calígine illud quasi pannis infántiæ obvólverem? Circúmdedi illud términis meis, et pósui vectem et óstia. Et dixi: Usque huc vénies, et

non procédes ámpliùs; et hìc confringes tumentes fluctus tuos.

℣. Benedíctio, 199.

SABBATO.

LECTIO I.

De libro Job.

(Cap. 42.)

Respondens Job Dómino, dixit: Scio quia ómnia potes, et nulla te latet cogitátio. Quis est iste qui celat consílium absque sciéntia? ídeò insipienter locútus sum, et quæ ultra modum excéderent sciéntiam meam. Audi, et ego loquar: interrogábo te, et responde mihi. Audítu auris audívi te, nunc autem óculus meus videt te. Idcirco ipse me reprehendo, et ago pœniténtiam in favilla et cinere. Postquàm autem locútus est Dóminus verba hæc ad Job, dixit ad Eliphaz Themanítem: Irátus est furor meus in te, et in duos amícos tuos; quóniam non estis locúti coram me rectum, sicut servus meus Job. Súmite ergo vobis septem tauros et septem aríetes, et ite ad servum meum Job, et offerte holocaustum pro vobis: Job autem servus meus orábit pro vobis; fáciem ejus suscípiam, ut non vobis imputétur stultítia; neque enim locúti estis ad me recta, sicut servus meus Job.

[*Si fiat de Sabbato,* ℣℣℟. *sumentur è II. Nocturno Dominicæ præcedentis.*]

LECTIO II.

Abierunt ergo Eliphaz Themanítes, et Baldad Suhítes, et Sophar Naamathítes, et fecérunt sicut locútus fúerat Dóminus ad eos; et suscépit Dóminus fáciem Job. Dóminus quoque conversus est ad pœniténtiam Job, cùm oráret ille pro amícis suis. Et áddidit Dóminus ómnia quæcumque fúerint Job, duplícia. Venérunt autem ad eum omnes fratres sui, et universæ soróres suæ, et cuncti qui nóverant eum priùs; et comedérunt cum eo panem in domo ejus; et movérunt super eum caput, et consoláti sunt eum super omni malo quod intúlerat Dóminus super eum; et dedérunt ei unusquisque ovem unam, et inaurem áuream unam.

LECTIO III.

Dominus autem benedixit novíssimis Job magis quàm princípio ejus: et facta sunt ei quatuórdecim míllia óvium, et sex míllia camelórum, et mille juga boum, et mille ásinæ. Et fuérunt ei septem fílii et tres fíliæ. Et vocávit nomen uníus Diem, et nomen secundæ Cássiam, et nomen tértiæ Cornustíbii. Non sunt autem inventæ mulíeres speciósæ, sicut fíliæ Job in universa ter-

ra: deditque eis pater suus hæreditátem inter fratres eárum. Vixit autem Job post hæc centum quadraginta annis, et vidit fílios suos, et fílios filiórum suórum usque ad quartam generatiónem; et mórtuus est senex, et plenus diérum.

Ad Magnificat, *Ant.* 3. a. Tobías factus est cæcus: hanc autem tentatiónem ídeò Dóminus permísit evenire illi, ut pósteris darétur exemplum patiéntiæ ejus, sicut et sancti Job. *Tob.* 2.

Oratio, ut infrà ad Laudes.

DOMINICA XV

POST PENTECOSTEN.

IN I.º NOCTURNO.

LECTIO I.

Incipit liber Tobíæ.

(Cap. 1.)

Tobias ex tribu et civitáte Néphtali, (quæ est in superióribus Galilææ supra Naasson, post viam quæ ducit ad occidentem, in sinistro habens civitátem Sephet) cùm captus esset in diébus Salmánasar regis Assyriórum, in captivitáte tamen pósitus, viam veritátis non deséruit; ita ut ómnia quæ habére póterat, quotídie concaptívis frátribus qui erant ex ejus génere, impertíret. Cùmque esset júnior ómnibus in tribu Néphthali, nihil tamen puerile gessit in ópere. Dénique cùm irent omnes ad vítulos áureos quos Jeróboam fécerat rex Israel, hic solus fugiébat consórtia ómnium; sed pergébat in Jerúsalem ad templum Dómini, et ibi adorábat Dóminum Deum Israel, ómnia primitíva sua et décimas suas fidéliter óferens; ita ut in tértio anno prosélytis et ádvenis ministráret omnem decimatiónem. Hæc et his simília secundùm legem Dei puérulus observábat.

℟. Tobías cùm esset júnior, nihil puerile gessit in ópere: dénique * Cùm irent omnes ad vítulos áureos, hic solus fugiébat consórtia ómnium, sed pergébat in Jerúsalem ad templum Dómini, et ibi adorábat. ℣. Pater tales quærit qui adórent eum. * Cùm irent omnes. *Tob.* 1. *Joan.* 4.

LECTIO II.

Cum verò factus esset vir, accépit uxórem Annam de tribu sua; genuitque ex ea fílium, nomen suum impónens ei, quem ab infántia timére Deum dócuit, et abstinére ab omni peccáto. Igitur cùm per captivitátem devenisset cum uxóre sua et fílio in civitátem Níniven, cum omni tribu sua; cùm omnes éderent ex cibis gentílium, iste custodívit ánimam suam, et nunquam contaminátus est in escis eórum. Et quóniam memor fuit Dómini in toto corde

suo, dedit illi Deus grátiam in conspectu Salmánasar regis; et dedit illi potestátem quòcumque vellet ire, habens libertátem quæcumque fácere voluisset.

℟. Quómodò potúeris, esto miséricors: si multum tibi fúerit, abundanter tríbue: * Si exígnum tibi fúerit, étiam exíguum libenter impertíri stude. ℣. Si voluntas prompta est, secundùm id quod habet accepta est, non secundùm id quod non habet: * Si exíguum. *Tob.* 4. 2. *Cor.* 8.

LECTIO III.

Pergebat ergo ad omnes qui erant in captivitáte, et mónita salútis dabat eis. Cùm autem venisset in Rages civitátem Medórum, et ex his quibus honorátus fúerat à rege, habuisset decem talenta argenti; et cùm in multa turba géneris sui Gabélum egentem vidéret, qui erat ex tribu ejus, sub chirógrapho dedit illi memorátum pondus argenti. Post multum verò témporis, mórtuo Salmánasar rege, cùm regnáret Sennácherib fílius ejus pro eo, et fílios Israel exósos habéret in conspectu suo, Tobías quotídie pergébat per omnem cognatiónem suam, et consolabátur eos, dividebatque unicuíque, proùt póterat, de facultátibus suis; esurientes alébat, nudisque vestimenta præbébat, et mórtuis atque occísis sepultúram sollícitus exhibébat.

℟. Noli timére, fili mi; páuperem quidem vitam gérimus, sed * Multa bona habébimus, si timuérimus Deum, et recessérimus ab omni peccáto, et fecérimus bene. ℣. Nonne Deus elégit páuperes in hoc mundo, divites in fide, et hæredes regni quod repromísit diligéntibus se? * Multa bona habébimus. Glória Patri. * Multa bona. *Tob.* 4. *Jac.* 2.

IN II.° NOCTURNO.

LECTIO IV.

Ex libro sancti Ambrósii Epíscopi, de Tobía.

(Cap. 1.)

Lecto prophético libro, qui inscríbitur Tobías, quamvis plenè vobis virtútes sancti Prophétæ Scriptúra insinuáverit, tamen compendiário mihi sermóne de ejus méritis recensendis et opéribus apud vos utendum árbitror; ut ea quæ Scriptúra histórico more digessit látiùs, nos stríctiùs comprehendámus, virtútum ejus génera velut quodam breviário colligentes. Fuit Tobías vir justus, misércors, hospitális; et hoc virtútum præditus choro, súbiit ærumnam captivitátis, quam ferébat humíliter atque patienter, commúnem magis injúriam quàm privátam dolens; nec sibi virtútum suffrágia nihil pro-

fuisse deplórans, sed magis eam sibi contuméliam minórem peccatórum suórum prétio illátam arbitrátus, méruit edictum, ne quis ex fíliis captivitátis mórtuum sepultúræ daret.

℟. Cognáti Tobíæ irridébant vitam ejus: Tobías verò increpábat eos, dicens: * Fílii sanctórum sumus, et vítam illam expectámus, quam Deus datúrus est his qui fidem suam nunquam mutant ab eo. ℣. Teneámus spei nostræ confessiónem indeclinábilem, fidélis enim est qui repromísit. * Fílii sanctórum sumus, et vítam illam expectámus. *Tob.* 2. *Hebr.* 10.

LECTIO V.

At ille interdicto non revocabátur magis quàm incitabátur, ne desérere offícium pietátis, mortis metu, viderétur; erat enim misericórdiæ prétium mortis pœna. Talis flagítii deprehensus reus, vix tandem per amícum pótuit, direpto património, egenus et exul restítui suis. Iterùm in his versabátur offíciis; et si quid alimenti foret, peregrínum cum quo cibum súmeret, quærébat. Itaque cùm fessus à sepultúræ revertisset múnere, appósitis sibi edendi subsídiis, misso fílio, quærébat consortem convívii. Dum convíva accérsitur, nuntiátis insepulti córporis relíquiis, convívium deserébat: nec putábat pium ut ipse cibum súmeret, cùm in público corpus jacéret exánime. Hoc illi quotidiánum opus, et magnum.

℟. Quando orábas cum lácrymis, et sepeliébas mórtuos, et derelinquébas prándium tuum, ego óbtuli oratiónem tuam Dómino. * Ego sum Ráphael ángelus, unus ex septem qui astámus ante Dóminum. ℣. Grátia vobis et pax ab eo qui est, et à septem spirítibus qui in conspectu throni ejus sunt. * Ego sum Ráphael ángelus, unus ex septem. *Tob.* 12. *Apoc.* 1.

LECTIO VI.

(Cap. 2.)

Tam sancto fessus offício Prophéta, dum requiescit juxta paríetem aulæ, cadente de pásserum nido stércore, albúgine cæcitátem íncidit; nec conquestus ingémuit, nec dixit: Hæc merces labórum meórum? Fraudári magis se dóluit obsequiórum, quàm oculórum múnere; nec cæcitátem pœnam, sed impedimentum putábat. Et cùm victum mercéde leváret cónjugis, ne quid furtívum domum suam intráret, cavébat. Dénique plus honestáti quàm necessitáti cónsulens, cui sua déerant, commodáverat próximo suo pecúniam quamdam

quam toto vitæ suæ témpore in tanta indigéntia non repoposcit. Vix, ubi se fessum vidit, et depósitum senectúte, insinuávit fílio, non tam cúpiens commodátum repóscere, quàm sollícitus ne fraudáret hærédem. Quòd ígitur commodávit pecúniam, et non fœnerávit, justi servávit offícium. Malum est enim fœnus quo quæruntur usúræ; sed non illud fœnus malum de quo scriptum est: Fœnera próximo tuo in témpore necessitátis illíus.

℟. Quia acceptus eras Deo, * Necesse fuit ut tentátio probáret te; et † Nunc misit me Dóminus ut curárem te, et Saram uxórem fílii tui à dæmónio liberárem. ℣. Quem díligit Dóminus, castígat; flagellat autem omnem fílium quem récipit. * Necesse fuit ut tentátio. Glória Patri. † Nunc misit me. *Tob.* 12. *Hebr.* 12.

IN III.° NOCTURNO.

LECTIO VII.

Léctio sancti Evangélii secundùm Lucam.

(Cap. 7.)

In illo témpore; Ibat Jesus in civitátem quæ vocátur Naïm; et ibant cum eo discípuli ejus, et turba copiósa. Cùm autem appropinquáret portæ civitátis, ecce defunctus efferebátur fílius únicus matris suæ. Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Epíscopi.

(Serm. 98, de verbis Evang. Luc. 7, c. 4.)

Videamus quid Christus nos díscere vóluit in tribus mórtuis quos suscitávit. Resuscitávit fíliam mórtuam Archisynagógi, ad quam ægrotantem petebátur ut eam de ægritúdine liberáret. Excitávit et hunc júvenem víduæ fílium, de quo nunc admóniti sumus; ut hinc ista quæ ipse largíri dignátur, cum vestra caritáte loquerémur. Modò audistis quómodò excitátus est. Appropinquábat Dóminus civitáti: et ecce efferebátur mórtuus jam extra portam. Misericórdiâ commótus quòd flebat mater vídua, et destitúta único fílio, fecit quod audistis, dicens: Adolescens, tibi dico, Surge. Surrexit ille mórtuus, cœpit loqui; et réddidit illum matri suæ. Excitávit et Lázarum de sepulcro.

℟. Defunctus efferebátur fílius únicus matris suæ; et hæc vídua erat. Quam cùm vidisset * Dóminus, misericórdiâ motus super eam, dixit illi: Noli flere. ℣. Non despíciet Dóminus víduam, si effundat loquélam gémitûs. * Dóminus. *Luc.* 7. *Eccli.* 35.

LECTIO VIII.

(Cap. 5.)

Ista tria génera mortuórum

sunt tria génera peccatórum, quos hodieque súscitat Christus. Illa enim mórtua fília Archisynagógi intùs erat in domo; nondum erat desecrétis pariétibus eláta in públicum. Ibi intùs suscitáta est, viva paréntibus réddita. Iste autem jam quidem non in domo, sed tamen nondum in sepulchro; pariétibus elátus erat, terræ mandátus non erat. Qui suscitávit mórtuam nondum elátam, suscitávit mórtuum jam elátum, nondum sepultum. Tértium restábat, ut et sepultum suscitáret; et hoc fecit in Lázaro.

℟. Accessit Jesus, et tétigit lóculum: hi autem qui portábant, stetérunt. Et * Ait: Adolescens, tibi dico, Surge. Et resédit qui erat mórtuus. ℣. Deus noster, Deus salvos faciendi; et Dómini Dómini éxitus mortis. * Ait: adolescens, tibi dico, Surge. *Luc.* 7. *Ps.* 67.

LECTIO IX.

(Cap. 7.)

Hæc ergo, caríssimi, sic audiámus, ut qui vivunt vivant; qui mórtui sunt, reviviscant. Sive adhuc peccátum in corde conceptum est, et non processit in factum; pœniteat, corrigátur cogitátio, surgat mórtuus intrà domum consciéntiæ. Sive jam quod cogitávit, admísit; nec sic desperétur. Non surrexit mórtuus intùs: surgat elátus. Pœniteat facti, de próximo reviviscat: non eat in profundum sepultúræ; non accípiat désuper consuetúdinis molem. Sed fortè jam illi loquor, qui jam duro sui moris lápide prémitur, qui jam urgétur consuetúdinis póndere, qui jam quatriduánus putet. Nec ipse despéret: profundus mórtuus est; sed altus est Christus. Novit clamando terréna ónera rúmpere, novit intrínsecùs per seipsum vivificáre, solvendum discípulis trádere. Agant étiam tales pœniténtiam; neque enim Lázaro resuscitáto post quatríduum ullus putor in vivente remánserat. Ergo qui vivunt, vivant: quicumque autem mórtui sunt, in quacumque harum trium morte se invénerint, agant ut céleriter jam resurgant.

℟. Sicut Pater súscitat mórtuos, et vivificat; * Sic et † Fílius quos vult, vivíficat. ℣. Non est fortis sicut Deus noster: Dóminus mortíficat, et vivíficat. * Sic. Glória Patri. † Fílius. *Joan.* 5. 1. *Reg.* 2.

Ad Benedictus. *Ant.* 2. D. Qui erat mórtuus, cœpit loqui; et dedit illum Jesus matri suæ. *Luc.* 7.

ORATIO.

Ecclesiam tuam, Dómine, miserátio continuáta mundet et múniat: et, quia sine

te non potest salva consístere, tuo semper múnere gubernétur; Per Dóminum.

Ad Magníficat. *Ant.* 1. D. Accépit omnes timor, et magnificábant Deum, dicentes: Quia Prophéta magnus surrexit in nobis, et quia Deus visitávit plebem suam. *Luc.* 7.

FERIA SECUNDA.

LECTIO I.

De libro Tobíæ.

(Cap. 2.)

Post hæc cùm esset dies festus Dómini, et factum esset prándium bonum in domo *Tobíæ*; dixit *fílio suo*: Vade, et adduc áliquos de tribu nostra, timentes Deum, ut epulentur nobiscum. Cùmque abiisset, reversus nuntiávit ei unum ex fíliis Israel jugulátum jacére in platéa. Statimque exíliens de accúbitu suo, relinquens prándium, jejúnus pervénit ad corpus; tollensque illud portávit ad domum suam occultè; ut, dum sol occubuisset, cautè sepelíret eum. Cùmque occultasset corpus, manducávit panem cum luctu et tremóre, mémorans illum sermónem quem dixit Dóminus per Amos prophétam: Dies festi vestri convertentur in lamentatiónem et luctum.

℟. Tobías cùm esset júnior, 209.

LECTIO II.

Cum verò sol occubuisset, ábiit, et sepelívit eum. Arguébant autem eum omnes próximi ejus, dicentes: Jam hujus rei causâ intérfici jussus es, et vix effugisti mortis impérium, et íterùm sépelis mórtuos? Sed Tobias plus timens Deum quàm regem, rapiébat córpora occisórum, et occultábat in domo sua, et médiis nóctibus sepeliébat ea. Cóntigit autem ut quádam die fatigátus à sepultúra, véniens in domum suam, jactasset se juxta paríetem, et obdormisset, et ex nido hirúndinum dormienti illi cálida stércora incíderent super óculos ejus, fieretque cæcus. Hanc autem tentatiónem ídeò permísit Dóminus evenire illi, ut pósteris darétur exemplum patiéntiæ ejus, sicut et sancti Job.

℟. Quómodò potúeris, esto miséricors, 210.

LECTIO III.

(Cap. 2 et 3.)

Anna verò uxor ejus ibat ad opus textrínum quotídie, et de labóre mánuum suárum victum quem cónsequi póterat, deferébat. Unde factum est ut hædum caprárum accípiens detulisset domi; cujus cùm vocem balantis vir ejus audisset, dixit: Vidéte ne fortè furtívus sit, réddite

eum dóminis suis; quia non licet nobis aut édere ex furto áliquid, aut contíngere. Ad hæc uxor ejus iráta, respondit: Manifestè vana facta est spes tua, et eleemósynæ tuæ modò apparuérunt. Atque his et áliis hujuscémodi verbis exprobrábat ei. Tunc Tobías ingémuit, et cœpit oráre cum lácrymis, dicens: Justus es, Dómine, et ómnia judícia tua justa sunt; et omnes viæ tuæ, misericórdia, et véritas, et judícium. Et nunc, Dómine, memor esto meî, et ne vindictam sumas de peccátis meis, neque reminiscáris delicta mea, vel parentum meórum. Quóniam non obedívimus præceptis tuis, ídeò tráditi sumus in direptiónem, et captivitátem, et mortem.

℟. Noli timére, 210.

FERIA TERTIA.

LECTIO I.

De libro Tobíæ.

(Cap. 4.)

Cum Tobías putáret oratiónem suam exaudíri ut mori potuisset, vocávit ad se Tobíam fílium suum, dixitque ei: Audi, fili mi, verba oris mei, et ea in corde tuo quasi fundamentum cónstrue. Cùm acceperit Deus ánimam meam, corpus meum sépeli; et honórem habébis matri tuæ ómnibus diébus vitæ ejus: memor enim esse debes quæ et quanta perícula passa sit propter te in útero suo. Cùm autem et ipsa compléverit tempus vitæ suæ, sepélias eam circa me. Omnibus autem diébus vitæ tuæ in mente habéto Deum; et cave ne aliquando peccáto consséntias, et prætermittas præcepta Dómini Dei nostri. Ex substántia tua fac eleemósynam, et noli avértere fáciem tuam ab ullo páupere; ita enim fiet ut nec à te avertátur fácies Dómini. Quómodò potúeris, ita esto misércors. Si multum tibi fúerit, abundanter tríbue; si exíguum tibi fúerit, étiam exíguum libenter impertíri stude. Præmium enim bonum tibi thesaurízas in die necessitátis; quóniam eleemósyna ab omni peccáto et à morte líberat, et non patiétur ánimam ire in ténebras. Fidúcia magna erit coram summo Deo eleemósyna ómnibus faciéntibus eam.

℟. Cognáti Tobíæ, 211.

LECTIO II.

Attende tibi, fili mi, ab omni fornicatióne; et præter uxórem tuam nunquam patiáris crimen scire. Superbiam nunquam in tuo sensu aut in tuo verbo dominári permittas; in ipsa enim inítium sumpsit omnis perdítio. Quicumque tibi áliquid operátus fúerit, statim ei mercédem restítue; et merces mercenárii tui apud te

omnínò non remáneat. Quod ab álio óderis fieri tibi, vide ne tu aliquandò álteri fácias. Panem tuum cum esuriéntibus et egénis cóme-de, et de vestimentis tuis nudos tege. Panem tuum et vinum tuum super sepultúram justi constítue, et noli ex eo manducáre et bíbere cum peccatóribus. Consílium semper à sapiente perquíre. Omni témpore benedic Deum; et pete ab eo ut vias tuas dírigat, et ómnia consília tua in ipso permáneant. Indico étiam tibi, fili mi, dedisse me decem talenta argenti, dum adhuc infántulus esses, Gabélo, in Rages civitáte Medórum; et chirógraphum ejus apud me hábeo: et ideò perquíre quómodò ad eum pervénias, et recípias ab eo supramemorátum pondus argenti, et restítuas ei chirógraphum suum. Noli timére, fili mi; páuperem quidem vitam gérimus, sed multa bona habébimus, si timuérimus Deum, et recessérimus ab omni peccáto, et fecérimus bene.

℣. Quando orábas, 211.

LECTIO III.

(Cap. 5.)

Tunc respondit Tobías patri suo, et dixit: Omnia quæcumque præcepisti mihi, fáciam, pater. Quómodò autem pecúniam hanc requíram, ignóro. Ille me nescit, et ego eum ignóro: quod signum dabo ei? Sed neque viam per quam pergátur illuc, aliquando cognóvi. Tunc pater suus respondit illi, et dixit: Chirógraphum quidem illíus penès me hábeo: quod dum illi osténderis, statim restítuet. Sed perge nunc, et inquíre tibi áliquem fidélem virum, qui eat tecum, salvâ mercéde suâ; ut, dum adhuc vivo, recípias eam. Tunc egressus Tobías, invénit júvenem splendídum, stantem præcinctum, et quasi parátum ad ambulandum. Et ignórans quòd Angelus Dei esset, salutávit eum, et dixit: Unde te habémus, bone júvenis? At ille respondit: Ex fíliis Israel. Et Tobías dixit ei: Nosti viam quæ ducit in regiónem Medórum? Cui respondit: Novi; et ómnia itínera ejus frequenter ambulávi, et mansi apud Gabélum fratrem nostrum, qui morátur in Rages civitáte Medórum, quæ pósita est in monte Ecbátanis.

℣. Quia acceptus, 212.

FERIA QUARTA.

LECTIO I.

De libro Tobíæ.

(Cap. 6.)

Profectus est Tobías, et canis secútus est eum; et mansit primâ mansióne juxta flúvium Tigris. Et exívit ut

laváret pedes suos; et ecce piscis immánis exívit ad devorándum eum. Quem expavéscens Tobías, clamávit voce magnà, dicens: Dómine, invádit me. Et dixit ei Angelus: Apprehende bránchiam ejus, et trahe eum ad te. Quod cùm fecísset, attraxit eum in siccum, et palpitáre cœpit ante pedes ejus. Tunc dixit ei Angelus: Exénterа hunc piscem; et cor ejus, et fel, et jecur repóne tibi: sunt enim hæc necessária ad medicamenta utíliter. Quod cùm fecísset, assávit carnes ejus, et secum tulérunt in via; cétera saliérunt, quæ sufficerent eis, quousque pervenírent in Rages civitátem Medórum. Tunc interrogávit Tobías Angelum, et dixit ei: Obsécro te, Azária frater, ut dicas mihi quod remédium habébunt ista quæ de pisce servâre jussísti? Et respondens Angelus, dixit ei: Cordis ejus partículam si super carbónes ponas, fumus ejus extrícat omne genus dæmoniórum, sive à viro, sive à mulíere; ita ut ultrà non accédat ad eos. Et fel valet ad ungéndos óculos in quibus fúerit albúgo, et sanabúntur.

℣. Tobías cùm esset júnior, 209.

LECTIO II.

Et dixit ei Tobías: Ubi vis ut maneámus? Respondensque Angelus, ait: Est hic Ráguel nómine, vir propínquus de tribu tua, et hic habet fíliam nómine Saram; sed neque másculum, neque féminam ullam habet áliam præter eam. Tibi debétur omnis substántia ejus, et oportet eam te accípere cónjugem. Pete ergo eam à patre ejus, et dabit tibi eam in uxórem. Tunc respondit Tobías, et dixit: Audio quia trádita est septem viris, et mórtui sunt: sed et hoc audívi, quia dæmónium occídit illos. Tímeo ergo, ne forte et mihi hæc evéniant; et cùm sim únicus paréntibus meis, depónam senectútem illórum cum tristítia ad ínferos.

℟. Quómodò, 210.

LECTIO III.

Tunc ángelus Ráphael dixit ei: Audi me, et ostendam tibi qui sunt, quibus prævalére potest dæmónium. Hi namque qui conjúgium ita suscípiunt, ut Deum à se et à sua mente exclúdant, et suæ libídini ita vacent, sicut equus et mulus quibus non est intellectus, habet potestátem dæmónium super eos. Tu autem cùm accéperis eam, ingressus cubículum, per tres dies cóntinens esto ab ea; et nihil áliud, nisi oratiónibus vacábis cum ea. Ipsà autem nocte, incenso jécore piscis, fugábitur dæmónium. Secundà verò nocte, in copulatióne sanctórum

Patriarchárum admittéris. Tértiâ autem nocte benedictiónem consequéris, ut fílii ex vobis procreentur incólumes. Transactâ autem tértiâ nocte, accípies vírginem cum timóre Dómini, amóre filiórum magis quàm libídine ductus, ut in sémine Abrahæ benedictiónem in fíliis consequáris.

℟. Noli timére, 210.

FERIA QUINTA.

LECTIO I.

De libro Tobíæ.

(Cap. 7.)

Ingressi sunt ad Raguélem; et suscépit eos Ráguel cum gáudio. Intuensque Tobíam Ráguel, dixit Annæ uxóri suæ: Quàm símilis est júvenis iste consobríno meo! Et cùm hæc dixisset, ait: Unde estis, júvenes fratres nostri? At illi dixérunt: Ex tribu Néphthali sumus, ex captivitáte Nínive. Dixitque illis Ráguel: Nostis Tobíam fratrem meum? Qui dixérunt: Nóvimus. Cùmque multa bona loquerétur de eo, dixit Angelus ad Raguélem: Tobías de quo interrogas, pater istíus est. Et misit se Ráguel, et cum lácrymis osculátus est eum; et plorans supra collum ejus, dixit: Benedíctio sit tibi, fili mi, quia boni et óptimi viri fílius es. Et Anna uxor ejus, et Sara ipsórum fília lacrymátæ sunt. Postquàm autem locúti sunt, præcépit Ráguel occídi aríetem, et parári convívium. Cùmque hortarétur eos discúmbere ad prándium, Tobías dixit: Hic ego hódie non manducábo, neque bibam, nisi príus petitiónem meam confírmes, et promíttas mihi dare Saram fíliam tuam.

℟. Cognáti Tobiæ, 211.

LECTIO II.

Tunc dixit Ráguel: Non dúbito quòd Deus preces et lácrymas meas in conspectu suo admíserit; et credo quóniam ídeò fecit vos veníre ad me, ut ista conjungerétur cognatióni suæ secundum legem Móysi: et nunc noli dúbium gérere quòd tibi eam tradam. Et apprehendens déxteram fíliæ suæ, dextræ Tobíæ trádidit, dicens: Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Jacob vobíscum sit, et ipse conjungat vos, impleatque benedictiónem suam in vobis. Et acceptâ chartâ, fecérunt conscriptiónem conjúgii. Et post hæc epuláti sunt, benedícentes Deum. Vocavitque Ráguel ad se Annam uxórem suam, et præcépit ei ut præparáret álterum cubículum. Et introduxit illuc Saram fíliam suam, et lacrymáta est. Dixitque ei: Forti ánimo esto, fília mea: Dóminus cœli det tibi gáudium pro tædio quod perpessa es.

℟. Quando orábas, 211.

LECTIO III.

(Cap. 8.)

TUNC hortátus est vírginem Tobías, dixitque ei: Sara, exurge, et deprecémur Deum hódie, et cras, et secundum cras; quia his tribus nóctibus Deo júngimur; tértia autem transactà nocte, in nostro érimus conjúgio: fílii quippe sanctórum sumus, et non póssumus ita conjungi sicut gentes quæ ignórant Deum. Surgentes autem páriter, instanter orábant ambo simul, ut sánitas darétur eis. Dixitque Tobías: Dómine Deus patrum nostrórum, benedícant te cœli et terræ, mareque et fontes, et flúmina, et ómnes creatúræ tuæ quæ in eis sunt. Tu fecisti Adam de limo terræ, dedistique ei adjutórium Evam: et nunc, Dómine, tu scis quia non luxúriæ causà accípio sorórem meam cónjugem, sed solà posteritátis dilectióne, in qua benedicátur nomen tuum in sécula seculórum. Dixit quoque Sara: Miserére nobis, Dómine, miserére nobis; et consenescámus ambo páriter sani.

℣. Quia acceptus, 212.

FERIA SEXTA.

LECTIO I.

De libro Tobíæ.

(Cap. 8 et 9.)

ADJURAVIT Ráguel Tobíam, ut duas hebdomádas morarétur apud se. De ómnibus autem quæ possidébat Ráguel, dimídiam partem dedit Tobíæ; et fecit scriptúram, ut pars dimídia quæ supérerat post óbitum eórum, Tobíæ domínio deveníret. Tunc vocávit Tobías Angelum ad se, quem quidem hóminem existimábat, dixitque ei: Azária frater, peto ut auscultes verba mea. Si meipsum tradam tibi servum, non ero condignus providéntiæ tuæ: tamen óbsecro te, ut assúmas tibi animália sive servítia, et vadas ad Gabélum in Rages civitátem Medórum, reddasque ei chirógraphum suum, et recípias ab eo pecúniam, et roges eum veníre ad núptias meas. Scis enim ipse quóniam númerat pater meus dies; et si tardávero unà die plus, contristátur ánima ejus. Et certè vides quómodò adjurávit me Ráguel, cujus adjuramentum spérnere non possum. Tunc Ráphael assúmens quátuor ex servis Raguélis, et duos camélos, in Rages civitátem Medórum perrexit: et invéniens Gabélum, réddidit ei chirógraphum suum, et recépit ab eo omnem pecúniam. Indicavitque ei de Tobía fílio Tobíæ, ómnia quæ gesta sunt; fecitque eum secum veníre ad núptias.

℣. Tobías cùm esset júnior, 209.

LECTIO II.

(Cap. 10.)

Cum verò moras fáceret Tobías causâ nuptiárum, sollícitus erat pater ejus Tobías, dicens : Putas quare morátur fílius meus, aut quare detentus est ibi? Putasne Gabélus mórtuus est, et nemo reddet illi pecúniam? Cœpit autem contristári nimis ipse, et Anna uxor ejus cum eo ; et cœpérunt ambo simul flere, eò quòd die statúto mínime reverterétur fílius eórum ad eos. Flebat ígitur mater ejus irremediabílibus lácrymis, atque dicébat : Heu, heu me, fili mi! ut quid te mísimus peregrinári, lumen oculórum nostrórum, báculum senectútis nostræ, solátium vitæ nostræ, spem posteritátis nostræ? ómnia simul in te uno habentes, te non debúimus dimíttere à nobis. Cui dicébat Tobías : Tace, et noli turbári ; sanus est fílius noster : satis fidélis est vir ille cum quo mísimus eum.

℣. Quómodò potúeris, esto misericors : si multùm tibi fúerit, 2ıo.

LECTIO III.

(Cap. 11.)

Anna autem sedébat secus viam quotídie in supercílio montis, unde respícere póterat de longinquo. Et dum ex códem loco specularétur adventum ejus, vidit à longè ; et íllico agnóvit vénientem fílium suum ; currensque nuntiávit viro suo, dicens : Ecce venit fílius tuus. (Dixitque Ráphael ad Tobíam : At ubi introíeris domum tuam, statim adóra Dóminum Deum tuum ; et grátias agens ei, accéde ad patrem tuum, et osculáre eum. Statimque lini super óculos ejus ex felle isto piscis quod portas tecum : scias enim quóniam mox aperiéntur óculi ejus ; et vidébit pater tuus lumen cœli, et in aspectu tuo gaudébit.) Tunc præcucurrit canis qui simul fúerat in via ; et quasi núntius advéniens, blandimento suæ caudæ gaudébat. Et consurgens cæcus pater ejus, cœpit offendens pédibus cúrrere ; et datà manu púero, occurrit óbviam fílio suo : et suscípiens osculátus est eum cum uxóre sua, et cœpérunt ambo flere præ gáudio. Cùmque adorassent Deum, et grátias egissent, consedérunt. Tunc sumens Tobías de felle piscis, linívit óculos patris sui : et sustínuit quasi dimídiam ferè horam ; et cœpit albúgo ex óculis ejus, quasi membrána ovi, égredi : quam apprehendens Tobías traxit ab óculis ejus ; statimque visum recépit. Et glorificábant Deum.

℣. Noli timére, fili mi ; páuperem quidem vitam gérimus, 2ıo.

SABBATO.

LECTIO I.

De libro Tobíæ.

(Cap. 12.)

VOCAVIT ad se Tobías fílium suum, dixitque ei : Quid póssumus dare viro isti sancto qui venit tecum? Respondens Tobías, dixit patri suo: Pater, quam mercédem dábimus ei? aut quid dignum póterit esse benefíciis ejus? Me duxit et reduxit sanum, pecúniam à Gabélo ipse recépit, uxórem ipse me habére fecit, et dæmónium ab ea ipse compéscuit, gáudium paréntibus ejus fecit, meipsum à devoratióne piscis erípuit, te quoque vidére fecit lumen cœli, et bonis ómnibus per eum repléti sumus. Quid illi ad hæc potérimus dignum dare? Sed peto te, pater mi, ut roges eum si fortè dignábitur medietátem de ómnibus quæ allàta sunt, sibi assúmere. Et vocantes eum, pater scílicet et fílius, tulérunt eum in partem, et rogáre cœpérunt ut dignarétur dimídiam partem ómnium quæ attúlerant, acceptam habére.

[*Si fiat de Sabbato,* RRR. *sumentur è II. Nocturno Dominicæ præcedentis.*]

LECTIO II.

TUNC dixit eis occultè : Manifesto vobis veritátem, et non abscondam à vobis occultum sermónem. *Quando* orábas cum lácrymis, et sepeliébas mórtuos, et derelinquébas prándium tuum, et mórtuos abscondébas per diem in domo tua, et nocte sepeliébas *eos*, *ego* óbtuli oratiónem tuam Dómino. Et quia acceptus eras Deo, necesse fuit ut *tentátio probáret te*. Et nunc misit me Dóminus ut curárem te, et Saram uxórem fílii tui à dæmónio liberárem. Ego enim sum Ráphael Angelus, unus ex septem qui astámus ante Dóminum. Cùmque hæc audissent, turbáti sunt, et trementes cecidérunt super terram in fáciem suam. Dixitque eis Angelus : Pax vobis, nolíte timére. Etenim cùm essem vobiscum, per voluntátem Dei eram : ipsum benedícite, et cantáte illi. Vidébar quidem vobiscum manducáre, et bíbere; sed ego cibo invisíbili et potu, qui ab *homínibus vidéri non* potest, utor. Tempus est ergo ut revertar ad eum qui me misit.

LECTIO III.

(Cap. 14.)

IN hora autem mortis suæ vocávit ad se Tobíam fílium suum, et septem júvenes fílios ejus nepótes suos, dixitque eis : Propè erit intéritus Nínive; non enim éxcidit verbum Dómini : et fratres

nostri qui dispersi sunt à terra Israel, revertentur ad eam. Omnis autem deserta terra ejus replébitur, et domus Dei quæ in ea incensa est, iterùm reædificábitur; ibique revertentur omnes timentes Deum: et relinquent gentes idóla sua, et vénient in Jerúsalem, et inhabitábunt in ea; et gaudébunt in ea omnes reges terræ, adorantes Regem Israel. Audíte ergo, fílii mei, patrem vestrum: Servíte Dómino in veritáte, et inquírite ut faciátis quæ plácita sunt illi; et fíliis vestris mandáte ut fáciant justítias et eleemósynas, ut sint memóres Dei, et benedícant eum in omni témpore in veritáte, et in tota virtúte sua. Nunc ergo, fílii, audíte me, et nolíte manére hìc; sed quàcumque die sepeliéritis matrem vestram circa me in uno sepulcro, ex eo dirígite gressus vestros ut exeátis hinc: vídeo enim quia iníquitas ejus finem dabit ei. Factum est autem post óbitum matris suæ, Tobías abscessit ex Nínive cum uxóre sua, et fíliis, et filiórum fíliis, et reversus est ad sóceros suos. Invenitque eos incólumes in senectúte bona; et curam eórum gessit, et ipse clausit óculos eórum: et omnem hæreditátem domûs Raguélis ipse percépit, viditque quintam generatiónem, fílios filiórum suórum. Et complétis annis nonaginta novem in timóre Dómini, cum gáudio sepeliérunt eum. Omnis autem cognátio ejus, et omnis generátio ejus in bona vita, et in sancta conversatióne permansit; ita ut accepti essent tam Deo quàm homínibus, et cunctis habitántibus in terra.

Ad Magníficat, *Ant.* 5. C. Venit Assur in multitúdine fortitúdinis suæ: Dóminus autem omnipotens trádidit eum *in manus* féminæ, et confódit eum. *Judith* 16.

ORATIO.

Tua nos, quæsumus, Dómine, grátia semper et prævéniat et sequátur; ac bonis opéribus júgiter præstet esse intentos; Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum, qui tecum vivit et regnat.

DOMINICA XVI
POST PENTECOSTEN.
IN I.° NOCTURNO
LECTIO I.

Incipit liber Judith.

(Cap. 1.)

Arphaxad rex Medórum subjugáverat multas gentes império suo; et ipse ædificávit civitátem potentíssimam, quam appellávit Ecbátanis, ex lapídibus quadrátis et sectis: fecit muros ejus in latitúdinem cubitórum septuaginta, et in altitúdinem cu-

bitórum triginta ; turres verò ejus pósuit in altitúdinem cubitórum centum. Per quadrum verò eárum latus utrumque vicenórum pedum spátio tendebátur ; posuitque portas ejus in altitúdinem túrrium. Et gloriabátur quasi potens in poténtia exércitûs sui, et in glória quadrigárum suárum. Anno ígitur duodécimo regni sui, Nabuchodónosor rex Assyriórum, qui regnábat in Nínive civitáte magna, pugnávit contra Arphaxad, et obtínuit eum.

℟. Scitóte quóniam exáudiet Dóminus preces vestras, si manentes permanséritis in jejúniis et oratiónibus : * Mémores estóte Móysi qui Amalec confidentem in virtúte sua, non ferro pugnando, sed précibus sanctis orando dejécit. ℣. Omnia quæcumque petiéritis in oratióne credentes, accipiétis. * Mémores estóte Móysi qui Amalec confidentem. *Judith* 4. *Matth.* 21.

LECTIO II.

(Cap. 2.)

Anno tértio décimo Nabuchodónosor regis, vigésimâ et secundâ die mensis primi, factum est verbum in domo Nabuchodónosor regis Assyriórum, ut defénderet se. Vocavitque omnes majóres natu, omnesque duces, et bellatóres suos ; et hábuit cum eis mystérium consílii sui : dixítque cogitatiónem suam in eo esse, ut omnem terram suo subjugáret império. Quod dictum cùm placuísset ómnibus, vocávit Nabuchodónosor rex Holofernem príncipem militiæ suæ, et dixit ei : Egrédere adversùs omne regnum Occidentis, et contra eos præcípuè qui contempsérunt impérium meum.

℟. Judith vídua habens super lumbos suos cilícium, jejunábat ómnibus diébus vitæ suæ : et erat hæc in ómnibus famosíssima ; * Quóniam timébat Dóminum valde : nec erat qui loquerétur de illa verbum malum. ℣. Hæc erat pléna opéribus bonis et eleemósynis quas faciébat ; * Quóniam timébat Dóminum valde. *Judith* 8. *Act.* 9.

LECTIO III.

(Cap. 4.)

Tunc audientes hæc fílii Israel, qui habitábant in terra Juda, timuérunt valde à fácie ejus. Tremor, et horror invásit sensus eórum, ne hoc fáceret Jerúsalem et templo Dómini, quod fécerat céteris civitátibus et templis eárum. Et misérunt in omnem Samaríam per circúitum usque Jéricho, et præoccupavérunt omnes vértices móntium : et muris circumdedérunt vicos suos, et congre-

gavérunt frumenta in præparatiónem pugnæ. Sacerdos étiam Elíachim scripsit ad universos qui erant contra Esdrelon, quæ est contra fáciem campi magni juxta Dóthaïn, et universos per quos viæ tránsitus esse póterat, ut obtinérent ascensus móntium per quos via esse póterat ad Jerúsalem, et illic custodírent ubi angustum iter esse póterat inter montes. Et fecérunt fílii Israel secundùm quod constitúerat eis Sacerdos Dómini Elíachim.

℟. Æquo ánimo estóte, fratres : expectémus à Dómino misericórdiam; * Fórsitan enim indignatiónem suam abscindet, et † Dabit glóriam nómini suo. ℣. Nihil sollíciti sitis, sed in omni oratióne et obsecratióne petitiónes vestræ innotescant apud Deum; * Fórsitan. Glória. † Dabit. *Judith* 7. *Philipp.* 4.

IN II.° NOCTURNO.

LECTIO IV.

Ex libro sancti Ambrósii Epíscopi, de Elía et jejúnio.

(Cap. 9.)

Potentes vinum prohibentur bíbere, ne cùm bíberint, obliviscantur sapiéntiam. Bibébant vinum in ebrietáte potentes, qui Holoferni príncipi militiæ regis Assyriórum se trádere gestiébant : sed non bibébat fémina Judith, jejúnans ómnibus diébus viduitátis suæ, præter festórum diérum solemnitátes. His armis munita processit, et omnem Assyriórum circúmvenit exércitum. Sóbrii vigóre consílii ábstulit Holofernis caput, servávit pudicítiam, victóriam reportávit. Hæc enim succincta jejúnio, in castris prætendébat aliénis : ille vino sepultus jacébat, ut ictum vúlneris sentíre non posset. Itaque unius mulíeris jejúnium innúmeros stravit exércitus Assyriórum.

℟. Reputantes peccátis nostris hæc ipsa supplícia minóra esse, * Flagella Dómini, quibus corrípimur, ad emendatiónem, et non ad perditiónem nostram evenísse credámus. ℣. Dum judicámur, à Dómino corrípimur, ut non cum hoc mundo damnémur. * Flagella. *Judith* 8. 1. *Cor.* 11.

LECTIO V.

Esther quoque púlchrior facta est jejúnio; Dóminus enim grátiam sóbriæ mentis augébat. Omne genus suum, id est, totum pópulum Judæórum à persecutiónis acerbitátibus liberávit : ita ut regem sibi fáceret esse subjectum, non libídinis ardóre flammátum, sed cœlesti miseratióne conversum; ita ut et pœna retorquerétur in ímpium, et honor sacris red-

derétur altáribus. Itaque illa quæ tríduo jejunávit contínuo, et corpus suum aquâ lavit, plùs plácuit, et vindictam rétulit. Aman autem, dum se regáli jactat convívio, inter ipsa vina pœnam suæ ebrietátis exolvit. Est ergo jejúnium reconciliatiónis sacrifícium, virtútis incrementum, quod fecit étiam féminas fortióres augmento grátiæ.

℟. Quia pátiens Dóminus est, in hoc ipso pœniteámus: *Humiliémus illi ánimas nostras, et expectémus húmiles consolatiónem ejus. ℣. Deus superbis resistit, humílibus autem dat grátiam. * Humiliémus. *Judith* 8. *Jac.* 4.

LECTIO VI.

(Cap. 10.)

Non omnis fames acceptábile jejúnium facit; sed fames quæ Dei timóre suscípitur. Non sola fames quæritur, sed plena disciplínâ jejúnii. Aliis dícitur: In diébus jejuniórum vestrórum invenítis voluntátes vestras, et omnes súbditos vobis stimulátis. Non tale jejúnium ego elégi, dicit Dóminus. Quod jejúnium improbétur, audívimus: nunc audiámus quod sit probábile. Sed solve omnem colligatiónem injustítiæ tuæ: dissolve obligatiónes violentárum commutatiónum: dimitte confractos in remissiónem, et omnem conscriptiónem iníquam dirumpe: frange esurienti panem tuum, et egénos non habentes tectum, induc in domum tuam: et si vidéris nudum, coóperi eum; et domésticos séminis tui non despícias.

℟. Non in multitúdine est virtus tua, Dómine, nec superbi ab initio placuérunt tibi; sed *Humílium et mansuetórum semper tibi plácuit deprecátio. ℣. Omnis qui se exaltat, humiliábitur; et qui se humíliat, exaltábitur. * Humílium. Glória Patri. * Humílium. *Judith* 9. *Luc.* 18.

IN III.° NOCTURNO.

LECTIO VII.

Léctio sancti Evangélii secundùm Lucam.

(Cap. 14.)

In illo témpore; Cùm intráret Jesus in domum cujusdam príncipis Pharisæórum sábbato manducáre panem, et ipsi observábant eum: et ecce homo quidam hydrópicus erat ante illum. Et réliqua.

Homília sancti Gregórii Papæ.

(Lib. 16 Moral. in Job, cap. 23 et 24.)

Quantalibet sit justítia óperis, apud internum Júdicem nulla est, si hanc élevat tumor mentis. Qui enim

humiliátus fúerit, erit in glória; et qui inclináverit óculos suos, ipse salvábitur. Quæ nimírum sententia à Veritátis ore non díscrepat, dicentis: Omnis qui se exaltat, humiliábitur; et qui se humíliat, exaltábitur. Unde et per Salomónem dícitur: Antequàm conterátur, exaltátur cor hóminis; et ántequàm gloriétur, humiliátur. Rectè autem dícitur: Qui inclináverit óculos suos, ipse salvábitur; quia quantùm per membrórum ministérium deprehendi potest, prima superbiæ ostensio esse in óculis solet. Oculos ergo inclináre, est nullum respiciendo despícere, sed se minórem atque ímparem cunctis quos áspicit, æstimáre Salvábitur qui óculos inclínat; quia qui falsum supérbiæ vérticem déserit, veritátis altitúdinem ascendit.

℟. Cùm invitátus fúeris ad núptias, * Non discumbas in primo loco, ne fortè honorátior te sit invitátus, et qui te vocávit, dicat tibi: Da huic locum. ℣. Ubi fúerit superbia, ibi erit et contumélia; ubi autem est humílitas, ibi et sapiéntia. * Non. *Luc.* 14. *Prov.* 11.

LECTIO VIII.

(Homil. 7, in Evang. n. 4.)

RESTAT ergo ut in omne quod scit, sese mens déprimat; ne quod virtus sciéntiæ cóngregat, ventus elatiónis tollat. Cùm bona, fratres, ágitis, semper ad memóriam malè acta revocáte; ut dum cautè culpa conspícitur, nunquam de bono ópere incautè ánimus lætétur. Superióres ínvicem, eos máximè qui vobis commissi non sunt, próximos vestros atténdite; quia et quos ágere áliqua prava conspícitis, quæ in eis láteant bona nescítis. Magnus ergo unusquisque esse stúdeat, sed tamen áliquo modo esse se nésciat; ne dum sibi magnitúdinem arroganter tríbuit, amittat. Hinc étenim per Prophétam dícitur: Væ qui sapientes estis in óculis vestris, et coram vobismetipsis prudentes. Hinc Paulus ait: Nolíte prudentes esse apud vosmetipsos. Hinc contra superbientem Saül dícitur: Cùm esses párvulus in óculis tuis, caput in tríbubus Israel factus es. Ac si apertè dicerétur: Cùm tu te párvulum conspíceres, ego te præ céteris magnum feci. Quia verò tu te magnum cónspicis, à me parvus æstimáris.

℟. Recumbe in novíssimo loco, ut qui te invitávit, dicat tibi: Amíce, ascende supériùs; * Tunc erit tibi glória coram simul discumbéntibus. ℣. Mélius est ut dicátur tibi, Ascende, quàm ut humiliéris. * Tunc erit tibi glória coram simul. *Luc.* 14. *Prov.* 25.

LECTIO IX.

Si ergo sancti viri, étiam cùm agunt fórtia, de semetipsis vília séntiunt; quid in sua excusatióne dictúri sunt qui sine ópere virtútis intumescunt? Sed etsi quælibet bona adsint ópera, nulla sunt, nisi ex humilitáte condiantur. Miranda quippe áctio cum elatióne non élevat, sed gravat. Qui enim sine humilitáte virtútes cóngregat, in ventum púlverem portat; et unde áliquid ferre cérnitur, inde detériùs cæcátur. In cunctis ergo quæ ágitis, fratres mei, radícem boni óperis humilitátem tenéte; nec quibus jam superióres, sed quibus adhuc inferióres estis aspícite; ut dum meliórum vobis exempla propónitis, ad majóra semper ascéndere ex humilitáte valeátis.

℣. Superbum séquitur humílitas; * Et † Humílem spíritu suscípiet glória. ℣. Qui potens est, dispersit superbos, et exaltávit húmiles; * Et húmilem. GlóriaPatri. † Húmilem. *Prov.* 29. *Luc.* 1.

Ad Benedictus, *Ant.* J. Jesus dixit ad Legisperítos et Pharisæos: Si licet sábbato curáre? At illi tacuérunt. Ipse verò apprehensum sanávit hydrópicum, ac dimísit. *Luc.* 14.

ORATIO.

Tua nos, quæsumus, Dómine, grátia semper et prævéniat et sequátur; ac bonis opéribus júgiter præstet esse intentos; Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum, qui tecum vivit et regnat, inunitáte Spíritûs sancti Deus.

Ad Magníficat, *Ant.* 7. a. Respondens Jesus ad Legisperítos, dixit: Cujus vestrûm ásinus aut bos in púteum cadet, et non contínuò éxtrahet illum die sábbati? Et non póterant ad hæc respondére *illi*. *Luc.* 14.

FERIA SECUNDA.

LECTIO I.

De libro Judith.

(Cap. 8.)

Erat Judith relicta vídua jam annis tribus, et ménsibus sex. Et in superióribus domûs suæ fecit sibi secrétum cubículum, in quo cum puellis suis clausa morabátur. Et habens super lumbos suos cilícium, jejunábat ómnibus diébus vitæ suæ, præter sábbata, et neoménias, et festa domûs Israel. Erat autem eleganti aspectu nimis; cui vir suus relíquerat divítias multas, et famíliam copiósam, ac possessiónes armentis boum et grégibus óvium plenas. Et erat hæc in ómnibus famosíssima, quóniam timébat Dóminum valde; nec erat qui loquerétur de illa verbum malum.

℣. Scitóte, 223.

LECTIO II.

(Cap. 10.)

FACTUM est autem cùm descénderet montem circa ortum diéi, occurrérunt ei exploratóres Assyriórum, et tenuérunt eam, dicentes : Unde venis? aut quò vadis? Quæ respondit : Fília sum Hebræórum; ideò ego fugi à fácie eórum, quóniam futúrum agnóvi quòd dentur vobis in prædicatiónem; pro eò quòd contemnentes vos, noluérunt ultro trádere seipsos, ut invenírent misericórdiam in conspectu vestro. Hac de causa cogitávi mecum, dicens : Vadam ad fáciem príncipis Holofernis, ut índicem illi secréta illórum, et ostendam illi quo áditu possit obtinére eos, ita ut non cadat vir unus de exércitu ejus. Et cùm audissent viri illi verba ejus, considerábant fáciem ejus : et erat in óculis eórum stupor, quóniam pulchritúdinem ejus mirabantur nimis. Et dixérunt ad eam : Conservásti ánimam tuam, eò quòd tale reperísti consílium, ut descénderes ad dóminum nostrum. Hoc autem scias, quóniam cùm stéteris in conspectu ejus, bene tibi fáciet, et eris gratíssima in corde ejus. Duxeruntque illam ad tabernáculum Holofernis, annuntiantes eam. Cùmque intrasset ante fáciem ejus, statim captus est in suis óculis Holofernes.

℣. Judith vídua, 223.

LECTIO III.

(Cap. 13.)

ERAT Judith sola in cubículo. Porrò Holofernes jacébat in lecto nímiâ ebriétate sopítus. Dixitque Judith puellæ suæ, ut staret foris ante cubículum, et observáret. Stetitque Judith ante lectum, orans cum lácrymis, et labiórum motu in silêntio, dicens : Confirma me, Dómine Deus Israel, et réspice in hàc ora ad ópera mánuum meárum; ut, sicut promisisti, Jerúsalem civitátem tuam érigas; et hoc quod credens per te posse fieri cogitávi, perfíciam. Et cùm hæc dixisset, accessit ad columnam quæ erat ad caput léctuli ejus; et pugiónem ejus, qui in ea ligátus pendébat, exolvit. Cùmque evaginasset illum, apprehendit comam cápitis ejus, et ait : Confirma me, Dómine Deus, in hac hora. Et percussit bis in cervícem ejus; et abscídit caput ejus.

℣. Æquo ánimo, 224.

FERIA TERTIA.

LECTIO I.

De libro Judith.

(Cap. 15.)

CUM omnis exércitus decollátum Holofernem audisset,

fugit mens et consílium ab eis, et solo tremóre et metu agitáti, fugæ præsídium sumunt; ita ut nullus loquerétur cum próximo suo : sed inclináto cápite, relictis ómnibus, evádere festinábant Hebræos, quos armátos super se veníre audiébant, fugientes per vias campórum et sémitas cóllium. Videntes ítaque fílii Israel fugientes, secúti sunt illos; descenderuntque clangentes tubis, et ululantes post ipsos. Et quóniam Assyrii non adunáti, in fugam ibant præcípites; fílii autem Israel uno ágmine persequentes, debilitábant omnes quos invenire potuissent.

℣. Reputantes peccátis nostris, 224.

LECTIO II.

Joacim autem summus póntifex de Jerúsalem venit in Bethúliam cum universis presbyteris suis, ut vidéret Judith. Quæ cùm exisset ad illum, benedixérunt eam omnes, unà voce dicentes : Tu glória Jerúsalem, tu lætítia Israel, tu honorificéntia pópuli nostri; quia fecísti viríliter, et confortátum est cor tuum; eò quòd castitátem amáveris, et post virum tuum, álterum nescíeris : ídeò et manus Dómini confortávit te, et ídeò eris benedicta in æternum. Et dixit omnis pópulus : Fiat, fiat Per dies autem triginta vix collecta sunt spólia Assyriórum à pópulo Israel.

℣. Quia pâtiens, 225.

LECTIO III.

(Cap. 16.)

Et factum est post hæc, omnis pópulus post victóriam venit in Jerúsalem adoráre Dóminum : et mox ut purificáti sunt, obtulérunt omnes holocausta, et vota, et repromissiónes suas. Porrò Judith universa vasa béllica Holofernis quæ dedit illi pópulus, et conopéum quod ipsa sustúlera de cubíli ipsíus, óbtulit in anathéma oblivióni. Era autem pópulus jucundus se cundùm fáciem sanctórum, et per tres menses gáudium hujus victóriæ celebrátum est cum Judith. Post dies autem illos unusquisque rédiit in domum suam; et Judith magna facta est in Bethúlia, et præclárior erat universæ terræ Israel. Erat étiam virtúti cástitas adjuncta, ita ut non cognósceret virum ómnibus diébus vitæ suæ, ex quo defunctus est Manasses vir ejus. Erat autem diébus festis procédens cum magna glória. Mansit autem in domo viri sui annos centum quinque, et dimísit abram suam liberam, et defuncta est, ac sepulta cum viro suo in Bethúlia. Luxitque illam omnis pópulus diébus septem.

℣. Non in multitúdine, 225.

FERIA QUARTA.

LECTIO I.

Incipit liber Esther.

(Cap. 1.)

In diébus Assuéri qui regnávit ab India usque Æthiópiam super centum viginti septem províncias; quando sedit in sólio regni sui, Susan cívitas regni ejus exórdium fuit. Tértio ígitur anno impérii sui fecit grande convívium cunctis princípibus, et púeris suis, fortíssimis Persárum, et Medórum ínclytis, et præfectis provinciárum coram se, ut osténderet divítias glóriæ regni sui, ac magnitúdinem atque jactántiam poténtiæ suæ, multo témpore, centum vidélicet et octoginta diébus.

℟. Instábat dies quo Esther debéret intráre ad regem. Quæ * Non quæsívit mulíebrem cultum: habuítque grátiam super omnes mulíeres; et posuit rex diadéma regni in cápite ejus, ℣. Absónditus cordis homo est in conspectu Dei lócuples; sic et sanctæ mulíeres ornábant se. * Non. *Esther* 2. 1. *Petr.* 3.

LECTIO II.

Vasthi quoque régina fecit convívium feminárum in palátio, ubi rex Assuérus manére consuéverat. Itaque die séptimo, cùm rex esset hilárior, et post nímiam potatiónem incaluísset mero, præcépit Maümam, et Bázatha, et Harbóna, et Bágatha, et Abgatha, et Zethar, et Charchas, septem eunúchis qui in conspectu ejus ministrábant, ut introdúcerent regínam Vasthi coram rege, pósito super caput ejus diadémate, ut osténderet cunctis pópulis et princípibus pulchritúdinem illíus; erat enim pulchra valde. Quæ rénuit, et ad regis impérium, quod per eunúchos mandáverat, veníre contempsit.

℟. Dómine rex omnípotens, in ditióne tua cuncta sunt pósita; et * Non est qui possit tuæ resístere voluntáti, si decréveris salváre Israel: et nunc miserére pópuli tui. ℣. Si Deus pro nobis, quis contra nos? * Non est qui possit tuæ resístere voluntáti. *Esther* 13. *Rom.* 8.

LECTIO III.

(Cap. 2.)

Erat vir Judæus in Susan civitáte, vocábulo Mardochæus, fílius Jaïr, fílii Sémei, fílii Cis, de stirpe Jémini; qui translátus fúerat de Jerúsalem eo témpore quo Jechoníam regem Juda Nabuchodónosor rex Babylónis transtúlerat; qui fuit nutrítius fíliæ fratris sui Edissæ, quæ áltero nómine vocabátur Esther, et utrum-

que parentem amíserat, pulchra nimis, et decórâ fácie. Mortuisque patre ejus ac matre, Mardochæus sibi eam adoptávit in fíliam. Cùmque percrebuisset regis impérium, et juxta mandátum illíus multæ pulchræ vírgines adducerentur Susan, et Egéo traderentur eunúcho; Esther quoque inter céteras puellas ei trádita est, ut servarétur in número feminárum. Quæ plácuit ei, et invénit grátiam in conspectu illíus.

℣. Israel clamávit ad Dóminum, et * Salvum fecit Dóminus pópulum suum; † Liberavitque nos ab ómnibus malis. ℣. Suscépit Israel púerum suum, recordátus misericórdiæ suæ. * Salvum fecit Dóminus pópulum suum. Glória Patri, † Liberavitque nos. *Esther.* 10. *Luc.* 1.

FERIA QUINTA.

LECTIO I.

De libro Esther.

(Cap. 2.)

Evoluto témpore per órdinem, instábat dies quo Esther fília Abíhaïl fratris Mardochæi, quam sibi adoptáverat in fíliam, debéret intráre ad regem. Quæ non quæsívit mulíebrem cultum; sed quæcumque vóluit Egéus eunúchus custos vírginum, hæc ei ad ornátum dedit. Erat enim formósa valdè, et incredíbili pulchritúdine; ómnium óculis gratiósa et amábilis videbátur. Ducta est ítaque ad cubículum regis Assuéri mense décimo, qui vocátur Tebeth, séptimo anno regni ejus. Et adamávit eam rex plusquàm omnes mulíeres; habuitque grátiam et misericórdiam coram eo super omnes mulíeres; et pósuit diadéma regni in cápite ejus, fecitque eam regnáre in loco Vasthi.

℣. Instábat dies quo Esther debéret intráre ad regem, 230.

LECTIO II.

(Cap. 3.)

Post hæc rex Assuérus exaltávit Aman fílium Amadáthi, qui erat de stirpe Agag; et pósuit sólium ejus super omnes príncipes quos habébat. Cunctique servi regis, qui in fóribus palátii versabantur, flectébant génua, et adorábant Aman; sic enim præcéperat eis imperátor: solus Mardochæus non flectébat genu, neque adorábat eum. Cui dixérunt púeri regis, qui ad fores palátii præsidébant: Cur præter céteros non observas mandátum regis? Cùmque hoc crébriùs dícerent, et ille nollet audíre, nuntiavérunt Aman, scire cupientes utrùm perseveráret in sententia: díxe-

rat enim eis se esse Judæum. Quod cùm audisset Aman, et experimento probasset quòd Mardochæus non flécteret sibi genu, nec se adoráret; irátus est valde, et pro níhilo duxit in unum Mardochæum míttere manus suas: audíerat enim quòd esset gentis Judææ; magisque vóluit omnem Judæórum, qui erant in regno Assuéri, pérdere natiónem.

℣. Dómine rex omnípotens, 23o.

LECTIO III.

(Cap. 4.)

Quæ cùm audisset Mardochæus; scidit vestimenta sua, et indútus est sacco, spargens cínerem cápiti; et in platéa médiæ civitátis, voce magnâ clamábat, ostendens amaritúdinem ánimi sui, et hoc ejulátu usque ad fores palátii grádiens. Non enim erat lícitum indútum sacco aulam regis intráre. *In ómnibus quoque* provínciis, óppidis, ac locis, ad quæ crudéle regis dogma pervénerat, planctus ingens erat apud Judæos, jejúnium, ululátus, et fletus, sacco et cínere multís pro stráto uténtibus. Ingressæ autem sunt puellæ Esther et eunúchi, nuntiaveruntque ei. Quod áudiens consternáta est; et vestem misit, ut abláto sacco indúerent eum, quam accípere nóluit. Accitoque Athac eunúcho, quem rex ministrum ei déderat, præcépit ei ut iret ad Mardochæum, et dísceret ab eo cur hoc fáceret.

℣. Israel clamávit, 231.

FERIA SEXTA.

LECTIO I.

De libro Esther.

(Cap. 5.)

Die tértio indúta est Esther regálibus vestimentis, et stetit in átrio domûs régiæ, quod erat intérius, contra basílicam regis: at ille sedébat super sólium suum in consistório palátii contra óstium domûs. Cùmque vidisset Esther regínam stantem, plácuit óculis ejus, et extendit contra eam vírgam áuream quam tenébat manu. Quæ accédens, osculáta est summitátem virgæ ejus. Dixitque ad eam rex: Quid vis, Esther regína? Quæ est petítio tua? Etiamsi dimídiam partem regni petíeris, dábitur tibi. At illa respondit: Si regi placet, óbsecro ut vénias ad me hódie, et Aman tecum, ad convívium quod parávi. Statimque rex, Vocáte, inquit, citò Aman, ut Esther obédiat voluntáti.

℣. Instábat, 23o.

LECTIO II.

(Cap. 6.)

Cum esset ingressus Aman,

ait illi rex : Quid debet fíeri viro quem rex honoráre desíderat ? Cógitans autem in corde suo Aman, et réputans quòd nullum álium rex, nisi se, vellet honoráre, respondit : Homo quem rex honoráre cupit, debet índui véstibus régiis, et impóni super equum qui de sella regis est, et accípere régium diadéma super caput suum ; et primus de régiis princípibus ac tyrannis téneat equum ejus, et per platéam civitátis incédens, clamet et dicat : Sic honorábitur, quemcumque volúerit rex honoráre. Dixitque ei rex : Festína, et sumptà stolà et equo, fac, ut locútus es, Mardochæo Judæo qui sedet ante fores palátii. Cave ne quidquam de his quæ locútus es, prætermittas.

℣. Dómine rex, 230.

LECTIO III

Tulit ítaque Aman stolam et equum, indutumque Mardochæum in platéa civitátis, et impósitum equo præcedébat, atque clamábat : Hoc honóre condignus est, quemcumque rex volúerit honoráre. Reversusque est Mardochæus ad jánuam palátii : et Aman festinávit ire in domum suam, lugens et operto cápite ; narravítque Zares uxóri suæ et amícis ómnia quæ evenissent sibi. Cui respondérunt sapientes quos habébat in consílio, et uxor ejus : Si de sémine Judæórum est Mardochæus, ante quem cádere cœpisti, non póteris ei resístere ; sed cades in conspectu ejus.

℣. Israel clamávit ad Dóminum, 231

SABBATO

LECTIO I.

De libro Esther

(Cap. 7.)

Intravit rex et Aman, ut bíberent cum regína. Dixitque ei rex étiam secundà die, postquàm vino incalúerat : Quæ est petítio tua, Esther, ut detur tibi ? et quid vis fíeri ? Etiamsi dimídiam partem regni mei petíeris, impetrábis. Ad quem illa respondit : Si invéni grátiam in óculis tuis, ô rex, et si tibi placet, dona mihi ánimam meam pro qua rogo, et pópulum meum pro quo óbsecro : tráditi enim sumus ego et pópulus meus, ut conterámur, jugulémur, et pereámus. Atque útinam in servos et fámulas venderémur ; esset tolerábile malum, et gemens tacérem : nunc autem hostis noster est, cujus crudélitas redundat in regem. Respondensque rex Assuérus, ait : Quis est ille, et cujus poténtiæ, ut hæc áudeat fácere ? Dixitque Esther : Hostis et inimícus noster pessi-

mus iste est Aman. Quod ille áudiens, íllico obstúpuit, vultum regis ac regínæ ferre non sústinens.

[*Si fiat de Sabbato,* RRR. *sumentur è Feria quarta præcedenti.*]

LECTIO II.

(Cap. 7 et 8.)

Dixitque Harbóna, unus de eunúchis qui stabant in ministério regis : En lignum quod paráverat Mardochæo qui locútus est pro rege, stat in domo Aman, habens altitúdinis quinquaginta cúbitos. Cui dixit rex : Appéndite eum in eo. Suspensus est ítaque Aman in patíbulo quod paráverat Mardochæo ; et regis ira quiévit. Die illo dedit rex Assuérus Esther regínæ domum Aman adversárii Judæórum, et Mardochæus ingressus est ante fáciem regis. Confessa est enim ei Esther, quòd esset pátruus suus. Tulitque rex ánnulum quem ab Aman récipi jússerat, et trádidit Mardochæo. Esther autem constítuit Mardochæum super domum suam.

LECTIO III.

(Cap. 9.)

Igitur duodécimi mensis, quem Adar vocári ante jam díximus, tértiâ décimâ die, quando cunctis Judæis interféctio parabátur, et hostes eórum inhiábant sánguini ; versâ vice Judæi superióres esse cœpérunt, et se de adversáriis vindicáre. Congregatique sunt per síngulas civitátes, óppida et loca, ut exténderent manum contra inimícos et persecutóres suos. Nullusque ausus est resístere, eò quòd omnes pópulos magnitúdinis eórum formído penetrárat. Nam et provinciárum júdices, et duces, et procuratóres, omnisque dignitas quæ síngulis locis ac opéribus præerat, extollébant Judæos timóre Mardochæi, quem príncipem esse palátii, et plúrimum posse cognóverant : famâ quoque nóminis ejus crescébat quotídie, et per cunctórum ora volitábat.

Ad Magníficat. *Ant.* 1. *D.* In diébus Nehémiæ ducis, et Esdræ sacerdótis, in dedicatióne muri Jerúsalem, requisiérunt Levítas de ómnibus locis suis, ut addúcerent eos, et fácerent dedicatiónem et lætítiam in actióne gratiárum. 2. *Esdr.* 12.

ORATIO.

Sancti nóminis tui, Dómine, timórem páriter et amórem fac nos habére perpétuum ; quia numquam tuâ gubernatióne destítuis, quos in soliditáte tuæ dilectiónis instítuis ; Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum, qui tecum.

DOMINICA XVII
POST PENTECOSTEN
IN I.° NOCTURNO.

LECTIO I.

Incipit liber primus Esdræ.

(Cap. 1.)

In anno primo Cyri regis Persárum, ut complerétur verbum Dómini ex ore Jeremíæ, suscitávit Dóminus spíritum Cyri regis Persárum; et traduxit vocem in omni regno suo étiam per scriptúram, dicens: Hæc dicit Cyrus rex Persárum: Omnia regna terræ dedit mihi Dóminus Deus cœli, et ipse præcépit mihi ut ædificárem ei domum in Jerúsalem, quæ est in Judæa. Quis est in vobis de univérso pópulo ejus? Sit Deus illíus cum ipso. Ascendat in Jerúsalem quæ est in Judæa, et ædíficet domum Dómini Dei Israel; ipse est Deus qui est in Jerúsalem. Et omnes réliqui in cunctis locis ubicumque hábitant, ádjuvent eum viri de loco suo, argento et áuro, et substántia, et pecóribus, excepto quod voluntárie ófferunt templo Dei, quod est in Jerúsalem. Et surrexérunt príncipes patrum de Juda et Bénjamin, et Sacerdótes et Levítæ, et omnis cujus Deus suscitávit spíritum, ut ascénderent ad ædificándum templum Dómini, quod erat in Jerúsalem. Universique qui erant in circúitu, adjuvérunt manus eórum in vasis argénteis et áureis, in substántia et jumentis, in suppelléctili, exceptis his quæ sponte obtúlerant. Rex quoque Cyrus prótulit vasa templi Dómini, quæ túlerat Nabuchodónosor de Jerúsalem, et posúerat in templo Dei sui. Prótulit autem ea Cyrus rex Persárum per manum Mithridátis fílii Gázabar, et annumerávit ea Sassábasar príncipi Juda.

℟. Cùm cœperint impléri in Babylóne septuaginta anni, visitábo vos; * Et suscitábo super vos verbum meum bonum, et redúcam captivitátem vestram de univérsis géntibus. ℣. Implétum est tempus, et appropinquávit: pœnitémini, et crédite; * Et suscitábo. *Jerem.* 29. *Marc.* 1.

LECTIO II.

(Cap. 3.)

Jamque vénerat mensis séptimus, et erant fílii Israel in civitátibus suis: congregátus est ergo pópulus quasi vir unus in Jerúsalem. Et surrexit Jósue fílius Jósedec, et fratres ejus sacerdótes, et Zoróbabel fílius Saláthiel, et fratres ejus; et ædificavérunt altáre Dei Israel, ut offérrent in eo holocautómata, sicut scriptum est in lege Móysi viri Dei. Collocavérunt autem altáre Dei super bases suas,

deterréntibus eos per circúitum pópulis terrárum; et obtulérunt super illud holocaustum Dómino mane et véspere: feceruntque solemnitátem tabernaculórum, sicut scriptum est, et holocaustum diébus síngulis per órdinem secundùm præceptum, opus diéi in die suo. Et post hæc holocaustum juge, tam in Calendis, quàm in universis solémnitátibus Dómini, quæ erant consecrátæ, et in ómnibus in quibus ultrò offerebátur munus Dómino. A primo die mensis séptimi cœpérunt offerre holocaustum Dómino; porrò templum Dei nondum fundátum erat. Dedérunt autem pecúnias látomis et cæmentáriis; cibum quoque, et potum, et óleum Sydóniis Tyriisque, ut deferrent ligna cédrina de Líbano ad mare Joppe, juxta quod præcéperat Cyrus rex Persárum eis.

℣. Animæquióres estóte, fílii, et proclamáte ad Dóminum; erit enim memória vestra ab eo qui duxit vos. * Sicut enim fuit sensus vester, ut errarétis à Deo; décies tantùm, ítemùm convertentes, requirétis eum. ℣. Numquid Deus répulit pópulum suum? Absit. * Sicut enim fuit sensus. *Baruch* 4. *Rom.* 11.

LECTIO III.

Fundato ígitur à cæmentáriis templo Dómini, stetérunt Sacerdótes in ornátu suo cum tubis, et Levítæ fílii Asaph in cymbalis, ut laudárent Deum per manus David regis Israel. Et concinébant in hymnis et confessióne Dómino: Quóniam bonus, quóniam in ætérnum misericórdia ejus super Israel. Omnis quoque pópulus vociferabátur clamore magno in laudando Dóminum, eò quòd fundátum esset templum Dómini. Plúrimi étiam de Sacerdótibus et Levítis, et príncipes patrum, et senióres qui víderant templum priùs cùm fundátum esset, et hoc templum in óculis eórum, flebant voce magnâ: et multi vociferantes in lætítia, elevábant vocem. Nec póterat quisquam agnóscere vocem clamóris lætántium, et vocem fletûs pópuli; commixtim enim pópulus vociferabátur clamóre magno, et vox audiebátur procul.

℣. Absque muro habitábitur Jerúsalem præ multitúdine hóminum in médio ejus: et ego * Ero ei, ait Dóminus, murus ignis in circúitu, et † In glória ero in médio ejus. ℣. Portæ ejus non claudentur, et áfferent glóriam et honórem géntium in illam: non intrábit in eam áliquod coinquinátum. * Ero ei, ait Dóminus. Glória. † In glória. *Zach* 2. *Apoc.* 21.

IN II.° NOCTURNO.

LECTIO IV.

Sermo sancti Cyrilli Alexandríni.

(Lib. 2. Glaphyr. in Genes. Cap. 4.)

Cyrus Cambysis fílius, Medórum simul et Persárum cópiis conjunctis, bellum Assyriis finítimis ac vicínis íntulit : demum Babylóne ipsà vi captà, liberávit Judæos Assyriórum tyránnidem lamentantes, nec sine lácrymis accurrentes, affirmantesque prædictum esse à Deo per vocem sanctórum, quòd ventúrus esset opportúnè, et adversários debellatúrus, atque ipse liberáret è vínculis oppressos, quòdque rursum ædificáret templum in Jerosólymis, quod Assyrii ímpiè in Deum agentes incénderant. Porrò quod nequáquam hâc in re mentíti sint Israelítæ, fácilè nobis constíterit, si sanctórum Prophetárum scripta inquirámus. Ait enim ita Deus per vocem Isaíæ : Hæc dicit Dóminus Deus christo meo Cyro, cujus apprehendi déxteram, ut subjíciam ante eum gentes. Propter servum meum Jacob, et Israel electum meum, ego vocábo te nómine tuo, et suscípiam te : tu autem non cognovisti me. Audis quo pacto manifestè, Non cognovisti me, ait, neque inter eos qui Deum nôrunt collocáre dignátur, ádeò præclárum, quem ipse et régibus superiórem et innumerárum géntium dóminum constitúerat. Quæ enim de ipso dicuntur, typi erant óperum per Christum edendórum.

℣. Ego Dóminus qui dico Cyro : Pastor meus es, et omnem voluntátem meam complébis. * Ego suscitávi eum ; et captivitátem meam dimittet, non in prétio, neque in munéribus. ℣. Non corruptibílibus auro vel argento redempti estis, sed pretióso sánguine Christi. * Ego. *Is.* 44. *et* 45. 1. *Petr.* 1.

LECTIO V.

Et quidem Cyrus dominátus est in innúmeris géntibus, atque omnis eum recépit cívitas. Accépit autem et thesauros in ténebris latentes, abscónditos, et à século némini visos, et diuturnâ servitúte Israélem exémit. At regnávit per universam terram Emmánuel, quem tanquam ómnium salvatórem ac redemptórem tota cívitas suscípiens commóta est ; et totum genus humánum jam à servitúte ac tyránnide diabólica liberátum est, ipsique súbditum. Descendens autem in infernum, ábstulit thesauros tenebrósos, abscónditos, invisíbiles ; portas æreas contrívit, et vectes férreos confrégit, iis qui in vínculis

erant, dicens : Exíte ; et his qui in ténebris versabantur : Revelámini. Idcirco étiam olim ad patientíssimum atque invictum athlétam Job ita ait : Venísti ad fontem maris, in vestígiis autem abyssi ambulásti; apertæque tibi sunt timóre portæ mortis. Janitóres autem inferni vidéntes te, expavérunt. Légimus enim véluti per interrogatiónem hæc, demonstrante nimírum sermóne ea quæ per Christum in ipsis inferni penetrálibus præclarè gesta sunt. Ideò enim Christus mórtuus est et vixit, ut et mortuórum et vivéntium dominétur.

℟. Dicit Dóminus Christo meo Cyro, cujus apprehéndi déxteram : * Subjíciam ante fáciem ejus gentes, et dorsa regum vertam; portas æreas cónteram, et vectes férreos confringam. ℣. Cùm evacuáverit Christus omnem principátum et potestátem, oportet illum regnáre, donec ponat Deus omnes inimícos sub pédibus ejus. * Subjíciam. *Is.* 45. 1. *Cor.* 15.

LECTIO VI.

At olim quidem Cyrus, datis pecúniis, templum Jerosólymis reædificári jussit. Fundávit autem Ecclésiam, sanctam revérà et celebérrimam civitátem Emmanuel, tanquam Babylóna quamdam evertens superbam, et contumeliósam idololatríam. Quòd verò in typum glóriæ Christi ea quæ de Cyro dicuntur, pósita sint, ex iis quæ deinceps à Prophéta narrantur, manifestum fiet : Ego feci terram et hóminem super eam, ego manu meâ firmávi cœlum, ego suscitávi eum cum justitia : ipse ædificábit civitátem meam. Qui enim creávit terram, et hóminem super eam, quique cœlum stellis ornávit, excitávit nobis justítiam Jesum redimentem gratis, (justificáti enim sumus per fidem in sánguine ejus) liberántem à vínculis et captivitáte, et ædificántem spirituáliter intellectuálem Jerúsalem, et fundántem Ecclésiam quæ ab ipsis inferni portis commovéri non possit, nec ab homínibus vinci. Hunc Deum cognoscentes qui olim erravérunt, dicunt : Tu es Deus noster, et nescívimus. Hunc adorábunt, et omne se flectet illi genu, et confitébitur omnis lingua. Huic quidam ex Israélitis obsístere conáti sunt, confúsi verò sunt, et concidérunt, et retrorsùm iérunt juxta Prophétæ vocem. Cyrus ítaque Cambysis filius fundávit templum Dei Jerosólymis, in typum Christi.

℟. Suscitávit Dóminus spíritum Cyri regis, et traduxit vocem in omni regno suo, dicens : Deus cœli præcépit mihi ut ædificárem ei

domum in Jerúsalem : * Quis est in vobis de universo pópulo ejus? ✝ Ascendat, et ædificet domum Dómini Dei Israel. ℣. In Christo Jesu omnis ædificátio constructa crescit in templum sanctum in Dómino, in quo et vos coædificámini in habitáculum Dei in Spíritu. * Quis est in vobis. Glória Patri. ✝ Ascendat, et ædíficet. 1. *Esdr.* 1. *Ephes.* 2.

IN III.° NOCTURNO.

LECTIO VII.

Léctio sancti Evangélii secundùm Matthæum.

(Cap. 22.)

In illo témpore; Pharisæi audientes quòd silèntium imposuisset Jesus Sadducæis, convenérunt in unum; et interrogávit eum unus ex eis legis doctor, tentans eum : Magister, quod est mandátum magnum in lege? Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Epíscopi.

(Epist. 155, c. 4, n. 14 et 15.)

Christus, id est, Véritas, dicit in his duóbus præceptis totam Legem Prophetasque pendére, Ut diligámus Deum ex toto corde, ex tota ánima, ex tota mente; et, Diligámus próximos tanquam nosmetipsos. Próximus sane hoc loco non sánguinis propinquitáte, sed ratiónis societáte pensandus est, in qua sócii sunt omnes hómines. Cùm ergo illà dilectióne quam divína lex ímperat, débeat homo dilígere Deum, et seipsum, et próximum, non tamen ex hoc tria præcepta data sunt; nec dictum est, In his tribus; sed, In his duóbus præceptis tota Lex pendet et Prophétæ; id est, In dilectióne Dei ex toto corde, ex tota ánima, et ex tota mente, et próximi tanquam suî ipsíus : vidélicet ut intelligerétur nullam esse áliam dilectiónem, quà quisque díligit seipsum, nisi quòd díligit Deum.

℟. Interrogávit Jesum unus legis doctor, tentans eum : Magister, quod est mandátum magnum in lege? Ait illi Jesus : Díliges Dóminum Deum tuum ex toto corde tuo : * Hoc est máximum et primum mandátum. ℣. Quid Dóminus Deus tuus petit à te, nisi ut díligas eum, ac sérvias Dómino Deo tuo in toto corde tuo et in tota ánima tua? * Hoc. *Matth.* 22. *Deut.* 10.

LECTIO VIII.

Qui enim áliter se díligit, potiùs se odisse dicendus est. Fit quippe iníquus, privaturque luce justítiæ, cùm à potióre ac præstantióre bono aversus, atque inde vel ad seipsum conversus, ad inferióra et egéna útique

convértitur; fitque in ipso quod veracíssimè scriptum est: Qui autem amat iniquitátem, odit ánimam suam. Quia ígitur nemo, nisi Deum diligendo, díligit seipsum; non opus erat, ut dato de Dei dilectióne præcepto, étiam seipsum homo dilígere juberétur, cùm in eo díligat seipsum quòd díligit Deum.

℟. Secundum mandátum símile est huic: * Díliges próximum tuum sicut teipsum. ℣. Dilige próximum, et conjúngere fide cum illo. * Díliges. *Matt.* 22. *Eccli.* 27.

LECTIO IX.

Debet ergo et próximum dilígere tanquam seipsum; ut quem potúerit hóminem, vel beneficéntiæ consolatióne, vel informatióne doctrínæ, vel disciplínæ coercitióne, addúcat ad colendum Deum, sciens in his duóbus præceptis totam Legem Prophetasque pendére. Hoc qui sóbriâ discretióne éligit, prudens est: qui nullâ hinc afflictióne avértitur, fortis est: qui nullâ álià delectatióne, témperans est: qui nullà elatióne, justus est. His virtútibus divínitus impertítis, per grátiam Mediatóris Dei cum Patre, et nobiscum hóminis Jesu Christi, per quem post inimicítias iniquitátis reconciliámur Deo in spíritu caritátis; his, inquam, virtútibus divínitùs impertítis, et bona vita nunc ágitur, et pósteà præmium ejus, quæ nisi æterna esse non potest, beáta vita persólvitur. Hic enim sunt eædem virtútes in actu, ibi in effectu: hic in ópere, ibi in mercéde: hic in offício, ibi in fine.

℟. Bene, Magister, in veritáte dixisti, Quia unus est Deus; et, Ut diligátur ex toto corde: * Et, Dilígere próximum tanquam seipsum, majus est ómnibus holocautomátibus et sacrifíciis. ℣. Qui facit misericórdiam, offert sacrifícium: beneplácitum est Dómino recédere ab injustítia. * Et, Dilígere próximum. Glória Patri. * Et. *Marc.* 12. *Eccli.* 35.

Ad Benedictus. *Ant.* 6. F. Primum ómnium mandátum est: Audi, Israel; Dóminus Deus tuus, Deus unus est; et, Díliges Dóminum Deum tuum ex toto corde tuo. Majus áliud mandátum non est. *Marc.* 12.

ORATIO.

Sancti nóminis tui, Dómine, timórem páriter et amórem fac nos habére perpétuum; quia nunquam tuâ gubernatióne destítuis, quos in soliditáte tuæ dilectiónis instítuis; Per Dóminum.

Ad Magníficat. *Ant.* 4. f. Interrogávit Phariséos Jesus, dicens: Quid vobis vidétur de Christo? cujus fílius est? Dicunt ei: David.

Ait illis : Quómodò ergo David in spíritu vocat eum Dóminum, dicens : Dixit Dóminus Dómino meo, Sede à dextris meis ? *Matth.* 22.

FERIA SECUNDA.

LECTIO I.

De libro primo Esdræ.

(Cap. 4.)

Audierunt hostes Judæ et Bénjamin, quia fílii captivitátis ædificárent templum Dómino Deo Israel; et accedentes ad Zoróbabel et ad príncipes patrum, dixérunt eis : Ædificémus vobíscum, quia ita ut vos, quærimus Deum vestrum : ecce nos immolávimus víctimas à diébus Asor Haddam regis Assur, qui adduxit nos huc. Et dixit eis Zoróbabel, et Jósue, et réliqui príncipes patrum Israel : Non est vobis et nobis ut ædificémus domum Deo nostro, sed nos ipsi soli ædificábimus Dómino Deo nostro, sicut præcépit nobis Cyrus rex Persárum. Factum est ígitur ut pópulus terræ impedíret manus pópuli Judæ, et turbáret eos in ædificando. Conduxérunt autem adversùs eos consiliatóres, ut destrúerent consílium eórum ómnibus diébus Cyri regis Persárum, et usque ad regnum Daríi regis Persárum.

℣. Cùm cœperint impléri, 235.

LECTIO II.

(Cap. 4 et 5.)

Tunc intermissum est opus domûs Dómini in Jerúsalem, et non fiébat usque ad annum secundum regni Daríi regis Persárum. Prophetavérunt autem Aggæus prophéta, et Zacharías fílius Addo, prophetantes ad Judæos qui erant in Judæa et Jerúsalem, in nómine Dei Israel. Tunc surrexérunt Zoróbabel fílius Saláthiel, et Jósue fílius Jósedec, et cœpérunt ædificáre templum Dei in Jerúsalem, et cum eis Prophétæ Dei adjuvantes eos. In ipso autem témpore venit ad eos Thathánai, qui erat dux trans flumen, et Stharbuzánai, et consiliárii eórum ; sicque dixérunt eis : Quis dedit vobis consílium ut domum hanc ædificarétis, et muros ejus instaurarétis ? Ad quod respóndimus eis quæ essent nómina hóminum auctórum ædificatiónis illíus. Oculus autem Dei eórum factus est super senes Judæórum, et non potuérunt inhibére eos. Placuitque ut res ad Daríum referrétur, et tunc satisfácerent adversùs accusatiónem illam.

℣. Animæquióres estóte, 236.

LECTIO III.

(Cap. 6.)

Tunc Darius rex præcépit :

et recensuérunt in bibliothéca librórum qui erant repósiti in Babylóne, et inventum est in Ecbátanis, quod est castrum in Medéna província, volúmen unum; talisque scriptus erat in eo commentárius: Anno primo Cyri regis, Cyrus rex decrévit ut domus Dei ædificarétur, quæ est in Jerúsalem, in loco ubi immolent hóstias, et ut ponant fundamenta supportántia altitúdinem cubitórum sexaginta, et latitúdinem cubitórum sexaginta; órdines de lapídibus impolítis tres, et sic órdines de lignis novis: sumptus autem de domo regis dabuntur. Sed et vasa templi Dei áurea et argéntea, quæ Nabuchodónosor túlerat de templo Jerúsalem, et attúlerat ea in Babylónem, reddantur, et referantur in templum in Jerúsalem in locum suum, quæ et pósita sunt in templo Dei. Nunc ergo, Thathánai dux regiónis quæ est trans flumen, Stharbuzánai, et consiliárii vestri Apharsachæi qui estis trans flumen, procul recédite ab illis; et dimíttite fíeri templum Dei illud à duce Judæórum, et à senióribus eórum, ut domum Dei illam ædíficent in loco suo.

℟. Absque muro habitábitur Jerúsalem præ multitúdine hóminum in médio ejus, 236.

FERIA TERTIA.

LECTIO I.

De libro primo Esdræ. (Cap. 6.)

Igitur Thathánai dux regiónis trans flumen, et Sharbuzánai, et consiliárii ejus, secundùm quod præcéperat Darius rex, sic diligenter execúti sunt. Senióres autem Judæórum ædificábant, et prosperabantur juxta prophetiam Aggæi prophétæ, et Zacharíæ fílii Addo; et ædificavérunt, et construxérunt, jubente Deo Israel, et jubente Cyro, et Dario, et Artaxerxe régibus Persárum; et complevérunt domum Dei istam, usque ad diem tértium mensis Adar, qui est annus sextus regni Darii regis. Fecérunt autem fílii Israel, Sacerdótes et Levítæ, et réliqui filiórum transmigratiónis, dedicatiónem domûs Dei in gáudio. Et obtulérunt in dedicatiónem domûs Dei vítulos centum, aríetes ducentos, agnos quadringentos, hircos caprárum pro peccáto totíus Israel duódecim, juxta número tríbuum Israel. Et statuérunt Sacerdótes in ordínibus suis, et Levítas in vícibus suis super ópera Dei in Jerúsalem, sicut scriptum est in libro Móysi.

℟. Ego Dóminus qui dico Cyro, 237.

LECTIO II.

(Cap. 6 et 7.)

Fecerunt autem fílii Israel transmigratiónis Pascha quartâ-décimâ die mensis primi. Purificáti enim fúerant Sacerdótes et Levítæ quasi unus : omnes mundi ad immolandum Pascha universis fíliis transmigratiónis, et frátribus suis Sacerdótibus, et sibi. Et comedérunt fílii Israel qui reversi fúerant de transmigratióne, et omnes qui se separáverant à coinquinatióne géntium terræ ad eos, ut quærerent Dóminum Deum Israel. Et fecérunt solemnitátem azymórum septem diébus in lætítia, quóniam lætificáverat eos Dóminus, et convérterat cor regis Assur ad eos, ut adjuváret manus eórum in ópere domûs Dómini Dei Israel. Post hæc autem verba, in regno Artaxerxis regis Persárum, Esdras fílius Saráiæ, fílii Azaríæ, fílii Helcíæ, fílii Sellum, fílii Sadoc, fílii Achítob, fílii Amaríæ, fílii Azaríæ, fílii Maráioth, fílii Zarahíæ, fílii Ozi, fílii Bocci, fílii Abisue, fílii Phínees, fílii Eléazar, fílii Aáron Sacerdótis ab inítio. Ipse Esdras ascendit de Babylóne, et ipse scriba velox in lege Móysi, quam Dóminus Deus dedit Israel : et dedit ei rex secundùm manum Dómini Dei ejus super eum, omnem petitiónem ejus. Et ascendérunt de fíliis Israel, de fíliis sacerdótum, et de fíliis Levitárum, et de cantóribus, et de janitóribus, et de Nathinæis in Jerúsalem anno séptimo Artaxerxis regis. Et venérunt in Jerúsalem mense quinto, ipse est annus séptimus regis. Quia in primo die mensis primi cœpit ascéndere de Babylóne, et in primo die mensis quinti venit in Jerúsalem, juxta manum Dei sui bonam super se. Esdras enim parávit cor suum, ut investigáret legem Dómini, et fáceret, et docéret in Israel præceptum et judícium.

℣. Dicit Dóminus, 238.

LECTIO III.

(Cap. 9.)

Postquam autem hæc compléta sunt, accessérunt ad me (Esdram) príncipes, dicentes : Non est separátus pópulus Israel, Sacerdótes et Levítæ à pópulis terrárum, et abominatiónibus eórum, Chananæi vidélicet, et Hethæi, et Pherezéi, et Jebusæi, et Ammonitárum, et Moabitárum, et Ægyptiórum, et Amorrhæórum : tulérunt enim de filiábus eórum sibi et fíliis suis, commiscuérunt semen sanctum cum pópulis terrárum : manus étiam príncipum et magistrátuum fuit in transgressióne hac prima. Cùmque audissem sermó-

nem istum, scidi pállium meum et túnicam; et evelli capillos cápitis mei et barbæ, et sedi mœrens. Convenérunt autem ad me omnes qui timébant verbum Dei Israel, pro transgressióne eórum qui de captivitáte vénerant, et ego sedébam tristis usque ad sacrifícium vespertínum; et in sacrifício vespertíno surrexi de afflictióne mea, et scisso pállio et túnicâ, curvávi génua mea, et expandi manus meas ad Dóminum Deum meum.

℣. Suscitávit, 238.

FERIA QUARTA.

LECTIO I.

De libro primo Esdræ.

(Cap. 10.)

Sic orante Esdrâ, et implorante eo, et flente, et jacente ante templum Dei, collectus est ad eum de Israel cœtus grandis nimis virórum, et mulíerum, et puerórum; et flevit pópulus fletu multo. Et respondit Sechénias fílius Jéhiel de fíliis Ælam, et dixit Esdræ: Nos prævaricáti sumus in Deum nostrum, et dúximus uxóres alienígenas de pópulis terræ: et nunc, si est pœniténtia in Israel super hoc, percutiámus fœdus cum Dómino Deo nostro, ut projiciámus universas uxóres, et eos qui de his nati sunt, juxta voluntátem Dómini, et eórum qui timent præceptum Dómini Dei nostri; secundùm legem fiat. Surge, tuum est decérnere; nosque érimus tecum: confortáre, et fac. Surrexit ergo Esdras, et adjurávit príncipes Sacerdótum et Levitárum, et omnem Israel, ut fácerent secundùm verbum hoc: et juravérunt. Et surrexit Esdras ante domum Dei, et ábiit ad cubículum Jóhanan fílii Elíasib, et ingressus est illuc, panem non comédit, et aquam non bibit: lugébat enim transgressiónem eórum qui vénerant de captivitáte.

℣. Cùm cœperint, 235.

LECTIO II.

Et missa est vox in Juda et in Jerúsalem ómnibus fíliis transmigratiónis, ut congregarentur in Jerúsalem; et omnis qui non vénerit in tribus diébus juxta consílium príncipum et seniórum, auferétur universa substántia ejus, et ipse abjiciétur de cœtu transmigratiónis. Convenérunt ígitur omnes viri Juda et Bénjamin in Jerúsalem tribus diébus, ipse est mensis nonus, vigésimo die mensis: et sedit omnis pópulus in platéa domûs Dei, trementes pro peccáto et plúviis. Et surrexit Esdras sacerdos, et dixit ad eos: Vos transgressi estis et duxistis uxóres alienígenas, ut adderétis super delictum Israel. Et nunc date confessiónem Dómino Deo patrum

vestrórum, et fácite placitum ejus, et separámini à pópulis terræ, et ab uxóribus alienígenis.

℣. Animæquióres, 236.

LECTIO III.

Et respondit universa multitúdo, dixitque voce magnâ : Juxta verbum tuum ad nos, sic fiat. Verúmtamen quia pópulus multus est, et tempus plúviæ, et non sustinémus stare foris, et opus non est diéi uníus, vel duórum, (vehementer quippe peccávimus in sermóne isto) constituantur príncipes in universa multitúdine : et omnes in civitátibus nostris qui duxérunt uxóres alienígenas, véniant in tempóribus statútis, et cum his senióres per civitátem et civitátem, et júdices ejus, donec avertátur ira Dei nostri à nobis super peccáto hoc. Igitur Jónathan fílius Azahel, et Jaazía fílius Thécue, stetérunt super hoc ; et Mesollam, et Sebéthai Levítes adjuvérunt eos : feceruntque sic fílii transmigratiónis. Et abiérunt Esdras sacerdos et viri príncipes familiárum in domos patrum suórum, et omnes per nómina sua, et sedérunt in die primo mensis décimi, ut quærerent rem. Et consummáti sunt omnes viri qui dúxerant uxóres alienígenas, usque ad diem primam mensis primi.

℣. Absque muro, 236.

FERIA QUINTA.

LECTIO I.

Incipit liber Nehémiæ, qui et Esdræ secundus dícitur.

(Cap. 1.)

Verba Nehémiæ fílii Hélchiæ. Et factum est in mense Casleu, anno vigésimo, et ego eram in Susis castro. Et venit Hánani unus de frátribus meis, ipse et viri ex Juda : et interrogávi eos de Judæis qui remánserant et supérerant de captivitáte, et Jerúsalem. Et dixérunt mihi : Qui remansérunt, et relicti sunt de captivitáte ibi in província, in afflictióne magna sunt et in opróbrio : et murus Jerúsalem dissipátus est, et portæ ejus combustæ sunt igni. Cùmque audissem verba hujuscémodi, sedi et flevi, et luxi diébus multis : jejunábam, et orábam ante fáciem Dei cœli. Et dixi : Quæso, Dómine Deus cœli, fortis, magne atque terríbilis, qui custódis pactum et misericórdiam cum his qui te díligunt, et custódiunt mandáta tua : fiant aures tuæ auscultantes, et óculi tui aperti, ut áudias oratiónem servi tui, quam ego oro coram te hódie nocte et die pro fíliis Israel servis tuis : et confíteor pro peccátis filiórum Israel, quibus peccavérunt tibi.

℣. Ego Dóminus, 237.

LECTIO II.

(Cap. 1 et 2.)

Ego enim eram pincerna regis. Factum est autem in mense Nisan, anno vigésimo Artaxerxis regis : et vinum erat ante eum, et levávi vinum, et dedi regi; et eram quasi lánguidus ante fáciem ejus. Dixitque mihi rex : Quare vultus tuus tristis est, cùm te ægrótum non vídeam? non est hoc frustrà, sed malum néscio quod in corde tuo est. Et tímui valde ac nimis; et dixi regi : Rex, in æternum vive; quare non mœreat vultus meus, quìa cívitas domûs sepulcrórum patris mei deserta est, et portæ ejus combustæ sunt igni? Et ait mihi rex : Pro qua re póstulas? Et orávi Deum cœli, et dixi ad regem : Si vidétur regi bonum, et si placet servus tuus ante fáciem tuam, ut mittas me in Judæam, ad civitátem sepulcri patris mei, et ædificábo eam. Dixitque mihi rex, et regína quæ sedébat juxta eum : Usque ad quod tempus erit iter tuum, et quando revertéris? Et plácuit ante vultum regis, et misit me : et constítui ei tempus.

℟. Dicit Dóminus Christo meo, 238.

LECTIO III.

Et veni Jerúsalem, et eram ibi tribus diébus; et surrexi nocte ego, et viri pauci mecum, et non indicávi cuiquam quid Deus dedisset in corde meo ut fácerem in Jerúsalem; et jumentum non erat mecum, nisi ánimal cui sedébam. Et egressus sum per portam Vallis nocte, et ante fontem Dracónis, et ad portam Stércoris; et considerábam murum Jerúsalem dissipátum, et portas ejus consumptas igni. Et transívi ad portam Fontis, et ad aquæductum regis : et non erat locus jumento cui sedébam, ut transíret. Et ascendi per torrentem nocte, et considerábam murum; et reversus, veni ad portam Vallis, et rédii. Magistrátus autem nesciébant quò abiissem, aut quid ego fácerem : sed et Judæis, et sacerdótibus, et optimátibus, et magistrátibus, et réliquis qui faciébant opus, usque ad id loci nihil indicáveram. Et dixi eis : Vos nostis afflictiónem in qua sumus; quia Jerúsalem deserta est, et portæ ejus consumptæ sunt igni : veníte, et ædificémus muros Jerúsalem, et non simus ultrà oppróbrium. Et índicávi eis manum Dei mei, quòd esset bona mecum, et verba regis quæ locútus esset mihi, et áio : Surgámus, et ædificémus. Et confortátæ sunt manus eórum in bono.

℟. Suscitávit Dóminus spíritum Cyri regis, et traduxit, 238.

FERIA SEXTA.

LECTIO I.

De libro Nehémiæ.

(Cap. 4.)

Factum est, cùm audisset Sanaballat quòd ædificarémus murum, irátus est valde; et motus nimis, subsannávit Judæos, et dixit coram frátribus suis et frequéntia Samaritanórum : Quid Judæi fáciunt imbecílles? Num dimittent eos gentes? Num sacrificábunt, et complébunt in una die? Numquid ædificáre póterunt lápides de acervis púlveris, qui combusti sunt? Sed et Tobías Ammanítes próximus ejus, ait: Ædíficent; si ascénderit vulpes, transíliet murum eórum lapídeum. Audi, Deus noster, quia facti sumus despéctui : converte oppróbrium super caput eórum, et da eos in despectiónem in terra captivitátis. Ne opérias iniquitátem eórum; et peccátum eórum coram fácie tua non deleátur, quia irrisérunt ædificántes.

℣. Cùm cœperint, a35.

LECTIO II.

Factum est autem, cùm audisset Sanaballat, et Tóbias, et Arabes, et Ammanítæ, et Azótii, quòd obducta esset cicátrix muri Jerúsalem, et quòd cœpíssent interrupta conclúdi, iráti sunt nimis, et congregáti sunt omnes páriter, ut venírent, et pugnárent contra Jerúsalem, et molirentur insídias. Et orávimus Deum nostrum, et posúimus custódes super murum die ac nocte contra eos. Dixit autem Judas : Debilitáta est fortitúdo portántis, et humus nímia est, et nos non potérimus ædificáre murum. Et dixérunt hostes nostri : Nésciant et ignórent, donec veniámus in médium eórum, et interficiámus eos, et cessáre faciámus opus.

℣. Animæquióres estóte, fílii, a36.

LECTIO III.

Et perspexi atque surrexi; et áio ad optimátes, et magistrátus, et ad réliquam partem vulgi : Nolíte timére à fácie eórum. Dómini magni et terríbilis mementóte, et pugnáte pro frátribus vestris, fíliis vestris, et filiábus vestris, et uxóribus vestris, et dómibus vestris. Factum est autem, cùm audissent inimíci nostri nuntiátum esse nobis, dissipávit Deus consílium eórum. Et reversi sumus omnes ad muros, unusquisque ad opus suum. Et factum est à die illa, média pars júvenum eórum faciébat opus, et média paráta erat ad bellum; et lánceæ, et scuta, et arcus, et lorícæ, et príncipes post eos in omni domo Juda. Ædificántium

in muro, et portántium ónera, et imponéntium, unâ manu suâ faciébat opus, et álterâ tenébat gládium; ædificántium enim unusquisque gládio erat accinctus renes. Et ædificábant, et clangébant búccinâ juxta me.

℟. Absque muro, 236.

SABBATO.

LECTIO I.

De libro Nehémiæ.

(Cap. 7 et 8.)

Habitaverunt Sacerdótes, et Levítæ, et janitóres, et cantóres, et réliquum vulgus, et Nathinæi, et omnis Israel in civitátibus suis. Et vénerat mensis séptimus, fílii autem Israel erant in civitátibus suis. Congregatusque est omnis pópulus quasi vir unus ad platéam quæ est ante portam Aquárum: et dixérunt Esdræ scribæ, ut afferret librum legis Móysi, quam præcéperat Dóminus Israéli. Attulit ergo Esdras sacerdos legem coram multitúdine virórum et mulíerum, cunctisque qui póterant intellígere, in die prima mensis séptimi. Et legit in eo apertè in platéa quæ erat ante portam Aquárum, de mane usque ad médiam diem, in conspectu virórum et mulíerum, et sapiéntium, et aures omnis pópuli erant erectæ ad librum.

[*Si fiat de Sabbato*, ℟℟℟. *sumentur è II Nocturno Dominicæ præcedentis.*]

LECTIO II.

(Cap. 13.)

In diébus illis, vidi in Juda calcantes torculária in Sábbato, portantes acervos, et onerantes super ásinos vinum, et uvas, et ficus, et omne onus, et inferentes in Jerúsalem die Sábbati. Et contestátus sum ut in die quâ véndere licéret, vénderent. Et Tyrii habitavérunt in ea, inferentes pisces, et ómnia venália: et vendébant in Sábbatis fíliis Juda in Jerúsalem: et objurgávi optimátes Juda, et dixi eis: Quæ est hæc res mala quam vos fácitis, et profanátis diem Sábbati? Numquid non hæc fecérunt patres nostri; et adduxit Deus noster super nos omne malum hoc, et super civitátem hanc? Et vos ádditis iracúndiam super Israel, violando Sábbatum. Factum est autem, cùm quievíssent portæ Jerúsalem in die Sábbati, dixi: et clausérunt jánuas, et præcépi ut non aperírent eas usque post Sábbatum: et de púeris meis constítui super portas, ut nullus inferret onus in die Sábbati.

LECTIO III.

Sed et in diébus illis, vidi judæos ducentes uxóres Azótidas, Ammonítidas, et Moabítidas. Et fílii eórum ex média parte loquebantur Azóticè, et nesciébant loqui

Judáicè ; et loquebantur juxta linguam pópuli et pópuli. Et objurgávi eos, et maledíxi. Et cecídi ex eis viros, et decalcávi eos, et adjurávi in Deo, ut non darent fílias suas fíliis eórum, et non accíperent de filiábus eórum fíliis suis et sibimetipsis, dicens : Numquid non in hujuscémodi re peccávit Salómon rex Israel ? Et certè in géntibus multis non erat rex símilis ei, et dilectus Deo suo erat, et pósuit eum Deus regem super omnem Israel : et ipsum ergo duxérunt ad peccátum mulíeres alienígenæ. Numquid et nos inobedientes faciémus omne malum grande hoc, ut prævaricémur in Deo nostro, et ducámus uxóres peregrínas? De fíliis autem Joiada, fílii Elíasib Sacerdótis magni gener erat Sanaballat Horonítes, quem fugávi à me. Recordáre, Dómine Deus meus, adversùm eos qui pólluunt Sacerdótium, jusque Sacerdotále et Levíticum. Igitur mundávi eos ab ómnibus alienígenis, et constítui órdines Sacerdótum et Levitárum, unumquemque in ministério suo ; et in oblatióne lignórum in tempóribus constitútis, et in primitívis. Memento meî, Deus meus, in bonum. Amen.

Ad Magníficat, *Ant.* 5. C. Multi de pópulo Israel definiérunt apud se, ut non manducárent immunda ; et elegérunt magis mori, quàm cibis coinquinári immundis. 1. *Mach.* 1.

Oratio, ut infrà ad Laudes.

DOMINICA XVIII POST PENTECOSTEN.

IN I.° NOCTURNO.

Incípiunt libri Machabæórum.

LECTIO I.

(Lib. 1, cap. 1.)

Et factum est, postquàm percussit Alexander Philippi Mácedo, (qui primus regnávit in Græcia, egressus de terra Cethim,) Daríum regem Persárum et Medórum, constítuit prælia multa, et obtínuit ómnium munitiónes, et interfécit reges terræ, et pertránsiit usque ad fines terræ, et accépit spólia multitúdinis géntium ; et síluit terra in conspectu ejus. Et congregávit virtútem, et exércitum fortem nimis ; et exaltátum est et elevátum cor ejus ; et obtínuit regiónes gentium et tyrannos : et facti sunt illi in tribútum. Et post hæc décidit in lectum, et cognóvit quia morerétur. Et vocávit púeros suos nóbiles, qui secum erant nutríti à juventúte ; et divísit illis regnum suum, cùm adhuc víveret. Et regnávit Alexander annis duódecim, et mórtuus est.

Et obtinuérunt púeri ejus regnum, unusquisque in loco suo.

℟. Postquàm percussit Alexander Daríum regem Persárum, * Pertránsiit usque ad fines terræ : síluit terra in conspectu ejus, et post hæc décidit in lectum, et cognóvit quia morerétur. ℣. Quid prodest hómini, si mundum universum lucrétur, ánimæ verò suæ detrimentum patiátur? * Pertránsiit usque ad fines terræ. 1. *Mach.* 1. *Matth.* 16.

LECTIO II.

(Lib. 2, cap. 3.)

Igitur cùm sancta cívitas habitarétur in omni pace, leges étiam adhuc óptimè custodirentur, propter Oníæ pontíficis pietátem, et ánimos ódio habentes mala, fiébat ut ipsi reges et príncipes locum summo honóre dignum dúcerent, et templum máximis munéribus illustrárent; ita ut Seleucus Asiæ rex de reddítibus suis præstáret omnes sumptus ad ministérium sacrificiórum pertinentes. Simon autem de tribu Bénjamin præpósitus templi constitútus, contendébat, obsistente sibi príncipe Sacerdótum, iníquum áliquid in civitáte olíri. Sed cùm víncere Oníam non posset, venit ad Apollónium Tharsææ fílium, qui eo témpore erat dux Cœlesyriæ et Phœnícis; et nuntiávit ei pecúniis innumerabílibus plenum esse ærárium Jerosólymis, et communes cópias immensas esse, quæ non pértinent ad ratiónem sacrificiórum; esse autem possíbile sub potestáte regis cádere universa.

℟. Contigit septem fratres cum matre compelli à rege Antíocho édere contra fas carnes *porcínas, flagris, et táureis cruciátos. Primus* sic ait : * Paráti sumus mori magis quàm pátrias Dei leges prævaricári. ℣. Neque mors, neque vita, neque principátus, neque instántia, neque creatúra ália póterit nos separáre à caritáte Dei. * Paráti. 2. *Mach.* 7. *Rom.* 8

LECTIO III.

Cumque retulisset ad regem Apollónius de pecúniis quæ delátæ erant, ille accítum Heliodórum qui erat super negótia ejus, misit cum mandátis, ut prædictam pecúniam transportáret. Statimque Heliodórus iter est aggressus, spécie quidem quasi per Cœlesyriam et Phœnícen civitátes esset peragratúrus, revérà autem regis propósitum perfectúrus. Sed, cùm venisset Jerosólymam, et benignè à summo Sacerdóte in civitáte esset exceptus, narrávit de dato indício pecuniárum; et cujus rei grátiâ adesset,

apéruit: interrogábat autem si verè hæc ita essent. Tunc summus Sacerdos ostendit depósita esse hæc, et victuália viduárum et pupillórum; quædam verò esse Hircáni Tobíæ viri valde eminentis, in his quæ detúlerat ímpius Simon: universa autem argenti talenta esse quadringenta, et auri ducenta; décipi verò eos qui credidissent loco et templo, quod per universum mundum honorátur pro suî veneratióne et sanctitáte, omnínò impossíbile esse.

℣. In sartágine cùm primus diu cruciarétur, céteri fratres una cum matre ínvicem se hortabantur mori fortiter, dicentes: * Dóminus Deus aspíciet veritátem, et ✝ Consolábitur in nobis. ℣. Per patiéntiam currámus ad propósitum nobis certámen. * Dóminus Deus respíciet veritátem et consolábitur in nobis. Glória Patri. ✝ Consolábitur in nobis. 2. *Mach.* 7. *Hebr.* 12.

IN II.º NOCTURNO.

LECTIO IV.

Sermo sancti Gregórii Nazianzéni.

(Orat. 22.)

Quinam Machabæi fúerint, quàque primùm ex institutióne atque doctrína in tantam virtútis frugem gloriamque pervénerint, perspícuè liber ille declárat, qui ratiónem ánimi perturbatiónibus imperáre docet, in ejusque arbítrio esse, ut in utramvis partem, hoc est, vel ad virtútem vel ad vítium propendeámus. Nam libri illíus auctor, cùm pléraque ália testimónia, tum horum quoque dimicatiónes in hujus argumenti confirmatiónem áttulit. Mihi verò hæc tantùm commemoráre suffíciet. Eleázarus primítiæ eórum qui ante Christum passi sunt, quemádmodùm post Christum Stéphanus, sacerdos, et senex, canus capillis, canus et prudéntiâ, priùs quidem pro pópulo sacrificábat et orábat. Tandem autem et semetipsum hóstiam óbtulit Deo perfectíssimam, ac totíus pópuli expiatrícem, faustum certáminis inítium, ad quod loquens páriter ac tacens cohortabátur. Obtulit autem et fílios septem, suæ fructus disciplínæ, hóstiam viventem, sanctam, Deo placentem, omni legáli sacrifício splendidiórem et puriórem: quæ sunt enim filiórum, ad patrem referri æquíssimum ac justíssimum est.

℣. Supra modum mater mirábilis síngulos hortabátur voce pátriâ: * Mundi Creátor spíritum vobis cum misericórdia reddet et vitam, sicut nunc vosmetipsos despícitis propter leges

ejus ℣. Nolíte timére eos qui occídunt corpus, ánimam autem non possunt occídere : *Mundi. 2. *Mach.* 7. *Matth.* 10.

LECTIO V.

Ibi fortes et magnámini fílii, generósæ matris generósa sóboles, gloriósi veritátis propugnatóres, Antíochi tempóribus excelsióres, veri Mosáicæ legis discípuli, paternórum rituum observantíssimi ; númerus apud Hebræos laudábilis, et propter septenáriæ quiétis mystérium venerábilis, unum spirantes, unum sectantes, unum illud ad vitam iter agnoscentes, ut mortem Dei causâ suscíperent ; non minùs ánimis fratres quàm corpóribus, inter se mútuæ mortis æmuli. O rem admirandam ! tormenta quasi thesauros præripientes, pro magistra lege perícula subeuntes ; illáta non magis formidantes, quàm quæ supérerant requirentes ; unum illud véniti ne tyrannus à pœnis desísteret, ne quis ipsórum sine corónæ præmio discéderet, ne inviti fratres álii ab álio sejungerentur, et ne in eo discrímine, cruciátibus erepti, malâ victóriâ superárent.

℟. Cùm mater adhuc díceret, ait adolescens : *Quem* sustinétis ? Non obédio præcepto regis, sed præcepto legis : * Tu verò judício Dei justas supérbiæ tuæ pœnas exolves. ℣ Momentáneum et leve tribulatiónis nostræ æternum glóriæ pondus operátur in nobis. * Tu verò. 2. *Mach.* 7. 2. *Cor.* 4.

LECTIO VI.

Erat ibi fortis et generósa mater, *puerórum simul* ac Dei amans, cujus materna víscera supra natúræ consuetúdinem dilaniabantur. Non enim filiórum qui in tormentis erant, miserebátur ; sed timóre angebátur, ne non ea suscíperent : neque magis eos qui è vita migráverant desiderábat, quàm precabátur ut réliqui cum illis conjungerentur ; de quibus fíliis magis quàm de mórtuis erat sollícita. Horum enim dúbium erat certámen, at illórum secúrus vitæ éxitus. Atque illos quidem jam Deo adjúnxerat ; de his verò quómodò Deus eos suscíperet, laborábat. O virílem ánimum in córpore mulíebri ! ô admirábile magni ánimi incrementum !

℟. Rex accensus irâ, in adolescentiórem super omnes crudéliùs desæviit, indignè ferens se derísum. * Novíssimè autem post fílios et mater consumpta est. ℣. Distenti sunt, non suscipientes redemptiónem, ut *meliórem invenírent* resurrectiónem. * Novíssimè. Glória Patri. * Novíssimè. 2. *Mach.* 7. *Hebr.* 11.

IN III.° NOCTURNO.

LECTIO VII.

Léctio sancti Evangélii secundùm Matthæum.

(Cap. 9.)

In illo témpore; Ascendens Jesus in naviculam, transfretávit, et venit in civitátem suam. Et réliqua.

Homília sancti Petri Chrysólogi.

(Serm. 50.)

Christum in humánis áctibus divína gessisse mystéria, et in rebus visibílibus invisibília exercuisse negótia, léctio hodierna monstrávit. Nonne ipse est qui, fugátis flúctibus, maris profunda nudávit, ut Israelíticus pópulus inter stupentes undas, sicco vestígio, velut móntium cóncava pertransíret? Nonne hic est qui Petri pédibus marínos vórtices inclinávit, ut iter líquidum humánis grássibus sólidum præbéret obséquium? Et quid est quòd ipse sibi maris sic déneget servitútem, ut brevíssimi lacûs tránsitum sub náutica mercéde transfretáret? Quid mirum, fratres? Christus venit suscípere infirmitátes nostras, et suas nobis conferre virtútes; humána quærere, præstáre devína; accípere injúrias, réddere dignitátes; ferre tædia, referre sanitátes; quia médicus qui non fert infirmitátes, curáre nescit; et qui non fúerit cum infirmo infirmátus, infirmo non potest conferre sanitátem.

℣. Ecce viri portantes hóminem qui erat paralyticus, quærébant eum pónere ante Jesum. Et * Non invenientes quà parte illum inferrent præ turba, per tégulas summisérunt eum cum lecto in médium. ℣. Spes illórum in salvantem illos, et óculi Dei in diligentes se. * Non. *Luc.* 5. *Eccli.* 34.

LECTIO VIII.

Christus ergo si in suis mansisset virtútibus, commúne cum homínibus nihil habéret; et si non implesset carnis órdinem, carnis in illo esset otiósa susceptio. Sustínuit ergo has necessitátes, ut homo verus humánis necessitátibus probarétur. Et venit in civitátem suam. Creátor rerum, orbis Dóminus, postéaquàm se propter nos nostrâ coangustávit in carne, cœpit habére humánam pátriam: cœpit civitátis Judáicæ esse civis: parentes habére cœpit, parentum ómnium ipse parens; ut invitáret amor, attráheret cáritas, vincíret affectio, suadéret humánitas quos fugárat dominátio, metus dispérserat, et fécerat ejus potestátis extorres. Et ecce offerébant ei paralyticum jacéntem in lecto; et respíciens Jesus fidem illó-

rum, dixit paralytico: Confíde, fili; remittuntur tibi peccáta tua. Audit véniam, et tacet paralyticus, nec ullam respondet grátiam, quia plùs córporis quàm ánimæ tendébat ad curam; et temporáles ærumnas resolúti córporis sic deflébat, ut ætérnas pœnas resolutiónis ánimæ non defléret, gratiórem sibi præsentem vitam júdicans, quàm futúram. Méritò Christus operántium fidem réspicit, et vecórdiam réspicit sic jacentis, ut fídei aliénæ suffrágio paralytici *ánima antè curarétur* quàm corpus.

℟. Videns Jesus fidem illórum, dixit paralytico: * Confíde, fili; remittuntur tibi peccáta tua. ℣. Per misericórdiam et fidem purgantur peccáta. * Confíde. *Matth.* 9. *Prov.* 15.

LECTIO IX.

Cernitis in hoc loco, fratres, Deum non interrogáre insipiéntium hóminum voluntátes, non expectáre ignorántium fidem, non infirmórum stulta desidéria perscrutári; sed ad altérius fidem subvenire, quod per solam grátiam conferébat, cùm quidquid divínæ voluntátis est non negáret. Et revérâ, fratres, quandò médicus languéntium aut quærit aut réspicit voluntátes, cùm semper contrária desíderet aut requírat infirmus? Hinc est quòd nunc ferrum, nunc ignem, nunc amára pócula ingerit et appónit invítis; ut curam sani séntiant, quam non póterant sentíre ægrotantes. Et si homo injúrias déspicit, maledicta contemnit, ut sauciátis morbo sponte vitam cónferat et salútem; quantò magis Christus médicus bonitáte divínâ, morbis sáucios peccatórum, et phrénesi críminum laborantes, ad salútem étiam invítos áttrahit et *nolentes*? O si velímus, fratres, ô si velímus omnem mentis nostræ parálysim pervidére, ánimam nostram virtútibus destitútam jacére in vitiórum stratis cernerémus. Lucéret nobis quemádmodùm Christus et nostras quotídie nóxias réspicit voluntátes, et ad salutária nos remédia pértrahit et perurget invítos.

℟. Ego sum, ego sum ipse qui * Déleo iniquitátes tuas propter me; et † Peccatórum tuórum *non* recordábor. ℣. Dixit Jesus: Homo, remittuntur tibi peccáta tua * Déleo. Glória. † Peccatórum. *Is.* 43. *Luc.* 5.

Ad Benedictus, *Ant.* 1. D. Ait *Jesus* paralytico: Surge, tolle lectum tuum, et vade in domum tuam. Et surrexit, et ábiit in domum suam. *Matth.* 9.

ORATIO.

Dirigat corda nostra, quæ

si mus, Dómine, tuæ miseratiónis operátio; quia tibi sine te placére non póssumus; Per Dóminum nostrum Jesum Christum.

Ad Magníficat, *Ant.* 8. *G.* Videntes turbæ, timuérunt, et glorificavérunt Deum qui dedit potestátem talem homínibus. *Matth.* 9.

FERIA SECUNDA.

LECTIO I.

De libris Machabæórum

(Lib. 2, cap. 3.)

Heliodorus quod decréverat, perficiébat eódem loco ipse cum satellítibus circa ærárium præsens. Sed Spíritus omnipotentis Dei magnam fecit suæ ostensiónis evidéntiam; ita ut omnes qui ausi fúerant parére ei, ruentes Dei virtúte, in dissolutiónem et formídinem converterentur. Appáruit enim illis quidam equus terríbilem habens sessórem, óptimis operimentis adornátus: isque cum ímpetu Heliodóro priores calces elísit; qui autem ei sedébat, videbátur arma habére áurea. Alii étiam apparuérunt duo júvenes virtúte decóri, óptimi glóriâ, speciosique amictu; qui circumstetérunt eum, et ex utráque parte flagellábant, sine intermissióne multis plagis verberantes.

℣. Postquàm, 2so.

LECTIO II.

Subito autem Heliodórus cóncidit in terram; eumque multâ calígine circumfúsum rapuérunt, atque in sella gestatória pósitum ejecérunt. Et is qui cum multis cursóribus et satellítibus prædictum ingressus est ærárium, portabátur, nullo sibi auxílium ferente, manifestâ Dei cógnitâ virtúte: et ille quidem per divínam virtútem jacébat mutus, atque omni spe et salúte privátus. Hi autem Dóminum benedicébant, quia magnificábat locum suum: et templum quod paulò antè timóre ac tumultu erat plenum, apparente omnipotente Dómino, gáudio et lætítiâ implétum est. Tunc verò ex amícis Heliodóri quidam rogábant confestim Oníam, ut invocáret Altíssimum, ut vitam donáret ei qui in supremo spíritu erat constitútus.

℣. Cóntigit, 2so.

LECTIO III.

Considerans autem summus Sacerdos, ne fortè rex suspicarétur malítiam áliquam ex Judæis circa Heliodórum consummátam, óbtulit pro salúte viri hóstiam salutárem. Cùmque summus Sacerdos exoráret, iídem júvenes eisdem véstibus amicti, astantes Heliodóro dixérunt: Oníæ sacerdóti grátias

age; nam propter eum Dóminus tibi vitam donávit: tu autem à Deo flagellátus, núntia ómnibus magnália Dei et potestátem. Et his dictis, non comparuérunt. Heliodórus autem, hóstiâ Deo oblátâ, et votis magnis promissis ei qui vívere illi concessit, et Oníæ grátias agens, recepto exército, repedábat ad regem. Testabátur autem ómnibus ea quæ sub óculis suis víderat ópera magni Dei. Cùm autem rex *interrogasset* Heliodórum quis esset aptus adhuc semel Jerosólymam mitti, ait: Si *quem habes hostem*, aut regni tui insidiatórem, mitte illuc; et flagellátum eum recípies, *si* tamen eváserit; cò quòd *in loco sit* verè Dei quædam virtus. Nam ipse *qui habet in cœlis* habitatiónem, visitátor et adjútor est loci illíus, et venientes ad malefaciendum percutit ac perdit. Igitur de Heliodóro, et ærárii custódia, ita res se habet.

℣. In sartágine, 251.

FERIA TERTIA.

LECTIO I.

De libris Machabæórum.

(Lib. 2, cap. 4.)

Post Seleuci vitæ excessum, cùm suscepisset regnum Antíochus qui Nóbilis appellabátur, ambiébat Jason frater Oníæ summum Sacerdótium: ádito rege, promittens ei argenti talenta trecenta sexaginta, et ex reddítibus áliis talenta octoginta. Super hæc promittébat et ália centum quinquaginta, si potestáti ejus concederétur gymnásium et ephébiam sibi constitúere, et eos qui in Jerosólymis erant Antiochénos scríbere. Quod cùm rex annuisset, et obtinuisset principátum, statim ad gentílem ritum contríbules suos transferre cœpit. Et amótis his quæ humanitátis causâ Judæis à régibus fúerant constitúta, per Joannem patrem Eupolémi qui apud Romános de amicítia et societáte functus est legatióne legítimâ, cívium jura destítuens, prava institúta sanciebat. Etenim ausus est sub ipsa arce gymnásium constitúere, et óptimos quosque ephebórum in lupanáribus pónere. Erat autem hoc non inítium, sed incrementum quoddam, et profectus gentílis, et alieníge næ conversatiónis, propter ímpii, et non sacerdótis Jasónis nefárium et inaudítum scelus.

℣. Supra modum, 251.

LECTIO II.

Et post triénnii tempus misit Jason Meneláum supradicti Simónis fratrem, portantem pecúnias regi, et de negótiis necessáriis responsa perlatúrum. At ille commendátus regi, cùm mag-

nificasset fáciem potestátis ejus, in semetipsum retorsit summum Sacerdótium, superpónens Jasóni talenta argenti trecenta. Acceptisque à rege mandátis, venit, nihil quidem habens dignum Sacerdótio, ánimos verò crudélis tyranni et feræ bélluæ iram gerens. Et Jason quidem qui próprium fratrem captiváverat, ipse deceptus, prófugus in Ammanítem expulsus est regiónem. Meneláus autem principátum quidem obtínuit : de pecúniis verò regi promissis nihil agébat, cùm exactiónem fáceret Sóstratus, qui arci erat præpósitus; nam ad hunc exáctio vectigálium pertinébat : quam ob causam utríque ad regem sunt evocáti. Et Meneláus amótus est à Sacerdótio, succedente Lysímacho fratre suo; Sóstratus autem prælátus est Cypriis.

℣. Cùm mater, 252.

LECTIO III.

Ratus autem Meneláus accepisse se tempus opportúnum, áurea quædam vasa è templo furátus, donávit Androníco, etália vendíderat Tyri et per vicínas civitátes. Quod cùm certíssimè cognovisset Onías, arguébat eum, ipse in loco tuto se cóntinens Antiochíæ secùs Daphnem. Unde Meneláus accédens ad Andronícum, rogábat ut Oníam interfíceret. Qui cùm venisset ad Oníam, et datis dextris cum jurejurando (quamvis esset ei suspectus) suasisset de ásylo procédere, statim eum perémit, non véritus justítiam. Ob quam causam non solùm Judæi, sed áliæ quoque natiónes indignabantur et molestè ferébant de nece tanti viri injustâ. Sed regressum regem de Cilíciæ locis adiérunt Judæi apud Antiochíam, simul et Græci, conquerentes de iníqua nece Oníæ. Constristátus ítaque ánimo Antíochus propter Oníam, et flexus ad misericórdiam, lácrymas fudit, recordátus defuncti sobriétátem et modéstiam. Accensisque ánimis, Andronícum púrpurâ exútum per totam civitátem jubet circumdúci, et in eódem loco in quo in Oníam impietátem commíserat, sacrílegum vitâ privári, Dómino illi condignam retribuente pœnam.

℟. Rex accensus, 252.

FERIA QUARTA.

LECTIO I.

De libris Machabæórum.

(Lib. 1. Cap. 1.)

Paratum est regnum in conspectu Antíochi, et cœpit regnáre in terra Ægypti, ut regnáret super duo regna. Et intrávit in Ægyptum in multitúdine gravi, in cúrribus, et elephantis, et equítibus, et copiósâ ná-

vium multitúdine: et contístuit bellum adversùs Ptolemæum regem Ægypti; et véritus est Ptolemæus à fácie ejus, et fugit, et cecidérunt vulnerati multi. Et comprehendit civitátes munítas in terra Ægypti, et accépit spólia terræ Ægypti. Et convertit Antiochus, postquàm percussit Ægyptum in centésimo et quadragésimo tértio anno; et ascendit ad Israel, et ascendit Jerosólymam in multitúdine gravi, et intrávit in sanctificatiónem cum supérbia.

℣. Postquàm percussit Alexander, 250.

LECTIO II.

Et accépit altáre áureum, et candelábrum lúminis, et universa vasa ejus, et mensam propositiónis, et libatória, et phíalas, et mortaríola áurea, et velum, et corónas, et ornamentum áureum quod in fácie templi erat; et commínuit ómnia. Et accépit argentum et aurum, et vasa concupiscibília; et accépit thesauros occultos quos invénit; et, sublátis ómnibus, ábiit in terram suam. Et fecit cædem hóminum, et locútus est in supérbia magna. Et factus est planctus magnus in Israel, et in omni loco eórum. Et ingemuérunt príncipes et seniores: vírgines et júvenes infirmáti sunt; et speciósitas mulíerum immutáta est. Omnis marítus sumpsit lamentum; et quæ sedébant in thoro maritáli, lugébant: et commóta est terra super habitántes in ea, et universa domus Jacob índuit confusiónem.

℣. Contigit septem fratres, 250.

LECTIO III.

Et misit rex libros per manus nuntiórum in Jerúsalem, et in omnes civitátes Juda; ut sequerentur leges géntium terræ, et prohibérent holocausta, et sacrifícia, et placatiónes fieri in templo Dei; et prohibérent celebrári Sábbatum, et dies solemnes: et jussit coinquinári sancta, et sanctum pópulum Israel. Et jussit ædificári aras, et templa, et idóla, et immolári carnes suillas, et pécora communia, et relínquere fílios suos incircumcísos, et coinquinári ánimas eórum in ómnibus immundis et abominatiónibus, ita ut oblivíscerentur legem, et immutárent omnes justificatiónes Dei; et quicumque non fecíssent secundùm verbum regis Antíochi, morerentur. Secundùm omnia verba hæc scripsit omni regno suo: et præpósuit príncipes pópulo qui hæc fieri cógerent. Et jussérunt civitátibus Juda sacrificáre.

℣. In sartágine cum primus, 251.

FERIA QUINTA.

LECTIO I.

De libris Machabæórum.

(Lib. 2, cap. 6.)

Eleazarus unus de primóribus Scribárum, vir ætáte provectus, et vultu decórus, aperto ore hians compellebátur carnem pórcinam manducáre. At ille gloriosissimam mortem magis quàm odíbilem vitam complectens, voluntárie præibat ad supplícium. Intuens autem quemádmodùm oportéret accédere, patienter sústinens, destinávit non admíttere illícita propter vitæ amórem. Hi autem qui astábant, iníquà miseratióne commóti, propter antíquam viri amicítiam, tollentes eum secrétò, rogábant afferri carnes, quibus vesci ei licébat, ut simularétur manducasse, sicut rex imperáverat, de sacrifícii cárnibus; ut, hoc facto, à morte liberarétur: et propter véterem viri amicítiam, hanc in eo faciébant humanitátem.

℣. Supra modum mater mirábilis síngulos hortabátur, 251.

LECTIO II.

At ille cogitáre cœpit ætátis ac senectútis suæ eminéntiam dignam, et ingénitæ nobilitátis canítiem, atque à púero óptimæ conversatiónis actus: et secundùm sanctæ et à Deo cónditæ legis constitúta, respondit citò, dicens, præmitti se velle in infernum. Non enim ætáti nostræ dignum est, inquit, fíngere; ut multi adolescéntium, arbitrantes Eleázarum nonaginta annórum transisse ad vitam alienigenárum; et ipsi propter meam simulatiónem, et propter módicum corruptíbilis vitæ tempus decipiantur, et per hoc mácculam atque execratiónem meæ senectúti conquíram. Nam, etsi in præsenti témpore supplíciis hóminum erípiar, sed manum Omnipotentis nec vivus, nec defunctus efúgiam: quamobrem fórtiter vitâ excedendo, senectúte quidem dignus apparébo; adolescéntibus autem exemplum forte relinquam, si prompto ánimo, ac fórtiter pro gravíssimis ac sanctíssimis légibus honestâ morte perfungar. His dictis, confestim ad supplícium trahebátur.

℣. Cùm mater adhuc díceret, 252.

LECTIO III.

Hi autem qui eum ducébant, et paulò antè fúerant mitióres, in iram conversi sunt propter sermónes ab eo dictos, quos illi per arrogántiam prolátos arbitrabantur. Sed cùm plagis perimerétur, ingémuit et dixit:

Dómine, qui habes sanctam sciéntiam, manifestè tu scis quia, cùm à morte possem liberári, duros córporis sustíneo dolóres; secundùm ánimam verò propter timórem tuum libenter hæc pátior. Et iste quidem hoc modo vitâ decessit, non solùm juvénibus, sed et universæ genti memóriam mortis suæ ad exemplum virtútis et fortitúdinis derelinquens.

℣. Rex accensus irâ, in adolescentiórem, 252.

FERIA SEXTA.

LECTIO I.

De libris Machabæórum.

(Lib. 2, cap. 7.)

Contigit et septem fratres únà cum matre sua apprehensos, compelli à rege édere contra fas carnes pórcinas, flagris et táureis cruciátos. Unus autem ex illis qui erat primus, sic ait: Quid quæris, et quid vis díscere à nobis? Paráti sumus mori, magis quàm pátrias Dei leges prævaricári. Irátus ítaque rex, jussit sartágines et ollas æneas succendi: quibus statim succensis, jussit ei qui prior fúerat locútus, amputári linguam; et cute cápitis abstractâ, summas quoque manus et pedes ei præscindi, céteris ejus frátribus et matre inspiciéntibus. Et cùm jam per ómnia inútilis factus esset, jussit ignem admovéri et adhuc spirantem torréri in sartágine: in qua cùm diu cruciarétur, céteri unà cum matre ínvicem se hortabantur mori fórtiter, dicentes: Dóminus Deus aspíciet veritátem, et consolábitur in nobis, quemádmodùm in protestatióne cántici declarávit Móyses: Et in servis suis consolábitur. Mórtuo ítaque illo primo hoc modo, sequentem deducébant ad illudendum; et, cute cápitis ejus cum capillis abstractâ, interrogábant si manducáret, priusquàm toto córpore per membra síngula punirétur. At ille respondens pátriâ voce, dixit: Non fáciam. Propter quod et iste, sequenti loco, primi tormenta suscépit; et in último spíritu constitútus, sic ait: Tu quidem, scelestíssime, in præsenti vita nos perdis; sed Rex mundi defunctos nos pro suis légibus in æternæ vitæ resurrectióne suscitábit.

℣. Postquàm percussit Alexander Daríum regem Persárum, 250.

LECTIO II.

Post hunc tértius illúditur, et linguam postulátus citò prótulit, et manus constanter extendit, et cum fidúcia ait: E cœlo ista possídeo, sed propter Dei leges nunc hæc ipsa despício, quóniam ab ipso me ea recepturum

spero; ita ut rex, et qui cum ipso erant, mirarentur adolescentis ánimum, quòd tanquam níhilum dúceret cruciátus. Et hoc ita defuncto, quartum vexábant simíliter torquentes. Et cùm jam esset ad mortem, sic ait: Pótius est ab homínibus morti datos spem expectáre à Deo, íterùm ab ipso resuscitandos; tibi enim resurréctio ad vitam non erit. Et cùm admovissent quintum, vexábant eum. At ille respíciens in eum, dixit: Potestátem inter hómines habens, cùm sis corruptíbilis, facis quod vis; noli autem putáre genus nostrum à Deo esse derelictum: tu autem patienter sústine, et vidébis magnam potestatem ipsíus, quáliter te et semen tuum torquébit. Post hunc ducébant sextum; et is mori incípiens, sic ait: Noli frustrà erráre; nos enim propter nosmetipsos hæc pátimur, peccantes in Deum nostrum, et digna admiratióne facta sunt in nobis: tu autem ne exístimes tibi impúnè futúrum, quòd contra Deum pugnáre tentáveris.

℣. Contigit septem fratres cum matre, 250.

LECTIO III.

Supra modum autem mater mirábilis, et bonórum memóriâ digna, quæ pereuntes septem fílios sub uníus diéi témpore conspíciens, bono ánimo ferébat propter spem quam in Deum habébat; síngulos illórum hortabátur voce pátriâ fórtiter, repléta sapiéntiâ; et femíneæ cogitatióni masculínum ánimum ínserens, dixit ad eos: Néscio quáliter in útero meo apparuístis; neque enim ego spíritum et ánimam donávi vobis et vitam; et singulórum membra non ego ipsa compégi: sed enim mundi Creátor, qui formávit hóminis nativitátem, quique ómnium invénit orígínem, et spíritum vobis íterùm cum misericórdia reddet et vitam, sicut nunc vosmetipsos despícitis propter leges ejus.

℣. In sartágine cùm primus, 251.

SABBATO.

LECTIO I.

De libris Machabæórum

(Lib. 2, cap. 7.)

Antiochus contemni se arbitrátus, simul et exprobrántis voce despectâ, cùm adhuc adolescéntior superesset, non sólùm verbis hortabátur, sed et cum juramento affírmábat se dívitem et beátum factúrum, et translátum à pátriis légibus amícum habitúrum, et res necessárias ei præbitúrum. Sed ad hæc cùm adolescens nequáquam inclinarétur, vocávit rex matrem, et sua-

débat ei ut adolescenti fíeret in salútem. Cùm autem multis eam verbis esset hortátus, promísit suasúram se fílio suo.

[*Si fiat de Sabbato,* ℟. *sumentur è II. Nocturno Dominicæ præcedentis.*]

LECTIO II.

Itaque inclináta ad illum, irrídens crudélem tyrannum, ait pátriâ voce : Fili mi, miserére meî, quæ te in útero novem ménsibus portávi, et lac triénnio dedi et álui, et in ætátem istam perduxi. Peto, nate, ut aspícias ad cœlum et terram, et ad ómnia quæ in eis sunt ; et intélligas quia ex níhilo fecit illa Deus, et hóminum genus : ita fiet ut non tímeas carnífícem istum ; sed dignus frátribus tuis effectus párticeps, súscipe mortem, ut in illa miseratióne cum frátribus tuis te recípiam.

LECTIO III.

Cum hæc illa adhuc díceret, ait adolescens : Quem sustinétis? non obédio præcepto regis, sed præcepto legis quæ data est nobis per Móysen. Tu verò qui inventor omnis malítiæ factus es in Hebræos, non effúgies manum Dei. Nos enim pro peccátis nostris hæc pátimur : et si nobis propter increpatiónem et correptiónem Dóminus Deus noster módicùm irátus est, sed íterùm reconciliábitur servis suis. Tu autem, ô sceleste, et ómnium hóminum flagitiosíssime, noli frustrà extolli vanis spebus in servos ejus inflammátus ; nondum enim omnipotentis Dei, et ómnia inspicientis, judícium effugisti. Nam fratres mei, módico nunc dolóre sustentáto, sub testamento æternæ vitæ effecti sunt : tu verò judício Dei justas supérbiæ tuæ pœnas exolves. Ego autem, sicut et fratres mei, ánimam et corpus meum trado pro pátriis légibus, ínvocans Deum matúriùs genti nostræ propítium fíeri, teque cum tormentis et verbéribus confitéri, quòd ipse est Deus solus. In me verò et in frátribus meis désinet Omnipotentis ira, quæ super omne genus nostrum justè superducta est. Tunc rex accensus irâ, in hunc super omnes crudéliùs desævit, indignè ferens se derísum. Et hic ítaque mundus óbiit, per ómnia in Dómino confidens. Novíssimè autem post fílios et mater consumpta est.

Ad Magníficat, *Ant.* 7. G. Simon Mathathíæ fílius, et fratres ejus dedérunt se perículo, et res téruntadversáriis gentis suæ, ut starent sancta ipsórum, et lex : et glóriâ magnâ glorificavérunt gentem suam. 1. *Mach.* 14.

Oratio, Omnípotens, *ut infrà ad Laudes.*

DOMINICA XIX
POST PENTECOSTEN.
IN I.º NOCTURNO.

LECTIO I.

De libris Machabæórum.

(Lib. 1, cap. 2.)

In diébus illis surrexit Mathathías fílius Joannis, fílii Simeónis, sacerdos ex fíliis Jóarib ab Jerúsalem, et consédit in monte Modin. Et habébat fílios quinque, Joannem, qui cognominabátur Gaddis: et Simónem, qui cognominabátur Thasi; et Judam, qui vocabátur Machabæus; et Eleázarum, qui cognominabátur Aháron; et Jonáthan, qui cognominabátur Apphus. Hi vidérunt mala quæ fiébant in pópulo Juda et in Jerúsalem. Et dixit Mathathías: Væ mihi! ut quid natus sum vidére contritiónem pópuli mei, et contritiónem civitátis sanctæ, et sedére illic, cùm datur in mánibus inimicórum? Sancta in manu extraneórum facta sunt; templum ejus sicut homo ignóbilis. Vasa glóriæ ejus captíva abducta sunt; trucidáti sunt senes ejus in platéis, et júvenes ejus cecidérunt in gládio inimicórum. Quæ gens non hæreditávit regnum ejus, et non obtínuit spólia ejus? Omnis compositio ejus ablàta est. Quæ erat líbera, facta est ancilla. Et ecce sancta nostra, et pulchritúdo nostra, et cláritas nostra desoláta est, et coinquinavérunt ea gentes. Quò ergo nobis adhuc vívere?

℣. Intrávit rex Antíochus in sanctificatiónem cum supérbia, accépit altáre áureum et universa vasa, et comminuit; * Et fecit cædem hóminum: et factus est planctus magnus in Israel. ℣. Datum est béstiæ bellum fácere cum sanctis, et víncere eos. * Et fecit cædem. 1. *Mach.* 1. *Apoc.* 13.

LECTIO II.

Et scidit vestimenta sua Mathathías, et fílii ejus; et operuérunt se cilíciis, et planxérunt valde. Et venérunt illuc qui missi erant à rege Antíocho, ut cógerent eos qui confúgerant in civitátem Modin, immoláre et accéndere thura, et à lege Dei discédere. Et multi de pópulo Israel consentientes, accessérunt ad eos; sed Mathathías et fílii ejus constanter stetérunt. Et respondentes qui missi erant ab Antíocho, dixérunt Mathathíæ: Princeps, et claríssimus, et magnus es in hac civitáte, et ornátus fíliis et frátribus: ergo accéde prior, et fac jussum regis, sicut fecérunt omnes gentes, et viri Juda, et qui remansérunt in Jerúsalem; et eris tu, et fílii tui, inter amícos

regis, et amplificátus auro, et argento, et munéribus multis.

℟. Ex gravi supérbia deductus Antíochus ad agnitiónem suî, ait: Justum est súbditum esse Deo, et mortálem non pária Deo sentíre. * Orábat hic scelestus Dóminum, à quo non esset misericórdiam consecúturus. ℣. Non invénit pœniténtiæ locum, quamquam cum lácrymis inquisisset eam. * Orábat. 2. *Mach.* 9. *Hebr.* 12.

LECTIO III.

Et respondit Mathathías, et dixit magnâ voce: Etsi omnes gentes regi Antíocho obédiunt, ut discédat unusquisque à servitúte legis patrum suórum, et conséntiat mandátis ejus; ego et fílii mei, et fratres mei obediémus legi patrum nostrórum. Propítius sit nobis Deus: non est nobis útile relínquere legem et justítias Dei; non audiémus verba regis Antíochi, nec sacrificábimus transgredientes legis nostræ mandáta, ut eámus álterâ viâ. Et ut cessávit loqui verba hæc, accessit quidam Judæus in ómnium óculis sacrificáre idólis super aram in civitáte Modin secundùm jussum regis: et vidit Mathathías, et dóluit, et contremuérunt renes ejus, et accensus est furor ejus secundùm judícium legis; et insíliens trucidávit eum super aram: sed et virum quem rex Antíochus miserat, qui cogébat immoláre, occídit in ipso témpore, et aram destruxit.

℟. Surrexit Machabæus, et adjuvábant eum fratres ejus, et * Præliabantur prælium Israel cum lætítia, et repulsi sunt inimíci ejus; et † Directa est salus in manu ejus. ℣. Operáti sunt justítiam, fortes facti sunt in bello, castra vertérunt exterórum. * Præliabantur. Glória Patri. † Directa est. 1. *Mach.* 3. *Hebr.* 11.

IN II.° NOCTURNO.

LECTIO IV.

Sermo sancti Joannis Chrysóstomi.

(In Psalm. 43.)

Machabæi, cùm invasisset Judæam Antíochus, qui dictus est Epíphanes, et ómnia devastasset, et multos qui tunc erant, à pátriis institútis resilíre coegisset, permansérunt illæsi ab illis tentatiónibus. Et quando grave quidem bellum ingruébat, nec quidquam póterant fácere quod prodesset, si abscondébant; nam hoc quoque fecérunt Apóstoli. Non enim semper in média irruébant perícula; sed nonnunquam fugientes, et latentes cedébant. Postquàm autem parùm respiráverant, tan-

quam generósi quidam leúnculi ex antris exilientes, et è látebris emergentes, statuébant se non ámpliùs solos servâre, sed álios quoscumque possent: et civitátem et omnem regiónem obeuntes, collegérunt quotquot invenérunt adhuc sanos et íntegros; et multos étiam qui laborábant et corrupti erant, in statum prístinum redegérunt, eis persuadentes redíre ad legem pátriam.

℟. Illi quidem armis confídunt, et audácià; * Nos in omnipotente Dómino, qui potest et venientes adversùm nos, et universum mundum uno nutu delére, confídimus. ℣. Hæc est victória quæ vincit mundum, fides nostra. * Nos in omnipotente Dómino. 2. *Mach.* 8. 1. *Joan.* 5.

LECTIO V.

Deum enim dicébant esse benignum et clementem, nec unquam adímere salútem quæ proficíscitur ex pœniténtia. Hæc autem dicentes, habuérunt delectum virórum fórtium. Non enim pro uxóribus, líberis, et ancillis, patriæque eversióne, et captivitáte, sed pro lege et pátria república pugnábant. Eórum autem dux erat Deus. Cùm ergo áciem dirígerent, et próprias expónerent ánimas, fundébant adversários, non armis fidentes, sed loco omnis armatúræ pugnæ causam suffícere ducentes. Ad bellum autem euntes, non tragœdias excitábant; non pæána canébant, sicut nonnulli fáciunt; non adciscébant tibícines, ut fit in áliis castris; sed Dei superné auxílium invocábant, ut adesset, opem ferret, et manum præbéret, propter quem bellum gerébant, pro cujus glória decertábant.

℟. In áliis natiónibus Dóminus patienter expectat, ut eas in plenitúdine peccatórum púniat; * Corrípiens verò in adversis pópulum suum non derelinquit. ℣. Novit Dóminus iníquos in diem judícii reservâre cruciandos. * Corrípiens verò in adversis pópulum suum non derelinquit. 2. *Mach.* 6. 2. *Petr.* 2.

LECTIO VI

Videamus ergo quid hæc castra Dei loquantur, quæ sunt spirituáli munita auxílio, cùm sunt hostes aggressúra. Deus, áuribus nostris audívimus. Quia enim nonnulli eórum qui cum ipsis stabant in ácie, Antíochi multitúdinem, instructam áciem, et victóriam videntes, quòdque ómnia primo ímpetu cepisset, propriamque imbecillitátem et paucitátem considerantes, mollióres erant et imbecillióres; eórum ánimos spiritusque

éxcitans, et ostendens in Dei ductu universum situm esse, et absque exércitu, si is opem ferat, posse parári victóriam, instar precatiónis compósitam suasiónem et exhortatiónem effert ad commilitónes, et Deum álloquens, eos promptióres reddit et alacrióres. Sed tanquam hæc eis deessent quæ jure afferre possent, nec fidúciam ex suis factis habérent, ad ea quæ Deus majóribus illórum fécerat, confúgiunt. Eos enim qui fidúciæ causam non habent, hæc fácere non est mirum, cùm eos ipsos trahat ad hoc necéssitas. Cùm autem illi qui quóniam rectè fecérunt, magnificè loqui possunt, nolunt ex iis servári, sed ex Dei benignitáte quâ in patres usus est, hoc est magnum argumentum eórum humilitátis: prompti autem et álacris ánimi sui non parvam hinc quoque causam státuunt.

℟. Pro peccátis nostris hæc pátimur: * Etsi nobis propter correptiónem Deus noster módicùm irátus est, † Iterùm reconciliábitur servis suis. ℣. Persecutiónem pátimur, sed non derelínquimur: dejícimur, sed non perímus. * Etsi nobis propter correptiónem Deus noster módicùm irátus est, íterùm. Glória Patri. † Iterùm reconciliábitur servis suis. 2. *Mach.* 7. 2. *Cor.* 4.

IN III.° NOCTURNO.

LECTIO VII.

Léctio sancti Evangélii secundùm Matthæum.

(Cap. 22.)

In illo témpore; Respondens Jesus, dixit íterùm in parábolis Princípibus Sacerdótum, et Pharisæis, dicens: Símile factum est regnum cœlórum hómini regi, qui fecit núptias fílio suo. Et réliqua.

Homília sancti Gregórii Papæ.

(38 in Evang. hab. in Basil. S. Clementis, n. 3.)

In hoc Pater regi Fílio núptias fecit, quo ei per incarnatiónis mystérium sanctam Ecclésiam sociávit. Uterus autem genitrícis Vírginis hujus sponsi thálamus fuit. Unde et Psalmista dicit: In sole posuit tabernáculum suum, et ipse tanquam sponsus procédens de thálamo suo. Tanquam sponsus quippe de thálamo suo processit, quia ad conjungendam sibi Ecclésiam incarnátus Deus de incorrupto útero Vírginis exívit. Misit ergo servos suos ut ad istas núptias amícos invitárent. Misit semel, misit íterùm; quia incarnatiónis Domínicæ prædicatóres, et priùs Prophétas, et póstmodùm Apóstolos fecit.

℟. Símile factum est regnum cœlórum hómini regi qui fecit núptias fílio suo, et misit servos suos vocáre invitátos : * Et nolébant veníre. ℣. Hæc dicit Dóminus : Misi servos meos Prophétas, et non audiérunt me, sed induravérunt cervícem suam : * Et. *Matth.* 22. *Jerem.* 7.

LECTIO VIII.

(N. 5.)

Sequitur : illi autem neglexérunt ; et abiérunt, álius in villam suam, álius verò in negotiatiónem suam. In villam quippe ire, est labóri terréno immoderátè incúmbere ; in negotiatiónem verò ire, est actiónum secularium lucris inhiáre. Quia enim álius intentus labóri terréno, álius verò mundi hujus actiónibus déditus, mystérium Incarnatiónis Domínicæ pensáre, et secundùm illud vívere dissímulat, quasi ad villam vel negótium pergens, veníre ad regis núptias recúsat.

℟. Misit álios servos, dicens : Dícite invitátis, Veníte ad núptias. Illi neglexérunt ; et * Abiérunt, álius in villam suam, álius ad negotiatiónem suam. ℣. Ecce verbum Dómini factum est eis in oppróbrium, et non suscípient illud ; à minóre quippe usque ad majórem omnes avarítiæ student. * Abiérunt. *Matth.* 22. *Jerem.* 6.

LECTIO IX.

(N. 9.)

Intravit autem rex ut vidéret discumbentes : et vidit ibi hóminem non vestítum veste nuptiáli. Quid debémus intellígere per nuptiálem vestem, nisi caritátem? Intrat enim ad núptias ; sed cum nuptiáli veste non intrat, qui in sancta Ecclésia assistens, fidem habet, sed caritátem non habet. Rectè enim cáritas nuptiális vestis vocátur ; quia hanc in se Cónditor noster hábuit, dum ad sociandæ sibi Ecclésiæ núptias venit. Solà quippe dilectióne Dei actum est, ut ejus Unigénitus mentes sibi electórum hóminum uníret. Unde et Joannes dicit : Sic enim dilexit Deus mundum, ut Fílium suum unigénitum daret pro nobis.

℟. Rex ait servis suis : Núptiæ quidem parátæ sunt ; sed qui invitáti erant, non fuérunt digni : * Ite ergo ad éxitus viárum ; et † Quoscumque invenéritis, vocáte ad núptias. ℣. Sapiéntia propósuit mensam suam : misit ancillas suas ut vocárent ad arcem. * Ite ergo ad éxitus. Glória. † Quoscumque. *Matth.* 22. *Prov.* 9.

Ad Benedictus, *Ant.* 8. G. Intrávit rex ut vidéret discumbentes, et vidit ibi hóminem non vestítum veste

nuptiáli, et ait illi : Amíce, quómodò huc intrasti non habens vestem nuptiálem ? At ille obmútuit. *Matth.* 22.

ORATIO.

Omnipotens et miséricors Deus, universa nobis adversántia propitiátus exclúde ; ut mente et córpore páriter expediti, quæ tua sunt líberis méntibus exequámur ; Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum, qui tecum vivit.

Ad Magníficat, *Ant.* 2. D. Dixit rex ministris : Ligátis mánibus et pédibus ejus, míttite eum in ténebras exterióres ; ibi erit fletus et stridor déntium. Multi enim sunt vocáti, pauci verò electi. *Matth.* 22.

FERIA SECUNDA.

LECTIO I.

De libris Machabæórum.

(Lib. 1, cap. 2.)

Exclamavit Mathathías voce magnâ in civitáte, dicens : Omnis qui zelum habet legis, státuens testamentum, éxeat post me. Et fugit ipse, et fílii ejus in montes, et reliquérunt quæcumque habébant in civitáte. Tunc descendérunt multi quærentes judícium et justítiam, in desertum : et sedérunt ibi ipsi, et fílii eórum, et mulíeres eórum, et pécora eórum ; quóniam inundavérunt super eos mala. Et renuntiátum est viris regis, et exercítui qui erat in Jerúsalem civitáte David, quóniam discessissent viri quidam qui dissipavérunt mandátum regis, in loca occulta in deserto, et abiíssent post illos multi. Et statim perrexérunt ad eos, et constituérunt adversùs eos prælium in die sabbatórum, et dixérunt ad eos : Resístitis et nunc adhuc ? Exíte, et fácite secundùm verbum regis Antíochi, et vivétis. Et dixérunt : Non exíbimus, neque faciémus verbum regis, ut polluámus diem sabbatórum. Et concitavérunt adversùs eos prælium. Et non respondérunt eis, nec lápidem misérunt in eos, nec oppilavérunt loca occulta, dicentes : Moriámur omnes in simplicitáte nostra ; et testes erunt super nos cœlum et terra, quòd injustè pérditis nos.

℟. Intrávit rex Antíochus, 263.

LECTIO II.

Et appropinquavérunt dies Mathathíæ moriendi, et dixit fíliis suis : Nunc confortáta est supérbia, et castigátio, et tempus eversiónis, et ira indignatiónis. Nunc ergo, ô fílii, æmulatóres estóte legis, et date ánimas vestras pro testamento patrum vestrórum, et mementóte óperum pa-

trum, quæ fecérunt in generatiónibus suis; et accipiétis glóriam magnam et nomen æternum. Abraham nonne in tentatióne inventus est fidélis, et reputátum est ei ad justítiam? Joseph in témpore angústiæ suæ custodívit mandátum, et factus est dóminus Ægypti. Phínees pater noster, zelando zelum Dei, accépit testamentum sacerdótii ætérni.

℟. Ex gravi supérbia deductus, 264.

LECTIO III.

Vos ergo, fílii, confortámini, et viríliter ágite in lege; quia in ipsa gloriósi éritis. Et ecce Simon frater vester, scio quòd vir consílii est: ipsum audíte semper, et ipse erit vobis pater. Et Judas Machabæus fortis víribus à juventúte sua sit vobis princeps militiæ; et ipse aget bellum pópuli. Et adducétis ad vos omnes factóres legis; et vindicáte vindictam pópuli vestri. Retribúite retributiónem géntibus, et inténdite in præceptum legis. Et benedixit eos, et appósitus est ad patres suos. Et defunctus est anno centésimo et quadragésimo sexto; et sepultus est à fíliis suis in sepulcris patrum suórum in Modin: et planxérunt eum omnis Israel planctu magno.

℟. Surrexit, 264.

FERIA TERTIA.

LECTIO I.

De libris Machabæórum.

(Lib. 1. C. 3.)

Surrexit Judas qui vocabátur Machabæus, fílius ejus pro eo; et adjuvábant eum omnes fratres ejus, et universi qui se conjúnxerant patri ejus, et præliabantur prælium Israel cum lætítia. Et dilatávit glóriam pópulo suo, et índuit se lorícam sicut gigas, et succínxit se arma béllica sua in præliis, et protegébat castra gládio suo. Símilis factus est leóni in opéribus suis, et sicut cátulus leónis rúgiens in venatióne. Et persecútus est iníquos, perscrútans eos: et qui conturbábant pópulum suum, eos succendit flammis; et repulsi sunt inimíci ejus prætimóre ejus, et omnes operárii iniquitátis conturbáti sunt; et directa est salus in manu ejus. Ex exacerbábat reges multos, et lætificábat Jacob in opéribus suis, et in séculum memória ejus in benedictióne. Et perambulávit civitátes Juda, et pérdidit ímpios ex eis, et avertit iram ab Israel. Et nominátus est usque ad novíssimum terræ, et congregávit pereuntes. Et congregávit Apollónius gentes, et à Samaría virtútem multam et magnam, ad bellandum contra Israel. Et cognóvit

Judas, et éxiit óbviam illi, et percussit, et occídit illum: et cecidérunt vulneráti multi, et réliqui fugérunt; et accépit spólia eórum, et gládium Apollónii ábstulit Judas, et erat pugnans in eo ómnibus diébus.

℟. Illi quidem armis, 265.

LECTIO II.

Et vidit Judas, et fratres ejus, quia multiplicáta sunt mala, et exércitus applicábant ad fines córum: et cognovérunt verba regis, quæ mandávit pópulo fácere in intéritum et consummatiónem; et dixérunt unusquisque ad próximum suum: Erigámus dejectiónem pópuli nostri, et pugnémus pro pópulo nostro et sanctis nostris. Et congregátus est conventus, ut essent paráti in prælium, et ut orárent, et péterent misericórdiam et miseratiónes. Et Jerúsalem non habitabátur, sed erat sicut desertum: non erat qui ingrederétur et egrederétur de natis ejus; et sanctum conculcabátur: et fílii alienigenárum erant in arce, ibi erat habitátio géntium: et ablàta est voluptas à Jacob et defécit ibi tíbia et cíthara. Et congregáti sunt, et venérunt in Maspha contra Jerúsalem; quia locus oratiónis erat in Maspha ante in Israel. Et jejunavérunt illâ die, et induérunt se cilíciis, et cinerem imposuérunt cápiti suo; et discidérunt vestimenta sua: et expandérunt libros legis, de quibus scrutabantur gentes similitúdinem simulacrórum suórum.

℟. In áliis, 265.

LECTIO III.

Et post hæc constítuit Judas duces pópuli, tribúnos, et centuriónes, et pentacontarchos, et decuriónes. Et dixit his qui ædificábant domos, et sponsábant uxóres, et plantábant víneas, et formidolósis, ut redírent unusquisque in domum suam secundùm legem. Et movérunt castra, et collocavérunt ad austrum Emmaüm. Et ait Judas: Accingímini, et estóte fílii potentes; et estóte paráti in mane, ut pugnétis adversùs natiónes has quæ convenérunt adversùs nos dispérdere nos, et sancta nostra; quóniam mélius est nos mori in bello, quàm vidére mala gentis nostræ et sanctórum. Sicut autem fúerit voluntas in cœlo, sic fiat.

℣. Pro peccátis, 266.

FERIA QUARTA.

LECTIO I.

De libris Machabæórum.

(Lib. 1, cap. 4.)

Commiserunt prælium: et cecidérunt de exércitu Lysiæ quinque míllia virórum. Videns autem Lysias fugam

suórum, et Judæórum audáciam, et quòd paráti sunt aut vívere aut mori fórtiter, ábiit Antiochíam; et elégit mílites, ut multiplicáti rursus venírent in Judæam. Dixit autem Judas, et fratres ejus: Ecce contríti sunt inimíci nostri; ascendámus nunc mundáre sancta, et renováre. Et congregátus est omnis exércitus, et ascendérunt in montem Sion. Et vidérunt sanctificatiónem desertam, et altáre profanátum, et portas exustas, et in átriis virgulta nata sicut in saltu vel in móntibus, et pastophória díruta. Et sciderunt vestimenta sua, et planxérunt planctu magno, et imposuérunt cinerem super caput suum; et cecidérunt in fáciem super terram, et exclamavérunt tubis signórum, et clamavérunt in cœlum.

℣. Intrávit, 263.

LECTIO II.

Tunc ordinávit Judas viros ut pugnárent adversùs eos qui erant in arce, donec emundárent sancta. Et elégit sacerdótes sine mácula, voluntátem habentes in lege Dei: et mundavérunt sancta, et tulérunt lápides contaminatiónis in locum immundum. Et cogitávit de altári holocaustórum, quod profanátum erat, quid de eo fáceret. Et incidit illis consílium bonum ut destrúerent illud, ne fortè illis esset in opprobrium, quia contaminavérunt illud gentes: et demolíti sunt illud. Et reposuérunt lápides in monte domûs in loco apto, quoadusque veníret Prophéta, et respondéret de eis. Et accepérunt lápides íntegros secundùm legem; et ædificavérunt altáre novum, secundùm illud quod fuit priùs: et ædificavérunt sancta, et quæ intrà domum erant intrínsecus; et ædem et átria sanctificavérunt.

℣. Ex gravi supérbia, 264.

LECTIO III.

Et obtulérunt sacrifícium secundùm legem super altáre holocaustórum novum quod fecérunt. Secundùm tempus et secundùm diem, in qua contaminavérunt illud gentes, in ipsa renovátum est in cánticis, et cítharis, et cínyris, et in cymbáliis. Et cécidit omnis pópulus in fáciem, et adoravérunt, et benedixérunt in cœlum eum qui prosperávit eis. Et fecérunt dedicatiónem altáris diébus octo, et obtulérunt holocausta cum lætítia, et sacrifícium salutáris et laudis. Et ornavérunt fáciem templi corónis áureis et scútulis; et dedicavérunt portas et pastophória, et imposuérunt eis jánuas. Et facta est lætítia in pópulo magna valde, et aversum est opprobrium

gentium. Et státuit Judas et fratres ejus, et universa ecclésia Israel, ut ágátur dies dedicatiónis altáris in tempóribus suis, ab anno in annum.

℣. Surrexit, 280.

FERIA QUINTA.

LECTIO I.

De libris Machabeórum.

(Lib. 2, c. 9.)

Eodem témpore Antíochus inhoneste revertebátur de Pérside. Intráverat enim in eam quæ dícitur Persépolis, et tentávit expoliáre templum, et civitátem opprímere : sed multitúdine ad arma concurrente, in fugam versi sunt; et ita cóntigit ut Antíochus post fugam túrpiter redíret. Et cùm venisset circa Ecbátanam, recognóvit quæ erga Nicánorem et Timótheum gesta sunt. Elátus autem in ira, arbitrabátur se injúriam illórum qui se fugáverant, posse in Judæos retorquére; ideóque jussit agitári currum suum, sine intermissióne agens iter, cœlesti eum judício perurgente, eò quòd ita superbè locútus est se ventúrum Jerosólymam, et congériem sépulchri Judæórum eam factúrum. Sed qui universa cónspicit Dóminus Deus Israel, percussit eum insanábili et invisíbili plagâ. Ut enim finívit hunc ipsum sermónem, apprehendit eum dolor dirus víscerum, et amára internórum tormenta, et quidem satis justè; quippe qui multis et novis cruciátibus aliórum tórserat víscera, licèt ille nullo modo à sua malítia cessáret. Super hoc autem supérbiâ replétus, ignem spirans ánimo in Judæos, et præcípiens accelerári negótium, cóntigit illum ímpetu euntem de curru cádere, et gravi córporis collisióne membra vexári.

℣. Illi quidem, 265.

LECTIO II.

Isque qui sibi videbátur étiam flúctibus maris imperáre, supra humánum modum supérbiâ replétus, et móntium altitúdines in statéra appéndere, nunc humiliátus ad terram in gestatório portabátur, manifestam Dei virtútem in semetipso contestans : ita ut de córpore ímpii vermes scaturírent, ac viventis in dolóribus carnes ejus efflúerent, odóre étiam illíus et fœtóre exércitus gravarétur; et, qui paulò ante sídera cœli contíngere se arbitrabátur, eum nemo póterat propter intolerántiam fœtóris portáre. Hinc ígitur cœpit ex gravi superbia deductus ad agnitiónem suî veníre, divínâ admónitus plagâ, per momenta síngula dolóribus suis augmenta capiéntibus. Et cùm nec ipse

jam fœtórem suum ferre posset, ita ait : Justum est súbditum esse Deo, et mortálem non pária Deo sentíre. Orábat autem hic scelestus Dóminum, à quo non esset misericórdiam consecutúrus.

℟. In áliis, 265.

LECTIO III.

Sed non cessántibus dolóribus (supervénerat enim in eum justum Dei judícium) despérans, scripsit ad Judæos in modum deprecatiónis epístolam hæc continentem : Optimis cívibus Judæis plúrimam salútem, et bene valére, et esse felíces, rex et princeps Antíochus. Si bene valétis et fílii vestri, et ex sententia vobis cuncta sunt, máximas ágimus grátias. Et ego in infirmitáte constitútus, vestrì autem memor, benignè reversus de Pérsidis locis, et infirmitáte gravi apprehensus, necessárium duxi pro communi utilitáte curam habére; non despérans memetipsum, sed spem multam habens effugiendi infirmitátem. Respíciens autem quòd et pater meus, quibus temporibus in locis superióribus ducébat exércitum, ostendit qui post se suscíperet principátum; ut si quid contrárium accíderet, aut difficile nuntiarétur, scientes hi qui in regiónibus erant, cui esset rerum summa derelicta, non turbarentur. Ad hæc considerans de próximo potentes quosque, et vicínos temporibus insidiantes, et eventum expectantes, designávi fílium meum Antíochum regem; quem sæpè recurrens in superióra regna multis vestrûm commendábam : et scripsi ad eum quæ subjecta sunt. Oro ítaque vos, et peto, mémores beneficiórum públicè et privátim, ut unusquisque conservet fidem ad me et ad fílium meum. Confído enim eum modestè et humánè actúrum, et sequentem propósitum meum, et commúnem vobis fore. Igitur homicída et blasphémus péssimè percussus, et ut ipse álios tractáverat, péregrè in móntibus miserábili óbitu vitâ functus est.

℟. Pro peccátis, 266.

FERIA SEXTA.

LECTIO I.

De libris Machabæórum

(Lib. 2, cap. 10.)

At Timóthæus qui priùs à Judæis fúerat superátus, convocáto exércitu peregrínæ multitúdinis, et congregáto equitátu Asiáno, advénit quasi armis Judæam captúrus. Machabæus autem, et qui cum ipso erant, appropinquante illo, deprecabantur Dóminum, caput terrâ aspergentes, lumbosque cilíciis præcincti, ad altáris crepídinem provolúti,

ut sibi propítius, inimícis autem eórum esset inimícus, et adversáriis adversarétur, sicut lex dicit. Et ita post oratiónem, sumptis armis, lóngiùs de civitáte procedentes, et próximi hóstibus effecti, resedérunt. Primo autem solis ortu utríque commisérunt: isti quidem victóriæ et prosperitátis sponsórem cum virtúte Dóminum habentes; illi autem ducem belli ánimum habébant. Sed cùm véhemens pugna esset, apparuérunt adversáriis de cœlo viri quinque in equis, frænis áureis decóri, ducátum Judæis præstantes: ex quibus duo Machabæum médium habentes, armis suis circumseptum incólumem conservábant, in adversários autem tela et fúlmina jaciébant, ex quo et cæcitáte confúsi, et repléti perturbatióne cadébant. Interfecti sunt autem viginti míllia quingenti, et équites sexcenti. Timótheus verò confúgit in Gázaram præsídium munítum, cui præerat Chæreas.

℟. Intrávit, 263.

LECTIO II.

(Cap. 11.)

Lysias autem ingressus Judæam, et approprians Bethsúræ quæ erat in angusto loco, ab Jerosólyma intervallo quinque stadiórum, illud præsídium expugnábat. Ut autem Machabæus, et qui cum eo erant, cognovérunt expugnári præsídia, cum fletu et lácrymis rogábant Dóminum, et omnis turba simul, ut bonum Angelum mítteret ad salútem Israel. Et ipse primus Machabæus, sumptis armis, céteros adhortátus est simul secum perículum subíre, et ferre auxílium frátribus suis. Cùmque páriter prompto ánimo procéderent, Jerosólymis appáruit præcédens eos eques in veste cándida, armis áureis hastam vibrans. Tunc omnes simul benedixérunt misericordem Dóminum, et convaluérunt ánimis, non solùm hómines, sed et béstias ferocíssimas, et muros férreos paráti penetráre. Ibant ígitur prompti, de cœlo habentes adjutórem, et miserantem super eos Dóminum. Leónum autem more, ímpetu irruentes in hostes, prostravérunt ex eis úndecim míllia péditum, et équitum mille sexcentos: universos autem in fugam vertérunt; plures autem ex eis vulneráti, nudi evasérunt. Sed et ipse Lysias túrpiter fúgiens evásit.

℟. Ex gravi supérbia, 264.

LECTIO III.

(Cap. 15.)

Nicanor quidem cum summa supérbia erectus, cogitáverat commúne trophæum statúere de Juda. Macha-

bæus autem semper confidébat cum omni spe auxílium sibi à Deo affutúrum, et hortabátur suos, ne formidárent ad adventum natiónum, sed in mente habérent adjutória sibi facta de cœlo, et nunc sperárent ab Omnipotente sibi affutúram victóriam. Et allocútus eos de lege et Prophétis, admonens étiam certámina quæ fécerant priùs, promptióres constítuit eos : et ita ánimis eórum erectis, simul ostendébat géntium fallácíam, et juramentórum prævaricatiónem. Singulos autem illórum armávit, non clypei et hastæ munitióne, sed sermónibus óptimis et exhortatiónibus, expósito digno fide sómnio, per quod universos lætificávit. Erat autem hujuscémodi visus : Oníam qui fúerat summus sacerdos, virum bonum et benignum, verecundum vísu, modestum móribus, et elóquio decórum, et qui à púero in virtútibus exercitátus sit, manus protendentem, oráre pro omni pópulo Judæórum. Post hoc appáruisse et álium virum ætáte et glóriâ mirábilem, et magni decóris habitúdine circa illum ; respondentem verò Oníam dixisse : Hic est fratrum amátor, et pópuli Israel : hic est qui multùm orat pro pópulo et universa sancta civitáte, Jeremías prophéta Dei. Extendisse autem Jeremíam dextram, et dedisse Judæ gládium áureum, dicentem : Accipe sanctum gládium munus à Deo, in quo dejícies adversários pópuli mei Israel. Exhortáti ítaque Judæ sermónibus bonis valde, de quibus extolli posset ímpetus, et ánimi júvenum confortári, statuérunt dimicáre.

℣. Surrexit Machabæus, et adjuvábant, 264.

SABBATO.

LECTIO I.

De libris Machabæórum.

(Lib. 2, cap. 15.)

Nicanor et qui cum ipso erant, cùm tubis et cánticis admovébant. Judas verò, et qui cum eo erant, invocáto Deo, per oratiónes congregáti sunt : manu quidem pugnántes, sed Dóminum córdibus orántes, prostravérunt non minùs tríginta quínque míllia, præséntia Dei magníficè delectáti. Cùmque cessassent ; et cum gáudio redírent, cognovérunt Nicánorem ruísse cum armis suis. Facto ítaque clamóre, et perturbatióne excitátâ, pátriâ voce omnipotentem Dóminum benedicebant. Præcépit autem Judas, qui per ómnia córpore et ánimo mori pro cívibus parátus erat, caput Nicanóris, et manum cum húmero abcíssam, Jerosólymam perferri.

Quò cùm pervenisset, convocátis contribúlibus et sacerdótibus ad altáre, accérsiit et eos qui in arce erant. Et ostenso cápite Nicánoris, et manu nefáriâ quam extendens contra domum sanctam omnipotentis Dei, magníficè gloriátus est : linguam étiam ímpii Nicánoris præcísam jussit particulátim ávibus dari, manum autem dementis contra templum suspendi. Omnes ígitur cœli benedixérunt Dóminum, dicentes : Benedictus qui locum suum incontaminátum servávit. Suspendit autem Nicánoris caput in summa arce, ut évidens esset et manifestum signum auxílii Dei.

[*Si fiat de Sabbato,* ℟. ℟. *sumentur è II. Nocturno Dominicæ præcedentis.*]

LECTIO II.

(Lib. 1, cap. 9.)

Cetera verba bellórum Judæ, et virtútum quas fecit, et magnitúdinis ejus, non sunt descripta ; multa enim erant valde. Et factum est, post óbitum Judæ emersérunt iníqui in ómnibus fínibus Israel, et exorti sunt omnes qui operabantur iniquitátem. In diébus illis facta est fames magna valde, et trádidit se Bácchidi omnis régio eórum cum ipsis. Et elégit Bácchides viros ímpios, et constítuit eos dóminos regiónis : et exquirébant, et perscrutabantur amícos Judæ, et adducébant eos ad Bácchidem. Et vindicábat in illos, et illudébat. Et facta est tribulátio magna in Israel, qualis non fuit ex die quâ non est visus Prophéta in Israel. Et congregáti sunt omnes amíci Judæ, et dixérunt Jónathæ : Ex quo frater tuus Judas defunctus est, vir símilis ei non est qui éxeat contra inimícos nostros, Bácchidem, et eos qui inimíci sunt gentis nostræ. Nunc ítaque te hódie elégimus esse pro eo nobis in príncipem et ducem ad bellandum bellum nostrum. Et suscépit Jónathas témpore illo principátum, et surrexit loco Judæ fratris sui.

LECTIO III.

(Cap. 13.)

Et audívit Simon quod congregávit Tryphon exércitum copiósum, ut veníret in terram Juda, et attéreret eam. Videns quia in tremóre pópulus est et in timóre, ascendit Jerúsalem, et congregávit pópulum, et adhortans, dixit : vos scitis quanta ego, et fratres mei, et domus patris mei, fécimus pro légibus et pro sanctis prælia, et angústias quales vídimus : horum grátiâ periérunt fratres mei omnes propter Israel, et relictus sum ego solus. Et nunc non

mihi contingat párcere ánimæ meæ in omni témpore tribulatiónis; non enim mélior sum frátribus meis. Vindicábo ítaque gentem meam et sancta, natos quoque nostros et uxóres; quia congregátæ sunt universæ gentes contérere nos inimicítiæ grátiâ. Et accensus est spíritus pópuli simul ut audivit sermónes istos; et respondérunt voce magnâ, dicentes: Tu es dux noster loco Judæ et Jónathæ fratris tui: pugna prælium nostrum; et ómnia quæcumque díxeris nobis, faciémus.

Ad Magníficat, *Ant.* 3. *à.* Ezéchiel vidit conspectum glóriæ, quam ostendit illi Deus in curru Chérubim. *Eccli.* 49.

Oratio, ut infrà ad Laudes.

DOMINICA XX
POST PENTECOSTEN.
IN I.° NOCTURNO.

LECTIO I.

Incipit liber Ezechiélis Prophétæ.

(Cap. 1.)

Et factum est in trigésimo anno, in quarto, in quinta mensis, cùm essem in médio captivórum juxta flúvium Chobar, aperti sunt cœli, et vidi visiónes Dei. In quinta mensis, ipse est annus quintus transmigratiónis regis Jóachim; factum est verbum Dómini ad Ezechiélem fílium Buzi, sacerdótem in terra Chaldæórum, secùs flumen Chobar: et facta est super eum ibi manus Dómini. Et vidi, et ecce ventus túrbinis veniébat ab Aquilóne; et nubes magna, et ignis involvens, et splendor in circúitu ejus, et de médio ejus quasi spécies electri, id est, de médio ignis.

℣. Fili hóminis, vade ad domum Israel, et loquéris verba mea ad eos. Domus autem Israel attrítâ fronte est et duro corde. * Ecce dedi fáciem tuam valentiórem faciébus eórum, et frontem tuam duriórem fróntibus eórum. ℣. Ex his sunt qui resistunt veritáti, corrupti mente, réprobi circa fidem; sed ultra non proficient. * Ecce dedi. *Ezech.* 3. 2. *Tim.* 3.

LECTIO II.

Et in médio ejus similitúdo quátuor animálium, et hic aspectus eórum similitúdo hóminis in eis. Quátuor fácies uni, et quátuor pennæ uni. Pedes eórum pedes recti; et planta pedis eórum quasi planta pedis vítuli; et scintillæ quasi aspectus æris candentis. Et manus hóminis sub pennis eórum in quátuor pártibus: et fácies et pennas per quátuor partes habébant. Junctæque erant pennæ eórum

altérius ad álterum; non revertebantur, cùm incéderent : sed unumquodque ante fáciem suam gradiebátur.

℟. Ecce, dicit Dóminus Deus, erit manus mea super prophétas, qui vident vana et divinant mendácium. * In consílio pópuli mei non erunt eò quòd decéperint pópulum meum, dicentes : Pax ; et non est pax. ℣. Fuérunt pseudoprophétæ in pópulo, sicut et in vobis erunt magistri mendáces. * In consílio. *Ezech.* 13. 2. *Petr.* 2.

LECTIO III.

Similitudo autem vultûs eórum, fácies hóminis, et fácies leónis à dextris ipsórum quátuor ; fácies autem bovis à sinistris ipsórum quátuor, et fácies áquilæ désuper ipsórum quátuor. Fácies eórum, et pennæ eórum extentæ désuper : duæ pennæ singulórum jungebantur, et duæ tegébant córpora eórum ; et unumquodque eórum coram fácie sua ambulábat : ubi erat ímpetus spíritûs, illuc gradiebantur ; nec revertebantur, cùm ambulárent. Et similitúdo animálium, aspectus eórum quasi carbónum ignis ardéntium, et quasi aspectus lampadárum.

℟. Vivo ego, dicit Dóminus Deus : * Vir si fúerit justus, ad usúram non commodáverit, et ámpliùs non accéperit. † Hic justus est, vitâ vivet. ℣. Mútuum date, nihil inde sperantes ; et erit merces vestra multa. * Vir. Glória Patri. † Hic justus. *Ezech.* 18. *Luc.* 6.

IN II.° NOCTURNO.

LECTIO IV.

Ex libro undécimo Commentariórum sancti Hierónymi Presbyteri, in Ezechielem Prophétam.

(In Cap. 37.)

Factus est sermo Dómini ad me, dicens : Et tu, fili hóminis, sume tibi lignum unum, et scribe super illud : Judæ, et filiórum Israel sociórum ejus ; et tolle lignum álterum, et scribe super illud : Joseph, lignum Ephraïm, et omnis domûs Israel, sociorumque ejus. Et adjunge illa unum ad álterum tibi in lignum unum. Præsens propbetía hæc ex ore Dómini pollicétur quòd utrumque sibi jungátur impérium, hoc est, regnum Judæ et regnum Israel ; tollaturque virga Ephraïm, qui de Joseph stirpe generátus est cum réliquis tribubus quæ ei sociátæ sunt, et jungátur virgæ Juda, ut nequáquam vocétur Juda et Israel, sed uno nómine appellentur Juda : et sub figúra Prophétæ qui præcédit in typo Dómini Salvatóris, nequáquam duábus mánibus, sed unà Christi

teneántur manu. Dicit enim se assúmere fílios Israel de médio natiónum ad quas captívi ducti sunt, et reductúrum eos in terram, et in montes Israel, et appellandam unam gentem, uniúsque regis regendam império : ut ultrà non polluántur in idólis, et abominatiónibus suis ; sed cùm fúerint de captivitátis sédibus liberáti in quibus peccavérunt, ómnibus vítiis esse mundandos, et futúros pópulum Dei ; ita ut Dóminus sit Deus eórum.

℣. Suscitábo super oves meas pastórem unum qui pascat eas, servum meum David : * Ipse erit eis in pastórem ; ego autem Dóminus ero eis in Deum, et servus meus David princeps in médio eórum. ℣. Páscite qui in vobis est gregem Dei ; et cùm apparúerit princeps pastórum, percipiétis immarcescíbilem glóriæ corónam. * Ipse erit eis in pastórem. *Ezech.* 34. 1. *Petr.* 5.

LECTIO V.

Et servus, inquit, meus David rex super eos. De quo et Angelus lóquitur in Evangélio, quòd regnatúrus sit super domum Jacob, et regni ejus non sit finis : tantæque erit cleméntiæ, ut non solùm rex, sed et pastor appellétur ; eò quòd superbum nomen impérii, pastóris vocábulo mítiget. Qui postquàm fúerint in gentem unam, et in terra Israel, ac móntibus habitáverint, ambulatúri sint in ómnibus judíciis Dómini, et præcepta illíus custodítúri : habitatúri autem non in ália terra, sed in ea quam dedit servo suo Jacob ; in qua habitavérunt patres eórum Abraham, Isaac, et Jacob, et réliqui sancti : et non solùm ipsi habitatúri sint, sed et fílii eórum ac nepótes ; habitentque non ad breve tempus, sed in perpétuum. Vultis autem scire quis sit iste rex et pastor ? Ipse est de quo supra dixi, Servus meus David. Qui cùm in forma Dei esset, non est rapínam arbitrátus esse se æquálem Deo : sed se exinanívit, formam servi accípiens ; et factus est obédiens Patri usque ad mortem, mortem autem crucis. Cúmque sub tali rege fúerint, percútiam illis fœdus pacis : nequáquam ut in véteri testamento, certáminum atque bellórum ; sed pactum pacis, quæ exsúperat omnem sensum, de qua Salvátor lóquitur ad Apóstolos : Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis. Et Prophéta dicit : Factus est in pace locus ejus.

℣. Liberábo oves meas de ómnibus locis in quibus dispersæ fúerant in die nubis et calíginis, et indúcam eas in terram suam : * In pás-

cuis ubérrimis pascam eas. ℣. Per me si quis introíerit, salvábitur, et páscua invéniet. Ego veni ut vitam hábeant, et abundántiùs hábeant: * In páscuis. *Ezech.* 34. *Joan.* 10.

LECTIO VI.

Quos cùm in Ecclésia fundáverit et stabilíerit, tunc multiplicabuntur vel credéntium número, vel multiplicatióne virtútum. Et dabo, inquit, sanctificatiónem meam, sive sanctuárium in médio eórum in perpétuum: quod Judæi de templo interpretantur, quod sub Zoróbabel extructum est. Sed quómodò stare póterit hoc quod dícitur, In perpétuum; cùm templum illud quod à Zoróbabel extructum est, et pósteà à multis instaurátum, Románo igne succensum sit? Quæ ómnia referenda sunt ad Ecclésiam, et ad témpora Salvatóris, quando tabernáculum ejus pósitum est in Ecclésia, ubi factus est Deus noster, et nos pópulus ejus. Profectusque ómnium est, ut sciant quòd ipse sit Dóminus, et ipse sanctíficet Israel, non juxta carnem, sed juxta spíritum, quando sanctificátio ejus in médio credéntium facta est in perpétuum. Quòd autem Dóminus adjécerit tribum Ephraïm, et elégerit tribum Juda, et in Psalmis légimus, in quibus scriptum est: Et répulit tabernáculum Joseph, et tribum Ephraïm non elégit; sed elégit tribum Juda, de qua scriptum est: Non defíciet princeps ex Juda, neque dux de femóribus ejus, donec véniat cui repósitum est: et ipse erit expectátio Géntium. Vere enim in advéntu Dómini Salvatóris duæ virgæ et duo ligna in unum juncta sunt sceptrum, et in baptísmate Christi dudum separáta sociantur; ut fiant in unum novum hóminem et in unam gentem, neque polluantur ultrà in idólis et abominatiónibus; sed mundi lavácro sint pópulus Dei, et ímperet eis Christus.

℟. Congregábo fílios Israel, et non erunt ultrà duæ gentes, neque polluentur in idólis suis; et erunt mihi pópulus: *Et † Pastor unus erit ómnium eórum. ℣. Alias oves hábeo, quæ non sunt ex hoc ovíli: illas oportet me addúcere, et fiet unum ovíle. * Et pastor. Glória Patri. † Pastor. *Ezech.* 37. *Joan.* 10.

IN III.° NOCTURNO.

LECTIO VII.

Léctio sancti Evangélii secundùm Joannem.

(Cap. 4.)

In illo témpore; Erat quidam régulus, cujus fílius infirmabátur Caphárnaum.

Hic cùm audisset quia Jesus adveníret à Judæa in Galilæam, ábiit ad eum, et rogábat eum ut descénderet, et sanáret fílium ejus; (incipiébat enim mori.) Et réliqua.

Homília sancti Gregórii Papæ.

(28. In Evang. hab. ad Tumbam SS. Nerei et Achillei.)

Quid est quòd régulus rogat ut ad ejus fílium véniat, et tamen ire corporáliter recúsat; ad servum verò Centuriónis non invitátur; et tamen se corporáliter ire pollicétur? Quid est hoc, nisi quòd superbia nostra retúnditur, qui in homínibus non natúram quà ad imáginem Dei facti sunt, sed honóres et divítias venerámur? Cùmque pensámus quæ circa eos sunt, profectò interióra mínimè providémus; dum ea considerámus quæ in corpóribus despecta sunt, negligimus pensáre quod sunt. Redemptor verò noster, ut osténderet quia quæ alta sunt hóminum, despicienda sunt, et quæ despecta sunt hóminum sanctis despicienda non sunt, ad fílium réguli ire nóluit, ad servum Centuriónis ire parátus fuit.

℣. Cùm audisset régulus quia Jesus adveníret à Judæa in Galilæam, ábiit ad eum: * Et rogábat eum ut descénderet, et sanáret fílium ejus; incipiébat enim mori. ℣. Deprecabátur Dóminum, dicens: Dómine mi, ádjuva me; præter te nullus est auxiliátor álius. * Et rogábat eum. *Joan.* 4. *Esther* 14.

LECTIO VIII.

Certe si nos cujúspiam servus rogáret ut ad eum ire deberémus, prótinus nobis nostra superbia in cogitatióne tácita responderet, dicens: Non eas, quia temetipsum degéneras, honor tuus despícitur, locus vilescit. Ecce de cœlo venit, qui servo in terra occúrrere non déspicit; et tamen humiliári in terra contémnimus, qui de terra sumus. Quid verò apud Deum vílius, quid despectius esse potest, quàm servâre honórem apud hómines, et interni testis óculos non timére? Unde et in sacro Evangélio ad Pharisæos Dóminus ait: Vos estis qui justificátis vos coram homínibus, Deus autem novit corda vestra; quia quod homínibus altum est, abominábile est apud Deum.

℟. Dixit Jesus: Nisi signa et prodígia vidéritis, non créditis. Dicit régulus: Dómine, descende, priusquam moriátur fílius meus. * Dicit ei Jesus: Vade, fílius tuus vivit. ℣. Sermo tuus, Dómine, hos qui in te cre-

díderint, conservat. * Dicit ei Jesus. *Joan.* 4. *Sap.* 16.

LECTIO IX.

NOTATE, fratres, notáte quod dícitur. Si enim quod homínibus altum est, abominábile est apud Deum, cordis nostri cogitátio tantò apud Deum in imo est, quantò homínibus in alto; et humílitas cordis nostri tantò apud Deum in alto est, quantò homínibus in imo. Despiciámus ergo, si quid boni gérimus: nulla nos nostra inflet operátio, non rerum abundántia, non glória extollat. Si quibúslibet ex bonis affluéntibus intùs intuméscimus, Deo despecti sumus. Hæc ergo cogitáte, fratres: hæc totâ intentióne pensáte. Nolíte in próximis vestris mundi hujus bona venerári. Hoc propter Deum honoráte in homínibus, quòd facti sunt ad imáginem Dei.

℣. Crédidit homo sermóni quem dixit ei Jesus, et ibat. Jam autem * Eo descendente, † Servi occurrérunt ei, dicentes: Quia fílius ejus víveret. ℣. Nullus sperávit in Dómino, et confúsus est. * Eo descedentes. Glória Patri. † Servi. *Joan.* 4. *Eccli.* 2.

Ad Benedictus, *Ant.* 3. a. Dixérunt servi. Quia heri horâ séptimâ relíquit eum febris. Cognóvit ergo pater quia illa hora erat in qua dixit ei Jesus: Fílius tuus vivit. *Joan.* 4.

ORATIO.

LARGIRE, quæsumus, Dómine, fidélibus tuis indulgéntiam placátus, et pacem; ut páriter ab ómnibus mundéntur offensis, et secúrâ tibi mente desérviant; Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum.

Ad Magníficat, *Ant.* 5. C. Crédidit régulus, et domus ejus tota. Hoc secundum signum fecit Jesus, cùm venísset à Judæa in Galilæam. *Joan.* 4.

FERIA SECUNDA.

LECTIO I.

De Ezechiéle Prophéta.

(Cap. 2.)

FILI hóminis, mitto ego te ad fílios Israel, ad gentes apostatrices quæ recessérunt à me: ipsi et patres eórum prævaricáti sunt pactum meum usque ad diem hanc. Et fílii durâ fácie et indomábili corde sunt, ad quos ego mitto te; et dices ad eos: Hæc dicit Dóminus Deus: Si fortè vel ipsi áudiant, et si fortè quiescant, quóniam domus exásperans est; et scient quia Prophéta fúerit in médio eórum. Tu ergo, fili hóminis, ne tímeas eos, neque sermónes eórum métuas; quóniam incrédduli et subversóres sunt tecum, et cum scorpiónibus hábi-

tas. Verba eórum ne tímeas, et vultus eórum ne formídes; quia domus exásperans est. Loquéris ergo verba mea ad eos, si forte áudiant, et quiescant, quóniam irritatóres sunt.

℣. Fili hóminis, 277.

LECTIO II.

(Cap. 3.)

Et dixit ad me: Fili hóminis, vade ad domum Israel, et loquéris verba mea ad eos. Non enim ad pópulum profundi sermónis et ignótæ linguæ, tu mittéris ad domum Israel; neque ad pópulos multos profundi sermónis, et ignótæ linguæ, quorum non possis audíre sermónes: et si ad illos mitteréris, ipsi audírent te. Domus autem Israel nolunt audíre te, quia nolunt audíre me: omnis quippe domus Israel attrítà fronte est et duro corde. Ecce dedi fáciem tuam valentiórem faciébus eórum, et frontem tuam duriórem fróntibus eórum. Ut adamantem et ut sílicem dedi fáciem tuam: ne tímeas eos, neque métuas à fácie eórum; quia domus exásperans est.

℣. Ecce, dicit Dóminus Deus, 278.

LECTIO III.

Fili hóminis, speculatórem dedi te dómui Israel; et áudies de ore meo verbum, et annuntiábis eis ex me. Si dicente me ad ímpium, Morte moriéris, non annuntiáveris ei, neque locútus fúeris ut avertátur à via sua ímpia, et vivat; ipse ímpius in iniquitáte sua moriétur, sánguinem autem ejus de manu tua requíram. Si autem tu annuntiáveris ímpio, et ille non fúerit conversus ab impietáte sua et à via sua ímpia; ipse quidem in iniquitáte sua moriétur, tu autem ánimam tuam liberasti. Sed et si conversus justus à justítia sua fúerit, et fécerit iniquitátem, ponam offendículum coram eo; ipse moriétur, quia non annuntiasti ei: in peccáto suo moriétur, et non erunt in memória justítiæ ejus quas fecit; sánguinem verò ejus de manu tua requíram. Si autem tu annuntiáveris justo ut non peccet justus, et ille non peccáverit, vivens vivet, quia annuntiasti ei; et tu ánimam tuam liberasti.

℣. Vivo ego, Dicit Dóminus Deus, 278.

FERIA TERTIA.

LECTIO I.

De Ezechiéle Prophéta.

(Cap. 9.)

Gloria Dómini Israel assumpta est de Cherub, quæ erat super eum ad limen domûs: et vocávit virum qui indútus erat líneis, et atramentárium scriptóris habé-

bat in lumbis suis. Et dixit Dóminus ad eum : Transi per médiam civitátem in médio Jerúsalem, et signa Thau super frontes virórum geméntium et doléntium super cunctis abominatiónibus quæ fiunt in médio ejus. Et illis dixit, audiénte me : Transíte per civitátem sequéntes eum, et percútite : non parcat óculus vester, neque misereámini. Senem, adolescéntulum, et vírginem, párvulum, et mulíeres interfícite usque ad interneciónem ; omnem autem super quem vidéritis Thau, ne occidátis, et à sanctuário meo incípite. Cœpérunt ergo à viris senióribus qui erant ante fáciem domûs. Et dixit ad eos : Contamináte domum, et implète átria interfectis : egredímini. Et egressi sunt, et percutiébant eos qui erant in civitáte.

℣. Suscitábo, 279.

LECTIO II.

(Cap. 13.)

Et factus est sermo Dómini ad me, dicens : Fili hóminis, vaticináre ad prophétas Israel, qui prophétant ; et dices prophetántibus de corde suo : Audíte verbum Dómini : Hæc dicit Dóminus Deus : Væ prophétis insipiéntibus, qui sequuntur spíritum suum, et nihil vident. Quasi vulpes in desértis, prophétæ tui, Israel, erant. Non ascendístis ex adverso, neque opposuístis murum pro domo Israel, ut starétis in prælio in die Dómini. Vident vana, et divínant mendácium, dicentes : Ait Dóminus, cùm Dóminus non míserit eos : et perseveravérunt confirmáre sermónem. Numquid non visiónem cassam vidístis, et divinatiónem mendácem locúti estis ? Et dícitis : Ait Dóminus, cùm ego non sim locútus.

℣. Liberábo, 279.

LECTIO III.

Propterea hæc dicit Dóminus Deus : Quia locúti estis vana, et vidístis mendácium ; ídeò ecce ego ad vos, dicit Dóminus Deus. Et erit manus mea super prophétas, qui vident vana et divínant mendácium : in concílio pópuli mei non erunt, et in scriptúrâ domûs Israel non scribéntur, nec in terram Israel ingredientur ; et sciétis quia ego Dóminus Deus. Eò quòd decéperint pópulum meum, dicentes : Pax, et non est pax : et ipse ædificábat paríetem, illi autem liniébant eum luto absque páleis. Dic ad eos qui líniunt absque temperatúra, quòd casúrus sit : erit enim imber inundans, et dabo lápides prægrandes désuper irruentes, et ventum procellæ dissipantem.

℣. Congregábo, 280.

FERIA QUARTA.

LECTIO I.

De Ezechiéle Prophéta.

(Cap. 13.)

Hæc dicit Dóminus Deus : Væ quæ cónsuunt pulvillos sub omni cúbito manûs, et fáciunt cervicália sub cápite universæ ætátis ad capiendas ánimas : et cùm cáperent ánimas pópuli mei, vivificábant ánimas eórum. Et violábant me ad pópulum meum, propter pugillum hórdei et fragmen panis, ut interfícerent ánimas quæ non moriuntur, et vivificárent ánimas quæ non vivunt, mentientes pópulo meo credenti mendáciis. Propter hoc, hæc dicit Dóminus Deus : Ecce ego ad pulvillos vestros quibus vos cápitis ánimas volantes, et dirumpam eos de bráchiis vestris ; et dimittam ánimas quas vos cápitis, ánimas ad volandum. Et dirumpam cervicália vestra, et liberábo pópulum meum de manu vestra, neque erunt ultrà in mánibus vestris ad prædandum ; et sciétis quia ego Dóminus.

℣. Fili hóminis, vade ad domum Israel, 277.

LECTIO II.

(Cap. 14.)

Hæc dicit Dóminus Deus : Homo, homo de domo Israel, qui posúerit immundítias suas in corde *suo*, et scándalum iniquitátis suæ statúerit contra fáciem suam, et vénerit ad prophétam intérrogans per eum me ; ego Dóminus respondébo ei in multitúdine immunditiárum suárum, ut capiátur domus Israel in corde suo, quo recessérunt à me in cunctis idólis suis. Propterèa dic ad domum Israel : Hæc dicit Dóminus Deus : Convertímini, et recédite ab idólis vestris, et ab universis contaminatiónibus vestris avértite fácies vestras. Quia homo, homo de domo Israel, et de prosélytis quicumque ádvena fúerit in Israel, si alienátus fúerit à me, et posúerit idóla sua in corde suo, et scándalum iniquitátis suæ statúerit contra fáciem suam, et vénerit ad prophétam, ut intérroget per eum me ; ego Dóminus respondébo ei per me.

℣. Ecce, 278.

LECTIO III.

Et prophéta cùm erráverit, et locútus fúerit verbum, ego Dóminus decépi prophétam illum, et extendam manum meam super illum, et delébo eum de médio pópuli mei Israel. Et portábunt iniquitátem suam : juxta iniquitátem interrogantis, sic iníquitas prophétæ erit ; ut non erret ultrà domus Israel à me, ne-

que polluátur in universis prævaricatiónibus suis, sed sint mihi in pópulum, et ego sim eis in Deum, ait Dóminus exercítuum. Et factus est sermo Dómini ad me, dicens: Fili hóminis, terra cùm peccáverit mihi, ut prævaricétur præváricans, extendam manum meam super eam, et cónteram virgam panis ejus, et immittam in eam famem, et interfíciam de ea hóminem et jumentum.

℟. Vivo ego, 278.

FERIA QUINTA.

LECTIO I

De Ezechiéle Prophéta.

(Cap. 18.)

Ecce omnes ánimæ meæ sunt; ut ánima patris, ita et ánima fílii mea est: ánima quæ peccáverit, ipsa moriétur. Et vir si fúerit justus, et fécerit judícium et justítiam, in móntibus non coméderit, et óculos suos non leváverit ad idóla domûs Israel, et uxórem próximi sui non violáverit, et ad mulíerem menstruátam non accésserit, et hóminem non contristáverit; pignus debitóri reddíderit, per vim nihil rapúerit; panem suum esurienti déderit, et nudum operúerit vestimento; ad usúram non commodáverit, et ámpliùs non accéperit; ab iniquitáte avérterit manum suam, et judícium verum fécerit inter virum et virum; in præceptis meis ambuláverit, et judícia mea custodíerit ut fáciat veritátem: hic justus est, vitâ vivet, ait Dóminus Deus.

℟. Suscitábo, 279.

LECTIO II.

Quod si genúerit fílium latrónem effundéntem sánguinem, et fécerit unum de istis; et hæc quidem ómnia non facientem, sed in móntibus comedéntem, et uxórem próximi sui polluéntem, egénum et páuperem contristántem, rapiéntem rapínas, pignus non reddéntem, et ad idóla levántem óculos suos, abominatiónem facientem; ad usúram dántem, et ámpliùs accipiéntem: numquid vivet? Non vivet: cùm universa hæc detestanda fécerit, morte moriétur; sanguis ejus in ipso erit. Quòd si genúerit fílium, qui vidéns ómnia peccáta patris sui, quæ fecit, timúerit; et non fécerit símile eis, super montes non coméderit, et óculos suos non leváverit ad idóla domûs Israel, et uxórem próximi sui non violáverit, et virum non contristáverit, pignus non retinúerit, et rapínam non rapúerit; panem suum esurienti déderit, et nudum operúerit vestimento, à páuperis injúriâ avérterit manum suam,

usúram et superabundántiam non accéperit, judícia mea fécerit, in præceptis meis ambuláverit : hic non moriétur in iniquitáte patris sui, sed vitâ vivet.

℟. Liberábo, 279.

LECTIO III.

Anima quæ peccáverit, ipsa moriétur. Filius non portábit iniquitátem patris, et pater non portábit iniquitátem fílii : justítia justi super eum erit, et impíetas ímpii erit super eum. Si autem ímpius égerit pœniténtiam ab ómnibus peccátis suis quæ operátus est, et custodíerit ómnia præcepta mea, et fécerit judícium et justítiam; vitâ vivet, et non moriétur. Omnium iniquitátum ejus quas operátus est, non recordábor : in justítia sua quam operátus est, vivet. Numquid voluntátis meæ est mors ímpii, dicit Dóminus Deus ; et non ut convertátur à viis suis, et vivat?

℟. Congregábo, 280.

FERIA SEXTA.

LECTIO I.

De Ezechiéle Prophéta.

(Cap. 33.)

Dic ad domum Israel : Vivo *ego*, *dicit Dóminus Deus*; nolo mortem ímpii, sed ut convertátur ímpius à via sua, et vivat. Convertímini, convertímini à viis vestris péssimis : et quare moriémini, domus Israel? Tu ítaque, fili hóminis, dic ad fílios pópuli tui : Justítia justi non liberábit eum in quacumque die peccáverit; et impíetas ímpii non nocébit ei in quacumque die conversus fúerit ab impietáte sua : et justus non póterit vívere in justítia sua, in quacumque die peccáverit. Etiamsi díxero justo quòd vitâ vivat, et confísus in justítia sua fécerit iniquitátem; omnes justítiæ ejus oblivióni tradentur, et iniquitáte sua quam operátus est, in *ipsa moriétur. Si autem* díxero ímpio : Morte moriéris; et égerit pœniténtiam à peccáto suo, feceritque judícium et justítiam, et pignus restitúerit ille ímpius, rapínamque reddíderit, in mandátis vitæ ambuláverit, nec fécerit quidquam injustum, vitâ vivet, et non moriétur.

℟. Fili hóminis, 277.

LECTIO II.

(Cap. 34.)

Hæc dicit Dóminus Deus : Væ pastóribus Israel qui pascébant semetipsos : nonne greges à pastóribus pascuntur? Lac comedebátis, et lanis operiebámini, et quod crassum erat occidebátis; gregem autem meum non pascebátis. Quod infirmum fuit non consolidastis, et

quod ægrótum non sanastis; quod confractum est non alligastis, et quod abjectum est non reduxistis, et quod períerat non quæsistis; sed cum austeritáte imperabátis eis, et cum poténtia. Et dispersæ sunt oves meæ, eò quòd non esset pastor; et factæ sunt in devoratiónem ómnium bestiárum agri, et dispersæ sunt. Erravérunt greges mei in cunctis móntibus et in universo colle excelso, et super omnem fáciem terræ dispersi sunt greges mei; et non erat qui requíreret: non erat, inquam, qui requíreret.

℟. Ecce, 278.

LECTIO III.

Propterea, pastóres, audíte verbum Dómini: Vivo ego, dicit Dóminus Deus: quia pro eo quòd facti sunt greges mei in rapínam, et oves meæ in devoratiónem ómnium bestiárum agri, eò quòd non esset pastor; neque enim quæsiérunt pastóres mei gregem meum, sed pascébant pastóres semetipsos, et greges meos non pascébant: proptéreà, pastóres, audíte verbum Dómini: Hæc dicit Dóminus Deus: Ecce ego ipse super pastóres requíram gregem meum de manu eórum, et cessáre fáciam eos ut ultrà non pascant gregem, nec pascant ámpliùs pastóres semetipsos; et liberábo gregem meum de ore eórum, et non erit ultrà eis in escam. Quia hæc dicit Dóminus Deus: Ecce ego ipse requíram oves meas; et visitábo eas. Sicut vísitat pastor gregem suum in die, quando fúerit in médio óvium suárum dissipatárum; sic visitábo oves meas, et liberábo eas de ómnibus locis in quibus dispersæ fúerant in die nubis et caliginis.

℟. Vivo ego, 278.

SABBATO.

LECTIO I.

De Ezechiéle Prophéta.

(Cap. 34.)

Hæc dicit Dóminus Deus ad vos: Ecce ego ipse júdico inter pecus pingue et macilentum; pro eo quòd latéribus et húmeris impingebátis, et córnibus vestris ventilabátis ómnia infirma pécora, donec dispergerentur foràs: salvábo gregem meum, et non erit ultrà in rapínam; et judicábo inter pecus et pecus. Et suscitábo super eas pastórem unum, qui pascat eas, servum meum David: ipse pascet eas, et ipse erit eis in pastórem. Ego autem Dóminus ero eis in Deum, et servus meus David princeps in médio eórum: ego Dóminus locútus sum.

[*Si fiat de Sabbato,* ℟℟. *sumentur è II Nocturno Dominicæ præcedentis.*]

LECTIO II.

(Cap. 36.)

Peperci nómini sancto meo quod pollúerat domus Israel in géntibus, ad quas ingressi sunt. Idcirco dices dómui Israel : Hæc dicit Dóminus Deus : Non propter vos ego fáciam, domus Israel, sed propter nomen sanctum meum quod polluistis in géntibus, ad quas intrastis. Et sanctificábo nomen meum magnum, quod polútum est inter gentes, quod polluistis in médio eárum ; ut sciant gentes quia ego Dóminus, ait Dóminus exercítuum, cùm sanctificátus fúero in vobis coram eis. Tollam quippe vos de géntibus, et congregábo vos de universis terris, et addúcam vos in terram vestram.

LECTIO III.

Et effundam super vos aquam mundam, et mundabímini ab ómnibus inquinamentis vestris ; et ab universis idólis vestris mundábo vos. Et dabo vobis cor novum, et spíritum novum ponam in médio vestrî : et áuferam cor lapídeum de carne vestra, et dabo vobis cor cárneum. Et spíritum meum ponam in médio vestrî ; et fáciam ut in præceptis meis ambulétis, et judícia mea custodiátis et operémini. Et habitábitis in terra quam dedi pátribus vestris ; et éritis mihi in pópulum, et ego ero vobis in Deum. Et salvábo vos ex universis inquinamentis vestris.

Tu autem.

Ad Magníficat, *Ant.* 7. a. Anánias, et Azárias, et Mísael credentes, liberáti sunt de flamma. Dániel in sua simplicitáte liberátus est de ore leónum. 1. *Mach.* 2.

Oratio, ut infrà ad Laudes.

DOMINICA XXI
POST PENTECOSTEN.
IN I.º NOCTURNO.

LECTIO I.

Incipit liber Daniélis Prophétæ.

(Cap. 1.)

Anno tértio regni Jóakim regis Juda, venit Nabuchodónosor rex Babylónis in Jerúsalem, et obsédit eam ; et trádidit Dóminus in manu ejus Jóakim regem Juda, et partem vasórum domûs Dei ; et asportávit ea in terram Sénnaar in domum dei sui, et vasa íntulit in domum thesauri dei sui. Et ait rex Asphenez præpósito eunuchórum, ut introdúceret de fíliis Israel, et de sémine régio et tyrannórum, púeros in quibus nulla esset mácula, decóros formâ, et erudítos omni sapiéntiâ, cautos sciéntiâ, et doctos disciplínâ, et qui possent stare in palátio

regis, ut docéret eos lítteras et linguam Chaldæórum. Et constítuit eis rex annónam per singulos dies de cibis suis, et de vino unde bibébat ipse; ut enutríti tribus annis, pósteà starent in conspectu regis. Fuérunt ergo inter eos de fíliis Juda, Dániel, Anánias, Mísael et Azárias. Et impósuit eis præpósitus eunuchórum nómina: Danièli, Baltassar; Ananiæ, Sidrach; Misaéli, Misach; et Azáriæ, Abdénago.

℟. Sit nomen Dómini benedictum; quia sapiéntia et fortitúdo ejus sunt. * Ipse revélat abscóndita, et novit in ténebris constitúta; et lux cum eo est. ℣. Dei sapiéntiam quæ abscóndita est, nemo príncipum hujus séculi cognóvit; nobis autem revelávit Deus. * Ipse revélat. *Dan.* 2. 1. *Cor.* 2.

LECTIO II.

Proposuit autem Dániel in corde suo, ne polluerétur de mensa regis, neque de vino potûs ejus; et rogávit eunuchórum præpósitum, ne contaminarétur. Dedit autem Deus Daniéli grátiam et misericórdiam in conspectu príncipis eunuchórum. Et ait princeps eunuchórum ad Daniélem: Tímeo ego dóminum meum regem, qui constítuit vobis cibum et potum; qui si víderit vultus vestros macilentióres præ céteris adolescéntibus coævis vestris, condemnábitis caput meum regi. Et dixit Dániel ad Málasar, quem constitúerat princeps eunuchórum super Daniélem, Anániam, Misaélem et Azáriam: Tenta nos, óbsecro, servos tuos diébus decem, et dentur nobis legúmina ad vescendum, et aqua ad bibendum; et contempláre vultus nostros, et vultus puerórum qui vescuntur cibo régio; et sicut víderis, fácies cum servis tuis. Qui, audíto sermóne hujuscémodi, tentávit eos diébus decem. Post dies autem decem, apparuérunt vultus eórum melióres et corpulentióres præ ómnibus púeris qui vescebantur cibo régio.

℟. Fuérunt in palátio regis Babylónis de fíliis Juda, Dániel, Anánias, Mísael et Azárias. Et * Propósuit Dániel in corde suo, ne polluerétur de mensa regis, neque de vino potûs ejus. ℣. Qui secundùm carnem sunt, quæ carnis sunt, sápiunt; qui verò secundùm spíritum sunt, quæ sunt spíritûs, séntiunt. * Propósuit. *Dan.* 1. *Rom.* 8.

LECTIO III.

Porro Málasar tollébat cibária et vinum potûs eórum, dabatque eis legúmina. Púeris autem his dedit Deus sciéntiam et disciplínam in omni libro et sapiéntiâ; Daniéli autem intelli-

géntiam ómnium visiónum et somniórum. Complétis itaque diébus, post quos díxerat rex ut introducerentur, introduxit eos præpósitus eunuchórum in conspectu Nabuchodónosor. Cùmque eis locútus fuisset rex, non sunt inventi tales de universis ut Dániel, Anánias, Mísael et Azárias; et stetérunt in conspectu regis: et omne verbum sapiéntiæ et intellectûs, quod scisciátus est ab eis rex, invénit in eis décuplum super cunctos aríolos et magos qui erant in universo regno ejus. Fuit autem Dániel usque ad annum primum Cyri regis.

℟. Apparuérunt vultus eórum melióres præ ómnibus púeris qui vescebantur cibo régio. * Púeris his dedit Deus sciéntiam et disciplínam in omni libro et sapiéntiâ; Danièli autem intelligéntiam ómnium visiónum. ℣. Alii quidem per Spíritum datur sermo sapiéntiæ, álii sermo sciéntiæ secundùm eumdem Spíritum, álii interpretátio sermónum. * Púeris. Glória. * Púeris. *Dan.* 1. 1. *Cor.* 12.

IN II.° NOCTURNO.

LECTIO IV.

Sermo sancti Ambrósii Epíscopi.

(De Off. Minist. Lib. 2, c. 10. et 11.)

Daniel ex captívis, regálium consultórum árbiter factus, consíliis suis emendávit præséntia, annuntiávit futúra. Ex his enim quæ frequenter interpretátus osténderat veri se esse annúntium, fides ei in ómnibus deferebátur. Quis Danièlis consílium refúgeret, de quo Deus ipse dixit: Quis Daniéle sapiéntior? Aut quómodò hómines de eórum dubitáre méntibus possent, quibus Deus tantam conferébat grátiam? Quàm purus Danièlis ánimus, ut mulcéret bárbaros mores, mitigáret leónes! quæ in illo temperántia! quanta ánimi et córporis continéntia! Nec imméritò mirábilis factus ómnibus, quando (quod vehementer admirantur hómines) regálibus fultus amicítiis, aurum non quærébat, nec delátum sibi honórem pluris faciébat quàm fidem. Quinétiam periclitári malébat pro lege Dómini, quàm pro grátia hóminis inflecti.

℟. Loquens rex, ait Danièli: * Verè Deus vester Deus deórum est, et Dóminus regum, et revélans mysteria; quóniam tu potuisti aperíre sacramentum. ℣. Animális homo non pércipit ea quæ sunt Spíritûs Dei; stultítia enim est illi, et non potest intellígere. * Verè Deus. *Dan.* 2. 1. *Cor.* 2.

LECTIO V.

(Lib. 3, de Spiritu sancto. C. 6.)

Per Spíritum datur sermo sapiéntiæ. Dániel, nisi acce-

pisset Dei Spíritum, nunquam potuisset deprehéndere adultérium libídinis, mendácium fraudis. Nam cùm Susanna presbyterórum conjuratiónibus appetíta, inflexam pópuli mentem vidéret contemplatióne seniórum; et ómnibus destitúta subsídiis, sola inter hómines pudicítiæ suæ cónscia Deum árbitrum precarétur: Exaudívit, inquit, Dóminus vocem ejus, cùm ducerétur ut períret; et excitávit Dóminus spíritum sanctum púeri adolescentis, cui nomen Dániel. Itaque secundùm accepti Spíritûs sancti grátiam, vacillántia perfidórum testimónia deprehendit: neque enim ália nisi divínæ fuit operátio potestátis, ut eos vox sua próderet, quorum latébat affectus. Ac ne quis fortè exístimet, quia, dicente Scriptúrâ, Excitávit Deus spíritum sanctum púeri adolescentis, spíritum in eo putet fuisse hóminis, non Spíritum sanctum; legat in posterióribus, et invéniet quia Spíritum sanctum accépit Dániel, et ídeò prophetávit. Dénique et rex eum prætulit, quia habébat grátiam spiritálem. Sic enim dicit: Tu autem, Dániel, potes; quia Spíritus sanctus Dei in te est. Et infrà Scriptúra dicit: Et fuit Dániel præpósitus illis; quóniam Spíritus erat súperans in eo.

℟. Exclamávit Susanna, et dixit: Deus ætérne, qui absconditórum es cógnitor, tu scis quóniam falsum testimónium tulérunt contra me; et ecce mórior. * Exaudívit autem Dóminus vocem ejus. ℣. Deus qui justíficat, quis est qui condemnet? * Exaudívit autem Dóminus. *Dan.* 13. *Rom.* 8.

LECTIO VI.

Sermo sancti Augustíni Epíscopi.

(In Ep. Joan. Tract. 8, c. 4, n. 7.)

INTENDITE quid dicam. Homo, agnosce eum qui supra te est, ut agnoscant te quæ infra te sunt. Ideò cùm Dániel agnovísset supra se Deum, agnovérunt illum supra se leónes. Si autem non agnoscis illum qui supra te est, superiórem contemnis, súbderis inferióri. Propterèa supérbia Ægyptiórum unde dómita est? De ranis et muscis. Póterat Deus et leónes míttere; sed áliquis magnus leóne terrendus est. Quantò illi erant superbióres, tantò de rebus contemptibílibus et abjectis fracta est eórum cervix mala. Sed Daniélem agnovérunt leónes, quia ille súbditus Deo erat. Quid! Mártyres qui ad béstias pugnavérunt, et ferárum mórsibus lacerâti sunt, non erant sub Deo? Aut erant servi Dei tres viri,

et non erant servi Dei Machabæi? Agnóvit ignis servos Dei tres viros, quos non ussit, quorum nec vestimenta corrúpit: et non agnóvit Machabæos? Agnóvit Machabæos: sed opus erat quodam flagello, permittente Dómino, qui dixit in Scriptúra: Flagellat omnem fílium quem récipit. Visibíliter quosdam visus est deseruisse, quosdam visus est eripuisse. Ideò quosdam erípuit, ne putes illum non potuisse erípere. Testimónium dedit, quia potest; ut ubi non facit, secretiórem intélligas voluntátem, non suspiceris difficultátem.

℟. Benedictus Deus, qui misit Angelum suum, et éruit servos suos qui credidérunt in eum: * Et † Tradidérunt córpora sua, ne adorárent omnem deum, excepto Deo suo. ℣. Per fidem obturavérunt ora léonum, extinxérunt ímpetum ignis, * Et tradidérunt. Glória. † Tradidérunt. *Dan.* 3. *Hebr.* 11.

IN III.° NOCTURNO.

LECTIO VII.

Léctio sancti Evangélii secundùm Matthæum.

(Cap. 18.)

In illo témpore; Dixit Jesus: Assimilátum est regnum cœlórum hómini regi, qui vóluit ratiónem pónere cum servis suis. Et réliqua.

Homília sancti Joannis Chrysóstomi.

(Hom. 27. in Genes.)

Ut discámus parábolam hanc ob animárum nostrárum salútem à Dómino adductam, audi quæ inferuntur: Sic et Pater vester cœlestis fáciet vobis, inquit, si non unusquisque fratri suo remiséritis e córdibus vestris delicta illórum. Magnum parábolæ lucrum, modò atténdere voluérimus. Quid enim tantum poterimus dimíttere, quantum nobis à Dómino dimíttitur? Et nos quidem, si hoc voluérimus, conservis remíttimus; ipsi verò à Dómino remissiónem accípimus. Et vide ut diligenter síngula sunt dicta. Non enim dixit simplíciter, Si non dimíseris homínibus peccáta; sed, Si non unusquisque fratri suo remiséritis è córdibus vestris delicta illórum. Adverte quómodò vult cor nostrum in quiéte et tranquillitáte esse, et mentem nostram à perturbatiónibus aliénam, affectionibusque ómnibus líberam, plurimumque nos erga próximum dilectiónis stúdium declaráre.

℟. Prócidens servus orábat dóminum: Patiéntiam habe in me. Misértus dóminus débitum dimísit ei. Egressus autem * Servus unum de conservis suffocá-

bat, dicens : Redde quod debes. ℣. Homo hómini reservat iram, et à Deo quærit medélam? * Servus unum de conservis suffocábat, dicens : Redde quod debes. *Matt.* 18. *Eccli.* 28.

LECTIO VIII.

Alio quoque loco íterùm dicentem audíre licet : Si dimiséritis homínibus delicta illórum, dimittet et vobis Pater vester cœlestis. Ne ígitur putémus, dum hoc fácimus, nos álteri gratificári, aut magnum quoddam benefícium apud illum depónere. Nam ipsi sumus qui benefício fruímur, et multùm lucri inde nobis conciliámus : sicut étiam si hoc non fecérimus, omninò nihil eos lædere potérimus, nobis ipsis autem intolerábilem gehennæ pœnam parámus. Idcirco óbsecro ut cogitantes hæc, nunquam admittámus, ut eórum qui nos contristárunt vel áliàs offendérunt, injúriæ reminiscámur, vel inimíco ánimo erga illos afficiámur : sed considerantes quanta hoc nobis áfferat benefícia, et quantam apud Dóminum fidúciam; et ante ómnia, quòd reconciliári cum iis qui nos injúriâ affecêre, peccatórum nostrórum assúmptio quædam sit : festinémus, et anheléinus ut parátum inde lucrum reputantes, tam officiósi in eos simus qui nos offendérunt, quàm sumus in eos qui veré nobis benefáciunt. Nam si sápimus, non ita nobis prodesse póterunt qui benévoli in nos sunt, et demeréri cúpiunt; ut istórum cultus et observátio divínum favórem nobis conciliábit, nosque sárcinà peccatórum levábit.

℟. Prócidens conservus ejus, rogábat eum : Patiéntiam habe in me, et ómnia reddam tibi. Ille nóluit, sed * Misit eum in cárcerem, donec rédderet débitum. ℣. In hóminem símilem sibi non habet misericórdiam : quis exorábit pro delictis illíus? * Misit eum in cárcerem, donec rédderet débitum. *Matth.* 18. *Eccli.* 28.

LECTIO IX.

Cogita, óbsecro, dilecte, quanta sit hujus virtútis magnitúdo, et disce vel ex præmiis quæ propter illam universi Dóminus promísit. Nam cùm dixisset : Dilígite inimícos vestros, benedícite eis qui persequuntur vos, oráte pro calumniántibus vos; quia sublímia sunt præcepta, summumque vérticem tangéntia, inquit : Ut efficiámini símiles Patri vestro qui in cœlis est; quia solem suum oríri facit super bonos et malos, et pluit super justos et injustos. Vidisti quantùm facultas fert humána, cui símilis fiat qui non solùm non ulcíscitur eum qui offendit, sed et pro

eo oráre studet? Ne ígitur negligéntiâ nostrâ tálibus nos fraudémus bonis et præmiis, quæ omnem sermónem transcendunt; sed modis ómnibus boni hujus óperis nobis cura sit, cogaturque et erudiátur mens, ut páreat Dei præceptis. Nam propterea hanc admonitiónem et ego nunc feci, et parábolam in médium áttuli; et quanta sit hujus boni óperis magnitúdo, et quantum inde lucrum nobis accrescat, ostendi; ut cùm adhuc tempus est, si quis ex vobis est qui álium hábeat sibi infensum, óperam det ut officióse reconciliétur.

℣. Nolíte condemnáre, et non condemnabímini: * Dimíttite, et dimittémini; eádem quippe mensúrâ quâ mensi fuéritis, remetiétur vobis. ℣. Qui vindicári vult, à Dómino invéniet vindictam; et peccáta illíus servans servábit. * Dimíttite, et dimittémini; eádem quippe mensúrâ. Glória Patri. * Dimíttite, et dimittémini. *Luc.* 6. *Eccli.* 28.

Ad Benedictus, *Ant.* 8. G. Omne débitum dimísi tibi, serve nequam, quóniam rogasti me: nonne ergo opórtuit et te miseréri conservi tui, sicut et ego tuî misertus sum? *Matth.* 18.

ORATIO.

Familiam tuam, quæsumus, Dómine, contínuâ pietáte custódi; ut à cunctis adversitátibus, te protegente, sit líbera, et in bonis áctibus tuo nómini sit devóta; Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum.

Ad Magníficat, *Ant.* 2. D. Irátus Dóminus trádidit servum tortóribus, quoadusque rédderet universum débitum: sic et Pater cœlestis fáciet vobis, si non remiséritis unusquisque fratri suo de córdibus vestris. *Matth.* 18.

FERIA SECUNDA.

LECTIO I.

De Daniéle Prophéta.

(Cap. 2.)

In anno secundo regni Nabuchodónosor, vidit Nabuchodónosor sómnium, et contérritus est spíritus ejus, et sómnium ejus fugit ab eo. Præcépit autem rex ut convocarentur aríoli, et magi, et maléfici, et Chaldæi, ut indicárent regi sómnia sua: qui cùm vénissent, stetérunt coram rege. Et dixit ad eos rex: Vidi sómnium, et mente confúsus ignóro quid víderim. Responderuntque Chaldæi regi Syriácè: Rex, in sempiternum vive; dic sómnium servis tuis, et interpretatiónem ejus indicábimus. Et respondens rex, ait Chaldæis: Sermo recessit à me; nisi indicavéritis mihi sómnium, et conjectúram ejus, peribitis vos, et domus

vestræ publicabuntur : si autem sómnium et conjectúram ejus narravéritis, præmia, et dona, et honórem multum accipiétis à me.

℣. Sit nomen, 290

LECTIO II.

Respondentes ergo Chaldæi coram rege, dixérunt : Non est homo super terram qui sermónem tuum, rex, possit implére; sed neque regum quisquam magnus et potens verbum hujuscémodi sciscitátur ab omni aríolo, et mago, et Chaldæo : sermo enim quem tu quæris, rex, gravis est; nec reperiétur quisquam qui índicet illum in conspectu regis, exceptis diis quorum non est cum homínibus conversátio. Quo audíto, rex in furóre et in ira magna præcépit ut perírent omnes sapientes Babylónis. Et egressà sententiâ, sapientes interficiebantur; quærebanturque Dániel et sócii ejus, ut perírent. Tunc Dániel requisívit de lege atque sententia ab Arioch príncipe milítiæ regis.

℣. Fuérunt, 290.

LECTIO III.

Cum ergo rem indicasset Arioch Daniéli, Dániel ingressus rogávit regem, ut tempus daret sibi ad solutiónem indicandam regi. Et ingressus est domum suam : Ananiæque, et Misaéli, et Azáriæ sóciis suis indicávit negótium, ut quærerent misericórdiam à fácie Dei cœli super sacramento isto, et non perírent Dániel et sócii ejus, cum céteris sapiéntibus Babylónis. Tunc Daniéli mystérium per visiónem nocte revelátum est : et benedixit Dániel Deum cœli. Et locútus, ait : Sit nomen Dómini benedictum à sæculo et usque in séculum; quia sapientia et fortitúdo ejus sunt, et ipse mutat témpora et ætátes, transfert regna atque constítuit; dat sapiéntiam sapiéntibus, et sciéntiam intelligéntibus disciplínam. Ipse revélat profunda et abscóndita, et novit in ténebris constitúta; et lux cum eo est. Tibi, Deus patrum nostrórum, confíteor, teque laudo; quia sapiéntiam et fortitúdinem dedisti mihi : et nunc ostendisti mihi quæ rogávimus te, quia sermónem regis aperuisti nobis.

℣. Apparuérunt, 291.

FERIA TERTIA.

LECTIO I.

De Daniéle Prophéta.

(Cap. 2.)

Daniel ingressus ad Arioch, quem constitúerat rex ut pérderet sapientes Babylónis, sic ei locútus est : Sapientes Babylónis ne perdas; introduc me in conspectu regis, et solutiónem regi narrábo. Tunc Arioch fes-

tínus introduxit Daniélem ad regem, et dixit ei : Invéni hóminem de fíliis transmigratiónis Juda, qui solutiónem regi annúntiet. Respondit rex, et dixit Daniéli cujus nomen erat Baltassar : Putasne verè potes mihi indicáre sómnium quod vidi, et interpretatiónem ejus? Et respondens Dániel coram rege, ait : Mystérium quod rex intérrogat, sapientes, magi, aríoli et arúspices néqueunt indicáre regi ; sed est Deus in cœlo revélans mystéria, qui indicávit tibi, rex Nabuchodónosor, quæ ventúra sunt in novíssimis tempóribus.

℟. Loquens rex, 291.

LECTIO II.

Tu, rex, vidébas, et ecce quasi státua una grandis, státua illa magna ; et statúrâ sublímis stabat contra te, et intúitus ejus erat terríbilis. Hujus státuæ caput ex auro óptimo erat ; pectus autem et bráchia de argento : porrò venter et fémora ex ære ; tíbiæ autem férreæ ; pedum quædam pars erat férrea, quædam autem fíctilis. Vidébas ita, donec abscissus est lapis de monte sine mánibus, et percussit státuam in pédibus ejus férreis et fictílibus, et comminuit eos. Tunc contríta sunt páriter ferrum, testa, æs, argentum, et aurum ; et redacta quasi in favillam æstívæ áreæ, quæ rapta sunt vento ; nullusque locus inventus est eis : lapis autem qui percússerat státuam, factus est mons magnus, et implévit universam terram. Hoc est sómnium.

℣. Exclamávit Susanna, et dixit, 292.

LECTIO III.

Interpretationem quoque ejus dicémus coram te, rex. Tu rex regum es ; et Deus cœli regnum, et fortitúdinem, et impérium, et glóriam dedit tibi : et ómnia in quibus hábitant fílii hóminum, et béstiæ agri, vólucres quoque cœli dedit in manu tua, et sub ditióne tua universa constítuit : tu es ergo caput áureum. Et post te consurget regnum áliud minus te, argénteum. Et regnum tértium áliud, æreum, quod imperábit universæ terræ. Et regnum quartum erit velut ferrum ; quómodo ferrum commínuit et domat ómnia, sic commínuet et cónteret ómnia hæc. Porrò quia vidisti pedum et digitórum partem testæ fíguli, et partem férream ; regnum divísum erit, quod tamen de plantário ferri oriétur, secundùm quòd vidisti ferrum mistum testæ exluto. Et dígitos pedum ex parte férreos, et ex parte fíctiles ; ex parte regnum erit sólidum, et ex parte contrítum. Quòd autem vidisti ferrum

mistum testæ ex luto, commiscebuntur quidem humáno sémine, sed non adhærébunt sibi, sícuti ferrum miscéri non potest testæ. In diébus autem regnórum illórum suscitábit Deus cœli regnum quod in æternum non dissipábitur; et regnum ejus álteri pópulo non tradétur : commínuet autem et consúmet universa regna hæc; et ipsum stabit in æternum.

℣. Benedictus Deus, qui misit, 293.

FERIA QUARTA.

LECTIO I.

De Daniéle Prophéta.

(Cap. 3.)

Nabuchodonosor rex fecit státuam áuream, altitúdine cubitórum sexaginta, latitúdine cubitórum sex, et státuit eam in campo Dura provínciæ Babylónis. Itaque Nabuchodónosor rex misit ad congregandos sátrapas, magistrátus et júdices, duces et tyrannos, et præfectos, omnesque príncipes regiónum, ut convenírent ad dedicatiónem státuæ quam eréxerat Nabuchodónosor rex. Tunc congregáti sunt sátrapæ, magistrátus et júdices, duces et tyranni, et optimátes qui erant in potestátibus constitúti, et universi príncipes regiónum, ut convenírent ad dedicatiónem státuæ quam eréxerat Nabuchodónosor rex. Stabant autem in conspectu státuæ quam posúerat Nabuchodónosor rex; et præco clamábat valenter : Vobis dícitur pópulis, tríbubus et linguis : In hora qua audiéritis sónitum tubæ, et fístulæ, et cítharæ, sambúcæ, et psaltérii, et symphóniæ, et universi géneris musicórum, cadentes adoráte státuam áuream quam constítuit Nabuchodónosor rex. Si quis autem non prostrátus adoráverit, eádem horâ mittétur in fornácem ignis ardentis.

℣. Sit nomen, 290.

LECTIO II.

Statimque in ipso témpore accedentes viri Chaldæi accusavérunt Judæos, dixeruntque Nabuchodónosor regi : Rex, in æternum vive; tu, rex, posuísti decrétum, ut omnis homo qui audíerit sónitum tubæ, fístulæ, et cítharæ, sambúcæ, et psaltérii, et symphóniæ, et universi géneris musicórum, prosternat se, et adóret státuam áuream; si quis autem non prócidens adoráverit, mittátur in fornácem ignis ardentis. Sunt ergo viri Judæi quos constítuisti super ópera regiónis Babylónis, Sidrach, Misach, et Abdénago : viri isti contempsérunt, rex, decrétum tuum; deos tuos non colunt, et stá-

tuam áuream quam erexisti, non adórant. Tunc Nabuchodónosor in furóre et in ira præcépit ut adducerentur Sidrach, Misach et Abdénago, qui confestim adducti sunt in conspectu regis. Pronuntiansque Nabuchodónosor rex, ait eis: Verene, Sidrach, Misach et Abdénago, deos meos non cólitis; et státuam áuream quam constítui, non adorátis?

℟. Fuérunt, 290.

LECTIO III.

Respondentes Sidrach, Misach et Abdénago, dixérunt regi Nabuchodónosor: Non oportet nos de hac re respondére tibi; ecce enim Deus noster quem cólimus, potest erípere nos de camíno ignis ardentis, et de mánibus tuis, ô rex, liberáre. Quòd si nolúerit, notum sit tibi, rex, quia deos tuos non cólimus; et státuam áuream quam erexisti, non adorámus. Tunc Nabuchodónosor replétus est furóre; et aspectus faciéi illíus immutátus est super Sidrach, Misach et Abdénago: et præcépit ut succenderétur fornax séptuplùm quàm succendi consuéverat. Et viris fortíssimis de exércitu suo jussit, ut, ligátis pédibus Sidrach, Misach et Abdénago, mítterent eos in fornácem ignis ardentis. Et confestim viri illi vincti cum braccis suis, et tiáris, et calceamentis, et véstibus, missi sunt in médium fornácis ignis ardentis; nam jússio regis urgébat: fornax autem succensa erat nimis. Porrò viros istos qui míserant Sidrach, Misach et Abdénago, interfécit flamma ignis. Viri autem hi tres, id est, Sidrac, Misach et Abdénago, cecidérunt in médio camíno ignis ardentis, colligáti. Et ambulábant in médio flammæ, laudantes Deum et benedicentes Dómino.

℣. Apparuérunt, 291.

FERIA QUINTA.

LECTIO I.

De Daniéle Prophéta.

(Cap. 3.)

Nabuchodonosor rex obstúpuit, et surrexit próperè, et ait optimátibus suis: Nonne tres viros mísimus in médium ignis compedítos? Qui respondentes regi, dixérunt: Verè, rex. Respondit, et ait: Ecce ego vídeo quátuor viros solútos, et ambulantes in médio ignis; et nihil corruptiónis in eis est, et spécies quarti símilis Fílio Dei. Tunc accessit Nabuchodónosor ad óstium fornácis ignis ardentis, et ait: Sidrach, Misach et Abdénago, servi Dei excelsi, egredímini, et veníte. Statimque egressi sunt Sidrach, Misach et Abdénago de médio ignis. Et congregáti sá-

trapæ, et magistrátus, et júdices, et potentes regis, contemplabantur viros illos, quóniam nihil potestátis habuisset ignis in corpóribus eórum, et capillus cápitis eórum non esset adustus, et sarábala eórum non fuissent immutáta, et odor ignis non transisset per eos.

℣. Loquens rex, 291.

LECTIO II.

Et erumpens Nabuchodónosor, ait: Benedictus Deus eórum; Sidrach videlicet, Misach et Abdénago, qui misit Angelum suum, et éruit servos suos qui credidérunt in eum: et verbum regis immutavérunt, et tradidérunt córpora sua, ne servírent, et ne adorárent omnem deum, excepto Deo suo. A me ergo pósitum est hoc decrétum: Ut omnis pópulus, tribus, et lingua, quæcumque locúta fúerit blasphémiam contra Deum Sidrach, Misach et Abdénago, dispéreat, et domus ejus vastétur, neque enim est álius Deus qui possit ita salvâre.

℣. Exclamávit, 292.

LECTIO III.

Tunc rex promóvit Sidrach, Misach et Abdénago in província Babylónis. Nabuchodónosor rex, ómnibus pópulis, géntibus et linguis, qui hábitant in universa terra: Pax vobis multiplicétur. Signa et mirabília fecit apud me Deus excelsus: plácuit ergo mihi prædicáre signa ejus, quia magna sunt: et mirabília ejus, quia fórtia; et regnum ejus, regnum sempiternum: et potestas ejus in generatiónem et generatiónem.

℣. Benedictus Deus, qui misit, 293.

FERIA SEXTA.

LECTIO I.

De Daniéle Prophéta.

(Cap. 4.)

Daniel cujus nomen Baltassar, cœpit intrà semetipsum tácitus cogitáre quasi unâ horâ, et cogitatiónes ejus conturbábant eum. Respondens autem rex, ait: Baltassar, sómnium et ínterpretátio ejus non conturbent te. Respondit Baltassar, et dixit: Dómine mi, sómnium his qui te odérunt, et interpretátio ejus hóstibus tuis sit. Arborem quam vidisti sublímem atque robustam, cujus altitúdo pertingit ad cœlum, et aspectus illíus in omnem terram, et rami ejus pulchérrimi, et fructus ejus nímius, et esca ómnium in ea; subter eam habitantes béstiæ agri, et in ramis ejus commorantes aves cœli: tu es rex qui magnificátus es, et invaluísti; et magnitúdo tua crevit, et pervénit usque ad cœlum;

et potestas tua in términos universæ terræ.

℣. Sit nomen, 290.

LECTIO II.

Quod auten. vidit rex Vígilem et Sanctum descéndere de cœlo, et dícere : Succídite árborem, et dissipáte illam ; áttamen germen radícum ejus in terra dimíttite. Et vinciátur ferro et ære in herbis foris, et rore cœli conspergátur, et cum féris sit pábulum ejus, donec septem témpora mutentur super eum : hæc est interpretátio sententiæ Altíssimi, quæ pervénit super dóminum meum regem. Ejícient te ab homínibus, et cum béstiis ferisque erit habitátio tua ; et fœnum ut bos cómedes, et rore cœli infundéris : septem quoque témpora mutabuntur super te, donec scias quòd dominétur Excelsus super regnum hóminum ; et cuicumque volúerit, det illud.

℣. Fuérunt, 290.

LECTIO III.

Quod autem præcépit ut relinquerétur germen radícum ejus, id est, árboris : regnum tuum tibi manébit, postquàm cognóveris potestátem esse cœlestem. Quamobrem, rex, consílium meum pláceat tibi ; et peccáta tua eleemósynis rédime, et iniquitátes tuas misericórdiis páuperum : fórsitan ignoscet delíctis tuis. Omnia hæc venérunt super Nabuchodónosor regem.

℣. Apparuérunt, 291.

SABBATO.

LECTIO I.

De Daniéle Prophéta.

(Cap. 5.)

Baltassar rex fecit grande convívium optimátibus suis mille ; et unusquisque secundùm suam bibébat ætátem. Præcépit ergo jam temulentus, ut afferrentur vasa áurea et argéntea, quæ asportáverat Nabuchodónosor pater ejus de templo quod fuit in Jerúsalem, ut biberent in eis rex et optimátes ejus, uxóresque ejus et concubínæ. Tunc allàta sunt vasa áurea et argéntea, quæ asportáverat de templo quod fúerat in Jerúsalem ; et bibérunt in eis rex, et optimátes ejus, uxóres et concubínæ illíus. Bibébant vinum, et laudábant deos suos áureos et argénteos, æreos, férreos, ligneosque et lapídeos. In eadem hora apparuérunt dígiti, quasi manûs hóminis scribentis contra candelábrum in superfície paríetis aulæ régiæ : et rex aspiciébat artículos manûs scribentis. Tunc fácies regis commutáta est, et cogitatiónes ejus conturbábant eum, et compáges renum ejus solvebantur, et génua

ejus ad se invicem collidebantur.

[*Si fiat offic. de Sabbato Responsoria sumentur è II Nocturno Dominicæ præcedentis.*]

LECTIO II.

IGITUR introductus est Dániel coram rege. Ad quem præfátus rex ait : Tu es Dániel de fíliis captivitátis Judæ, quem adduxit pater meus rex de Judæa? Audívi de te quóniam spíritum deórum hábeas; et sciéntia, intelligentiaque ac sapiéntia amplióres inventæ sunt in te. Et nunc introgressi sunt in conspectu meo sapientes magi, ut scriptúram hanc légerent, et interpretatiónem ejus indicárent mihi; et nequivérunt sensum hujus sermónis edícere. Porrò ego audívi de te, quòd possis obscúra interpretári, et ligáta dissólvere : si ergo vales scriptúram légere, et interpretatiónem ejus indicáre mihi, púrpurâ vestiéris, et torquem áuream circa collum tuum habébis, et tértius in regno meo princeps eris. Ad quæ respondens Dániel, ait coram rege : Múnera tua sint tibi, et dona domûs tuæ álteri da : scriptúram autem legam tibi, rex, et interpretatiónem ejus ostendam tibi.

LECTIO III.

HÆC est autem scriptúra quæ digesta est : Mane, Thecel, Phares. Et hæc est interpretátio sermónis. Mane : Numerávit Deus regnum tuum, et complévit illud. Thecel : Appensus es in statéra, et inventus es minus habens. Phares : Divísum est regnum tuum, et datum est Medis et Persis. Tunc, jubente rege, indútus est Dániel púrpurâ, et circúmdata est torques áurea collo ejus; et prædicátum est de eo quòd habéret potestátem tértius in regno suo. Eàdem nocte interfectus est Baltassar rex Chaldæus : et Daríus Medus succéssit in regnum annos natus sexaginta duos.

¶ *Si duæ tantùm supersint hebdomadæ usque ad Adventum, (quod contingit quando Pascha accidit 24 vel 25 Aprilis) Ant.* Omnes habitatóres, *cum omnibus Lectionibus sequentis hebdomadæ, quæ de Daniele sunt, prætermittitur; et pro Officio Dominicæ et hebdomadæ XXII, ponitur Officium Dominicæ et hebdomadæ XXIII. Sabbato verò præsentis hebdom. fit de Psalterio, et in eo ponitur pro III Lectione Homilia Dominicæ XXII cum suo* ℣. *Ad Laudes verò ponitur Ant. ad* Benedictus, *et Oratio de eadem Dominica, quæ dicitur etiam ad omnes Horas usque ad Nonam inclusivè, nisi occurrat, Festum Semiduplex aut suprà : quo casu fit tan-*

tùm Commem. prædictæ Dominicæ per Homiliam in Nocturnum, et in Laudibus per Antiphonam ad Benedictus *et Orationem.*

Ad Magníficat, *Ant.* 5. a. Omnes habitatóres terræ apud Altíssimum in níhilum reputáti sunt; juxta voluntátem enim suam facit, et non est qui resístat mánui ejus; et dicat ei: Quare fecísti? *Dan.* 4.

Oratio, ut infrà ad Laudes.

DOMINICA XXII
POST PENTECOSTEN.
IN I.º NOCTURNO.

LECTIO I.

De Daniéle Prophéta.

(Cap. 6.)

Placuit Darío, et constítuit super regnum sátrapas centum viginti, ut essent in toto regno suo; et super eos príncipes tres, ex quibus Dániel unus erat; ut sátrapæ illis rédderent ratiónem, et rex non sustinéret moléstiam. Igitur Dániel superábat omnes príncipes et sátrapas, quia Spíritus Dei ámplior erat in illo. Porrò rex cogitábat constitúere eum super omne regnum; unde príncipes et sátrapæ quærébant occasiónem ut invenírent Daniéli ex látere regis; nullamque causam et suspiciónem reperíre potuérunt, eò quòd fidélis esset et omnis culpa et suspício non invenirétur in eo. Dixérunt ergo viri illi: Non inveniémus Daniéli huic áliquam occasiónem, nisi fortè in lege Dei sui.

℟. Sit nomen, 290.

LECTIO II.

Tunc príncipes et sátrapæ surripuérunt regi, et sic locúti sunt ei: Dari rex, in æternum vive: consílium iniérunt omnes príncipes regni tui, magistrátus et sátrapæ, senatóres et júdices ut decrétum imperatórium éxeat et edictum; ut omnis qui petíerit áliquam petitiónem à quocumque deo et hómine, usque ad triginta dies, nisi à te, rex, mittátur in lacum leónum. Nunc ítaque, rex, confirma sententiam, et scribe decrétum; ut non immutétur quod statútum est à Medis et Persis, nec prævaricári cuíquam líceat. Porrò rex Daríus propósuit edictum, et státuit. Quod cùm Dániel comperísset, id est, constitútam legem, ingressus est domum suam; et fenestris apertis in cœnáculo suo contra Jerúsalem, tribus tempóribus in die flectébat génua sua; et adorábat, confitebaturque coram Deo suo, sicut et antè fácere consuéverat.

℟. Fuérunt in palátio, 290.

LECTIO III.

Viri ergo illi curiósiùs in-

quirentes, invenérunt Daniélem orantem et obsecrantem Deum suum. Et accedentes locúti sunt regi super edicto : Rex, numquid non constituisti, ut omnis homo qui rogáret quemquam de diis et homínibus usque ad dies triginta, nisi te, rex, mitterétur in lacum leónum? Ad quos respondens rex, ait : Verus est sermo juxta decrétum Medórum atque Persárum, quod prævaricári non licet. Tunc respondentes, dixérunt coram rege : Dániel de fíliis captivitátis Juda non curávit de lege tua et de edicto quod constituisti; sed tribus tempóribus per diem orat obsecratióne suâ. Quod verbum cùm audisset rex, satis contristátus est, et pro Daniéle pósuit cor ut liberáret eum, et usque ad occásum solis laborábat ut erúeret illum.

℣. Apparuérunt, 291.

IN II.° NOCTURNO.

LECTIO IV.

De Expositióne sancti Hierónymi Presbyteri in Daniélem Prophétam.

(Cap. 9.)

Africanus in quinto Témporum volúmine, de septuaginta hebdomádibus hæc locútus ad verbum est : Capitulum quod in Daniele de septuaginta hebdomádibus légimus, multa et mirabília cóntinet, quæ nunc longum est dícere : ergo, quod ad præsens opus pértinet, de tempóribus disserendum est, nullíque dúbium quin de adventu Christi prædicátio sit; qui post septuaginta hebdómadas mundo appáruit, post quem consummáta sunt delicta, et finem accépit peccátum, et deléta est iníquitas, et annuntiáta justítia sempiterna quæ legis justítiam vínceret; et impléta est vísio et prophetía, quia lex et prophétæ usque ad Baptistam Joannem; et unctus est Sanctus sanctórum : quæ ómnia priusquàm Christus humánum corpus assúmeret, sperabantur magis quàm tenebantur.

℣. Loquens rex, 291.

LECTIO V.

Dicit autem ipse Angelus, septuaginta annórum hebdómadas, id est, annos quadringentos nonaginta, ab éxitu sermónis, ut respondeátur, et ut ædificétur Jerúsalem, vicésimum Artaxerxis regis Persárum annum habére princípium. Nehémias quippe, hujus pincerna, sicut in Esdræ libro légimus, rogávit regem, accepitque responsum ut ædificarétur Jerúsalem. Et iste egressus est sermo, qui extruendæ urbis et circumdandæ muris daret licéntiam; quæ usque ad il-

lud tempus vicinárum géntium patébat incúrsibus; síquidem ad Cyri regis impérium, qui voléntibus reverti Jerosólymam déderat potestátem, Jesus póntifex, et Zoróbabel, et pósteà Esdras sacerdos, et céteri qui cum eis proficisci volúerant, templum et urbem et muros ejus ædificáre conáti sunt, prohibéntibus in circúitu natiónibus, ne implerétur opus, quasi hoc rex non jussisset.

℟. Exclamávit, 292.

LECTIO VI.

Mansit ítaque imperfectum opus usque ad Nehémiam, et vicésimum annum regis Artaxerxis: quo témpore, regni Persárum centum et quíndecim anni fúerant evolúti; captivitátis autem Jerúsalem centésimus octogésimus et quintus annus erat: et tunc primùm Artaxerxes jussit muros éxtrui Jerúsalem, cui óperi præfuit Nehémias; et ædificáta est platéa, et muri circúmdati: et ex illo témpore, si numeráre velis, septuaginta annórum hebdómadas usque ad Christum póteris inveníre.

℟. Benedictus Deus, 293.

IN III.° NOCTURNO.

LECTIO VII.

Léctio sancti Evangélii secundùm Matthæum.

(Cap. 22.)

In illo témpore; Abeuntes Pharisæi, consílium iniérunt ut cáperent Jesum in sermóne. Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Epíscopi.

(Exposit. quarumd. Proposit. Epist. ad Rom. Prop. 72.)

Cum constémus ex ánima et córpore, et quámdiu in hac vita temporáli sumus, étiam rebus temporálibus ad subsídium degendæ hujus vitæ utámur; oportet nos ex ea parte quæ ad hanc vitam pértinet, súbditos esse potestátibus, id est, homínibus res humánas cum áliquo honóre administrántibus. Ex illa verò parte quâ crédimus Deo et in regnum ejus vocámur, non nos oportet esse súbditos cuíquam hómini, idipsum in nobis evértere cupienti quod Deus ad vitam æternam donáre dignátus est. Si quis ergo putat, quóniam Christiánus est, non sibi esse vectígal reddendum, aut tribútum, aut non esse exhibendum honórem débitum eis quæ hæc curant potestátibus, magno in erróre versátur. Item si quis sic se putat esse subdendum, ut étiam in suam fidem habére potestátem arbitrétur eum, qui temporálibus administrandis áliquâ sublimitáte præcellit, in majórem errórem lábitur. Sed modus iste servandus est, quem Dóminus ipse præscribit, ut reddámus

Cæsari quæ Cæsaris sunt, et Deo quæ Dei sunt. Quanquam enim ad illud regnum vocémur, ubi nulla erit potestas hujúsmodi; in hoc tamen itínere dum ágimus, donec perveniámus ad illud séculum ubi fit evacuátio omnis principátûs et potestátis, conditiónem nostram pro ipso rerum humanárum órdine tolerémus, nihil simulánte facientes, et in eo ipso non tam homínibus quàm Deo qui hæc jubet, obtemperantes.

℟. Príncipes Sacerdótum et Scribæ * Misérunt insidiatóres qui se justos simulárent, ut cáperent Jesum in sermóne, ut tráderent illum potestáti Præsidis. ℣. Consília impiórum fraudulenta, verba impiórum insidiántur sánguini. * Misérunt insidiatóres qui se justos simulárent, ut cáperent Jesum in sermóne. *Luc.* 20. *Prov.* 12.

LECTIO VIII.

(Serm. 31. Enarr. in Ps. 118.)

Numquid Christianórum Rex mílites suos prohíbuit impéndere et exhibére quæ debentur régibus terræ? Nonne tribútum de ore piscis étiam ipse persolvit? Nonne præcursor ejus milítibus regni hujus quid fácere debérent pro ætérna salúte quæréntibus non ait: Cíngulum sólvite, arma projícite, regem vestrum desérite, ut possítis Dómino militáre; sed ait: Néminem concussériti, nulli calúmniam fecéritis, suffíciat vobis stipéndium vestrum? Nonne unus mílitum ejus, et dilectíssimus comes ejus, commilitónibus suis, et quodámmodò Christi provinciálibus dixit: Omnis ánima potestátibus sublimióribus súbdita sit? Et paulò post ait: Réddite ómnibus débita; cui tribútum, tribútum: cui vectígal, vectígal; cui timórem, timórem; cui honórem, honórem. Némini quidquam debeátis, nisi ut ínvicem diligátis. Nonne præcépit ut pro ipsis étiam régibus oráret Ecclésia?

℟. Mittunt quosdam ex Pharisæis et Herodiánis, qui * Dicunt ei: Magister, scimus quia in veritáte viam Dei doces: licet dari tribútum Cæsari, an non dábimus? ℣. Loquuntur pacem cum próximo suo, mala autem in córdibus eórum. * Dicunt ei: Magister. *Marc.* 12. *Ps.* 27.

LECTIO IX.

(Serm. 62. De verb. Evang. C. 8.)

Numquid in supérbiam vos erígimus, aut dicimus vobis ut adversùs potestátes ordinátas comtemptóres sitis? Non hoc dícimus. Non est potestas nisi à Deo: quæ autem sunt, à Deo ordinátæ sunt. Qui autem resistit po-

testáti, Dei ordinatióni resistit. Sed quid, si illud júbeat quod non debes fácere? Hic sanè contemne potestátem, timendo potestátem. Ipsos humanárum rerum gradus advértite. Si áliquid jússerit Curátor, nonne faciendum est? Tamen si contra Procónsulem júbeat, non útique contemnis potestátem; sed eligis majóri servíre. Nec hinc debet minor irasci, si major prælátus est. Rursum, si áliquid ipse Proconsul júbeat, et áliud júbeat Imperátor; numquid dubitátur, isto contempto, illi esse serviendum? Ergo si áliud Imperátor, et áliud Deus; quid judicátis? Solve tribútum, esto mihi in obséquium. Recte; sed non in idólio. In idólio próhibet. Quis próhibet? Major potestas. Da véniam: tu cárcerem, ille gehennam minátur. Hinc jam tibi assumenda est fides tua tanquam scutum, in quo possis ómnia ignita jácula inimíci extínguere.

℟. Abyssum et cor hóminum investigávit Deus; et in astútia eórum excogitávit. * Non prætérit illum omnis cogitátus, et † Non abscondit se ab eo ullus sermo. ℣. Cógnitâ Jesus nequítiâ eórum, ait: Quid me tentátis, hypócritæ? * Non prætérit. Glória Patri. † Non abscondit. *Eccli.* 42. *Matth.* 22.

Ad Benedictus, *Ant.* 1. D. Obtulerunt ei denárium. Et ait illis Jesus: Cujus est imágo hæc, et superscríptio? Dicunt ei: Cæsaris. Tunc ait illis: Réddite ergo quæ sunt Cæsaris, Cæsari; et quæ sunt Dei, Deo. *Matth.* 22.

ORATIO.

Deus, refúgium nostrum et virtus, adesto piis Ecclésiæ tuæ précibus, auctor ipse pietátis: et præsta, ut quod fidéliter pétimus, efficáciter consequámur; Per Dominum nostrum Jesum Christum Fílium tuum, qui tecum vivit et regnat.

Ad Magníficat, *Ant.* 3. a Non potuérunt verbum ejus reprehéndere coram plebe; et miráti in responso ejus, tacuérunt. *Luc.* 20.

FERIA SECUNDA.

LECTIO I.

De Daniéle Prophéta.

(Cap. 6.)

Viri illi intelligentes regem, dixérunt ei: Scito, rex, quia lex Medórum atque Persárum est, ut omne decrétum quod constitúerit rex, non líceat immutári. Tunc rex præcépit; et adduxérunt Daniélem, et misérunt eum in lacum leónum. Dixitque rex Daniéli: Deus tuus quem colis semper, ipse liberábit te. Allatusque est lapis unus, et pósitus est super os laci;

quem obsignávit rex ánnulo suo, et ánnulo optimátum suórum, ne quid fíeret contra Daniélem. Et ábiit rex in domum suam, et dormívit incœnátus, cibique non sunt allâti coram eo; ínsuper et somnus recessit ab eo.

℟. Sit nomen, 290.

LECTIO II.

Tunc rex primo dilúculo consurgens, festínus ad lacum leónum perrexit; appropinquansque lácui, Daniélem voce lacrymábili inclámavit, et affátus est eum; Dániel, serve Dei viventis, Deus tuus cui tu servis semper, putasne váluit te liberáre à leónibus? Et Dániel regi respondens, ait: Rex, in ætérnum vive: Deus meus misit Angelum suum, et conclúsit ora leónum, et non nocuérunt mihi; quia coram eo justítia inventa est in me: sed et coram te, rex, delictum non feci. Tunc vehementer gavísus est super eo, et Daniélem præcépit edúci de lacu: eductusque est Dániel de lacu, et nulla læsio inventa est in eo, quia crédidit Deo suo. Jubente autem rege, adducti sunt viri illi qui accusáverant Daniélem, et in lacum leónum missi sunt ipsi, et fílii, et uxóres eórum; et non pervenérunt usque ad pavimentum laci, donec arríperent eos leónes; et ómnia ossa eórum comminuérunt.

℟. Fuérunt, 290.

LECTIO III.

Tunc Daríus rex scripsit universis pópulis, tribubus, et linguis habitántibus in universa terra: Pax vobis multiplicétur. A me constitútum est decrétum, ut in universo império et regno meo tremiscant et páveant Deum Daniélis: ipse est enim Deus vivens, et æternus in sécula; et regnum ejus non dissipábitur, et potestas ejus usque in æternum: ipse liberátor atque salvátor, fáciens signa et mirabília in cœlo et in terra; qui liberávit Daniélem de lacu leónum. Porrò Dániel perseverávit usque ad regnum Darii, regnumque Cyri Persæ.

℟. Apparuérunt, 291.

FERIA TERTIA.

LECTIO I.

De Daniéle Prophéta.

(Cap. 7.)

Anno primo Baltassar regis Babylónis, Dániel sómnium vidit. Vísio autem cápitis ejus in cubíli suo: et sómnium scribens, brevi sermóne comprehendit; summatimque perstringens, ait: Vidébam in visióne mea, nocte; et ecce quátuor venti cœli pugnábant in mari magno. Et quátuor béstiæ grandes ascendébant de mari,

diversæ inter se. Prima quasi leæna, et alas habébat áquilæ: aspiciébam, donec evulsæ sunt alæ ejus, et subláta est de terra, et super pedes quasi homo stetit, et cor hóminis datum est ei. Et ecce béstia ália símilis urso in parte stetit: et tres órdines erant in ore ejus, et in déntibus ejus; et sic dicébant ei: Surge, cómede carnes plúrimas. Post hæc aspiciébam, et ecce ália quasi pardus; et alas habébat quasi avis quátuor super se, et quátuor cápita erant in béstia; et potestas data est ei. Post hæc aspiciébam in visióne noctis; et ecce béstia quarta terríbilis atque mirábilis, et fortis nimis.

℣. Loquens rex, 291.

LECTIO II.

Aspiciebam ergo in visióne noctis: et ecce cum núbibus cœli quasi Fílius hóminis veniébat, et usque ad Antíquum diérum pervénit; et in conspectu ejus obtulérunt eum. Et dedit ei potestátem, et honórem, et regnum; et omnes pópuli, tribus et linguæ ipsi sérvient: potestas ejus, potestas ætérna, quæ non auferétur; et regnum ejus, quod non corrumpétur. Hórruit spíritus meus: ego Dániel térritus sum in his, et visiónes cápitis mei conturbavérunt me. Accessi ad unum de assisténtibus, et veritátem quærébam ab eo de ómnibus his. Qui dixit mihi interpretatiónem sermónum, et dócuit me: Hæ quátuor béstiæ magnæ quátuor sunt regna quæ consurgent de terra. Suscípient autem regnum Sancti Dei altíssimi; et obtinébunt regnum usque in séculum, et séculum seculórum.

℣. Exclamávit, 292.

LECTIO III.

Post hoc vólui diligenter díscere de béstia quarta, quæ erat dissímilis valde ab ómnibus, et terríbilis nimis: dentes et ungues ejus férrei; comedébat, et comminuébat, et réliqua pédibus suis conculcábat: et de córnibus decem quæ habébat in cápite, et de álio quod ortum fúerat, ante quod cecíderant tria córnua; et de cornu illo quod habébat óculos et os loquens grándia, et majus erat céteris. Aspiciébam, et ecce cornu illud faciébat bellum adversùs sanctos, et prævalébat eis, donec venit Antíquus diérum, et judícium dedit sanctis Excelsi; et tempus advénit, et regnum obtinuérunt sancti. Et sic ait: Béstia quarta regnum quartum erit in terra, quod majus erit ómnibus regnis, et devorábit universam terram, et conculcábit et comminuet eam. Porrò córnua decem ipsíus regni decem

reges erunt : et álius consurget post eos, et ipse poténtior erit prióribus, et tres reges humiliábit, et sermónes contra Excelsum loquétur, et sanctos Altíssimi cónteret, et putábit quòd possit mutáre témpora et leges ; et tradentur in manu ejus usque ad tempus et témpora, et dimídium témporis. Et judícium sedébit ut auferátur poténtia, et conterátur, et dispéreat usque in finem.

℣. Benedictus Deus, 293.

FERIA QUARTA.

LECTIO I.

De Daniéle Prophéta.

(Cap. 8.)

Anno tértio regni Báltassar regis, vísio appáruit mihi. Ego Dániel, post id quod víderam in princípio, vidi in visióne mea, cùm essem in Susis castro quod est in Ælam regióne : vidi autem in visióne esse me super portam Ulaï. Et levávi óculos meos, et vidi : et ecce áries unus stabat ante palúdem, habens córnua excelsa, et unum excélsius áltero atque succrescens. Póstea vidi aríetem córnibus ventilantem contra occidentem, et contra aquilónem, et contra meridiem ; et omnes béstiæ non póterant resístere ei, neque liberári de manu ejus : fecitque secundùm voluntátem suam et magnificátus est. Et ego intelligébam : ecce autem hircus caprárum veniébat ab occidente super fáciem totíus terræ, et non tangébat terram : porrò hircus habébat cornu insigne inter óculos suos.

℣. Sit nomen, 290.

LECTIO II.

Et audívi unum de sanctis loquentem. Et dixit unus sanctus álteri, néscio cui loquenti : Usquequò vísio, et juge sacrifícium, et peccátum desolatiónis quæ facta est ; et sanctuárium, et fortitúdo conculcábitur? Et dixit ei : Usque ad vésperam et mane, dies duo míllia trecenti ; et mundábitur sanctuárium. Factum est autem, cùm vidérem ego Dániel visiónem, et quærerem intelligéntiam, ecce stetit in conspectu meo quasi spécies viri. Et audívi vocem viri inter Ulaï : et clamávit, et ait : Gábriel, fac intellígere istum visiónem. Et venit, et stetit juxta ubi ego stabam : cùmque venisset, pavens córrui in fáciem meam ; et ait ad me : Intéllige, fili hóminis, quóniam in témpore finis complébitur vísio. Cùmque loquerétur ad me, collapsus sum pronus in terram.

℣. Fuérunt, 290.

LECTIO III.

Et tétigit me, et státuit me in gradu meo, dixitque mihi :

Ego ostendam tibi quæ futúra sunt in novíssimo maledictiónis; quóniam habet tempus finem suum. Aries quem vidisti habére córnua, rex Medórum est atque Persárum. Porrò hircus caprárum, rex Græcórum est; et cornu grande quod erat inter óculos ejus, ipse est rex primus. Quòd autem fracto illo, surrexérunt quátuor pro eo; quátuor reges de gente ejus consurgent, sed non in fortitúdine ejus. Et post regnum eórum, cùm créverint iniquitátes, consurget rex ímpudens fácie, et intélligens propositiónes. Et roborábitur fortitúdo ejus, sed non in víribus suis; et supra quàm credi potest, universa vastábit, et prosperábitur, et fáciet; et interfíciet robustos, et pópulum sanctórum secundùm voluntátem suam, et dirigétur dolus in manu ejus.

℣. Apparuérunt, 291.

FERIA QUINTA.

LECTIO I.

De Daniéle Prophéta.

(Cap. 9.)

In anno primo Darii filii Assuéri, de sémine Medórum, qui imperávit super regnum Chaldæórum: anno uno regni ejus, ego Dániel intellexi in libris númerum annórum, de quo factus est sermo Dómini ad Jeremíam prophétam, ut complerentur desolatiónis Jerúsalem septuaginta anni. Et pósui fáciem meam ad Dóminum Deum meum rogáre et deprecári in jejúniis, sacco et cínere. Et orávi Dóminum Deum meum, et confessus sum, et dixi: Obsecro, Dómine Deus magne et terríbilis, custódiens pactum et misericórdiam diligéntibus te, et custodiéntibus mandáta tua: peccávimus, iniquitátem fécimus, ímpiè égimus, et recéssimus et declinávimus à mandátis tuis ac judíciis: non obedívimus servis tuis Prophétis qui locúti sunt in nómine tuo régibus nostris, princípibus nostris, pátribus nostris, omnique pópulo terræ.

℣. Loquens rex, 291.

LECTIO II.

Adhuc me loquente in oratióne, ecce vir Gábriel quem víderam in visióne à princípio, citò volans tétigit me in témpore sacrifícii vespertíni. Et dócuit me, et locútus est mihi, dixitque: Dániel, nunc egressus sum ut docérem te, et intellígeres. Ab exórdio precum tuárum egressus est sermo; ego autem veni ut indicárem tibi, quia vir desideriórum es: tu ergo animadverte sermónem, et intéllige visiónem. Septuaginta hebdómades abbreviátæ

sunt super pópulum tuum et super urbem sanctam tuam, ut consummétur prævaricátio, et finem accípiat peccátum, et deleátur iníquitas, et adducátur justítia sempiterna, et impleátur vísio et prophetía, et ungátur Sanctus sanctórum.

℣. Exclamávit, 292.

LECTIO III.

Scito ergo, et animadverte: Ab éxitu sermónis, ut íterùm ædificétur Jerúsalem, usque ad Christum ducem, hebdómades septem, et hebdómades sexaginta duæ erunt: et rursum ædificábitur platéa, et muri in angústia temporum. Et post hebdómades sexaginta duas occidétur Christus; et non erit ejus pópulus, qui eum negatúrus est. Et civitátem et sanctuárium dissipábit pópulus cum duce ventúro: et finis ejus vástitas, et post finem belli statúta desolátio. Confirmábit autem pactum multis hebdómadâ unâ: et in dimídio hebdómadis defíciet hóstia et sacrifícium: et erit in templo abominátio desolatiónis; et usque ad consummatiónem et finem perseverábit desolátio.

℣. Benedictus Deus, 293.

FERIA SEXTA.

LECTIO I.

De Daniéle Prophéta.

(Cap. 10.)

In diebus illis, ego Dániel lugébam trium hebdomadárum diébus: panem desiderábilem non comédi, et caro et vinum non introiérunt in os meum; sed neque unguento unctus sum, donec complerentur trium hebdomadárum dies. Die autem vigésimâ et quartâ mensis primi eram juxta flúvium magnum, qui est Tigris. Et levávi óculos meos, et vidi: et ecce vir unus vestítus lineis, et renes ejus accincti auro obrízo: et corpus ejus quasi chrysólithus, et fácies ejus velut spécies fúlguris, et óculi ejus ut lampas ardens; et bráchia ejus, et quæ deorsum sunt usque ad pedes, quasi spécies æris candentis, et vox sermónum ejus ut vox multitúdinis.

℣. Sit nomen, 290.

LECTIO II.

(Cap. 12.)

Et ecce quasi duo álii stabant; unus hinc super ripam flúminis, et álius inde ex áltera ripa flúminis. Et dixi viro qui erat indútus líneis, qui stabat super aquas flúminis: Usquequò finis horum mirabílium? Et audívi virum qui indútus erat líneis, qui stabat super aquas flúminis, cùm elevasset déxteram et sinistram suam in cœlum, et jurasset per viventem in æternum, quia in tempus, et témpora, et dimídium témporis; et cùm compléta fúerit dis-

pérsio manûs pópuli sancti, complebuntur universa hæc. Et ego audívi, et non intellexi.

℣. Fuérunt, 290.

LECTIO III.

Et dixi : Dómine mi, quid erit post hæc? Et ait : Vade, Dániel, quia clausi sunt signatique sermónes usque ad præfinítum tempus. Eligentur, et dealbabuntur, et quasi ignis probabuntur multi : et ímpiè agent ímpii, neque intélligent omnes ímpii; porrò docti intélligent. Et à témpore cùm ablátum fúerit juge sacrifícium, et pósita fúerit abominátio in desolatiónem, dies mille ducenti nonaginta. Beátus qui expectat et pervénit usque ad dies mille trecentos triginta quinque. Tu autem vade ad præfinítum, et requiesces, et stabis in sorte tua in finem diérum.

℣. Apparuérunt, 291.

SABBATO.

LECTIO I.

De Daniéle Prophéta

(Cap. 13 et 14.)

Rex Astyages appósitus est ad patres suos; et suscépit Cyrus Perses regnum ejus. Erat autem Dániel convíva regis, et honorátus super omnes amícos ejus. Erat quoque idólum apud Babylónios, nómine Bel : et impendebantur in eo per dies síngulos símilæ ártabæ duódecim, et oves quadraginta, vinique ámphoræ sex. Rex quoque colebat eum, et ibat per síngulos dies adoráre eum : porrò Dániel adorábat Deum suum. Dixitque ei rex : Quare non adóras Bel? Qui respondens, ait ei : Quia non colo idóla manufacta, sed viventem Deum qui creávit cœlum et terram, et habet potestátem omnis carnis. Et dixit rex ad eum : Non vidétur tibi esse Bel vivens deus? an non vides quanta cómedat et bibat quotídiè? Et ait Dániel árridens : Ne erres, rex; iste enim intrínsecùs lúteus est, et forínsecùs æreus, neque cómedit aliquando.

[*Si fiat de Sabbato,* ℟℟. *sumentur è II Nocturno Dominicæ XXI.*]

LECTIO II.

Et irátus rex vocávit sacerdótes ejus, et ait eis : Nisi dixéritis mihi quis est qui cómedat impensas has, moriémini : si autem ostenderitis quóniam Bel cómedat hæc, moriétur Dániel, quia blasphemávit in Bel. Et dixit Dániel regi : Fiat juxta verbum tuum. Erant autem sacerdótes Bel septuaginta, exceptis uxóribus, et párvulis, et fíliis. Et venit rex cum Daniéle in templum Bel. Et dixérunt sacerdótes Bel : Ecce nos egrédimur forás; et tu, rex, pone escas,

et vinum misce, et claude óstium, et signa ánnulo tuo; et cùm ingressus fúeris mane, nisi invéneris ómnia comesta à Bel, morte moriémur, vel Dániel qui mentítus est adversùm nos. Contemnébant autem, quia féceránt sub mensa abscónditum introítum, et per illum ingrediebantur semper, et devorábant ea. Factum est ígitur, postquàm egressi sunt illi, rex pósuit cibos ante Bel. Præcépit Dániel púeris suis; et attulérunt cinerem, et cribrávit per totum templum coram rege: et egressi clausérunt óstium; et signantes ánnulo regis, abiérunt.

LECTIO III.

Sacerdotes autem ingressi sunt nocte juxta consuetúdinem suam, et uxóres, et fílii eórum; et comedérunt ómnia, et bibérunt. Surrexit autem rex primo dilúculo, et Dániel cum eo. Et ait rex: Salvane sunt signácula, Dániel? Qui respondit: Salva, rex. Statimque cùm aperuisset óstium, intúitus rex mensam, exclamávit voce magnà: Magnus es, Bel; et non est apud te dolus quisquam. Et risit Dániel, et tenuit regem ne ingrederétur intrò; et dixit: Ecce pavimentum, animadverte cujus vestígia sint hæc. Et dixit rex: Vídeo vestígia virórum, et mulíerum, et infántium. Et irátus est rex. Tunc apprehendit sacerdótes, et uxóres, et fílios eórum: et ostendérunt ei abscóndita ostíola per quæ ingrediebantur, et consumébant quæ erant super mensam. Occídit ergo illos rex, et trádidit Bel in potestátem Daniélis, qui subvertit eum, et templum ejus.

Ad Magníficat, *Ant.* 1. *D.* Duódecim Prophetárum ossa púllulent de loco suo; nam corroboravérunt Jacob, et redemérunt se in fide virtútis. *Eccli.* 49.

Oratio, ut infrà ad Laudes.

DOMINICA XXIII

POST PENTECOSTEN.

IN I.º NOCTURNO.

LECTIO I.

Incipit Osée Prophéta.

(Cap. 1.)

Verbum Dómini, quod factum est ad Osée fílium Beéri, in diébus Ozíæ, Jóathan, Achaz, Ezéchiæ regum Juda, et in diébus Jeróboam fílii Joas regis Israel. Princípium loquendi Dómino in Osée. Et dixit Dóminus ad Osée: Vade, sume tibi uxórem fornicatiónum, et fac tibi fílios fornicatiónum; quia fórnicans fornicábitur terra à Dómino. Et ábiit, et accépit Gomer fíliam Debélaim: et concépit, et péperit ei fílium. Et dixit Dóminus

ad eum : Voca nomen ejus, Jézrahel, quóniam adhuc módicum, et visitábo sánguinem Jézrahel super domum Jehu, et quiéscere fáciam regnum domûs Israel. Et in illa die cónteram arcum Israel in valle Jézrahel.

℟. Dómui Juda miserébor, et * Salvábo eos in Dómino Deo suo ; et non salvábo eos in arcu et gládio, et in bello, et in equis, et in equítibus. ℣. Non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei. * Salvábo eos. *Os.* 1. *Rom.* 9.

LECTIO II.

Et concépit adhuc, et péperit fíliam. Et dixit ei : Voca nomen ejus, Absque misericórdia ; quia non addam ultrà miseréri dómui Israel, sed oblivióne obliviscar eórum. Et dómui Juda miserébor, et salvábo eos in Dómino Deo suo ; et non salvábo eos in arcu et gládio, et in bello, et in equis, et in equítibus. Et ablactávit eam quæ erat Absque misericórdia. Et concépit, et péperit fílium. Et dixit : Voca nomen ejus, Non pópulus meus ; quia vos non pópulus meus ; et ego non ero vester. Et erit número filiórum Israel quasi aréna maris, quæ sine mensúra est, et non numerábitur. Et erit in loco ubi dicétur eis, Non pópulus meus vos ; dicétur eis, Fílii Dei viventis. Et congregabuntur fílii Juda, et fílii Israel páriter : et ponent sibimet caput unum, et ascendent de terra ; quia magnus dies Jézrahel.

℟. Dicit Dóminus : Miserébor ejus quæ fuit Absque misericórdia, et * Dicam *Non pópulo* meo : Pópulus meus es tu ; et ipse dicet : Deus meus es tu. ℣. Ut osténderet Deus divítias glóriæ suæ in vasa misericórdiæ quæ præparávit, vocávit nos non solùm ex Judæis, sed étiam ex géntibus, sicut in Osée dicit : * Dicam Non pópulo meo : Pópulus meus es tu ; et ipse dicet : Deus meus es tu. *Os.* 2. *Rom.* 9.

LECTIO III.

(Cap. 2.)

Dicite frátribus vestris : Pópulus meus ; et soróri vestræ : Misericórdiam consecúta. Judicáte matrem vestram, judicáte ; quóniam ipsa non uxor mea, et ego non vir ejus. Auferat fornicatiónes suas à fácie sua, et adultéria sua de médio úberum suórum ; ne fórte expóliem eam nudam, et státuam eam secundùm diem nativitátis suæ ; et ponam eam quasi solitúdinem, et státuam eam velut terram inviam, et interfíciam eam siti. Et filiórum illíus non miserébor, quóniam fílii fornicatiónum sunt ; quia fornicáta est mater eórum, confúsa est quæ concépit eos ;

quia dixit: Vadam post amatóres meos, qui dant panes mihi et aquas meas, lanam meam et linum meum, óleum meum et potum meum. Propter hoc ecce ego sépiam viam tuam spinis, et sépiam eam macériâ, et sémitas suas non invéniet. Et sequétur amatóres suos, et non apprehendet eos; et quæret eos, et non invéniet, et dicet: Vadam, et revertar ad virum meum priórem; quia bene mihi erat tunc magis quàm nunc.

℟. Dies multos sedébunt fílii Israel sine rege, sine sacrifício, et sine altári: et post hæc revertentur, * Et quærent Dóminum Deum suum; et † Pavébunt ad Dóminum, et ad bonum ejus. ℣. Propter incredulitátem fracti sunt rami: sed et illi si non permánserint in incredulitáte, inserentur: potens est enim Deus íterùm insérere illos. * Et. Glória. † Pavébunt. *Os.* 3. *Rom.* 11.

IN II.° NOCTURNO.

LECTIO IV.

Ex libro sancti Augustíni Episcopi, de Civitáte Dei.

(Lib. 18, c. 27.)

In cápite libri Osée prophétæ, qui primus in duódecim pónitur, ita scriptum est: Verbum Dómini quod factum est ad Osée in diébus Oziæ, et Jóathan, et Achaz, et Ezechíæ, regum Juda. Amos quoque diébus regis Oziæ prophetasse se scribit. Michæas étiam éadem suæ prophetíæ commémorat témpora post dies Oziæ; nam tres qui sequuntur, reges nóminat, quos et Osée nominávit, Jóathan, et Achaz, et Ezechíam. His adjúngitur Jónas, eódem Oziâ rege regnante; et Joel, cùm jam regnáret Jóathan, qui successit Oziæ. Ac per ea témpora isti velut fontes prophetíæ páriter erupérunt, quando regnum defécit Assyríum, cœpitque Románum: ut scílicet quemádmodùm regni Assyriórum primo témpore éxtitit Abraham, cui promissiónes apertíssimæ fierent in ejus sémine benedictiónis ómnium géntium; ita occidentális Babylónis exórdio, quâ fúerat Christus imperante ventúrus, in quo implerentur illa promissa, orácula Prophetárum, non solùm loquéntium, verùm étiam scribéntium, in tantæ rei futúræ testimónium solverentur.

℟. Contestátus es, Dómine, in spíritu tuo per manum Prophetárum tuórum; et non audiérunt. * Et tradidisti eos in manu populórum: in misericórdiis autem tuis plúrimis non fecisti eos in consumptiónem; quóniam Deus miseratiónum et clemens es tu. ℣. Occidérunt

Prophétas, et nos persecúti sunt; ut ímpleant peccáta sua semper: pervénit enim ira Dei super illos usque in finem. * Et tradidisti eos in manu populórum. 2. *Esdr.* 9. 1. *Thess.* 2.

LECTIO V.

(Cap. 28 et 30.)

OSEE ígitur prophéta, quantò profúndiùs quidem lóquitur, tantò operósiùs penetrátur. Sed áliquid inde sumendum est, et hic ex nostra promissióne ponendum. Et erit, inquit, in loco quo dictum est eis, Non pópulus meus vos, vocabuntur et ipsi fílii Dei vivi. Hoc testimónium prophéticum de vocatióne pópuli géntium, qui priùs non pertinébat ad Deum, étiam Apóstoli intellexérunt. Amos quoque de rebus tálibus sic prophétat: Præpara, inquit, te, ut ínvoces Deum tuum, Israel; quia ecce ego firmans tonítruum, et creans spíritum, et annúntians in homínibus Christum suum. Michæas prophéta Christum in figúra ponens cujusdam magni montis, hæc lóquitur: Erit in novíssimis diébus manifestus mons Dómini parátus super vértices móntium. Prædícens iste Prophéta et locum in quo natus est Christus: Et tu, inquit, Bethléem domus Ephrata, nequáquam minima es, ut sis in millíbus Juda: ex te mihi pródiet, ut sit in príncipem Israel, et egressus ejus ab ínitio, et ex diébus ætérnitátis.

℟. Quid est, Israel, quòd in terra inimicórum es? ínveterasti in terra aliéna: * Dereliquisti fontem sapiéntiæ; nam si in via Dei ambulásses, habitásses útique in pace sempiterna. ℣. Tu Judæus qui in lege gloriáris, per prævaricatiónem legis Deum inhonóras. * Dereliquisti fontem sapiéntiæ. *Baruch.* 3. *Rom.* 2.

LECTIO VI.

(Cap. 30 et 31.)

JONAS autem prophéta, non tam sermone Christum, quàm suâ quàdam passióne prophetávit; profectò apértiùs, quàm si ejus mortem et resurrectiónem voce clamáret. Ut quid enim exceptus est ventre belluíno, et die tértio rédditus, nisi ut significáret Christum de profundo inferni die tértio reditúrum? Joel ómnia quæ prophétat, multis verbis compellit expóni, ut quæ pértinent ad Christum et Eccléstam dilucescant. Unum tamen quod étiam Apóstoli commemoravérunt, quando in congregátos credentes Spíritus sanctus, sicut à Christo promissus fúerat, désuper venit, non prætermittam. Et erit, inquit, post hæc, et effundam de Spíritu meo super omnem

carnem; et prophetábunt fílii vestri et fíliæ vestræ. Abdias, quantum ad scriptúram ejus áttinet, ómnium brevíssimus Prophetárum, adversùs Idumæam lóquitur. Porrò, si Idumæam modo locutiónis, quo intellígitur à parte totum, accipiámus posítam esse pro Géntibus, de Christo agnóscere póssumus quod ait inter cétera: In monte autem Sion erit salus, et erit sanctum.

℣. Confortentur manus vestræ, qui audítis in his diébus sermónes Prophetárum: * Et erit, † Sicut erátis maledíctio in géntibus, domus Juda et domus Israel; sic éritis benedíctio. ℣. Vos estis fílii Prophetárum, et testamenti quod dispósuit Deus ad patres nostros. * Et erit sicut erátis. Glória Patri. † Sicut. *Zach.* 8. *Act.* 3.

IN III.° NOCTURNO.

LECTIO VII.

Léctio sancti Evangélii secundùm Matthæum.

(Cap. 9.)

In illo témpore; Loquente Jesu ad discípulos Joannis, ecce princeps unus accessit; et adorábat eum, dicens: Dómine, fília mea modò defuncta est; sed veni, impóne manum tuam super eam, et vivet. Et réliqua.

Homília sancti Ambrósii Epíscopi.

(In Luc. Lib. 6, n. 60.)

Consideremus quòd Christus suscitatúrus mórtuam, ad faciendam fidem, hemorrhoïsam antè curávit. Et ut scias exempli grátiâ stetisse sánguinis fluxum, dum illa pétitur, ista curátur. Sic et resurréctio temporális in Dómini passióne celebrátur, ut et perpétua illa credátur. Sic et María paritúra stérilis indicátur, ut conceptúra virgo credátur. Dénique audívit paritúram Elízabeth María, nec de sua generatióne dubitávit. Venérunt, inquit, servi dicentes príncipi: Noli vexáre illum. Adhuc et hi incréduli ad resurrectiónem quam Jesus in lege prædixit, in Evangélio complévit. Itaque cùm venisset in domum, paucos futúræ árbitros resurrectiónis ascívit; non enim à multis contínuò est crédita resurréctio.

℣. Quidam de Archisynagógis prócidit ad pedes Jesu, dicens: Fília mea in extrémis est: * Veni, impóne manum super eam, ut salva sit. ℣. Tu, Dómine, vitæ et mortis habes potestátem; dedúcis ad portas mortis, et redúcis. * Veni. *Marc.* 5. *Sap.* 16.

LECTIO VIII.

Dicente Dómino, Non est

mórtua puella, sed dormit, deridébant eum. Quicumque enim non credit, irrídet. Fleant ígitur mórtuos suos, qui putant mórtuos: ubi resurrectiónis fides est, non mortis est spécies, sed quiétis. Nec abhorret illud Matthæi, quod ait tibícines fuisse in domo príncipis, et turbam tumultuantem; quia more véteri tibícines ad incendendos excitandosque luctus videbantur adhibéri.

℣. Véniunt ab Archisynagógo, dicentes: Fília tua mórtua est; quid ultrà vexas Magistrum? Jesus ait: * Noli timére; tantúmmodò crede. ℣. Dabit tibi Dóminus petitiónes cordis tui: spera in eo, et ipse fáciet. * Noli timére; tantúmmodò. *Marc.* 5. *Ps.* 36.

LECTIO IX.

Tenens ergo manum puellæ Jesus, sanávit eam: et jussit ei dari manducáre; quod est testimónium vitæ, ut non phantasma, sed véritas crederétur. Beátus ille cui manum Sapiéntia tenet. Utinam meos quoque téneat actus, téneat manum justítia, téneat Dei Verbum, indúcat in penetrália sua, spíritum avertat erróris, convertat salútis, dari mihi júbeat manducáre! Panis enim cœléstis, Dei Verbum est. Inde et illa Sapiéntia quæ divíni córporis et sánguinis sacrosancta altária replévit alimentis: Veníte, inquit, édite panes meos, et bíbite vinum quod míscui vobis.

℣. Cùm venisset Jesus domum, tenens manum puellæ, * Clamávit, dicens: Puella, surge: et † Reversus est spíritus ejus; et surrexit contínuò. ℣. In omni necessitáte ómnia obáudiunt ei. * Clamávit. Glória. † Reversus. *Luc.* 8. *Eccli.* 42.

Ad Benedictus, *Ant.* 6. *C.* Dicébat múlier intra se: Si tetígero tantùm vestimentum ejus salva ero. *Matth. c.* 9.

ORATIO.

Absolve, quæsumus, Dómine, tuórum delicta populórum; ut à peccatórum néxibus, quæ pro nostra fragilitáte contráximus, tuâ benignitáte liberémur; Per.

Ad Magníficat, *Ant.* 1. D. Jesus conversus, dixit: Confide, fília; fides tua te salvam fecit. Et salva facta est múlier ex illa hora. *Matth. c.* 9.

FERIA SECUNDA.

LECTIO I.

De Osée Prophéta.

(Cap. 6.)

In tribulatióne sua mane consurgent ad me: Veníte, et revertámur ad Dóminum; quia ipse cepit, et sanábit nos; percútiet, et curábit nos. Vivificábit nos post duos dies, in die tértia sus-

citábit nos, et vivémus in conspectu ejus. Sciémus, sequemurque ut cognoscámus Dóminum: quasi dilúculum præparátus est egressus ejus, et véniet quasi imber nobis temporáneus et serótinus terræ. Quid fáciam tibi, Ephraïm? Quid fáciam tibi, Juda? Misericórdia vestra quasi nubes matutina, et quasi ros mane pertránsiens. Propter hoc dolávi in Prophétis, occídi eos in verbis oris mei; et judícia tua quasi lux egredientur. Quia misericórdiam vólui, et non sacrifícium; et sciéntiam Dei, plusquàm holocausta.

℣. Dómui Juda miserébor, 315.

LECTIO II.

(Cap. 11.)

Sicut mane tránsiit, pertránsiit rex Israel. Quia puer Israel, et dilexi eum; et ex Ægypto vocávi fílium meum. Vocavérunt eos, sic abiérunt à fácie eórum. Báalim immolábant, et simulácris sacrificábant. Et ego quasi nutrítius Ephraïm, portábam eos in bráchiis meis; et nesciérunt quòd curárem eos. In funículis Adam traham eos, in vínculis caritátis: et ero eis quasi exaltans jugum super maxillas eórum; et declinávi ad eum, ut vescerétur.

℣. Dicit, 315.

LECTIO III.

(Cap. 13.)

Perditio tua, Israel: tantúmmodò in me auxílium tuum. Ubi est rex tuus? Máximè nunc salvet te in ómnibus úrbibus tuis; et júdices tui, de quibus dixisti: Da mihi regem, et príncipes. Dabo tibi regem in furóre meo, et áuferam in indignatióne mea. Colligáta est iníquitas Ephraïm, abscónditum peccátum ejus. Dolóres parturientis vénient ei: ipse fílius non sápiens; nunc enim non stabit in contritióne filiórum. De manu mortis liberábo eos, de morte rédimam eos: ero mors tua, ô mors; morsus tuus ero, inferne: consolátio abscóndita est ab óculis meis.

℣. Dies multos, 316.

FERIA TERTIA.

LECTIO I.

Incipit Joel Propheta.

(Cap. 1.)

Verbum Dómini, quod factum est ad Joel fílium Phátuel. Audíte hoc, senes; et áuribus percípite, omnes habitatóres terræ: si factum est istud in diébus vestris, aut in diébus patrum vestrórum? Super hoc fíliis vestris narráte, et fílii vestri fíliis suis, et fílii eórum generatióni álteræ. Residuum

erúcæ comédit locusta, et resíduum locustæ comédit bruchus, et resíduum bruchi comédit rubigo.

℣. Contestátus es, 316.

LECTIO II.

(Cap. 2.)

Et erit post hæc: Effundam Spíritum meum super ómnem carnem; et prophetábunt fílii vestri, et fíliæ vestræ: senes vestri sómnia somniábunt, et júvenes vestri visiónes vidébunt. Sed et super servos meos et ancíllas in diébus illis effundam Spíritum meum. Et dabo prodígia in cœlo et in terra, sánguinem, et ignem, et vapórem fumi. Sol convertétur in ténebras, et luna in sánguinem, ántequàm véniat dies Dómini magnus et horríbilis. Et erit: Omnis qui invocáverit nomen Dómini, salvus erit; quia in monte Sion et in Jerúsalem erit salvátio, sicut dixit Dóminus, et in resíduis quos Dóminus vocáverit.

℣. Quid est, 317.

LECTIO III.

(Cap. 3.)

Consurgant et ascendant gentes in vallem Jósaphat; quia ibi sedébo ut júdicem omnes gentes in circúitu. Míttite falces, quóniam maturávit messis: veníte, et descéndite, quia plenum est torcúlar, exúberant torculária; quia multiplicáta est malítia eórum. Pópuli, pópuli in valle concisiónis; quia juxta est dies Dómini in valle concisiónis. Sol et luna obtenebráti sunt, et stellæ retraxérunt splendórem suum. Et Dóminus de Sion rúgiet, et de Jerúsalem dabit vocem suam; et movebuntur cœli et terra: et Dóminus spes pópuli sui, et fortitúdo fíliorum Israel. Et sciétis quia ego Dóminus Deus vester hábitans in Sion monte sancto meo: et erit Jerúsalem sancta, et aliéni non transíbunt per eam ámpliùs.

℣. Confortentur, 318.

FERIA QUARTA.

LECTIO I.

Incipit Amos Prophéta.

(Cap. 1.)

Verba Amos qui fuit in pastóribus de Thécue, quæ vidit super Israel in diébus Oziæ regis Juda, et in diébus Jeróboam fílii Joas regis Israel, ante duos annos terræ motûs. Et dixit: Dóminus de Sion rúgiet, et de Jerúsalem dabit vocem suam; et luxérunt speciósa pastórum, et exsiccátus est vertex Carméli. Hæc dicit Dóminus: Super tribus sceléribus Damasci, et super quátuor non convertam eum, eò quòd trituráverint in plaustris férreis Gálaad. Et mittam

ignem in domum Azael, et devorábit domos Bénadad Et cónteram vectem Damasci : et disperdam habitatórem de campo idóli, et tenentem sceptrum de domo voluptátis; et transferétur pópulus Syriæ Cyrénen, dicit Dóminus.

℟. Dómui Juda, 315.

LECTIO II.

(Cap. 6.)

Væ qui opulenti estis in Sion, et confíditis in monte Samaríæ; optimátes cápita populórum, ingredientes pompáticè domum Israel. Transíte in Chálane, et vidéte, et ite inde in Emath magnam; et descéndite in Geth Palæstinórum, et ad óptima quæque regna horum, si látior términus eórum término vestro est. Qui separáti estis in diem malum, et appropinquátis sólio iniquitátis : qui dormítis in lectis ebúrneis, et lascivítis in stratis vestris : qui coméditis agnum de grege, et vítulos de médio armenti. Qui cánitis ad vocem psaltérii; sicut David putavérunt se habére vasa cántici. Bibentes vinum in phíalis, et óptimo unguento delibúti; et nihil patiebantur super contritióne Joseph. Quapropter nunc migrábunt in cápite transmigrántium, et auferétur fáctio lasciviéntium.

℣. Dicit, 315.

LECTIO III.

(Cap. 7.)

Et misit Amásias sacerdos Bethel ad Jeróboam regem Israel, dicens : Rebellávit contra te Amos in médio domûs Israel : non póterit terra sustinére universos sermónes ejus. Hæc enim dicit Amos : In gládio moriétur Jeróboam, et Israel captívus migrábit de terra sua. Et dixit Amásias ad Amos : Qui vides, grádere, fuge in terram Juda, et cómede ibi panem, et prophetábis ibi : et in Bethel non adjícies ultrà ut prophétes; quia sanctificátio regis est, et domus regni est. Respondítque Amos, et dixit ad Amásiam : Non sum Prophéta, et non sum fílius Prophétæ, sed armentárius ego sum, véllicans sycómoros : et tulit me Dóminus, cùm séquerer gregem; et dixit Dóminus ad me : Vade, prophéta ad pópulum meum Israel. Et nunc audi verbum Dómini : Tu dicis : Non prophetábis super Israel, et non stillábis super domum idóli. Propter hoc hæc dicit Dóminus : Uxor tua in civitáte fornicábitur, et fílii tui et fíliæ tuæ in gládio cadent, et humus tua funículo metiétur : et tu in terra pollúta moriéris; et Israel captívus migrábit de terra sua.

℣. Dies multos, 316.

FERIA QUINTA.

LECTIO I.

Incipit Abdias Prophéta.

Visio Abdiæ. Hæc dicit Dóminus Deus ad Edom : Audítum audívimus à Dómino, et legátum ad gentes misit : Súrgite, et consurgámus adversùs eum in prælium. Ecce párvulum dedi te in géntibus : contemptíbilis tu es valde. Superbia cordis tui éxtulit te habitántem in scissúris petrárum, exaltántem sólium tuum; qui dicis in corde tuo : Quis détrahet me in terram ? Si exaltátus fúeris ut áquila, et si inter sídera posúeris nidum tuum ; inde détraham te, dicit Dóminus.

℣. Contestátus es, 316.

LECTIO II.

Numquid non in die illa, dicit Dóminus, perdam sapientes de Idumæa, et prudéntiam de monte Esaü ? Et timébunt fortes tui à Merídie, ut intéreat vir de monte Esaü. Propter interfectiónem, et propter iniquitátem in fratrem tuum Jacob, opériet te confúsio, et períbis in æternum. In die cùm stares adversùs eum, quando capiébant aliéni exércitum ejus, et extránei ingrediebantur portas ejus, et super Jerúsalem mittébant sortem ; tu quoque eras quasi unus ex eis.

℣. Quid est, 317.

LECTIO III.

In monte Sion erit salvátio, et erit sanctus : et possidébit domus Jacob eos qui se posséderant. Et erit domus Jacob, ignis : et domus Joseph, flamma ; et domus Esaü, stípula : et succendéntur in eis, et devorábunt eos ; et non erunt relíquiæ domûs Esaü, quia Dóminus locútus est. Et hæreditábunt hi qui ad Austrum sunt, montem Esaü, et qui in campéstribus Philísthiim : et possidébunt regiónem Ephraïm, et regiónem Samaríæ : et Bénjamin possidébit Gálaad. Et transmigrátio exércitûs hujus filiórum Israel, ómnia loca Chananæórum usque ad Sareptam, et transmigrátio Jerúsalem, quæ in Bosphoro est, possidébit civitátes Austri. Et ascendent salvatóres in montem Sion judicáre montem Esaü ; et erit Dómino regnum.

℣. Confortentur, 318.

FERIA SEXTA.

LECTIO I.

Incipit Jonas Prophéta.

(Cap. I.)

Et factum est verbum Dómini ad Jonam fílium Amathi, dicens : Surge, et vade in Nínivem civitátem gran-

dem; et prædica in ea: Quia ascendit malítia ejus coram me. Et surrexit Jonas, ut fúgeret in Tharsis à fácie Dómini; et descendit in Joppen, et invénit navem euntem in Tharsis; et dedit naulum ejus, et descendit in eam ut iret cum eis in Tharsis à fácie Dómini. Dóminus autem misit ventum magnum in mare, et facta est tempestas magna in mari, et navis periclitabátur cónteri. Et timuérunt nautæ, et clamavérunt viri ad deum suum, et misérunt vasa quæ erant in navi, in mare, ut alleviarétur ab eis. Et Jonas descendit ad interióra navis, et dormiébat sopóre gravi. Et accessit ad eum gubernátor, et dixit ei: Quid tu sopóre deprímeris? surge, ínvoca Deum tuum, si fortè recógitet Deus de nobis, et non pereámus.

℣. Dómui Juda, 315.

LECTIO II.

(Cap. 1, et 2.)

Et dixit ad eos: Tóllite me, et míttite in mare, et cessábit mare à vobis; scio enim ego quóniam propter me tempestas hæc grandis venit super vos. Et remigábant viri ut reverterentur ad áridam, et non valébant; quia mare ibat, et intumescébat super eos. Et clamavérunt ad Dóminum, et dixérunt: Quæsumus, Dómine, ne pereámus in ánima viri istíus, et ne des super nos sánguinem innocentem, quia tu, Dómine, sicut voluisti, fecisti. Et tulérunt Jonam, et misérunt in mare: et stetit mare à fervóre suo. Et timuérunt viri timóre magno Dóminum; et immolavérunt hóstias Dómino, et vovérunt vota. Et præparávit Dóminus piscem grandem, ut deglutíret Jonam. Et erat Jonas in ventre piscis tribus diébus et tribus nóctibus. Et orávit Jonas ad Dóminum Deum suum de ventre piscis.

℣. Dicit, 315.

LECTIO III.

(Cap. 2 et 3.)

Et dixit Dóminus pisci: et evómuit Jonam in áridam. Et factum est verbum Dómini ad Jonam secundò, dicens: Surge, et vade in Nínivem civitátem magnam; et prædica in ea prædicatiónem quam ego loquor ad te. Et surrexit Jonas, et ábiit in Níniven juxta verbum Dómini: et Nínive erat cívitas magna itínere trium diérum. Et cœpit Jonas introíre in civitátem itínere diéi uníus; et clamávit, et dixit: Adhuc quadraginta dies, et Nínive subvertétur. Et credidérunt viri Ninivítæ in Deum, et prædicavérunt jejúnium, et vestíti sunt saccis à majóre usque ad minórem. Et pervénit verbum ad regem Nínive; et surrexit de sólio suo, et

abjécit vestimentum suum à se, et indútus est sacco, et sedit in cínere. Et clamávit, et dixit in Nínive ex ore regis et príncipum ejus, dicens : Hómines, et jumenta, et boves, et pécora non gustent quidquam, nec pascantur, et aquam non bibant : et operiantur saccis hómines et jumenta, et clament ad Dóminum in fortitúdine ; et convertátur vir à via sua mala, et ab iniquitáte quæ est in mánibus eórum. Quis scit si convertátur, et ignoscat Deus, et revertátur à furóre iræ suæ, et non péribimus? Et vidit Deus ópera eórum, quia conversi sunt de via sua mala : et misértus est Deus super malítiam quam locútus fúerat ut fáceret eis, et non fecit.

℣. Dies multos, 316.

SABBATO.

LECTIO I.

Incípit Michæas Prophéta.

(Cap. 1.)

Verbum Dómini quod factum est ad Michæam Morasthíten in diébus Jóathan, Achaz, et Ezechíæ, regum Juda ; quod vidit super Samaríam et Jerúsalem. Audíte, pópuli omnes ; et attendat terra, et plenitúdo ejus : et sit Dóminus Deus vobis in testem, Dóminus de templo sancto suo. Quia ecce Dóminus egrediétur de loco suo, et descendet ; et calcábit super excelsa terræ. Et consumentur montes subtus eum ; et valles scindentur sicut cera à fácie ignis, et sicut aquæ quæ decurrunt in præceps. In scélere Jacob omne istud, et in peccátis domûs Israel. Quod scelus Jacob? Nonne Samaría? Et quæ excelsa Judæ? Nonne Jerúsalem? Et ponam Samaríam quasi acervum lápidum in agro, cùm plantátur vínea ; et détrahàm in vallem lápides ejus, et fundamenta ejus revelábo.

[*Si fiat de Sabbato*, ℟℟. *sumentur è II Nocturno Dominicæ præcedentis.*]

LECTIO II.

(Cap. 3.)

Hæc dicit Dóminus super Prophétas qui sedúcunt pópulum meum, qui mordent déntibus suis, et prædicant pacem : et si quis non dáderit in ore eórum quíppiam, sanctificant super eum prælium. Propterèa nox vobis pro visióne erit, et ténebræ vobis pro divinatióne ; et occumbet sol super Prophétas, et obtenebrábitur super eos dies. Et confundentur qui vident visiónes, et confundentur divíni : et opérient omnes vultus suos, quia non est responsum Dei. Verúmtamen ego replétus sum fortitúdine Spíritûs Dómini, judício, et virtúte ; ut annúntiem Jacob scelus suum, et Israel peccátum suum.

LECTIO III.

(Cap. 5.)

Et tu, Béthleem Ephrata, párvulus es in míllibus Juda : ex te mihi egrediétur qui sit dominátor in Israel; et egressus ejus ab inítio, à diébus æternitátis. Propter hoc dabit eos usque ad tempus in quo partúriens páriet; et relíquiæ fratrum ejus convertentur ad fílios Israel. Et stabit, et pascet in fortitúdine Dómini, in sublimitáte nóminis Dómini Dei sui; et convertentur, quia nunc magnificábitur usque ad términos terræ. Et erit iste pax.

Ad Magníficat, *Ant.* 5. C. Prophetavérunt Aggæus et Zacharías ad Judæos qui erant in Jerúsalem, in nómine Dei Israel. Et cœpérunt ædificáre templum Dei, et cum eis Prophétæ Dei adjuvantes eos. 1. *Esdr.* 5.

Oratio, ut infrà ad Laud.

DOMINICA XXIV
POST PENTECOSTEN.

IN I.° NOCTURNO.

LECTIO I.

Incipit Nahum Prophéta.

(Cap. 1.)

Onus Nínive : Liber visiónis Nahum Elcesæi. Deus æmulátor, et ulciscens Dóminus : ulciscens Dóminus, et habens furórem : ulciscens Dóminus in hostes suos, et irascens ipse inimícis suis. Dóminus pátiens, et magnus fortitúdine, et mundans non fáciet innocentem. Dóminus in tempestáte et túrbine viæ ejus, et nébulæ pulvis pedum ejus. Increpans mare, et exsiccans illud, et ómnia flúmina ad desertum dedúcens. Infirmátus est Basan et Carmélus; et flos Líbani elánguit. Montes commóti sunt ab eo, et colles desoláti sunt; et contrémuit terra à fácie ejus, et orbis, et omnes habitantes in eo. Ante fáciem indignatiónis ejus quis stabit? et quis resistet in ira furóris ejus? Indignátio ejus effúsa est ut ignis, et petræ dissolútæ sunt ab eo.

℟. Dómui Juda miserébor, et * Salvábo eos in Dómino Deo suo; et non salvábo eos in arcu et gládio, et in bello, et in equis, et in equítibus. ℣. Non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei. * Salvábo eos. *Os.* 1. *Rom.* 9.

LECTIO II.

Bonus Dóminus, et confortans in die tribulatiónis, et sciens sperantes in se. Et in dilúvio prætereunte consummatiónem fáciet loci ejus; et inimícos ejus persequentur ténebræ. Quid cogitátis contra Dóminum? Consummatiónem ipse fáciet : non consurget duplex tribulátio. Quia sicut spinæ

se ínvicem complectuntur, sic convívium eórum páriter potántium : consumentur quasi stípula aridítáte plena. Ex te exíbit cógitans contra Dóminum malítiam, mente pertractans prævaricatiónem.

℟. Dicit Dóminus : Miserébor ejus quæ fuit Absque misericórdia, et * Dicam Non pópulo meo : Pópulus meus es tu; et ipse dicet : Deus meus es tu. ℣. Ut osténderet Deus divítias glóriæ suæ in vasa misericórdiæ quæ præparávit, vocávit nos non solùm ex Judæis, sed étiam ex géntibus, sicut in Osée dicit : * Dicam Non pópulo meo. *Os.* 2. *Rom.* 9.

LECTIO III.

Hæc dicit Dóminus : Si perfecti fuérint, et ita plures; sic quoque cattundentur, et pertransíbit. Afflixi te, et non afflígam te ultrà. Et nunc cónteram virgam ejus de dorso tuo, et víncula tua disrumpam. Et præcípiet super te Dóminus, non seminábitur ex nómine tuo ámpliùs : de domo dei tui interfíciam scúlptile et conflátile : ponam sepulcrum tuum, quia inhonorátus es. Ecce super montes pedes evangelizántis et annuntiántis pacem. Célebra, Juda, festivitátes tuas, et redde vota tua; quia non adjíciet ultrà ut pertránseat in te Bélial : universus intériit.

℟. Dies multos sedébunt fílii Israel sine rege, sine sacrifício, et sine altári : et post hæc revertentur, * Et quærent Dóminum Deum suum; et † Pavébunt ad Dóminum, et ad bonum ejus. ℣. Propter incredulitátem fracti sunt rami : sed et illi si non permánserint in incredulitáte, inserentur : potens est enim Deus íterùm insérere illos. * Et quærent Dóminum. Glória Patri. † Pavébunt ad Dóminum. *Os.* 3. *Rom.* 11.

IN II.° NOCTURNO.

LECTIO IV.

Ex libro sancti Augustíni Epíscopi, de Civitáte Dei.

(Lib. 18. Cap. 31 et 32.)

Nahum prophéta, imò per illum Deus : Exterminábo, inquit, sculptília et conflatília : ponam sepultúram tuam; quia velóces ecce super montes pedes evangelizántis et annuntiántis pacem. Célebra, Juda, dies festos tuos, redde vota tua; quia jam non adjícient ultrà, ut tránseant in vetustátem. Consummátum est, consumptum est, ablátum est. Ascendit qui insufflat in fáciem tuam, eripiens te ex tribulatióne. Quis ascénderit ab ínferis, et insufflàverit in fáciem Judæ, hoc est, Judæórum discipulórum, Spíritum sanctum,

récolat, qui méminit Evangélium. Hábacuc de quo alio, quàm de Christi adventu qui futúrus fúerat, intellígitur dícere : Et respondit Dominus ad me, et dixit : Scribe visum apertè in buxo, ut assequátur qui legit ea ; quia adhuc vísio ad tempus, et oriétur in fine, et non in vácuum : si tardáverit, sustíne eum ; quia véniens véniet, et non morábitur. In oratióne autem sua cum cántico, cui nisi Dómino Christo, dicit : Dómine, audívi auditiónem tuam, et tímui ; Dómine, considerávi ópera tua, et expávi ? Quid enim hoc est, nisi præcógnitæ, novæ ac repentínæ salútis hóminum ineffábilis admirátio ?

℟. Contestátus es, Dómine, in spíritu tuo per manum Prophetárum tuórum ; et non audiérunt. * Et tradidisti eos in manu populórum : in misericórdiis autem tuis plúrimis non fecisti eos in consumptiónem ; quóniam Deus miseratiónum et clemens es tu. ℣. Occidérunt Prophétas, et nos persecúti sunt ; ut ímpleant peccáta sua semper : pervénit enim ira Dei super illos usque in finem. * Et tradidisti eos. 2. *Esdr.* 9. 1. *Thess.* 2.

LECTIO V.

(Cap. 33 et 35.)

Sophoniæ autem prophétæ, qui cum Jeremía prophetábat, hæc prædicta de Christo ínterim ponam : Expecta me, dicit Dóminus, in die resurrectiónis meæ, in futúrum, quia judícium meum, ut cóngregem gentes, et cólligam regna. Restant tres minóres Prophétæ, qui prophetavérunt in fine captivitátis, Aggæus, Zacharías, Malachías. Quorum Aggæus Christum et Ecclésiam hàc apértiùs brevitáte prophétat : Hæc dicit Dóminus exercítuum : Adhuc unum módicum est, et ego commovébo cœlum, et terram, et mare, et áridam ; et movébo omnes gentes : et véniet Desidérátus cunctis géntibus.

℟. Quid est, Israel, quòd in terra inimicórum es ? inveterasti in terra aliéna : * Dereliquisti fontem sapiéntiæ ; nam si in via Dei ambulásses ; habitásses útique in pace sempiterna. ℣. Tu Judæus qui in lege gloriáris, per prævaricatiónem legis Deum inhonóras : * Dereliquisti. *Baruch* 3. *Rom.* 2.

LECTIO VI.

Zacharias de Christo et Ecclésia, Exulta, inquit, valde, fília Sion ; júbila, fília Jerúsalem : ecce Rex tuus véniet tibi, justus et salvátor ; ipse pauper, et ascendens super ásinam et super pullum fílium ásinæ ; et potestas ejus à mari usque ad mare, et à flumínibus usque

ad fines terræ. Hoc quando factum sit, ut Dominus Christus in itínere jumento hujus géneris uterétur, in Evangélio légitur. Malachías prophétans Ecclésiam, quam per Christum cérnimus propagátam, Judæis apertíssime dicit ex persóna Dei : Non est mihi voluntas in vobis; et munus non suscípiam de manu vestra. Ab ortu enim solis usque ad occásum, magnum est nomen meum in géntibus; et in omni loco sacrificábitur et offerétur nómini meo oblátio munda. Hoc sacrifícium per sacerdótium Christi secundùm órdinem Melchísedech, cùm in omni loco à solis ortu usque ad occásum Deo jam videámus offerri; sacrifícium autem Judæórum, quibus dictum est : Non est mihi voluntas in vobis, nec accípiam de mánibus vestris munus, cessasse negáre non possunt. Quid adhuc expectant álium Christum, cùm hoc quod prophetátum legunt et implétum vident, impléri non potúerit, nisi per ipsum?

℟. Confortentur manus vestræ, qui audítis in his diébus sermónes Prophetárum : * Et erit, ✝ Sicut erátis maledíctio in géntibus, domus Juda et domus Israel; sic éritis benedíctio. ℣. Vos estis fílii Prophetárum, et testamenti quod dispósuit Deus ad patres nostros : * Et erit sicut erátis. Glória Patri. ✝ Sicut. *Zach.* 8. *Act.* 3.

IN III.° NOCTURNO.

LECTIO VII.

Léctio sancti Evangélii secundùm Matthæum.

(Cap. 24.)

In illo témpore; Dixit Jesus discípulis suis : Cùm vidéritis abominatiónem desolatiónis quæ dicta est à Daniele prophéta, stantem in loco sancto : qui legit, intélligat. Et réliqua.

Homília sancti Joannis Chrysóstomi.

(Homil. 77. in Matth.)

Christus nec principáliter, nec à seipso ad hunc sermónem dévenit; sed deflendo primùm civitátem, discípulos in quamdam véluti necessitátem ostendendi moles ædificiórum, et interrogandi cómpulit; ut quasi ad interrogáta respondens, futúra prænúntiet. Tu autem dispensatiónem Spíritûs considera. Nihil enim horum Joannes scripsit; ne, quóniam post Judæórum illas ærumnas longo témpore superstes fuit, ab eventu rerum, non à prædicatióne Christi scríbere vidéatur. Qui autem ante illam Hierosolymórum desolatiónem vivis excessérunt, quique nihil horum vidé-

runt; ipsi, ut úndique prædictiónis véritas resplendéret, ista scripsérunt. Tunc si quis, inquit, vobis díxerit: Ecce hic est Christus, aut illìc, nolíte crédere. Voce illâ, Tunc, non quæ statim pósteà forent significat; sed tempus designat quo hæc ab illo prædicta futúra essent. Si quis vobis díxerit: Ecce hic est Christus, aut illìc, nolíte crédere. A loco primùm ipsos cautiónes facit, dum signa quædam secundi adventûs sui, et seductórum ostenta expónit. Non enim quemádmodùm in primo suo adventu in Béthleem apparúerat, et in parvo orbis ángulo, nec ullo hóminum et a princípio sciente, ita et tunc, inquit; sed apertè et cum splendóre, ita ut res núntio non égeat. Neque parvum illud signum est ipsum non latenter ventúrum esse.

℣. Cùm vidéritis abominatiónem desolatiónis quæ dicta est à Daniéle prophéta, stantem in loco sancto; qui legit, intélligat. * Erit tunc tribulátio magna, qualis non fuit ab inítio, neque fiet. ℣. Erit in templo abominátio desolatiónis, et usque ad consummatiónem et finem perseverábit desolátio.* Erit. *Matth.* 24. *Dan.* 9.

LECTIO VIII.

Considera autem quóniam non ámpliùs hic de bello dísputat; sed cùm de adventu dísserat suo, de seductóribus verba facit. Multi enim quidem, Apostolórum étiam témpore, seductóres fuérunt: qui verò ante secundum adventum seducent, multò illis erunt deterióres. Tunc de seipso demum expónit: Sicut fulgur exit ab oriente, et paret usque ad occidentem; sic erit adventus Fílii hóminis, ubíque simul majestátis splendóre clarescens. Tum áliud signum adjécit, dicens: Ubi corpus, ibi et áquilæ; Angelórum, Mártyrum, ceterorumque Sanctórum cœtum significans. Dénique signa terróris plena percenset. Quæ autem hæc signa sunt? Statim post tribulatiónem diérum illórum sol obtenebrábitur. Quorum diérum? Antichristi vidélicet, et falsórum prophetárum. Magna enim tunc tribulátio futúra, cùm sic multi futúri sunt seductóres, quanquam non in longa témpora producenda ea tribulátio est. Nam cùm bellum illud Judáicum propter electos intra brevióres moras coactum sit, ac dissolútum; quantò magis propter eos ipsos tentátio illa contrahétur? Prætéreà non dixit, Post tribulatiónem; sed, Statim post tribulatiónem. Ita ferè simul ómnia peraguntur: tum nempe

pseudoprophétæ et pseudochristi turbas cient, tum ipse confestim præstò venit.

℣. Ecce prædixi vobis ómnia; sed in illis diébus post tribulatiónem illam sol contenebrábitur, et luna non dabit splendórem suum: * Et stellæ cœli erunt decidentes; et virtútes quæ in cœlis sunt, movebuntur. ℣. Obtenebrátus est sol in ortu suo, et luna non splendébit in lúmine suo: et visitábo super orbis mala; et contra ímpios iniquitátem eórum: * Et. *Marc* 13. *Is.* 13.

LECTIO IX.

Tunc apparébit signum Fílii hóminis in cœlo, crux nimírum sole fulgéntior: quippe cùm ille obscurétur, crux autem perspléndeat; quod fíeri non posset, nisi lucis suæ fulgóribus solis rádios superáret. Cujus autem rei grátiâ signum illud appáret? Ut magno cúmulo Judæórum imprudéntia opprimátur. Crucem in suam justificatiónem secum habens, in judícium véniet; non vúlnera solùm, sed et acerbum ac ignominiósum mortis suæ genus ostendens. Tunc plangent se tribus. Non enim accusántibus opus erit, cùm crucem víderint. Plangent ígitur, quia ex morte ipsíus nihil profecérunt; quia quem adoráre oportébat, cruci affixérunt. Vides quómodò terribíliter adventum suum descripsit? quómodò discípulórum suórum ánimos suscitávit? Idcircò priùs tristia pósuit; deinde jucunda commémorat, ut vel hoc modo eos consolétur. Quin et passiónis rursus ac resurrectiónis cómmonet, splendidiorique hábitu circumvestítæ crucis comméminit; ut jam non púdeat eos, nec dolor invádat, cùm signi loco atque vexilli eam ostendens ventúrus sit.

℣. Plangent omnes tribus terræ; et vidébunt Fílium hóminis veniéntem in núbibus cœli cum virtúte multa et majestáte. * Et † Mittet Angelos suos cum tuba et voce magna, et congregábunt electos ejus. ℣. Pópule meus, stat ad judicandum Dóminus, et stat ad judicandos pópulos. * Et. Glória. † Mittet. *Matth.* 24. *Is.* 3.

Ad Benedictus, *Ant.* 2. D. Surgent pseudochristi et pseudoprophétæ, et dabunt signa magna; ita ut in errórem inducantur, si fíeri potest, étiam electi. Ecce prædixi vobis. *Matth.* 24.

ORATIO.

Excita, quæsumus, Dómine tuórum fidélium voluntátes; ut divíni óperis fructum propénsiùs exequéntes, pietátis tuæ remédia majóra percípiant; Per Dominum.

Ad Magníficat, *Ant.* 1 f. Amen dico vobis quia non

præteríbit generátio hæc, donec ómnia fiant. Cœlum et terra transíbunt, verba autem mea non præteríbunt. *Matth.* 24.

FERIA SECUNDA.

LECTIO I.

Incipit Hábacuc Prophéta.

(Cap. 1.)

ONUS quod vidit Hábacuc prophéta. Usquequò, Dómine, clamábo, et non exáudies? vociferábor ad te vim pátiens, et non salvábis? Quare ostendisti mihi iniquitátem et labórem, vidére prædam et injustítiam contra me? Et factum est judícium, et contradíctio poténtior. Propter hoc lacerâta est lex, et non pervénit usque ad finem judícium: quia ímpius prævalet adversùs justum; proptéreà egréditur judícium perversum.

℣. Dómui Juda, 326.

LECTIO II.

(Cap. 2.)

SUPER custódiam meam stabo, et figam gradum super munitiónem: et contemplábor, ut vídeam quid dicátur mihi, et quid respóndeam ad arguéntem me. Et respondit mihi Dóminus, et dixit: Scribe visum, et explána eum super tábulas, ut percurrat qui légerit eum. Quia adhuc visus procul, et apparébit in finem, et non mentiétur: si moram fécerit, expecta illum; quia véniens véniet, et non tardábit. Ecce qui incrédulus est, non erit recta ánima ejus in semetipso; justus autem in fide sua vivet. Et quómodò vinum potántem décipit; sic erit vir superbus, et non decorábitur: qui dilatávit quasi infernus ánimam suam, et ipse quasi mors, et non adimplétur; et congrégabit ad se omnes gentes, et coacervábit ad se omnes pópulos. Numquid non omnes isti super eum parábolam sument, et loquélam ænígmatum ejus; et dicétur: Væ ei qui multíplicat non sua? Usquequò et ággravat contra se densum lutum?

℣. Dicit Dóminus, 327.

LECTIO III.

NUMQUID non repentè consurgent qui mórdeant te, et suscitabuntur lacerantes te, et eris in rapínam eis? Quia tu spoliásti gentes multas, spoliábunt te omnes qui réliqui fúerint de pópulis propter sánguinem hóminis, et iniquitátem terræ civitátis, et ómnium habitántium in ea. Væ qui cóngregat avarítiam malam dómui suæ, ut sit in excelso nidus ejus, et liberári se putat de manu mali. Cogitásti confusiónem dómui tuæ, concidísti pópulos multos, et peccávit ánima tua. Quia lapis de paríete clamábit;

et lignum quod inter junctúras ædificiórum est, respondébit. *Væ qui ædíficat* civitátem in sanguínibus, et præparat urbem in iniquitáte. Numquid non hæc sunt à Dómino exercítuum? Laborábunt enim pópuli in *multo igne*, et *gentes in vácuum*, et deficient.

℟. Dies multos, 327.

FERIA TERTIA.

LECTIO I.

Incipit Sophónias Prophéta.

(Cap. 1.)

Verbum Dómini quod factum est ad Sophoníam fílium Chusi, fílii Godolíæ, fílii Amaríæ, fílii Ezecíæ in diebus Josíæ, fílii Amon regis Judæ. Congregans congregábo ómnia à fácie terræ, dicit Dóminus. Congregans hóminem et pecus, congregans volatília cœli et pisces maris; et ruínæ impiórum erunt: et disperdam hómines à fácie terræ, dicit Dóminus. Et extendam manum meam super Judam, et super omnes habitantes Jerúsalem; et disperdam de loco hoc relíquias Baal, et nómina æduórum cum sacerdótibus; et eos qui adórant super tecta milítiam cœli, et adórant et jurant in Dómino, et jurant in Melchom; et qui avertuntur de post tergum Dómini; et qui non quæsiérunt Dóminum, nec investigavérunt eum.

℟. Contestátus es, 328.

LECTIO II.

In tempore illo scrutábor Jerúsalem in lucernis: et visitábo super viros defixos in fæcibus suis, qui dicunt in córdibus suis: Non fáciet bene Dóminus, et non fáciet malè. Et erit fortitúdo eórum in direptiónem, et domus eórum in desértum: et ædificábunt domos, et non habitábunt; et plantábunt víneas, et non bibent vinum eárum. Juxtà est dies Dómini magnus; juxta est, et velox nimis: vox diéi Dómini amára, tribulábitur ibi fortis. Dies iræ dies illa, dies tribulatiónis et angústiæ, dies calamitátis et miséria, dies tenebrárum et caliginis, dies nébulæ et túrbinis, dies tubæ et clangóris super civitátes munítas et super ángulos excelsos. Et tribulábo hómines: et ambulábunt ut cæci, quia Dómino peccavérunt; et effundétur sanguis eórum sicut humus, et córpora eórum sicut stércora. Sed et argentum eórum, et aurum eórum non póterit liberáre eos in die iræ Dómini.

℟. Quid est, Israel, 328.

LECTIO III.

(Cap. 3.)

Expecta me, dicit Dóminus, in die resurrectiónis

meæ in futúrum, quia judícium meum ut cóngregem gentes, et cólligam regna; et effundam super eos indignatiónem meam, omnem iram furóris mei: in igne enim zeli mei devorábitur omnis terra. Quia tunc reddam pópulis lábium electum, ut ínvocent omnes in nómine Dómini, et sérviant ei húmero uno. Ultra flúmina Æthiópiæ, inde súpplices mei; fílii dispersórum meórum déferent munus mihi. In die illa non confundéris super cunctis adinventiónibus tuis, quibus prævaricáta es in me; quia tunc áuferam de médio tuî magníloquos supérbiæ tuæ, et non adjícies exaltári ámpliùs in monte sancto meo. Et derelinquam in médio tuî pópulum páuperem et egénum; et sperábunt in nómine Dómini. Relíquiæ Israel non fácient iniquitátem, nec loquentur mendácium: et non inveniétur in ore eórum lingua dolósa; quóniam ipsi pascentur et accubábunt, et non erit qui extérreat.

℟. Confortentur, 329.

FERIA QUARTA.

LECTIO I.

Incipit Aggæus Prophéta.

(Cap. 1.)

In anno secundo Daríi regis, in mense sexto, in die una mensis factum est verbum Dómini in manu Aggæi prophétæ ad Zoróbabel fílium Saláthiel, ducem Juda, et ad Jesum fílium Jósedec, sacerdótem magnum, dicens: Hæc ait Dóminus exercítuum, dicens: Pópulus iste dicit: Nondum venit tempus domûs Dómini ædificandæ. Et factum est verbum Dómini in manu Aggæi prophétæ, dicens: Numquid tempus vobis est ut habitétis in dómibus laqueátis; et domus ista deserta?

℟. Dómui Juda, 326.

LECTIO II.

Hæc dicit Dóminus exercítuum: Pónite corda vestra super vias vestras: ascéndite in montem, portáte ligna, et ædificáte domum: et acceptábilis mihi erit, et glorificábor, dicit Dóminus. Respexistis ad ámplius, et ecce factum est minus; et intulistis in domum, et exsufflávi illud: quam ob causam, dicit Dóminus exercítuum? Quia domus mea deserta est, et vos festinátis unusquisque in domum suam. Propter hoc super vos prohíbiti sunt cœli ne darent rorem, et terra prohíbita est ne daret germen suum.

℟. Dicit Dóminus, 327.

LECTIO III.

(Cap. 2.)

Hæc dicit Dóminus exercítuum: Adhuc unum módi-

cum est, et ego commovébo cœlum, et terram, et mare, et áridam. Et movébo omnes gentes; et vénict Desidérátus cunctis géntibus: et implébo domum istam glóriâ, dicit Dóminus exercítuum. Meum est argentum, et meum est aurum, dicit Dóminus exercítuum. Magna erit glória domûs istíus novíssimæ plusquàm primæ, dicit Dóminus exercítuum: et in loco isto dabo pacem, dicit Dóminus exercítuum.

℣. Dies multos tenébunt fílii, 327.

FERIA QUINTA.

LECTIO I

Incipit Zacharías Prophéta.

(Cap. 1.)

In mense octávo, in anno secundo Darii regis, factum est verbum Dómini ad Zachariam fílium Barachíæ fílii Addo, prophétam, dicens: Irátus est Dóminus super patres vestros iracúndiâ. Et dices ad eos: Hæc *dicit Dóminus exercítuum*: Convertímini ad me, ait Dóminus exercítuum; et convertar ad vos, dicit Dóminus exercítuum. Ne sitis sicut patres vestri, ad quos clamábant Prophétæ prióres, dicentes: Hæc dicit Dóminus exercítuum: Convertímini de viis vestris malis, et de cogitatiónibus vestris péssimis; et non audiérunt, neque attendérunt ad me, dicit Dóminus.

℣. Contestátus es, Dómine, 328.

LECTIO II.

(Cap. 3.)

Hæc dicit Dóminus exercítuum: Si in viis meis ambulâveris, et custódiam meam custodíeris; tu quoque judicábis domum meam, et custódies átria mea, et dabo tibi ambulantes de his qui nunc hic assistunt. Audi, Jesu sacerdos magne, tu et amíci tui qui hábitant coram te, quia viri portendentes sunt. Ecce enim ego addúcam servum meum Orientem. Quia ecce lapis quem dedi coram Jesu: super lápidem unum septem óculi sunt: ecce ego cœlábo sculptúram ejus, ait Dóminus exercítuum, et áuferam iniquitátem terræ illíus in die una. In die illa, dicit Dóminus exercítuum, vocábit vir amícum suum subter vitem et subter ficum.

℣. Quid est, Israel, 328.

LECTIO III.

(Cap. 9.)

Exulta satis, fília Sion; júbila, fília Jerúsalem. Ecce Rex tuus véniet tibi justus et salvátor; ipse pauper, et ascendens super ásinam, et super pullum fílium ásinæ. Et disperdam quadrígam ex Ephraïm, et equum de Jerúsalem; et dissipábitur arcus

belli : et loquétur pacem géntibus, et potestas ejus a mari usque ad mare ; et a flumínibus usque ad fines terræ. Tu quoque in sánguine testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu in quo non est aqua. Convertímini ad munitiónem, vincti spei; hódie quoque annúntians duplícia reddam tibi. Quóniam extendi mihi Judam quasi arcum, implévi Ephraïm; et suscitábo fílios tuos, Sion, super fílios tuos, Græcia; et ponam te quasi gládium fórtium. Et Dóminus Deus super vos vidébitur ; et exíbit ut fulgur jáculum ejus; et Dóminus Deus in tuba canet, et vadet in túrbine Austri. Dóminus exercítuum próteget eos ; et devorábunt, et subjícient lapídibus fundæ : et bibentes inebriabuntur quasi à vino ; et replebuntur ut phíalæ, et quasi córnua altáris. Et salvábit eos Dóminus Deus eórum in die illa, ut gregem pópuli sui ; quia lápides sancti elevabuntur super terram ejus. Quid enim bonum ejus est, et quid pulcrum ejus, nisi frumentum electórum, et vinum gérminans vírgines?

℟. Confortentur, 329.

FERIA SEXTA.

LECTIO I.

De Zacharía Prophéta.

(Cap. 11.)

Tuli virgam meam, quæ vocabátur Decus; et abscídi eam, ut írritum fácerem fœdus meum quod percussi cum ómnibus pópulis. Et in írritum deductum est in die illa: et cognovérunt sic páuperes gregis, qui custódiunt mihi, quia verbum Dómini est. Et dixi ad eos : Si bonum est in óculis vestris, afferte mercédem meam; et si non, quiéscite. Et appendérunt mercédem meam triginta argénteos. Et dixit Dóminus ad me : Prójice illud ad statuárium, decórum prétium, quo appretiátus sum ab eis. Et tuli triginta argénteos, et projéci illos in domum Dómini ad statuárium. Et præcídi virgam meam secundam, quæ appellabátur Funículus, ut dissólverem germanitátem inter Judam et Israel. Et dixit Dóminus ad me : Adhuc sume tibi vasa pastóris stulti ; quia ecce ego suscitábo pastórem in terra, qui derelícta non visitábit, dispersum non quæret, et contrítum non sanábit, et id quod stat non enútriet, et carnes pínguium cómedet, et úngulas eórum dissolvet. O pastor, et idólum, derelinquens gregem: gládius super bráchium ejus, et super óculum dextrum ejus : bráchium ejus aridítate siccábitur, et óculus dexter ejus tenebrescens obscurábitur.

℟. Dómui Juda miserébor, 326.

LECTIO II.

(Cap. 12.)

In die illa próteget Dóminus habitatóres Jerúsalem : et erit qui offénderit ex eis in die illa, quasi David ; et domus David, quasi Dei, sicut Angelus Dómini in conspectu eórum. Et erit in die illa, quæram contérere omnes gentes quæ véniunt contra Jerúsalem. Et effundam super domum David et super habitatóres Jerúsalem spíritum grátiæ et precum ; et aspícient ad me quem confixérunt : et plangent eum planctu quasi super unigénitum, et dolébunt super eum, ut doléri solet in morte primogéniti.

℣. Dicit Dóminus, 327.

LECTIO III.

(Cap. 13.)

Et erit : In die illa confundentur prophétæ, unusquisque ex visióne sua cùm prophetáverit ; nec operiéntur pállio sáccino, ut mentiántur ; sed dicet : Non sum *prophéta*, homo agrícola ego sum ; quóniam Adam exemplum meum ab adolescéntia mea. Et dicétur ei : Quid sunt plagæ istæ in médio mánuum tuárum ? Et dicet : His plagátus sum in domo eórum qui diligébant me. Fráma, suscitáre super pastórem meum, et super virum cohærentem mihi, dicit Dóminus exercítuum : pércute pastórem, et dispergéntur oves : et convértam manum meam ad párvulos.

℣. Dies multos sedébunt, 327.

SABBATO.

LECTIO I.

Incipit Malachías Prophéta.

(Cap. 1.)

Onus verbi Dómini ad Israel in manu Malachíæ. Dilexi vos, dicit Dóminus ; et dixistis : In quo dilexísti nos ? Nonne frater erat Esaü Jacob, dicit Dóminus ? Et dilexi Jacob, Esaü autem ódio hábui ; et posui montes ejus in solitúdinem, et hæreditátem ejus in dracónes deserti. Quòd si dixerit Idumæa : Destructi sumus, sed reverténtes ædificábimus quæ destructa sunt ; hæc dicit Dóminus exercítuum : Isti ædificábunt, et ego déstruam : et vocabúntur términi impietátis, et pópulus cui irátus est Dóminus usque in æternum. Et óculi vestri vidébunt ; et vos dicétis : Magnificétur Dóminus super términum Israel. Fílius honórat patrem, et servus dóminum suum : si ergo pater ego sum, ubi est honor meus ? et si dóminus ego sum, ubi est timor meus, dicit Dóminus exercítuum ? Ad vos, ô sacerdótes, qui despícitis nomen meum, et dixistis : In quo despéximus nomen tuum ? Offertis super

altáre meum panem pollútum; et dícitis: In quo polluímus te? In eo quod dícitis: Mensa Dómini despecta est.

[*Si fiat de Sabbato,* ℟. *sumentur è II Nocturno Dominicæ præcedentis.*]

LECTIO II.

Si offerátis cæcum ad immolandum, nonne malum est? et si offerátis claudum et lánguidum, nonne malum est? Offer illud duci tuo, si placúerit ei, aut si suscéperit fáciem tuam, dicit Dóminus exercítuum. Et nunc deprecámini vultum Dei, ut misereátur vestri, (de manu enim vestra factum est hoc) si quómodò suscípiat fácies vestras, dicit Dóminus exercítuum. Quis est in vobis qui claudat óstia, et incendat altáre meum gratúitò? Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dóminus exercítuum; et munus non suscípiam de manu vestra. Ab ortu enim solis usque ad occásum, magnum est nomen meum in géntibus: et in omni loco sacrificátur, et offertur nómini meo oblátio munda; quia magnum est nomen meum in géntibus, dicit Dóminus exercítuum.

LECTIO III.

(Cap. 4.)

Ecce dies véniet succensa quasi camínus; et erunt omnes superbi, et omnes facientes impietátem, stípula; et inflammábit eos dies véniens, dicit Dóminus exercítuum, quæ non derelinquet eis radíceni et germen. Et oriétur vobis timéntibus nomen meum Sol justítiæ, et sánitas in pennis ejus; et egrediémini, et saliétis sicut vítuli de armento. Et calcábitis ímpios, cùm fúerint cinis sub planta pedum vestrórum in die quâ ego fácio, dicit Dóminus exercítuum. Mementóte legis Móysi servi mei, quam mandávi ei in Horeb ad omnem Israel, præcepta et judícia. Ecce ego mittam vobis Elíam prophétam, ántequàm véniat dies Dómini magnus et horríbilis. Et convertet cor patrum ad fílios, et cor filiórum ad patres eórum; ne fortè véniam, et percútiam terram anathémate.

¶ *Si Dominicæ post Pentecosten fuerint plures quàm XXIV, tunc post XXIV Hebdomad. resumentur quæ eo anno superfuerint post Epiphaniam, incipiendo à Vesperis Sabbati, et ordine infrà posito.*

Si igitur fuerint Dominicæ XXV, resumetur Officium Dominicæ VI post Epiph.

Si XXVI, resumetur Officium Dominicæ V et VI.

Si XXVII, resumetur Offic. Dominicæ IV, V et VI.

Si denique XXVIII, resumetur Officium Dominicæ III, IV, V et VI.

HEBDOMADÆ POST EPIPHANIAM

RESUMENDÆ,

QUANDO POST PENTECOSTEN PLURES FUERINT DOMINICÆ QUAM VIGINTI-QUATUOR.

SABBATO.

Ante Dominicam III quæ superfuit post Epiphaniam.

AD VESPERAS.

Ad Magníficat, *Ant.* 2. D. Scientes quòd non justificátur homo ex opéribus legis, nisi per fidem Jesu Christi, et nos in Christo Jesu crédimus. *Galát.* 2.

Oratio, ut infrà ad Laudes.

DOMINICA III

Quæ superfuit post Epiphaniam.

IN I.° NOCTURNO.

LECTIO I.

Incipit Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Gálatas.

(Cap. 1.)

PAULUS Apóstolus, non ab homínibus, neque per hóminem, sed per Jesum Christum, et Deum Patrem qui suscitávit eum à mórtuis; et qui mecum sunt omnes fratres, Ecclésiis Galátiæ: Grátia vobis et pax à Deo Patre, et Dómino nostro Jesu Christo, qui dedit semetipsum pro peccátis nostris, ut eríperet nos de præsenti século nequam, secundùm voluntátem Dei et Patris nostri, cui est glória in sécula seculórum. Amen. Tu autem.

℣. Apud Dóminum misericórdia, et copiósa apud eum redémptio.* Et ipse rédimet Israel ex ómnibus iniquitátibus ejus. ℣. Salvátor noster Jesus Christus dedit semetipsum pro nobis, ut nos redímeret ab omni iniquitáte: * Et ipse. *Ps.* 129. *Tit.* 2.

LECTIO II.

MIROR quòd sic tam citò transferímini ab eo qui vos vocávit in grátiam Christi, in áliud Evangélium; quod non est áliud, nisi sunt aliqui qui vos conturbant, et volunt convértere Evangélium Christi. Sed licet nos, aut Angelus de cœlo evangelízet vobis præterquàm quod evangelizávimus vobis, anáthema sit. Sicut prædíximus, et nunc íterùm dico: Si quis vobis evangelizáverit præter id quod accepistis, anáthema sit. Modò enim homínibus suádeo, an

Deo? An quæro homínibus placére? Si adhuc homínibus placérem, Christi servus non essem.

℟. Judicábit páuperes pópuli, et salvos fáciet fílios páuperum; et humiliábit calumniatórem : * Oriétur in diébus ejus justítia. ℣. Christum propósuit Deus, ad ostensiónem justítiæ ejus in hoc témpore; ut sit ipse justus, et justíficans eum qui est ex fide Jesu Christi. * Oriétur. *Rom.* 3. *Ps.* 71.

LECTIO III.

Notum enim vobis fácio, fratres, Evangélium quod evangelizátum est à me, quia non est secundùm hóminem. Neque enim ego ab hómine accépi illud, neque dídici, sed per revelatiónem Jesu Christi. Audístis enim conversatiónem meam aliquando in Judaismo; quóniam supra modum persequébar Ecclésiam Dei, et expugnábam illam, et proficiébam in Judaismo supra multos coætáneos meos in génere meo, abundántiùs æmulátor existens paternárum meárum traditiónum. Cùm autem plácuit ei qui me segregávit ex útero matris meæ, et vocávit per grátiam suam, ut revelàret Fílium suum in me, ut evangelizárem illum in géntibus, continuò non acquiévi carni et sánguini.

℟. Rectum est verbum Dómini, et ómnia ópera ejus in fide : * Díligit misericórdiam et judícium; † Misericórdia Dómini plena est terra. ℣. In Christo Jesu neque circumcísio áliquid valet, neque præpútium; sed fides quæ per caritátem operátur : * *Díligit. Glória Patri.* † Misericórdia. *Ps.* 32. *Galat.* 5.

IN II.° NOCTURNO.

LECTIO IV.

De expositióne sancti Augustíni Epíscopi in Epistolam ad Gálatas.

(Præf. initio.)

Causa propter quam scribit Apóstolus ad Gálatas, hæc est : Ut intélligant grátiam Dei id secum ágere, ut sub lege jam non sint. Cùm enim prædicáta eis esset Evangélii grátia, non defuérunt quidam ex circumcisióne, quamvis Christiáni nómine, nondum tamen tenentes ipsum grátiæ benefícium, et adhuc volentes esse sub onéribus legis, quæ Dóminus Deus imposúerat, non justítiæ serviéntibus, sed peccáto; justam scílicet legem injustis hómínibus dando, ad demonstranda peccáta eórum, non auferenda. Non enim aufert peccáta, nisi grátia fídei, quæ per dilectiónem operátur.

℟. Adjuva me, Dómine Deus meus : salvum me fac secundùm misericórdiam

tuam; et sciant * Quia manus tua hæc, et tu, Dómine, fecísti eam. ℣. Grátiâ estis salváti per fidem, et hoc non ex vobis: Dei enim donum est, non ex opéribus, ut ne quis gloriétur; * Quia manus tua hæc. *Ps.* 108. *Ephes.* 2.

LECTIO V.

Sub hac ergo grátia jam Gálatas constitútos illi volébant constitúere sub onéribus legis, asseverantes nihil eis prodesse Evangélium, nisi circumciderentur, et céteras carnáles Judáici ritûs observatiónes subírent. Et ídeò Paulum Apóstolum suspectum habére cœperant, à quo illis Evangélium prædicátum erat, tanquam non tenentem disciplínam ceterórum Apostolórum, qui gentes cogébant judaizáre.

℣. Super omnem terram glória tua, Deus; * Ut liberéntur dilecti tui, salvum fac déxterâ tuâ, et exaudi me. ℣. Grátia quæ data est nobis in Christo Jesu ante témpora seculária, manifestáta est nunc per illuminatiónem salvatóris nostri Jesu Christi; * Ut. *Ps.* 107. 2. *Tim.* 1.

LECTIO VI.

Talis quidem quæstio est et in Epístola ad Romános. Verúmtamen vidétur áliquid interesse, quod ibi contentiónem ipsam dírimit, litemque compónit, quæ inter eos qui ex Judæis, et eos qui ex géntibus credíderant, orta erat; cùm illi tanquam ex méritis operum legis, sibi rédditum Evangélii præmium arbitrarentur, quod præmium incircumcísis tanquam imméritis nolébant dari; illi contrà Judæis se præferre gestírent, tanquam interfectóribus Dómini. In hac verò Epístola, ad eos scribit, qui jam commóti erant auctoritáte illórum qui ex Judæis erant, et ad observatiónes legis cogébant.

℣. Dóminus petra mea, et robur meum, sperábo in eum: * Salvátor meus, ✝ De iniquitáte liberábis me. ℣. Lex spíritûs vitæ in Christo Jesu liberávit me à lege peccáti et mortis: * Salvátor. Glória. ✝ De iniquitáte. 2. *Reg.* 22. *Rom.* 8.

IN III.° NOCTURNO.

LECTIO VII.

Léctio sancti Evangélii secundùm Matthæum.

(Cap. 8.)

In illo témpore: Cùm descendísset Jesus de monte, secútæ sunt eum turbæ multæ; et ecce leprósus véniens, adorábat eum. Et réliqua.

Homília sancti Ambrósii Episcopi.

(In Luc. Lib. 5, n. 1.)

Secundum Matthæum pri-

mus hic post benedictiónes Dómino sanátus indúcitur; ut quia díxerat Dóminus, Non veni sólvere legem, sed adimplére, ille qui excludebátur à lege, purgári se Dómini potestáte præsumens, non ex lege, sed supra legem esse grátiam judicáret, quæ leprósi máculam posset ablúere. Verùm ut in Dómino potestátis auctóritas, ita in illo fídei constántia declarátur. Ille in fáciem procidit; quod humilitátis est et pudóris, ut unusquisque de suæ vitæ máculis erubéscat: sed confessiónem verecúndia non repressit. Ostendit vulnus, remédium postulávit; et ipsa religiónis et fídei plena confessio est. Si vis, inquit, potes me mundáre. In voluntáte Dómini tríbuit potestátem: de voluntáte autem Dómini; non quasi pietátis incrédulus dubitávit; sed quasi colluviónis suæ cónscius, non præsumpsit.

℟. Cùm descendisset Jesus de monte, ecce leprósus véniens, adorábat eum, dicens: Dómine, * Si vis, potes me mundáre. ℣. Dómine Deus, non erit tibi difficile omne verbum: * Si vis. *Matth.* 8. *Jerem.* 32.

LECTIO VIII.

Cui moráli quâdam Dóminus sanctitáte respondit: Volo; mundáre. Et continuò lepra discessit ab eo. Nihil enim médium est inter opus Dei, atque præceptum; quia in præcepto est opus. Dénique dixit, et facta sunt. Vidétis ígitur quòd dubitári non potest, quia voluntas Dei potestas est. Itaque statim lepra discessit, ut intelligas *medentis affectum*, qui veritátem óperi áddidit. Dénique, secundùm Marcum, miserátus est eum Dóminus: quod pulchrè est pósitum. Et pléraque tália posuérunt Evangelistæ, qui nos in utroque fundáre voluérunt, describéntes signa virtútis ad fidem, exprimentes ópera virtútis ad imitatiónem. Unde et tangit non dedignátus, et ímperat non diffisus; hoc enim est indícium potestátis, quia quasi habens potestátem sanandi, et jubendi auctoritátem, operandi testimónium non réfugit. Volo, ergò dicit propter Photínum, imperat propter Arium, tangit propter Manichæum.

℟. Jesus misertus ejus, extendit manum suam; et tangens eum, * Ait illi: volo; mundáre: et statim mundátus est. ℣. Omne quod volúerit, fáciet; et sermo illíus potestáte plenus est. * Ait. *Marc.* 1. *Eccles.* 8.

LECTIO IX.

Simul illud mirábile, quod eo sanávit génere, quo fúerat obsecrátus. Si vis, potes me mundáre. Volo, inquit;

mundáre. Habes voluntátem, habes étiam pietátis effectum. Et extendens manum, tétigit illum. Lex tangi leprósos próhibet; sed qui Dóminus legis est, non obséquitur legi; sed legem facit. Non ergo tétigit, quia sine tactu mundáre non póterat; sed ut probáret quia subjectus non erat legi, nec contágium timébat ut hómines, sed quia contamnináre non póterat, qui álios liberábat: simul ut è contrário lepra tactu Dómini fugarétur, quæ solébat contamináre tangentem. Osténdere autem se sacerdóti jubétur, ut intellígeret sacerdos non legis órdine, sed Dei grátiâ super legem esse curátum; et, dum mundáto jubet offerre sacrifícium præceptum Móysi, osténderet Dóminus quia legem non sólveret, sed implére, qui secundùm legem grádiens, supra legem sanáre eos quos remédia legis non sanáverant, viderétur. Et bene áddidit, Sicut præcépit Móyses. Lex enim spiritális est, ideòque vidétur sacrifícium spiritále mandasse.

℟. Ait Jesus: Vide, némini díxeris; sed vade, * Ostende te sacerdóti, et ✝ Offer munus quod præcépit Móyses in testimónium illis. ℣. Hic est ritus leprósi, quando mundandus est: Adducétur ad sacerdótem, qui præcípiet ei utófferat. * Ostende Glória Patri. ✝ Offer munus quod præcépit. *Matth.* 8. *Levit.* 14.

Ad Benedictus, *Ant.* 1 a. Dómine, puer meus jacet in domo paralyticus, et malè torquétur. Et ait illi Jesus: Ego véniam, et curábo eum. *Matth.* 8.

ORATIO.

Omnipotens, sempiterne Deus, infirmitátem nostram propítius réspice; atque ad protegendum nos, déxteram tuæ majestátis extende; Per Dóminum nostrum.

Ad Magníficat, *Ant.* 8. *G.* Dixit Jesus Centurióni: Vade, et sicut credidisti fiat tibi. Et sanátus est puer in illa hora. *Matth.* 8.

FERIA SECUNDA

LECTIO I.

De Epístola ad Gálatas.

(Cap. 2.)

Scientes quòd non justificátur homo ex opéribus legis, nisi per fidem Jesu Christi; et nos in Christo Jesu crédimus, ut justificémur ex fide Christi, et non ex opéribus legis: propter quod ex opéribus legis non justificábitur omnis caro. Quòd si quærentes justificári in Christo, inventi sumus et ipsi peccatóres, numquid Christus peccáti minister est? Absit. Si enim quæ destruxi, íterùm hæc ædífico, prævaricatórem me consti-

tuo. Ego enim per legem legi mórtuus sum, ut Deo vivam : Christo confixus sum cruci. Vivo autem, jam non ego ; vivit verò in me Christus. Quòd autem nunc vivo in carne, in fide vivo Fílii Dei qui dilexit me, et trádidit semetipsum pro me. Non abjício grátiam Dei. Si enim per legem justítia, ergo gratis Christus mórtuus est.

℣. Apud Dóminum, 339.

LECTIO II.

(Cap. 3.)

O INSENSATI Gálatæ, quis vos fascinávit non obedíre veritáti, ante quorum óculos Jesus Christus præscriptus est, in vobis crucifixus? Hoc solùm à vobis volo díscere : Ex opéribus legis Spíritum accepístis, an ex audítu fídei? Sic stulti estis, ut cùm spíritu cœpéritis, nunc carne consummémini? Tanta passi estis sine causa? si tamen sine causa. Qui ergo tríbuit vobis Spíritum, et operátur virtútes in vobis ; ex opéribus legis, an ex audítu fídei? *Sicut scriptum* est : Abraham crédidit Deo, et reputátum est illi ad justítiam. Cognóscite ergo quia qui ex fide sunt, ii sunt fílii Abrahæ.

℣. Judicábit páuperes, 340.

LECTIO III.

PROVIDENS, autem Scriptúra, quia ex fide justíficat gentes Deus, prænuntiávit Abrahæ : Quia benedicentur in te omnes gentes. Igitur qui ex fide sunt benedicentur cum fidéli Abraham. Quicumque enim ex opéribus legis sunt, sub maledicto sunt. Scriptum est enim : Maledictus omnis qui non *permánserit in omnibus quæ* scripta sunt in libro legis, ut fáciat ea. Quóniam autem in lege nemo justificátur apud Deum, manifestum est quia justus ex fide vivit. Lex autem non est ex fide ; sed, Qui fécerit ea, vivet in illis. Christus nos redémit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum ; quia scriptum est : Maledictus omnis qui pendet in ligno ; ut in géntibus benedíctio Abrahæ fíeret in Christo Jesu, ut pollicitatiónem Spíritûs accipiámus per fidem.

℣. Rectum est, 340.

FERIA TERTIA.

LECTIO I.

De Epístola beáti Pauli. Apóstoli ad Gálatas.

(Cap. 5.)

VOS in libertátem vocáti estis, fratres : tantùm ne libertátem in occasiónem detis carnis, sed per caritátem Spíritûs servíte ínvicem. Omnis enim lex in uno sermóne implétur : Díliges próximum tuum sicut teipsum. Quòd si ínvicem mordétis et comédítis, vidéte ne ab ínvicem consumámini.

Dico autem : Spíritu ambuláte, et desidéria carnis non perficiétis. Caro enim concupiscit adversùs spíritum ; spíritus autem adversùs carnem : hæc enim sibi ínvicem adversantur, ut non quæcumque vultis, illa faciátis. Quòd si Spíritu ducímini, non estis sub lege. Manifésta sunt autem ópera carnis, quæ sunt fornicátio, immundítia, impudicítia, luxúria, idolórum sérvitus, veneficia, inimicítiæ, contentiónes, æmulatiónes, iræ, rixæ, dissensiónes, sectæ, invídiæ, homicídia, ebrietátes, comessatiónes, et his símilia, quæ prædíco vobis sicut prædixi ; quóniam qui tália agunt, regnum Dei non consequentur. Fructus autem Spíritûs est cáritas, gáudium, pax, patiéntia, benígnitas, hónitas, longanímitas, mansuetúdo, fides, modéstia, continéntia, cástitas.

℣. Adjúva me, 340.

LECTIO II.

(Cap. 6.)

Fratres, etsi præoccupátus fúerit homo in áliquo delícto, vos qui spirituáles estis, hujúsmodi instrúite in spíritu lenitátis, considérans teipsum, ne et tu tentéris. Alter altérius ónera portáte, et sic adimplébitis legem Christi. Nam si quis existimat se áliquid esse, cùm nihil sit, ipse se sedúcit. Opus autem suum probet unusquisque, et sic in semetipso tantùm glóriam habébit, et non in áltero : unusquisque enim onus suum portábit. Commúnicet autem is qui catechizátur verbo, ei qui se catechízat in ómnibus bonis. Nolíte erráre, Deus non irridétur. Quæ enim seminaverit homo, hæc et metet. Quóniam qui séminat in carne sua, de carne et metet corruptiónem ; qui autem séminat in spíritu, de spíritu metet vitam æternam.

℣. Super omnem, 341.

LECTIO III.

Videte quálibus lítteris scripsi vobis mea manu. Quicumque enim volunt placére in carne, hi cogunt vos circumcídi, tantùm ut crucis Christi persecutiónem non patiantur. Neque enim qui circumciduntur, legem custódiunt ; sed volunt vos circumcídi, ut in carne vestra glorientur. Mihi autem absit gloriári, nisi in cruce Dómini nostri Jesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, et ego mundo. In Christo enim Jesu neque circumcísio áliquid valet, neque præpútium, sed nova creatúra. Et quicumque hanc régulam secúti fúerint, pax super illos et misericórdia, et super Israel Dei. De cétero nemo mihi molestus sit ; ego enim stíg-

mata Dómini Jesu in córpore meo porto. Grátia Dómini nostri Jesu Christi cum spíritu vestro, fratres. Amen. Tu autem.

℣. Dóminus petra, 341.

FERIA QUARTA.

LECTIO I.

Incipit Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Ephésios.

(Cap. 1.)

Paulus Apóstolus Jesu Christi per voluntátem Dei, ómnibus sanctis qui sunt Ephesi, et fidélibus in Christo Jesu: Grátia vobis, et pax à Deo Patre nostro, et Dómino Jesu Christo. Benedictus Deus et Pater Dómini nostri Jesu Christi, qui benedixit nos in omni benedictióne spirituáli in cœléstibus in Christo, sicut elégit nos in ipso ante mundi constitutiónem, ut essémus sancti et immaculáti in conspectu ejus in caritáte.

℣. Apud Dóminum, 339.

LECTIO II.

Qui prædestinávit nos in adoptiónem filiórum per Jesum Christum in ipsum, secundùm propósitum voluntátis suæ, in laudem glóriæ grátiæ suæ, in qua gratificávit nos in dilecto Fílio suo. In quo habémus redemptiónem per sánguinem ejus, remissiónem peccatórum, secundùm divítias grátiæ ejus, quæ superabundávit in nobis in omni sapiéntia et prudéntia; ut notum fáceret nobis sacramentum voluntátis suæ, secundùm beneplácitum ejus, quod propósuit in eo, in dispensatióne plenitúdinis témporum, instauráre ómnia in Christo, quæ in cœlis et quæ in terra sunt, in ipso.

℣. Judicábit páuperes, 340.

LECTIO III.

In quo étiam et nos sorte vocáti sumus, prædestináti secundùm propósitum ejus, qui operátur ómnia secundùm consílium voluntátis suæ; ut simus in laudem glóriæ ejus, nos qui ante sperávimus in Christo: in quo et vos, cùm audissétis verbum veritátis (Evangélium salútis vestræ), in quo et credentes signáti estis Spíritu promissiónis sancto, qui est pignus hæreditátis nostræ, in redemptiónem acquisitiónis, in laudem glóriæ ipsíus.

℟. Rectum est verbum Dómini, 340.

FERIA QUINTA.

LECTIO I.

De Epístola ad Ephésios.

(Cap. 2.)

Nos omnes aliquando conversáti sumus in desidériis carnis nostræ, facientes voluntátem carnis et cogitatiónum; et erámus natúrà

fílii iræ, sicut et céteri. Deus autem qui dives est in misericórdia, propter nímiam caritátem suam, quâ dilexit nos, et cùm essémus mórtui peccátis, convivificávit nos in Christo, (cujus grátiâ estis salváti) et conresuscitávit, et consedére fecit in cœléstibus in Christo Jesu; ut osténderet in séculis superveniéntibus abundantes divítias grátiæ suæ in bonitáte super nos in Christo Jesu. Grátiâ enim estis salváti per fidem, et hoc non ex vobis; Dei enim donum est, non ex opéribus, ut ne quis gloriétur. Ipsíus enim sumus factúra, creáti in Christo Jesu in opéribus bonis quæ præparávit Deus, ut in illis ambulémus.

℣. Adjuva me, 340.

LECTIO II.

Propter quod mémores estóte, quòd aliquando vos Gentes in carne, qui dicímini præpútium, ab ea quæ dícitur circumcísio in carne manu factâ; quia erátis illo in témpore sine Christo, alienáti à conversatióne Israel, et hóspites testamentórum, promissiónis spem non habentes, et sine Deo, in hoc mundo. Nunc autem in Christo Jesu vos, qui aliquando erátis longè, facti estis propè in sánguine Christi. Ipse enim est pax nostra, qui fecit útraque unum, et médium paríetem macériæ solvens, inimicítias in carne sua, legem mandatórum decrétis evácuans, ut duos condat in semetipso in unum novum hóminem, fáciens pacem, et reconcíliet ambos in uno córpore Deo per crucem, interfíciens inimicítias in semetipso.

℣. Super omnem terram glória tua, 341.

LECTIO III.

Et véniens evangelizávit pacem vobis qui longè fuistis, et pacem iis qui propè; quóniam per ipsum habémus accessum ambo in uno Spíritu ad Patrem. Ergo iam non estis hóspites et ádvenæ, sed estis cives sanctorum, et doméstici Dei superædificáti super fundamentum Apostólorum et Prophetárum, ipso summo angulári lápide Christo Jesu: in quo omnis ædificátio constructa crescit in templum sanctum in Dómino; in quo et vos coædificámini in habitáculum Dei in Spíritu.

℣. Dóminus petra mea et robur meum, 341.

FERIA SEXTA.

LECTIO I.

De Epístola ad Ephésios.

(Cap. 4.)

Obsecro vos ego vinctus in Dómino, ut dignè ambulétis vocatióne quâ vocáti estis, cum omni humilitáte et mansuetúdine, cum patién-

tia, supportantes ínvicem in caritáte, sollíciti serváre unitátem spíritûs in vínculo pacis. Unum corpus, et unus spíritus; sicut vocáti estis in una spe vocatiónis vestræ. Unus Dóminus, una fides, unum baptisma. Unus Deus et Pater ómnium, qui est super omnes, et per omnia, et in ómnibus nobis.

℟. Apud Dóminum, 339.

LECTIO II.

Unicuique autem nostrûm data est grátia secundùm mensúram donatiónis Christi. Propter quod dicit: Ascendens in altum captívam duxit captivitátem, dedit dona homínibus. Quod autem ascendit, quid est, nisi quia et descendit primùm in inferióres partes terræ? Qui descendit, ipse est et qui ascendit super omnes cœlos, ut impléret omnia.

℟. Judicábit páuperes, 340.

LECTIO III.

Et ipse dedit quosdam quidem Apóstolos, quosdam autem Prophétas, álios verò Evangelistas, álios autem Pastóres et Doctóres, ad consummatiónem sanctórum in opus ministérii, in ædificatiónem córporis Christi, donec occurrámus omnes in unitátem fídei, et agnitiónis Fílii Dei, in virum perfectum, in mensúram ætátis plenitúdinis Christi; ut jam non simus párvuli fluctuantes, et circumferámur omni vento doctrínæ, in nequítia hóminum, in astútia ad circumventiónem erróris. Veritátem autem facientes in caritáte, crescámus in illo per ómnia, qui est caput Christus.

℟. Rectum est, 340.

SABBATO.

LECTIO I.

De Epístola ad Ephésios.

(Cap. 5.)

Estote imitatóres Dei, sicut fílii caríssimi: et ambuláte in dilectióne, sicut et Christus dilexit nos, et trádidit semetipsum pro nobis oblatiónem et hóstiam Deo in odórem suavitátis. Fornicátio autem, et omnis immundítia, aut avarítia, nec nominétur in vobis, sicut decet sanctos, aut turpitúdo, aut stultilóquium, aut scurrílitas quæ ad rem non pértinet; sed magis gratiárum áctio. Hoc enim scitóte intelligentes, quòd omnis fornicátor, aut immundus, aut avárus, (quod est idolórum sérvitus) non habet hæreditátem in regno Christi et Dei.

[*Si fiat de Sabbato,* ℟℟. *sumentur è II. Nocturno Dominic. præcedentis.*]

LECTIO II.

Nemo vos sedúcat inánibus verbis; propter hæc enim venit ira Dei in fílios diffi-

déntiæ. Nolíte ergo éffici partícipes eórum. Erátis enim aliquando ténebræ; nunc autem lux in Dómino. Ut fílii lucis ambuláte, (fructus enim lucis est in omni bonitáte, et justítiâ, et veritáte:) probántes quid sit beneplácitum Deo: et nolíte communicáre opéribus infructuósis tenebrárum; magis autem redargúite. Quæ enim in occulto fiunt ab ipsis, turpe est et dícere. Omnia autem quæ arguúntur, à lúmine manifestántur; omne enim quod manifestátur, lumen est. Propter quod dicit: Surge, qui dormis; et exurge à mórtuis: et illumináb it te Christus.

LECTIO III.

(Cap. 6.)

De cétero, fratres, confortámini in Dómino, et in poténtia virtútis ejus. Indúite vos armatúram Dei, ut possítis stáre adversùs insídias diáboli. Quóniam non est nobis colluctátio adversùs carnem et sánguinem, sed adversùs príncipes et potestátes, adversùs mundi rectóres tenebrárum harum, contra spirituália nequítiæ in cœléstibus. Propterèa accípite armatúram Dei, ut possítis resístere in die malo, et in ómnibus perfecti stare. State ergo succíncti lumbos vestros in veritáte, et indúti lorícam justitiæ, et calcéati pedes in præparatióne Evangélii pacis: in ómnibus sumentes scutum fídei, in quo possítis ómnia tela nequíssimi ígnea extínguere.

Ad Magníf. *Ant.* 2. D. Omnia detrimentum feci, et árbitror ut stércora, ut Christum lucrifáciam. *Philipp.* 3.

Oratio, ut infrà ad Laudes.

DOMINICA IV

Quæ superfuit post Epiphaniam.

IN I.° NOCTURNO.

LECTIO I.

Incipit Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Philippenses.

(Cap. 1.)

Paulus, et Timótheus, servi Jesu Christi, ómnibus sanctis in Christo Jesu, qui sunt Philippis, cum Epíscopis, et Diacónibus: Grátia vobis et pax à Deo Patre nostro, et Dómino Jesu Christo. Grátias ago Deo meo in omni memória vestrî, semper in cunctis oratiónibus meis pro ómnibus vobis, cum gáudio deprecatiónem fáciens, super communicatióne vestra in Evangélio Christi, à prima die usque nunc; confídens hoc ipsum, quia qui cœpit in vobis opus bonum, perfíciet usque in diem Christi Jesu: sicut est mihi justum hoc sentíre pro ómnibus vobis; eò quòd há-

beam vos in corde, et in vínculis meis, et in defensióne et confirmatióne Evangélii, sócios gáudii mei omnes vos esse.

℟. Voluntátem timéntium se fáciet Dóminus, et deprecatiónem eórum exáudiet; et salvos fáciet eos. * Custódit Dóminus omnes diligentes se. ℣. Scimus quia omnis qui natus est ex Deo, non peccat : sed generátio Dei conservat eum. * Custódit Dóminus omnes diligentes se. *Ps.* 144. 1. *Joan.* 5.

LECTIO II.

Testis enim mihi est Deus quómodó cúpiam omnes vos in viscéribus Jesu Christi. Et hoc oro, ut cáritas vestra magis ac magis abundet in sciéntia et in omni sensu; ut probétis potióra, ut sitis sincéri et sine offensa in diem Christi, repléti fructu justítiæ per Jesum Christum in glóriam et laudem Dei. Scire autem vos volo, fratres, quia quæ circa me sunt, magis ad profectum venérunt Evangélii : ita ut víncula mea manifesta fíerent in Christo in omni prætório, et in céteris ómnibus; et plures è frátribus in Dómino confidentes vínculis meis, abundántiùs audérent sine timóre verbum Dei loqui.

℟. Dómine, vísita nos in salutári tuo, * Ad videndum in bonitáte electórum tuórum, ad lætandum in lætítia gentis tuæ, ut laudéris cum hæreditáte tua. ℣. Iis qui coæquálem nobiscum sortíti sunt fidem in justitia Dei nostri et Salvatóris Jesu Christi, grátia et pax adimpleátur, * Ad videndum in bonitáte. *Ps.* 105. 2. *Petr.* 1.

LECTIO III.

Quidam quidem et propter invídiam et contentiónem, quidam autem et propter bonam voluntátem Christum prædicant; quidam ex caritáte, scientes quóniam in defensiónem Evangélii pósitus sum. Quidam autem ex contentióne Christum annúntiant non sincére, existimantes pressúram se suscitáre vínculis meis. Quid enim? Dum omni modo, sive per occasiónem, sive per veritátem Christus annuntiétur, et in hoc gáudeo, sed et gaudébo. Scio enim quia hoc mihi provéniet ad salútem per vestram oratiónem, et subministratiónem Spíritûs Jesu Christi.

℟. Salvábis me, Dómine, à contradictiónibus pópuli mei; custódies me in caput géntium : pópulus quem ignóro, sérviet mihi : * Et exaltábitur Deus fortis salútis meæ. ℣. Sermo Dei currat et clarificétur; * Et. Glória Patri. * Et. 2. *Reg.* 22. *Thess.* 2.

IN II.º NOCTURNO.

LECTIO IV.

Ex Commentário sancti Joannis Chrysóstomi in Epístolam ad Philippenses.

(In Præf. n. 2.)

Paulus testimónium Philippénsibus dat, non sólum fídei et periculórum nómine, sed étiam beneficéntiæ, ubi, inquit, quod et in princípio Evangélii, et semel et bis in usum mihi misistis, némine álio id præstante. Hæc ígitur et nos intelligentes, aggrediámur ipsi digni fíeri hujúsmodi exemplis; et primùm quidem promptos ac parátos nos ostendámus pro Christo pati. At enim hoc témpore non est qui Christiános insectétur et vexet. Ergo, ubi nihil áliud, saltem efficácem et vehementem illórum beneficéntiam imitémur; neque ubi semel atque íterùm dedérimus, omni offício perfunctos nos arbitrémur. Etenim per omnem vitam id faciendum est. Quemádmodùm dívitum fílii decus áureum circa collum gestant, illudque nunquam depónunt, tanquam nobilitátis insigne circumferentes; ita et eleemósynam nobis ipsis circumdémus oportet, declarantes nos esse misericordis illíus fílios, qui solem exoríri facit super malos et bonos. At non credunt infidéles? Quinímò per hæc credent, si nos hæc præstitérimus. Nam si víderint nos ómnium miseréri, illumque repræsentáre præceptórem, ad illíus imitatiónem hoc à nobis fíeri intélligent.

℣. Clamavérunt ad Dóminum, cùm tribularentur; et de necessitátibus eórum liberávit eos. * Misit verbum suum, et sanávit eos; et erípuit eos de interitiónibus eórum. ℣. Vidístis quóniam miséricors Dóminus est, et miserátor: * Misit verbum suum. *Ps.* 106. *Jac.* 5.

LECTIO V.

Nostis profectò, nostis et vos ex pecúniis mala ómnia, ex pecúniis sexcenta bella solére exístere. Quamobrem qui illas contémnere dídicit, tranquillo in portu seipsum locávit, nec damnum posthàc métuit. Ad hanc enim disciplínam illum eleemósyna erudívit: non áppetit posthàc aliéna, quómodò enim, cùm sua profundat ac donet? Nullâ posthàc dívitis invídiâ tángitur: quómodò enim, cùm pauper fíeri velit? Ipsumque ánimæ óculum ab omni labe purum reddit. Atque hæc quidem hic: quórum verò ibi bonórum compos futúrus sit, nulla unquam orátio queat expónere. Non unà cum stultis virgínibus foris

manébit, sed unà cum prudéntibus, unà cum sponso introíbit, spléndidas habens lámpades. Tanta est eleemósynæ virtus : magnà cum libertáte alumnos suos introdúcit, ac nemo contradícit; sed omnes cedunt. Nam si Deum in terram adduxit, idque ipsi persuásit ut homo fíeret; multò magis hóminem in cœlum intromíttere póterit : usque ádeò magna est ipsíus poténtia.

℟. Confiteantur Dómino misericórdiæ ejus, et mirabília ejus fíliis hóminum; * Quia suscépit eos de via iniquitátis eórum. ℣. Suscípite infírmos, semper quod bonum est sectámini in omnes : hæc est enim voluntas Dei in Christo Jesu; * Quia. *Ps.* 106. 1. *Thess.* 5.

LECTIO VI.

Itaque si ex misericórdia atque hóminum amóre, Deus homo factus est, imò si eò adductus est ut servus fíeret; multò magis propter eam servos in domum introdúcet suam. Hanc amémus, hanc colámus, non uno aut áltero die, sed per omne tempus; ut ipsa nos bene notos hábeat. Nam si ea nos nóverit, et Dóminus noscet; sin ignóret, Dóminus étiam ignorábit, ac dicet, Néscio vos. Verúm absit ut hanc nos vocem audiámus, sed beátam illam : Veníte, bénedicti Patris mei, possidéte parátum vobis regnum à constitutióne mundi; quod útinam nos omnes consequámur in Christo Jesu Dómino nostro, cum quo Patri, unàque sancto Spirítui glória, impérium, honos, nunc et semper, in sécula seculórum. Amen. Tu autem.

℟. Misericórdiam et veritátem díligit Deus : * Grátiam et glóriam dabit Dóminus; † Non privábit bonis eos qui ámbulant in innocéntia. ℣. Hílarem datórem díligit Deus; potens est autem omnem grátiam abundáre fácere in vobis. * Grátiam. Glória Patri. † Non *Ps.* 83. 2. *Cor.* 9.

IN III.^o NOCTURNO.

LECTIO VII.

Léctio sancti Evangélii secundùm Matthæum.

(Cap. 8.)

In illo témpore; Ascendente Jesu in navículam, secúti sunt eum discípuli ejus : et ecce motus magnus factus est in mari, ita ut navícula operirétur flúctibus; ipse verò dormiébat. Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Epíscopi.

(Enarr. 2, in Psalm. 25.)

Audistis in Evangélio : Periclitabátur navígium in stagno, et dormiébat Jesus. Navigámus per quoddam

stagnum, et ventus et procellæ non desunt; tentatiónibus quotidiánis hujus séculi propè opplétur nostrum navigium. Unde autem fit, nisi quia dormit Jesus? Si non dormíret in te Jesus, tempestátes istas non pateréris; sed tranquillitátem *habéres intériùs*, convigilante tecum Jesu.

℟. Ecce motus magnus factus est in mari, ita ut navícula operirétur flúctibus; Jesus verò dormiébat. Et discípuli ejus suscitavérunt eum, dicentes: * Dómine, salva nos, perímus. ℣. Exurge, quare obdormis, Dómine? ádjuva nos: * Domine. *Matth.* 8. *Ps.* 43.

LECTIO VIII.

Quid est autem, Dormit Jesus? Fides tua, quæ est de Jesu, obdormívit. Surgunt procellæ stagni hujus; vides malos florére, bonos laboráre: tentátio est, fluctus est. Et dicit ánima tua: O Deus, ipsa est justítia tua, ut mali flóreant, boni labórent? Dicis Deo, Ipsa est justítia tua? et Deus tibi, Ipsa est fides tua? Hæc enim tibi promísi? ad hoc Christiánus factus est, ut in século isto floréres? Unde hoc dicis? unde flúctibus stagni et tempestáte turbáris? Quia dormit Jesus, id est, quia fides tua, quæ est de Jesu, sopíta est in corde tuo.

℟. Exurgens Jesus ait discípulis: * Quid tímidi estis? necdum habétis fidem? ℣. Qui timet Dóminum, non pavébit; quóniam ipse est spes ejus. * Quid. *Marc.* 4. *Eccli.* 34.

LECTIO IX.

Quid facis ut liberéris? Excita Jesum, et dic: Magister, perímus. Movent enim incerta stagni, perímus. Evigilábit ille, id est, rédiet ad te fides tua; et, adjuvante illo, considerábit in ánima tua, quia quæ dantur modò malis, non cum illis perseverábunt; tibi autem quod promíttitur, manébit in æternum. Evigilante Christo, jam tempestas illa non quátiet cor tuum; non opplébunt fluctus navim tuam; quia fides tua ímperat ventis et flúctibus, et tránsiet perículum.

℟. Vidérunt ópera Dómini, et mirabília ejus in profundo. Clamavérunt ad Dóminum: * Et státuit procellam in auram; et † Siluérunt fluctus maris. ℣. Comminátus est Jesus vento, et dixit mari: Tace, obmutesce; * Et státuit. Glória. † Siluérunt. *Ps.* 106. *Marc.* 4.

Ad Benedictus, *Ant.* 8. *G.* Surgens Jesus, imperávit ventis et mari: et facta est tranquíllitas magna. *Matth.* c. 8.

ORATIO.

Deus, qui nos in tantis periculis constitútos, pro humána scis fragilitáte non posse subsístere : da nobis salútem mentis et córporis, ut ea quæ pro peccátis nostris pátimur, te adjuvante, vincámus ; Per Dóminum.

Ad Magníficat, *Ant.* 8. G. Hómines mirati sunt, dicentes : Qualis est hic, quia venti et mare obédiunt ei! *Matth.* 8.

FERIA SECUNDA.

LECTIO I.

De Epístola ad Philippenses.

(Cap. 2.)

Si qua consolátio in Christo, si quod solátium caritátis, si qua sócietas spíritûs, si qua víscera miseratiónis ; impléte gaudium meum, ut idem sapiátis, eamdem caritátem habentes, unánimes, idipsum sentientes, nihil per contentiónem, neque per inánem glóriam ; sed in humilitáte superióres sibi ínvicem arbitrantes, non quæ sua sunt sínguli considerantes, sed ea quæ alió-rum.

℟. Voluntátem, 3to.

LECTIO II.

Itaque, caríssimi mei, (sicut semper obedistis) non ut in præséntia meî tantùm, sed multò magis nunc in abséntia mea, cum metu et tremóre vestram salútem operámini. Deus est enim qui operátur in vobis et velle et perfícere, pro bona voluntáte. Omnia autem fácite sine murmuratiónibus et hæsitatiónibus ; ut sitis sine queréla, et símplices fílii Dei, sine reprehensióne in médio natiónis pravæ et perversæ, inter quos lucétis sicut luminária in mundo.

℟. Dómine, 3to.

LECTIO III.

(Cap. 4.)

De cétero, fratres, quæcumque sunt vera, quæcumque pudíca, quæcumque justa, quæcumque sancta, quæcumque amabília, quæcumque bonæ famæ, si qua virtus, si qua laus disciplínæ, hæc cogitáte. Quæ et didicistis, et accepistis, et audistis, et vidistis in me, hæc ágite ; et Deus pacis erit vobiscum. Gavísus sum autem in Dómino vehementer, quóniam tandem aliquando refloruistis pro me sentire, sicut et sentiebátis : occupáti autem erátis. Non quasi propter penúriam dico : ego enim dídici, in quibus sum, sufficiens esse. Scio et humiliári, scio et abundáre, (ubíque et in ómnibus institútus sum) et satiári, et esuríre, et abundáre, et penúriam pati. Omnia possum in eo qui me confortat.

℟. Salvábis me, 3to.

FERIA TERTIA.

LECTIO I.

Incipit Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Colossenses.

(Cap. 1.)

PAULUS Apóstolus Jesu Christi per voluntátem Dei, et Timótheus frater, eis qui sunt Colossis, sanctis et fidélibus frátribus in Christo Jesu : Grátia vobis et pax à Deo Patre nostro, et Dómino Jesu Christo. Grátias ágimus Deo et Patri Dómini nostri Jesu Christi, semper pro vobis orantes : audientes fidem vestram in Christo Jesu, et dilectiónem quam habétis in sanctos omnes, propter spem quæ repósita est vobis in cœlis, quam audístis in verbo veritátis Evangélii, quod pervénit ad vos, sicut et in universo mundo est, et fructíficat, et crescit, sicut in vobis ex ea die quà audístis et cognovístis grátiam Dei in veritáte.

℣. Clamavérunt, 351.

LECTIO II.

IDEO et nos ex qua die audívimus, non cessámus pro vobis orantes, et postulantes ut impleámini agnitióne voluntátis ejus in omni sapiéntia et intellectu spirituáli ; ut ambulétis dignè Deo, per ómnia placentes, in omni ópere bono fructificantes, et crescentes in sciéntia Dei : in omni virtúte confortáti secundùm poténtiam claritátis ejus, in omni patiéntia, et longanimitáte cum gáudio, grátias agentes Deo Patri qui dignos nos fecit in partem sortis sanctórum in lúmine ; qui erípuit nos de potestáte tenebrárum, et tránstulit in regnum Fílii dilectiónis suæ, in quo habémus redemptiónem per sánguinem ejus, remissiónem peccatórum.

℣. Confiteantur, 352.

LECTIO III.

(Cap. 2.)

SICUT ergo accepístis Jesum Christum Dóminum, in ipso ambuláte, radicáti et superædificáti in ipso, et confirmáti fide, sicut et didicístis, abundántes in illo in gratiárum actióne. Vidéte ne quis vos decípiat per philosóphiam et inánem fallácium, secundùm traditiónem hóminum, secundùm elementa mundi, et non secundùm Christum ; quia in ipso inhábitat omnis plenitúdo divinitátis corporáliter ; et estis in illo repléti, qui est caput omnis principátûs et potestátis ; in quo et circumcísi estis circumcisióne non manu factâ in expoliatióne córporis carnis, sed in circumcisióne Christi : consepulti in ei baptismo, in quo et resurrexístis per fidem operatiónis Dei qui suscitávit illum à mórtuis.

℣. Misericórdiam, 352.

FERIA QUARTA.

LECTIO I.

De Epístola ad Colossenses.

(Cap. 3.)

INDUITE vos, sicut electi Dei, sancti et dilecti víscera misericórdiæ, benignitátem, humilitátem, modéstiam, patiéntiam; supportantes ínvicem, et donantes vobismetipsis, si quis adversus áliquem habet quérelam: sicut et Dóminus donávit vobis, ita et vos. Super ómnia autem hæc, caritátem habéte, quod est vínculum perfectiónis: et pax Christi exultet in córdibus vestris, in qua et vocáti estis in uno córpore; et grati estóte.

℟. Voluntátem, 35o.

LECTIO II.

VERBUM Christi hábitet in vobis abundanter in omni sapiéntia, docentes et commonentes vosmetipsos psalmis, hymnis et cánticis spirituálibus, in grátia cantantes in córdibus vestris Deo. Omne quodcumque fácitis in verbo aut in ópere, ómnia in nómine Dómini Jesu Christi, grátias agentes Deo et Patri per ipsum. Mulíeres, súbditæ estóte viris, sicut oportet, in Dómino. Viri, dilígite uxóres vestras, et nolíte amári esse ad ilias. Fílii, obedíte paréntibus per ómnia; hoc enim plácitum est in Dómino. Patres, nolíte ad indignatiónem provocáre fílios vestros, ut non pusillo ánimo fiant.

℟. Dómine, 35o.

LECTIO III.

(Cap. 3 et 4.)

SERVI, obedíte per ómnia dóminis carnálibus, non ad óculum servientes, quasi homínibus placentes, sed in simplicitáte cordis timentes Deum. Quodcumque fácitis, ex ánimo operámini sicut Dómino, et non homínibus; scientes quòd à Dómino accipiétis retributiónem hæreditátis. Dómino Christo servíte. Qui enim injúriam facit, recípiet id quod iníquè gessit; et non est personárum accéptio apud Deum. Dómini, quod justum est et æquum, servis præstáte; scientes quòd et vos Dóminum habétis in cœlo. Oratióni instáte, vigilantes in ea in gratiárum actióne.

℟. Salvábis me, 35o.

FERIA QUINTA.

LECTIO I.

Incipit Epístola prima beáti Pauli Apóstoli ad Thessalonicenses.

(Cap. 1.)

PAULUS, et Silvánus, et Timótheus, Ecclésiæ Thessalonicénsium in Deo Patre, et Dómino Jesu Christo: Grátia vobis et pax. Grátias ágimus Deo semper pro óm-

nibus vobis, memóriam vestrî facientes in oratiónibus nostris sine intermissióne; mémores óperis fídei vestræ, et labóris, et caritátis, et sustinéntiæ spei Dómini nostri Jesu Christi, ante Deum et Patrem nostrum : scientes, fratres dilecti à Deo, electiónem vestram; quia Evangélium nostrum non fuit ad vos in sermóne tantùm, sed et in virtúte, et in Spíritu sancto, et in plenitúdine multa, sicut scitis quales fuérimus in vobis propter vos.

℟. Clamavérunt ad Dóminum, 351.

LECTIO II.

(Cap. 2.)

Exhortátio nostra non de erróre, neque de immundítia, neque in dolo : sed sicut probáti sumus à Deo, ut crederétur nobis Evangélium; ita lóquimur, non quasi homínibus placentes, sed Deo qui probat corda nostra. Neque enim aliquando fúimus in sermóne adulatiónis, sicut scitis; neque in occasióne avarítiæ, Deus testis est; nec quærentes ab homínibus glóriam, neque à vobis, neque ab áliis. Cùm possémus vobis óneri esse, ut Christi Apóstoli; sed facti sumus párvuli in médio vestrûm, tanquam si nutrix fóveat fílios suos. Ita desiderantes vos, cúpidè volebámus trádere vobis non solùm Evangélium Dei, sed étiam ánimas nostras; quóniam caríssimi nobis facti estis.

℟. Confiteantur, 352.

LECTIO III.

Memores enim estis, fratres, labóris nostri et fatigatiónis : nocte ac die operántes, ne quem vestrûm gravarémus, prædicávimus in vobis Evangélium Dei. Vos testes estis, et Deus, quàm sancte, et justè, et sine queréla, vobis qui credidistis, fúimus; sicut scitis quáliter unumquemque vestrûm, (sicut pater fílios suos) deprecantes vos et consolantes, testificáti sumus, ut ambularétis dignè Deo qui vocávit vos in suum regnum, et glóriam. Ideò et nos grátias ágimus Deo sine intermissióne; quóniam cùm accepissétis à nobis verbum audítûs Dei, accepistis illud, non ut verbum hóminum, sed (sicut est verè) verbum Dei qui operátur in vobis qui credidistis.

℣. Misericórdiam, 352.

FERIA SEXTA.

LECTIO I.

De Epístola prima ad Thessalonicenses.

(Cap. 4.)

De cétero, fratres, rogámus vos, et obsecrámus in Dómino Jesu, ut quemádmodùm accepistis à nobis

quómodò opórteat vos ambuláre et placére Deo, sic et ambulétis, ut abundétis magis. Scitis enim quæ præcepta déderim vobis per Dóminum Jesum. Hæc est enim voluntas Dei, sanctificátio vestra; ut abstineátis vos à fornicatióne, ut sciat unusquisque vestrûm vas suum possidére in sanctificatióne et honóre, non in passióne desidérii, sicut et gentes quæ ignórant Deum; et ne quis supergrediátur, neque circumvéniat in negótio fratrem suum; quóniam vindex est Dóminus de iis ómnibus, sicut prædíximus vobis, et testificáti sumus. Non enim vocávit nos Deus in immundítiam, sed in sanctificatiónem.

℣. Voluntátem timéntium, 35o.

LECTIO II.

(Cap. 5.)

De tempóribus autem et momentis, fratres, non indigétis ut scribámus vobis. Ipsi enim diligenter scitis quia dies Dómini, sicut fur in nocte, ita véniet. Cùm enim díxerint, Pax et secúritas; tunc repentínus eis supervéniet intéritus, sicut dolor in útero habenti, et non effúgient. Vos autem, fratres, non estis in ténebris, ut vos dies illa tanquam fur comprehendat: Ómnes enim vos fílii lucis estis, et fílii diéi: non sumus noctis, neque tenebrárum. Igitur non dormiámus sicut et céteri; sed vigilémus, et sóbrii simus.

℣. Dómine, 35o.

LECTIO III.

Rogamus autem vos, fratres, ut novéritis eos qui labórant inter vos, et præsunt vobis in Dómino, et monent vos, ut habeátis illos abundántiùs in caritáte propter opus illórum: pacem habéte cum eis. Rogámus autem vos, fratres, corrípite inquiétos, consolámini pusillánimes, suscípite infirmos, patientes estóte ad omnes. Vidéte ne quis malum pro malo alícui reddat; sed semper quod bonum est sectámini in ínvicem, et in omnes. Semper gaudéte. Sine intermissióne oráte. In ómnibus grátias ágite: hæc est enim voluntas Dei in Christo Jesu in ómnibus vobis. Spíritum nolíte extínguere. Prophetías nolíte spérnere. Omnia autem probáte: quod bonum est ténéte: ab omni spécie mala abstinéte vos.

℣. Salvábis me, 35o.

SABBATO.

LECTIO I.

Incipit Epístola secunda beáti Pauli Apóstoli ad Thessalonicenses.

(Cap. 1.)

Paulus, et Silvánus, et Ti-

mótheus, Ecclésiæ Thessalonicénsium, in Deo Patre nostro, et Dómino Jesu Christo: Grátia vobis et pax à Deo Patre nostro, et Dómino Jesu Christo. Grátias ágere debémus semper Deo pro vobis, fratres, ita ut dignum est, quóniam supercrescit fides vestra, et abundat cáritas uniuscujusque vestrûm in ínvicem; ita ut et nos ipsi in vobis gloriémur in Ecclésiis Dei, pro patiéntia vestra et fide, et in ómnibus persecutiónibus vestris, et tribulatiónibus quas sustinétis in exemplum justi judicii Dei, ut digni habeámini in regno Dei, pro quo et patímini. Si tamen justum est apud Deum retribúere tribulatiónem iis qui vos tríbulant; et vobis qui tribulámini, réquiem nobiscum in revelatióne Dómini Jesu de cœlo cum Angelis virtútis ejus.

[*Si fiat de Sabbato*, ℟℟. *sumentur è II. Nocturno Dominicæ precedentis.*]

LECTIO II.

(Cap. 2.)

Rogamus autem vos, fratres, per adventum Dómini nostri Jesu Christi, et nostræ congregatiónis in ipsum; ut non *citò moveámini* à vestro sensu, neque terreámini neque per *spíritum*, neque per sermónem, neque per epístolam tanquam per nos missam, quasi instet dies Dómini. Ne quis vos sedúcat ullo modo; quóniam nisi vénerit discéssio primùm, et revelátus fúerit homo peccáti, fílius perditiónis qui adversátur, et extóllitur supra omne quod dícitur Deus, aut quod cólitur, ita ut in templo Dei sédeat, ostendens se tanquam sit Deus. Non retinétis quòd, cùm adhuc essem apud vos, hæc dicébam vobis? Et nunc quid detíneat scitis, ut revelétur in suo témpore. Nam mystérium jam operátur *iniquitátis*: tantùm, ut qui tenet nunc, téneat, donec de médio fiat. Et tunc revelábitur *ille iníquus*, quem Dóminus Jesus interfíciet spíritu oris sui, et déstruet illustratióne adventûs sui eum.

LECTIO III.

(Cap. 3.)

Nam et cùm essémus apud vos, hoc denuntiabámus vobis; quóniam si quis non vult operári, nec mandúcet. Audívimus enim inter vos quosdam ambuláre inquiétè, nihil operantes, sed curiósè agentes. Iis autem qui ejúsmodi sunt, denuntiámus, et obsecrámus in Dómino Jesu Christo, ut cum silétio operantes, suum panem mandúcent. Vos autem, fratres, nolíte defícere benefacientes. Quòd si quis non

óbedit verbo nostro per Epístolam, hunc notáte, et ne commisceámini cum illo, ut confundátur: et nolíte quasi inimícum existimáre, sed corrípite ut fratrem. Ipse autem Dóminus pacis det vobis pacem sempiternam in omni loco. Dóminus sit cum ómnibus vobis. Salutátio meâ manu Pauli; quod est signum in omni Epístola: ita scribo. Grátia Dómini nostri Jesu Christi cum ómnibus vobis. Amen. Tu autem.

Ad Magníficat, *Ant.* 5. C. Christus Jesus dedit redemptiónem semetipsum pro ómnibus, testimónium tempóribus suis. 1. *Tim.* 2.

Oratio, ut infrà ad Laudes.

DOMINICA V.

Quæ superfuit post Epiphaniam.

IN I.° NOCTURNO.

LECTIO I.

Incipit Epístola prima beáti Pauli Apóstoli ad Timótheum.

(Cap. 1.)

PAULUS Apóstolus Jesu Christi secundùm impérium Dei salvatóris nostri, et Christi Jesu spei nostræ: Timótheo dilecto fílio in fide; Grátia, misericórdia, et pax à Deo Patre, et Christo Jesu Dómino nostro. Sicut rogávi te ut remanéres Ephesi, cùm irem in Macedóniam, ut denuntiáres quibusdam ne áliter docérent, neque inténderent fábulis et genealógiis interminátis: quæ quæstiónes præstant magis quàm ædificatiónem Dei, quæ est in fide. Finis autem præcepti est cáritas de corde puro, et conscientiâ bonâ, et fide non fictâ. A quibus quidam aberrántes, conversi sunt in vanilóquium, volentes esse legis doctóres, non intelligentes neque quæ loquuntur, neque de quibus affirmant.

℣. Díriget Dóminus mansuétos in judício: docébit mites vias suas. * Universæ viæ Dómini, misericórdia et véritas, requiréntibus testamentum ejus. ℣. Sectáre justítiam, fidem, caritátem, et pacem; stultas autem et sine disciplína quæstiónes dévita. * Universæ viæ Dómini, misericórdia. *Ps.* 24. 2. *Tim.* 2.

LECTIO II.

GRATIAS ago ei qui me confortávit, Christo Jesu Dómino nostro; quia fidélem me existimávit, ponens in ministério: qui priùs blasphémus fui, et persecútor, et contumeliósus; sed misericórdiam Dei consecútus sum, quia ígnorans feci in incredulitáte. Superabundávit autem grátia Dómini nostri cum fide et dilectióne quæ est in Christo Jesu. Fi-

délis sermo et omni acceptióne dignus, quòd Christus Jesus venit in hunc mundum peccatóres salvos fácere, quorum primus ego sum : sed ídeò misericórdiam consecútus sum, ut in me primo osténderet Christus Jesus omnem patiéntiam, ad informatiónem eórum qui creditúri sunt illi in vitam æternam.

℟. Usquequò, Deus, improperábit inimícus? irrítat adversárius nomen tuum in finem? Deus autem rex noster ante sécula : * Operátus est salútem in médio terræ. ℣. Fílius hóminis non venit ánimas pérdere, sed salváre : * Operátus est salútem. *Ps.* 73. *Luc.* 9.

LECTIO III.

(Cap. 2.)

Obsecro ígitur primùm ómnium fíeri obsecratiónes, oratiónes, postulatiónes, gratiárum actiónes, pro ómnibus homínibus, pro régibus, et ómnibus qui in sublimitáte sunt; ut quiétam et tranquillam vitam agámus in omni pietáte et castitáte. Hoc enim bonum est, et acceptum coram salvatóre nostro Deo, qui omnes hómines vult salvos fíeri, et ad agnitiónem veritátis veníre. Unus enim Deus, unus et mediátor Dei et hóminum homo Christus Jesus : qui dedit redemptiónem semetipsum pro ómnibus, testimónium tempóribus suis.

℟. Recordátus est Dóminus misericórdiæ suæ, et veritátis suæ dómui Israel. * Vidérunt omnes términi terræ salutáre Dei nostri. ℣. Deus erat in Christo mundum reconcílians sibi, non réputans illis delicta ipsórum. * Vidérunt. Glória. * Vidérunt. *Ps.* 97. 2. *Cor.* 5.

IN II.º NOCTURNO.

LECTIO IV.

Sermo sancti Augustíni Epíscopi.

(De verbis Apost. Serm. 175, aliàs 9, c. 1.)

Fidelis sermo, et omni acceptióne dignus; quia Christus Jesus venit in mundum peccatóres salvos fácere, quorum primus ego sum. Nulla causa fuit veniendi Christo Dómino, nisi peccatóres salvos fácere. Tolle morbos, tolle vúlnera, et nulla causa est medicínæ. Si venit de cœlo magnus médicus, magnus per totum orbem terræ jacébat ægrótus : ipse ægrótus genus humánum est.

℟. Bénedic, ánima mea, Dómino; et ómniaquæ intrà me sunt, nómini sancto ejus : * Anima mea, noli oblivísci omnes retributiónes ejus, qui propitiátur ómnibus iniquitátibus tuis. ℣. Misericórdiam consecútus sum, ut in me primo osténderet Christus Jesus om-

nem patiéntiam. * Anima. *Ps.* 102. 1. *Tim.* 1.

LECTIO V.

(Serm. 176, c. 4.)

Dicit Paulus unicuíque ægróto, et de se volenti desperáre : Qui curávit me, misit me ad te, et dixit mihi : Illi desperanti vade, et dic quid habuisti, quid in te sanávi, quàm citò sanávi. De cœlo vocávi; unâ voce percussi et dejéci, áliâ erexi et elégi, tértiâ implévi et misi, quartâ liberávi et coronávi. Vade, dic ægrótis, clama desperátis : Fidélis sermo, et omni acceptióne dignus, quia Christus Jesus venit in mundum peccatóres salvos fácere. Quid timétis? quid trepidátis? Quorum primus ego sum Ego, inquit, vobis loquor, sanus ægrotántibus, stans jacéntibus, secúrus desperántibus. Ideò enim misericórdiam consecútus sum, ut in me ostènderet Christus Jesus omnem longanimitátem.

℟. Quómodò miserétur pater filiórum, misertus est Dóminus timéntibus se; quóniam * Ipse cognóvit figmentum nostrum : recordátus est quóniam pulvis sumus. ℣. Non ex opéribus justítiæ quæ fécimus nos, sed secundùm suam misericórdiam salvos nos fecit : * Ipse cognóvit. *Ps.* 102. *Tit.* 3.

LECTIO VI.

(Cap. 5.)

Nolite ergo desperáre. Ægróti estis, accédite ad eum, et sanámini : cæci estis, accédite ad eum, et illuminámini. Et qui sani estis, ei grátias ágite; et qui ægrotátis, ad eum sanandi cúrrite; dícite omnes : Veníte, adorémus, et prosternámur ei, et plorémus coram Dómino qui fecit nos, et hómines et salvos. Nam si ille nos fecit hómines, nos autem ipsi nos fécimus salvos; áliquid illo mélius fécimus : mélior est enim salvus homo, quàm quílibet homo. Si ergo te Deus fecit hóminem, et tu te fecísti bonum hóminem; quod tu fecísti, mélius est. Noli te extóllere super Deum : subde te Deo, adóra, prostérnere, confitére illi qui fecit te; quia nemo récreat, nisi qui creat; nemo réficit, nisi qui fecit.

℟. Magnificáte Dóminum mecum : et exaltémus nomen ejus in idipsum. * Accédite ad eum, et illuminámini; et ✝ Fácies vestræ non confundentur. ℣. Dignos nos fecit in partem sortis sanctórum in lúmine, qui erípuit nos de potestáte tenebrárum. * Accédite. Glória. ✝ Fácies. *Ps.* 33. *Coloss.* 1.

IN III.° NOCTURNO.

LECTIO VII.

Léctio sancti Evangélii secundùm Matthæum.

(Cap. 13.)

In illo témpore; Parábolam

propósuit turbis Jesus, dicens : Símile factum est regnum cœlórum hómini *qui seminávit bonum* semen in agro suo. Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Epíscopi.

(De verbis Evang. Serm. 88, c. 18.)

Hoc in mystério lectiónis hujus cognóvimus, fratres, esse intùs in Ecclésia bonos et malos, quod sæpè dícimus frumentum et páleam. Nemo ante tempus déserat áream, tóleret páleam in tritúra, tóleret in área : quod enim tóleret, in hórreo non habébit. Véniet ventilátor, qui dívidet malos à bonis. Erit étiam corporális separátio, quam modò spiritális præcédit. A malis corde semper disjungímini, ad tempus cautè córpore copulámini. Nec tamen negligentes sitis in corrigendis vestris, ad curam scílicet vestram quoquómodò pertinéntibus, monendo, docendo, hortando, terrendo.

℣. Símile factum est regnum cœlórum hómini qui * Seminávit bonum semen in agro suo : cùm autem dormírent hómines, inimícus superseminávit zizánia. ℣. Ad imáginem similitúdinis suæ Deus fecit hóminem; invídiâ autem diáboli, mors introívit in orbem terrárum. * Seminávit bonum. *Matth.* 13. *Sap.* 2.

LECTIO VIII.

Duobus modis non te máculat malus; *si non* consèntias, *et si* redárguas : hoc est, non communicáre, non consentíre. Communicátur quippe, quando facto ejus consórtium voluntátis vel approbatiónis adjúngitur. Hoc ergo nos ádmonens Apóstolus, ait : Nolíte communicáre óperibus infructuósis tenebrárum. Et quia parùm érat non consentíre, si sequerétur negligéntia disciplínæ : Magis autem, inquit, et redargúite. Vidéte quemádmodùm utrumque complexus est : Nolíte communicáre; magis autem et redargúite. Quid est, Nolíte communicáre? Nolíte consentíre, nolíte laudáre, nolíte approbáre. Quid est, Magis autem et redargúite? Reprehéndite, corrípite, coercéte. Deinde in ipsa correctióne vel coercitióne alienórum peccatórum cavendum est ne se extollat qui álterum córripit. Neque ergo consentientes sitis malis, ut approbétis; neque negligentes, ut non arguatis; neque superbientes, ut insultanter arguátis.

℣. Zizánia fílii sunt nequam; inimícus autem qui seminávit ea, est diábolus! * Sicut colliguntur zizánia, et igni comburuntur; sic erit in consummatióne séculi. ℣. In diem perditió-

nis servátur malus, et ad diem furóris ducétur. * Sicut. *Matth.* 13. *Job* 21.

LECTIO IX.

Qui deserúerit unitátem, violat caritátem; et quisquis víolat caritátem, quódlibet magnum hábeat, ipse nihil est. Si linguis hóminum loquátur et Angelórum, si sciat ómnia sacramenta, si hábeat ómnem fidem ut montes tránsferat, si distríbuat ómnia sua paupéribus, si corpus suum tradat ut árdeat, caritátem autem non hábeat; nihil est, nihil ei prodest. Universa inutíliter habet, qui unum illud quo universis utátur, non habet. Amplectámur ítaque caritátem, studentes serváre unitátem spíritûs in vínculo pacis. Non nos sedúcant qui carnáliter intélligunt, et corporálem separatiónem fácientes, ab Ecclésiæ frumentis toto orbe diffúsis spirituáli sacrilégio separantur. Per totum enim mundum seminátum est bonum semen.

℟. Mittet Fílius hóminis Angelos suos; et cólligent eos qui fáciunt iniquitátem, et mittent eos in camínum ignis: * Tunc ✝ Justi fulgébunt sicut sol in regno Patris eórum. ℣. Justum et ímpium judicábit Deus, et tempus omnis rei tunc erit. * Tunc. Glória Patri. ✝ Justi. *Matth.* 13. *Eccles.* 3.

Ad Benedictus, *Ant.* 3. c. Dómine, nonne bonum semen seminasti in agro tuo? Unde ergo habet zizánia? Et ait illis: Inimícus homo hoc fecit. *Matth* 13.

ORATIO.

Familiam tuam, quæsumus, Dómine, contínuâ pietáte custódi; ut quæ in sola spe grátiæ cœléstis innítitur, tuâ semper protectióne muniátur; Per Dóminum.

Ad Magníficat, *Ant.* 1. g. Collígite primùm zizánia, et alligáte ea in fascículos ad comburendum; tríticum autem congregáte in hórreum meum. *Matth.* 13.

FERIA SECUNDA.

LECTIO I.

De Epístola prima ad Timótheum.

(Cap. 3.)

Fidelis sermo: Si quis Episcopátum desíderat, bonum opus desíderat. Oportet ergo Epíscopum irreprehensíbilem esse, unius uxóris virum, sóbrium, prudéntem, ornátum, pudícum, hospitálem, doctórem, non vinolentum, non percussórem, sed modéstum; non litigiósum, non cúpidum, sed suæ dómui bene præpósitum, fílios habéntem súbditos cum omni castitáte. Si quis autem dómui suæ præesse nescit, quómodò Ecclésiæ Dei dili-

géntiam habébit? Non neóphytum; ne in supérbiam elátus, in judícium íncidat diáboli. Oportet autem illum et testimónium habére bonum ab iis qui foris sunt; ut non in oppróbrium íncidat, et in láqueum diáboli.

℣. Díriget, 360.

LECTIO II.

(Cap. 4 et 5.)

Nemo adolescéntiam tuam contemnat; sed exemplum esto fidélium in verbo, in conversatióne, in caritáte, in fide, in castitáte. Dum vénio, attende lectióni, exhortatióni et doctrínæ. Noli neglígere grátiam quæ in te est, quæ data est tibi per prophetíam cum impositióne mánuum presbytérii. Hæc meditáre, in his esto, ut profectus tuus manifestus sit ómnibus. Attende tibi, et doctrínæ: insta in illis. Hoc enim fáciens, et teipsum salvum fácies, et eos qui te áudiunt. Seniórem ne increpáveris, sed óbsecra ut patrem; júvenes, ut fratres; anus, ut matres; juvénculas, ut soróres in omni castitáte. Víduas honóra, quæ verè víduæ sunt.

℣. Usquequò, 361.

LECTIO III.

(Cap. 6.)

Est autem quæstus magnus pietas cum sufficiéntia. Nihil enim intúlimus in hunc mundum: haud dúbium quòd nec auferre quid póssumus. Habentes autem alimenta, et quibus tegámur, his contenti simus. Nam qui volunt dívites fíeri, íncidunt in tentatiónem, et in láqueum diáboli, et desidéria multa inutília et nocíva, quæ mergunt hómines in intéritum et perditiónem. Radix enim ómnium malórum est cupíditas: quam quidam appetentes, erravérunt à fide, et inseruérunt se dolóribus multis. Tu autem, ô homo Dei, hæc fuge: sectáre verò justítiam, pietátem, fidem, caritátem, patiéntiam, mansuetúdinem. Certa bonum certámen fídei, apprehende vitam æternam in qua vocátus es, et confessus bonam confessiónem coram multis téstibus.

℣. Recordátus est, 361.

FERIA TERTIA.

LECTIO I.

Incipit Epístola secunda beáti Pauli Apóstoli ad Timótheum.

(Cap. 1.)

Paulus Apóstolus Jesu Christi per voluntátem Dei, secundùm promissiónem vitæ quæ est in Christo Jesu: Timótheo carissimo fílio; Grátia, misericórdia, pax à Deo Patre, et Christo Jesu Dómino nostro. Grátias ago

Deo, cui sérvio à progenitóribus in consciéntia pura, quòd sine intermissióne hábeam tuî memóriam in oratiónibus meis nocte ac die, desíderans te vidére; memor lacrymárum tuárum, ut gáudio ímplear; recordatiónem accípiens ejus fídei, quæ est in te non ficta, quæ et habitávit primùm in ávia tua Lóide, et matre tua Eunice, certus sum autem quòd et in te. Propter quam causam admóneo te ut resúscites grátiam Dei, quæ est in te per impositiónem mánuum meárum.

℟. Bénedic, 361.

LECTIO II.

(Cap. 2.)

Tu ergo, fili mi, confortáre in grátia quæ est in Christo Jesu; et quæ audisti à me per multos testes, hæc commenda fidélibus homínibus, qui idónei erunt et álios docére. Labóra sicut bonus miles Christi Jesu. Nemo mílitans Deo, ímplicat se negótiis seculáribus; ut ei pláceat cui se probávit. Nam et qui certat in agóne, non coronátur nisi legítimè certáverit. Laborantem agrícolam oportet primùm de frúctibus percípere. Intéllige quæ dico; dabit étenim tibi Dóminus in ómnibus intellectum.

℟. Quómodò, 362.

LECTIO III.

Juvenilia autem desidéria fuge: sectáre verò justítiam, fidem, caritátem, et pacem cum iis qui ínvocant Dóminum de corde puro. Stultas autem et sine disciplína quæstiónes devíta; sciens quia génerant lites. Servum autem Dómini non oportet litigáre; sed mansuétum esse ad omnes, docíbilem, patientem, cum modéstia corripientem eos qui resistunt veritáti, nequando Deus det illis pœniténtiam ad cognoscendam veritátem, et resipiscant à diáboli láqueis, à quo captívi tenentur ad ipsíus voluntátem.

℟. Magnificáte, 362.

FERIA QUARTA.

LECTIO I.

De Epístola secunda beáti Pauli Apóstoli ad Timótheum.

(Cap. 3.)

Hoc autem scito, quòd novíssimis diébus instábunt témpora periculósa: erunt hómines seipsos amantes, cúpidi, eláti, superbi, blasphémi, paréntibus non obedientes, ingráti, scelesti, sine affectióne, sine pace, criminatóres, incontinentes, immites, sine benignitáte; proditóres, protervi, túmidi, et voluptátum amatóres magis quàm Dei; habentes spéciem quidem pietátis, virtútem autem ejus abnegantes. Et hos devíta: ex his enim sunt qui péne-

trant domos, et captívas ducunt muliérculas onerátas peccátis, quæ ducuntur váriis desidériis; semper discentes, et nunquam ad sciéntiam veritátis pervenientes.

℟. Díriget Dóminus, 360.

LECTIO II.

Tu autem assecútus es meam doctrínam, institutiónem, propósitum, fidem, longanimitátem, dilectiónem, patiéntiam, persecutiónes, passiónes; quália mihi facta sunt Antiochíæ, Icónii, et Lystris: quales persecutiónes sustínui, et ex ómnibus erípuit me Dóminus. Et omnes qui piè volunt vívere in Christo Jesu, persecutiónem patiéntur. Mali autem hómines et seductóres proficient in pejus, errantes; *et in errórem mittentes.* Tu verò pérmane in iis quæ didicisti, et crédita sunt tibi, *sciens à quo didíceris*, et quia ab infántia sacras lítteras nosti, quæ te possunt instrúere ad salútem, per fidem quæ est in Christo Jesu.

℟. Usquequò, Deus, 361.

LECTIO III.

(Cap. 4.)

Testificor coram Deo, et Jesu Christo, qui judicatúrus est vivos et mórtuos, per adventum ipsíus, et regnum ejus: prædica verbum, insta opportúnè, importúnè: árgue, óbsecra, íncrepa in omni patiéntia et doctrína. Erit enim tempus, cùm sanam doctrínam non sustinébunt, sed ad sua desidéria coacervábunt sibi magistros prurientes áuribus; et à veritáte quidem audítum avertent, ad fábulas autem convertentur. Tu verò vígila, in ómnibus labóra, opus fac Evangelistæ, ministérium tuum imple. Sóbrius esto.

℟. Recordátus est, 361.

FERIA QUINTA.

LECTIO I.

Incipit Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Titum.

(Cap. 1.)

Paulus servus Dei, Apóstolus autem Jesu Christi secundùm fidem electórum Dei, et agnitiónem veritátis *quæ* secundùm pietátem est, *in spem* vitæ æternæ quam promísit, qui non mentítur, Deus ante témpora seculária: manifestávit autem tempóribus suis verbum suum in prædicatióne quæ crédita est mihi secundùm præceptum Salvatóris nostri Dei: Tito dilecto fílio, secundùm commúnem fidem, grátia et pax à Deo Patre, et Christo Jesu salvatóre nostro.

℟. Bénedic, ánima, 361.

LECTIO II.

Hujus rei grátiâ relíqui te Cretæ, ut ea quæ desunt córrigas, et constituas per civi-

tátes Presbyteros, sicut et ego dispósui tibi. Si quis sine crímine est, uníus uxóris vir, fílios habens fidéles, non in accusatióne luxúriæ, aut non súbditos. Oportet enim Epíscopum sine crímine esse, sicut Dei dispensatórem; non superbum, non iracundum, non vinolentum, non percussórem, non turpis lucri cúpidum; sed hospitálem, benignum, sóbrium, justum, sanctum, continentem, amplectentem eum qui secundùm doctrínam est, fidélem sermónem; ut potens sit exhortári in doctrína sana, et eos qui contradícunt, argúere.

℟. Quómodò, 362.

LECTIO III.

Sunt enim multi étiam inobedientes, vaníloqui et seductóres, máximè qui de circumcisióne sunt, quos oportet redárgui: qui universas domos subvertunt, docentes quæ non oportet, turpis lucri grátiâ. Dixit quidam ex illis próprius ipsórum prophéta: Cretenses semper mendáces, malæ béstiæ, ventres pigri. Testimónium hoc verum est. Quam ob causam increpa illos dure, ut sani sint in fide, non intendentes Judáicis fábulis, et mandátis hóminum aversántium se à veritáte. Omnia munda mundis; coinquinátis autem et infidélibus nihil est mundum, sed inquinátæ sunt eórum et mens et conscientia. Confitentur se nosse Deum, factis autem negant, cùm sint abominati, et incredíbiles, et ad omne opus bonum réprobi.

℟. Magnificáte, 362.

FERIA SEXTA.

LECTIO I.

De Epístola ad Titum.

(Cap. 2.)

Tu lóquere quæ decent sanam doctrínam; senes, ut sóbrii sint, pudíci, prudentes, sani in fide, in dilectióne, in patiéntia. Anus simíliter, in hábitu sancto, non criminatríces, non multo vino servientes, bene docentes; ut prudéntiam dóceant adolescéntulas, ut viros suos ament, fílios suos díligant; prudentes, castas, sóbrias, domûs curam habentes, benignas, súbditas viris suis, ut non blasphemétur verbum Dei. Júvenes simíliter hortáre, ut sóbrii sint. In ómnibus teipsum præbe exemplum bonórum óperum, in doctrína, in integritáte, in gravitáte, verbum sanum, irreprehensíbile; ut is qui ex adverso est, vereátur nihil habens malum dícere de nobis.

℟. Díriget, 360.

LECTIO II.

(Cap. 3.)

Admone illos princípibus et potestátibus súbditos esse

dicto obedíre, ad omne opus bonum parátos esse, némi-nem blasphemáre, non litigiósos esse, sed modestos, omnem ostendentes mansuetúdinem ad omnes hómines. Erámus enim aliquando et nos insipientes, incrédulí, errantes, servientes desidériis et voluptátibus váriis, in malítia et invídia agentes, odíbiles, odientes ínvicem. Cùm autem benígnitas et humánitas appáruit salvatóris nostri Dei, non ex opéribus justítiæ, quæ fécimus nos, sed secundùm suam misericórdiam salvos nos fecit per lavácrum regeneratiónis et renovatiónis Spíritûs sancti, quem effúdit in nos abundè per Jesum Christum salvatórem nostrum; ut justificáti grátiâ ipsíus, hæredes simus; secundùm spem vitæ æternæ.

℟. Usquequò, Deus, improperábit, 361.

LECTIO III.

Fidelis sermo est; et de his volo te confirmáre. Ut curent bonis opéribus præesse, qui credunt Deo. Hæc sunt bona et utília homínibus. Stultas autem quæstiónes, et genealógias, et contentiónes, et pugnas legis devíta; sunt enim inútiles et vanæ. Hæréticum hóminem, post unam et secundam correptiónem, devíta; sciens quia subversus est qui ejúsmodi est, et delinquit; cùm sit próprio judício condemnátus. Cùm mísero ad te Artemam aut Tychicum, festína ad me veníre Nicópolim; ibi enim státui hiemáre. Zenam legisperítum et Apollo sollícitè præmitte, ut nihil illis desit. Discant autem et nostri bonis opéribus præesse ad usus necessários, ut non sint infructuósi. Salútant te qui mecum sunt omnes. Salúta eos qui nos amant in fide. Grátia Dei cum ómnibus vobis. Amen. Tu autem.

℟. Recordátus est, 361.

SABBATO.

LECTIO I.

Incipit Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Philémonem.

Paulus vinctus Christi Jesu, et Timótheus frater: Philémoni dilecto et adjutóri nostro, et Appiæ soróri caríssimæ, et Archippo commilitóni nostro, et Ecclésiæ quæ in domo tua est: Grátia vobis et pax à Deo Patre nostro, et Dómino Jesu Christo. Grátias ago Deo meo, semper memóriam tuî fáciens in oratiónibus meis, áudiens caritátem tuam, et fidem quam habes in Dómino Jesu, et in omnes sanctos, ut communicátio fídei tuæ évidens fiat in agnitióne omnis óperis boni quod est in vobis in Christo Jesu.

[*Si fiat de Sabbato,* ℟℟℟. *sumuntur è II. Nocturno Dominicæ præcedentis.*]

LECTIO II.

Gaudium enim magnum hábui, et consolatiónem in caritáte tua, quia víscera sanctórum requievérunt per te, frater. Propter quod multam fidúciam habens in Christo Jesu imperandi tibi quod ad rem pértinet, propter caritátem magis óbsecro, cùm sis talis, ut Paulus senex; nunc autem et vinctus Jesu Christi: óbsecro te pro meo fílio, quem génui in vínculis, Onésimo, qui tibi aliquando inútilis fuit, nunc autem et mihi et tibi útilis, quem remísi tibi. Tu autem illum, ut mea víscera, súscipe. Quem ego volúeram mecum detinére, ut pro te mihi ministráret in vínculis Evangélii: sine consílio autem tuo nihil vólui fácere, utì ne velut ex necessitáte bonum tuum esset, sed voluntárium.

LECTIO III.

Forsitan enim ideò discessit ad horam à te, ut æternùm illum recíperes; jam non ut servum, sed pro servo carísimum fratrem, máximè mihi: quantò autem magis tibi, et in carne, et in Dómino? Si ergo habes me sócium, súscipe illum sicut me: si autem áliquid nócuit tibi, aut debet, hoc mihi ímputa. Ego Paulus scripsi meâ manu: ego reddam, ut non dicam tibi quòd et teipsum mihi debes. Ita, frater. Ego te fruar in Dómino: réfice víscera mea in Dómino. Confídens in obediéntia tua, scripsi tibi; sciens quóniam et super id quod dico, fácies. Simul autem et para mihi hospítium; nam spero per oratiónes vestras donári me vobis. Salútat te Epaphras concaptívus meus in Christo Jesu, Marcus, Aristarchus, Demas et Lucas, adjutóres mei. Grátia Dómini nostri Jesu Christi cum spíritu vestro. Amen. Tu autem.

Ad Magníficat, *Ant.* 6. F. Jesus Christus heri et hódie: ipse et in sécula. *Hebr.* 13.

Oratio, ut infrà ad Laud.

DOMINICA VI,

Quæ superfuit post Epiph.

IN I.° NOCTURNO.

LECTIO I.

Incipit Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Hebræos.

(Cap. 1.)

Multifariam multisque modis olim Deus loquens pátribus in Prophétis, novíssimè diébus istis locútus est nobis in Fílio, quem constítuit hærédem universórum, per quem fecit et sécula. Qui cùm sit splendor glóriæ, et figúra substántiæ ejus, portansque ómnia verbo virtútis suæ, purgatiónem peccatórum fáciens, sedet ad déxteram majestátis in excelsis; tantò mélior Angelis effectus, quanto differéntius præ illis nomen hæreditávit.

℟. Speciósus formâ præ fíliis hóminum; diffúsa est grátia in lábiis tuis. * Sedes tua, Deus, in séculum séculi: virga æquitátis, virga regni tui. ℣. Ad Angelos quidem dicit: Qui facit Angelos suos, spíritus; ad Fílium autem: * Sedes. *Ps.* 44. *Hebr.* 1.

LECTIO II.

Cui enim dixit aliquando Angelórum: Fílius meus es tu, ego hódie génui te? Et rursum: Ego ero illi in Patrem, et ipse erit mihi in Fílium? Et cùm íterùm introdúcit Primogénitum in orbem terræ, dicit: Et adórent eum omnes Angeli Dei. Et ad Angelos quidem dicit: Qui facit Angelos suos, spíritus; et ministros suos, flammam ignis. Ad Fílium autem: Thronus tuus, Deus, in séculum séculi: virga æquitátis, virga regni tui. Dilexísti justítiam, et odísti iniquitátem; propterea unxit te Deus, Deus tuus, óleo exultatiónis præ participibus tuis.

℟. Regnum tuum, Dómine, regnum ómnium seculórum: * Et Dominátio tua in omni generatióne, et generatiónem. ℣. Dómine Deus omnípotens, accepísti virtútem tuam magnam, et regnasti: * Et Dominátio tua in omni generatione, et generatiónem. *Ps.* 144. *Apoc.* 11.

LECTIO III.

Et: Tu in princípio, Dómine, terram fundásti; et ópera mánuum tuárum sunt cœli: ipsi períbunt, tu autem permanébis; et omnes ut vestimentum veterascent; et velut amictum mutábis eos, et mutabuntur; tu autem idem ipse es, et anni tui non defícient. Ad quem autem Angelórum dixit aliquando: Sede à dextris meis, quoadusque ponam inimícos tuos scabéllum pedum tuórum? Nonne omnes sunt administratórii spíritus, in ministérium missi propter eos qui hæreditátem cápient salútis?

℟. Tu Dóminus altíssimus super omnem terram: * Nimis exaltátus es super omnes deos. ℣. Dignus es, Dómine Deus noster, accípere glóriam, et honórem, et virtútem; quia tu creásti ómnia: * Nimis. Glória Patri. * Nimis. *Ps.* 96. *Apoc.* 4

IN II.° NOCTURNO.

LECTIO IV.

Sermo sancti Athanási Epíscopi.

(Orat. 2. contra Arianos, n. 24 et 26.)

Nemo disceptantes audíre velit hæréticos, Deum non semper Patrem fuísse, sed póstea factum esse; ut ementiantur áliquo témpore ejus Verbum non extitísse. Ne-

mo, inquam, hæc disputantes patienter audíerit, cùm multæ sint adversùs illos refutatiónes; tum ex verbis Joannis, qui dicit: Erat Verbum; tum ex Pauli scriptis, cujus hæc senténtia est: Qui est splendor glóriæ, et qui est super ómnia Deus benedictus in sécula: Amen. Deus æternáliter est. Æternáliter ígitur existente Patre, æternáliter quoque exístit ejus splendor, quod ipsum est Verbum ejus. Ac rursum Deus existens, ex se existens Verbum habet; neque Verbum supervénit, cùm priùs non esset; neque Pater unquam irrationális, hoc est, sine ratióne et Verbo fuit.

℣. Domináre in médio inimicórum tuórum: * Tecum princípium in die virtútis tuæ in splendóribus sanctórum; ex útero ante lucíferum génui te. ℣. Ad quem Angelórum dixit Deus aliquando: Sede à dextris meis, quoadusque ponam inimícos tuos scabellum pedum tuórum? * Tecum. *Ps.* 109. *Hebr.* 1.

LECTIO V.
(N. 53 et 55.)

Sed, ínquiunt, in Epístola ad Hebræos ita Apóstolus lóquitur: Tantò mélior Angelis factus, quantò præstántius nomen præ illis sortítus est. Ex his verbis cólligunt Verbum Dei creatúram esse, et opus, et unam ex rebus cónditis. Si persónam, rem, tempus Apostólici dicti cognóscerent hærétici, nunquam humána in deitátem transferentes, tam ímpiè et stultè adversùs Christum sese habuissent. Id intuéri licébit, si inítium lectiónis probè excípias. Dicit enim Apóstolus: Multifáriàm multisque modis olim Deus locútus est pátribus nostris per Prophétas; últimis autem diébus locútus est nobis in Fílio. Atque ita paulò post dicit, perfectà ab eo nostrórum peccatórum purificatióne, ipsum sedére ad déxteram majestátis in excelsis, tantò meliórem Angelis factum, quantò præstántius nomen præ illis sortítus est. De eo ígitur témpore quo nobis per Fílium locútus est, cùm peccatórum purgátio fíeret, Apostólicum dictum mentiónem facit. Quando autem nobis locútus est in Fílio, aut quando purgátio peccatórum facta est, aut quando natus est homo, nisi post Prophétas; idque in últimis diébus?

℣. Benedícite Dómino, omnes Angeli ejus, potentes virtúte, facientes verbum illíus, * Ad audiendam vocem sermónum ejus. ℣. Vidébitis cœlum apertum, et Angelos Dei ascendentes et descendentes supra Fílium hóminis, * Ad. *Ps.* 102. *Joan.* 1.

LECTIO VI.

Deinde cùm narrátio institúta esset de humána Verbi dispensatióne, deque últimis tempóribus; consequenter commemorávit Deum neque superióribus ætátibus tacuisse, sed locútum esse per Prophétas. Et postquàm Prophétæ suo offício perfuncti sunt, et lex per Angelos pronuntiáta est, et Fílius étiam ad nos descendit, et ad ministrandum accessit; tunc demum necessáriò subíntulit: Tantò mélior Angelis factus; osténdere volens, quantò Fílius præ servo excellit, tantò functióne officioque servórum Fílii administratiónem meliórem fuisse.

℟. Quis símilis erit Deo in fíliis Dei? Deus qui glorificátur in concílio sanctórum: * Magnus, et terríbilis super omnes qui in circúitu ejus sunt. ℣. Qui est de terra, de terra est, et de terra lóquitur; qui de cœlo venit, super omnes est: * Magnus. Glória. * Magnus. *Ps.* 88. *Jo.* 3.

IN III.° NOCTURNO.

LECTIO VII.

Léctio sancti Evangélii secundùm Matthæum.

(Cap. 13.)

In illo témpore; Parábolam propósuit turbis Jesus, dicens: Símile est regnum cœlórum grano sinápis, quod accípiens homo seminávit in agro suo. Et réliqua.

Homília sancti Hierónymi Presbyteri.

(Lib. 2, in Matth.)

Regnum cœlórum, prædicátio Evangelii est, et notítia Scripturárum, quæ ducit ad vitam, et de qua dícitur ad Judæos: Auferétur à vobis regnum Dei, et dábitur genti facienti fructus ejus. Símile est ergo hujuscemodi regnum grano sinápis, quod accípiens homo seminávit in agro suo. Homo qui séminat in agro suo, à plerisque Salvátor intellígitur, quòd in ánimis credéntium séminet. Ab áliis, ipse homo séminans in agro suo, hoc est, in semetipso, et in corde suo.

℟. Locútus est Jesus in parábolis ad turbas, ut implerétur quod dictum est per Prophétam: * Eructábo abscóndita à constitutióne mundi. ℣. Apériam in parábolis os meum; loquar propositiónes ab inítio: * Eructábo. *Matt.* 13. *Ps.* 77.

LECTIO VIII.

Quis est iste qui séminat, nisi sensus noster et ánimus; qui suscípiens granum prædicatiónis, et fovens sementem humóre fídei, facit in agro sui péctoris pullulare? Prædicátio Evangélii mínima est ómnibus disci-

plínis. Ad primam quippe doctrínam, fidem non habet veritátis, hóminem Deum, Deum mórtuum, et scándalum crucis prædicans. Confer hujuscémodi doctrínam dogmátibus philosophórum, et libris eórum, et splendóri eloquéntiæ, et compositióni sermónum; et vidébis quantò minor sit céteris semínibus sementis Evangélii.

℟. Dimissis turbis, venit Jesus in domum; et * Accessérunt ad eum discípuli ejus, dicentes: Edíssere nobis parábolam. ℣. Cor sapientis quærit doctrínam. * Accessérunt. *Matth.* 13. *Prov.* 15.

LECTIO IX.

Sed illa cùm créverit, nihil mordax, nihil vívidum, nihil vitále demonstrat: sed totum fláccidum marcidumque et mollítum ebullit in ólera, et in herbas quæ citò arescunt et córruunt. Hæc autem prædicátio, quæ parva vidébatur in princípio, cùm vel in ánima credentis, vel in toto mundo sata fúerit, non exurgit in ólera, sed crescit in árborem; ita ut vólucres cœli (quas vel ánimas credéntium, vel fortitúdines Dei servítio mancipátas sentíre debémus) véniant et hábitent in ramis ejus. Ramos puto Evangélicæ árboris, quæ de grano sinápis créverit, dógmatum esse diversitátes, in quibus supradictárum vólucrum unaquæque requiescit.

℟. Quæ seminâverit homo, hæc et metet; quóniam qui séminat in carne sua, de carne et metet corruptiónem: * Qui autem séminat in spíritu, de spíritu metet vitam æternam. ℣. Qui séminat iniquitátem, metet mala: * Qui autem. Glória. * Qui. *Galat.* 6. *Prov.* 22.

Ad Benedictus, *Ant.* 7. *d.* Símile est regnum cœlórum grano sinápis, quod mínimum quidem est ómnibus semínibus: cùm autem créverit, majus est ómnibus oléribus. *Matth.* 13.

ORATIO.

Præsta, quæsumus, omnípotens Deus, ut semper rationabília meditántes, quæ tibi sunt plácita, et dictis exequámur et factis; Per.

Ad Magníficat, *Ant.* 1. a. Símile est regnum cœlórum fermento quod acceptum múlier abscondit in farínæ satis tribus, donec fermentátum est totum. *Matth.* 13.

FERIA SECUNDA.

LECTIO I.

De Epístola ad Hebræos.

(Cap. 2.)

Propterea abundántiùs oportet observáre nos ea quæ audívimus, ne forte perefflúamus. Si enim qui per Angelos dictus est sermo, factus est firmus, et omnis

prævaricátio et inobediéntia áccépit justam mercédis retributiónem; quómodò nos effugiémus, si tantam neglexérimus salútem? Quæ cùm inítium accepísset enarrári per Dóminum, ab eis qui audiérunt, in nos confirmáta est, contestante Deo signis et portentis, et váriis virtútibus, et Spíritûs sancti distributiónibus, secundùm suam voluntátem.

℟. Speciósus, 371.

LECTIO II.

Eum autem, qui módico quàm Angeli minorátus est, vidémus Jesum, propter passiónem mortis, glória et honóre coronátum; ut grátiâ Dei pro ómnibus gustáret mortem. Decébat enim eum, propter quem ómnia, et per quem ómnia, qui multos fílios in glóriam addúxerat, auctórem salútis eórum per passiónem consummáre. Qui enim sanctíficat et qui sanctificántur, ex uno omnes. Propter quam causam non confúnditur fratres eos vocáre, *dicens: Nuntiábo nomen tuum frátribus meis; in médio ecclésiæ laudábo te. Et íterùm: Ego ero fidens in eum. Et íterùm: Ecce ego, et púeri mei quos dedit mihi Deus.*

℟. Regnum tuum, 371.

LECTIO III.

Quia ergo púeri communicavérunt carni et sánguini, et ipse simíliter participávit eisdem; ut per mortem destrúeret eum qui habébat mortis impérium, id est, diábolum, et liberáret eos qui timóre mortis per totam vitam obnóxii erant servitúti. Nusquam enim Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit. Unde débuit per ómnia frátribus similári, ut misericors fíeret, et fidélis Póntifex ad Deum; ut repropitiáret delicta pópuli. In eo enim, in quo passus est ipse et tentátus, potens est et eis qui tentantur auxiliári.

℟. Tu Dóminus, 371.

FERIA TERTIA.

LECTIO I.

De Epístola ad Hebræos.

(Cap. 3.)

Unde, fratres sancti, vocatiónis cœlestis partícipes, consideráte Apóstolum et Pontíficem confessiónis nostræ Jesum, qui fidélis est ei qui fecit illum, sicut et Móyses in omni domo ejus. *Amplióris* enim glóriæ iste præ Móyse dignus est hábitus, quantò ampliórem honórem hábet domûs qui fabricávit illam. Omnis namque domus fabricátur ab áliquo; qui autem ómnia creávit, Deus est. Et Móyses quidem fidélis erat in tota domo ejus tanquam fámulus, in testimónium eórum quæ dicenda erant; Chris-

tus verò tanquam Fílius in domo sua : quæ domus sumus nos, si fidúciam et glóriam spei usque ad finem firmam retineámus.

℟. Domináre, 351.

LECTIO II.

Videte, fratres, ne fortè sit in áliquo vestrùm cor malum incredulitátis, discedendi à Deo vivo ; sed adhortámini vosmetipsos per síngulos dies, donec Hódie cognomináture, ut non obdurétur quis ex vobis fallácià peccáti. Partícipes enim Christi effecti sumus ; si tamen inítium substántiæ ejus usque ad finem firmum retineámus. Dum dícitur : Hódie si vocem ejus audiéritis, nolíte obduráre corda vestra, quemádmodùm in illa exacerbatióne. Quidam enim audientes, exacerbavérunt ; sed non universi qui profecti sunt ex Ægypto per Móysen.

℟. Benedícite, 372.

LECTIO III.

(Cap. 4.)

Vivus est enim sermo Dei, et éfficax, et penetrabílior omni gládio ancípiti ; ac pertingens usque ad divisiónem ánimæ et spíritûs, compágum quoque ac medullárum, et discrétor cogitatiónum et intentiónum cordis. Et non est ulla creatúra invisíbilis in conspectu ejus ; ómnia autem nuda et aperta sunt óculis ejus, ad quem nobis sermo. Habentes ergo Pontíficem magnum, qui penetrávit cœlos, Jesum Fílium Dei, teneámus confessiónem. Non enim habémus Pontíficem, qui non possit cómpati infirmitátibus nostris ; tentátum autem per ómnia pro similitúdine absque peccáto. Adeámus ergo cum fidúcia ad thronum grátiæ ; ut misericórdiam consequámur, et grátiam inveniámus in auxílio opportúno.

℟. Quis símilis erit, 373.

FERIA QUARTA.

LECTIO I.

De Epístola ad Hebræos.

(Cap. 6.)

Quapropter intermittentes inchoatiónis Christi sermónem, ad perfectióra ferámur, non rursum jacientes fundamentum pœniténtiæ ab opéribus mórtuis, et fídei ad Deum, baptísmatum doctrínæ, impositiónis quoque mánuum, ac resurrectiónis mortuórum, et judícii æterni. Et hoc faciémus, síquidem permíserit Deus. Impossíbile est enim eos qui semel sunt illumináti, gustavérunt étiam donum cœleste, et partícipes facti sunt Spíritûs sancti, gustavérunt nihilóminus bonum Dei verbum, virtutesque séculi ventúri, et

prolapsi sunt, rursus renovâri ad pœniténtiam, rursum crucifigentes sibimetipsis Fílium Dei, et ostentui habentes.

℟. Speciósus formâ, 360.

LECTIO II.

TERRA enim sæpè venientem super se bibens imbrem, et génerans herbam opportúnam illis à quibus cólitur, áccipit benedictiónem à Deo : próferens autem spinas ac tríbulos, réproba est, et maledicto próxima ; cujus consummátio in combustiónem. Confídimus autem de vobis, dilectíssimi, melióra et vicinióra salúti ; tametsi ita lóquimur. Non enim injustus Deus, ut obliviscátur óperis vestri, et dilectiónis quam ostendístis in nómine ipsíus, qui ministrastis sanctis, et ministrátis. Cúpimus autem unumquemque vestrûm eamdem ostentáre sollicitúdinem ad expletiónem spei usque in finem, ut non segnes efficiámini, verùm imitatóres eórum qui fide et patiéntiâ hæreditábunt promissiónes.

℟. Regnum tuum, 371.

LECTIO III.

(Cap. 7 et 8.)

LEX hómines constítuit sacerdótes infirmitátem habentes ; sermo autem jurisjurandi, qui post legem est, Fílium in æternum perfectum. Capítulum autem super ea quæ dicuntur : Talem habémus Pontíficem, qui consédit in déxtera sedis magnitúdinis in cœlis, sanctórum minister, et tabernáculi veri, quod fixit Dóminus, et non homo. Omnis enim Póntifex ad offerendum múnera et hóstias constitúitur ; unde necesse est et hunc habére áliquid quod ófferat. Si ergo esset super terram, nec esset sacerdos, cùm essent qui offerrent secundùm legem múnera, qui exemplári et umbræ deserviunt cœléstium, sicut responsum est Móysi, cùm consummáret tabernáculum : Vide, (inquit) ómnia fácito secundùm exemplar quod tibi ostensum est in monte. Nunc autem mélius sortítus est ministérium, quantò et melióris testamenti mediátor est, quod in melióribus repromissiónibus sancítum est. Nam si illud prius culpâ vacasset, non útique secundi locus inquirerétur.

℟. Tu Dóminus, 371.

FERIA QUINTA.

LECTIO I.

De Epístola ad Hebræos.

(Cap. 10.)

VOLUNTARIE peccántibus nobis post acceptam notítiam veritátis, jam non relínquitur pro peccátis hóstia, terríbilis autem quædam ex-

pectátio judícii, et ignis æmulátio quæ consumptúra est adversários. Irritam quis fáciens legem Móysi, sine ulla miseratióne duóbus vel tribus téstibus móritur : quantò magis putátis deterióra mereri supplícia, qui Fílium Dei conculcáverit, et sánguinem testamenti pollútum dúxerit, in quo sanctificátus est, et Spirítui grátiæ contuméliam fecerit? Scimus enim qui dixit: Mihi vindicta, et ego retríbuam. Et íterùm : Quia judicábit Dóminus pópulum suum. Horrendum est incídere in manus Dei viventis.

℣. Domináre in médio inimicórum, 372.

LECTIO II.

(Cap. 11.)

Est autem fides sperandárum substántia rerum, argumentum non apparéntium. In hac enim testimónium consecúti sunt senes. Fide intellígimus aptáta esse sécula Verbo Dei; ut ex invisibílibus visibília fíerent. Fide plúrimam hostiam Abel quàm Caïn obtulit Deo, per quam testimónium consecútus est esse justus, testimónium perhibente munéribus ejus Deo; et per illam defunctus adhuc lóquitur. Fide Enoch translátus est, ne vidéret mortem; et non inveniebátur, quia tránstulit illum Deus : ante translatiónem enim testimónium hábuit placuisse Deo. Sine fide autem impossíbile est placére Deo. Crédere enim oportet accedentem ad Deum, quia est, et inquiréntibus se remunerátor sit.

℣. Benedícite Dómino, 372.

LECTIO III.

Fide Noë, responso accepto de iis quæ adhuc non videbantur, métuens aptávit arcam in salútem domûs suæ, per quam damnávit mundum; et justítiæ, quæ per fidem est, hæres est institútus. Fide qui vocátur Abraham obedívit in locum exíre, quem acceptúrus erat in hæreditátem; et éxiit, nésciens quò iret. Fide demorátus est in terra repromissiónis, tanquam in aliéna, in cásulis habitando cum Isaac et Jacob cohærédibus repromissiónis ejusdem. Expectábat enim fundamenta habentem civitátem, cujus ártifex et cónditor Deus.

℣. Quis símilis erit Deo, 373.

FERIA SEXTA.

LECTIO I.

De Epístola ad Hebræos

(Cap. 12.)

Deponentes omne pondus, et circumstans nos peccátum, per patiéntiam currámus ad propósitum nobis certámen : aspicientes in

auctórem fídei, et consummatórem Jesum, qui, *propósito sibi gáudio*, sustínuit crucem, confusióne contemptâ; atque in déxtera sedis Dei sedet. Recogitáte enim eum qui talem sustínuit à peccatóribus adversùm semetipsum contradictiónem; ut ne fatigémini, ánimis vestris deficientes. Nondum enim usque ad sánguinem restitístis, adversùs peccátum repugnantes; et oblíti estis consolatiónis quæ vobis tanquam fíliis lóquitur, dicens: Fili mi, noli neglígere disciplínam Dómini, neque fatigéris, dum ab eo argúeris. Quem enim díligit Dóminus, castígat; flagellat autem omnem fílium quem récipit.

℣. Speciósus formâ, 371.

LECTIO II.

In disciplína perseveráte. Tanquam fíliis vobis offert se Deus: quis enim fílius, quem non córripit pater? Quòd si extra disciplínam estis, cujus partícipes facti *sunt omnes*; ergo adúlteri, et non fílii estis. Deinde patres quidem carnis nostræ eruditóres habúimus, et reverebámur eos: non multò magis obtemperábimus Patri spirítuum, et vivémus? Et illi quidem in témpore paucórum diérum, secundùm voluntátem suam eruditébant nos: hic autem ad id quod útile est, in recipiendo sanctificatiónem ejus. Omnis autem disciplína in præsenti quidem vidétur non esse gáudii, sed mœróris; póstea autem fructum pacatíssimum exercitátis per eam reddet justítiæ.

℣. Regnum tuum, 371.

LECTIO III.

Propter quod remissas manus et solúta génua erígite, et gressus rectos fácite pédibus vestris; ut non cláudicans quis erret, magis autem sanétur. Pacem sequímini cum ómnibus, et sanctimóniam sine qua nemo vidébit Deum: contemplantes ne quis desit grátiæ Dei, ne qua radix amaritúdinis sursum gérminans impédiat, et per illam inquinentur multi. Ne quis fornicátor aut profánus, ut Esaü qui propter unam escam véndidit primitíva sua. Scitóte enim quóniam et póstea cúpiens hæreditáre benedictiónem, reprobátus est; non enim invénit pœniténtiæ locum, quanquam cum lácrymis inquisisset eam.

℣. Tu Dóminus altíssimus, 371.

SABBATO.

LECTIO I.

De Epístola ad Hebræos.

(Cap. 13.)

Caritas fraternitátis máneat in vobis. Et hospitali-

tátem nolíte oblivísci; per hanc enim latuérunt quidam, Angelis hospítio receptis. Mementóte vinctórum, tanquam simul vincti; et laborántium, tanquam et ipsi in córpore morantes. Honorábile connúbium in ómnibus, et thorus immaculátus. Fornicatóres enim et adúlteros judicábit Deus. Sint mores sine avarítia, contenti præséntibus; ipse enim dixit: Non te déseram, neque derelinquam. Ita ut confidenter dicámus: Dóminus mihi adjútor; non timébo quid fáciat mihi homo. Mementóte præpositórum vestrórum, qui vobis locúti sunt verbum Dei: quorum intuentes éxitum conversatiónis, imitámini fidem. Jesus Christus heri, et hódie: ipse et in sécula.

℟. Domináre in médio inimicórum, 372.

LECTIO II.

Doctrinis váriis et peregrínis nolíte abdúci. Optimum est enim grátiâ stabilíre cor, non escis quæ non profuérunt ambulántibus in eis. Habémus altáre de quo édere non habent potestátem, qui tabernáculo desérviunt. Quorum enim animálium infertur sanguis pro peccáto in sancta per pontíficem, horum córpora cremantur extra castra. Propter quod et Jesus, ut sanctificáret per suum sánguinem pópulum, extra portam passus est. Exeámus ígitur ad eum extra castra, impropérium ejus portantes. Non enim habémus hìc manentem civitátem; sed futúram inquirimus. Per ipsum ergo offerámus hóstiam laudis semper Deo, id est, fructum labiórum confiténtium nómini ejus. Beneficéntiæ autem et communiónis nolíte oblivísci; tálibus enim hóstiis promerétur Deus.

℟. Benedícite Dómino, 372.

LECTIO III.

Obedíte præpósitis vestris, et subjacéte eis: ipsi enim pervígilant, quasi ratiónem pro animábus vestris redditúri; ut cum gáudio hoc fáciant, et non gementes: hoc enim non expedit vobis. Oráte pro nobis: confídimus enim quia bonam consciéntiam habémus, in ómnibus bene volentes conversári. Ampliùs autem deprécor vos hoc fácere, quò celérius restítuar vobis. Deus autem pacis, qui eduxit de mórtuis Pastórem magnum óvium in sánguine testamenti æterni, Dóminum nostrum Jesum Christum, aptet vos in omni bono, ut faciátis ejus voluntátem; fáciens in vobis quod pláceat coram se per Jesum Christum, cui est glória in sécula seculórum. Amen.

Tu autem.

℟. Qui símilis erit, 373.

PROPRIUM SANCTORUM

PARS AUTUMNALIS.

FESTA SETPEMBRIS.

DIE I.

SANCTI LUPI,

SENONENSIS EPISCOPI.

Semiduplex.

Omnia de Communi Pontificum, pag. XXI, *additis quæ sequuntur. Oratio*, Tríbue nobis, *quæsumus, infrà*, 382.

Fit Commemoratio sancti Ægidii, Abbatis. Ant. Egrédere. ℣. Potens, *ut in communi Abbátum,* XLIII. *Oratio*, Sancti Abbátis Ægídii, *ut infrà*, 383.

AD NOCT. *Lectio I de Scriptura occurrente, è tribus fit una; et sic in omnibus Semiduplicibus.*

LECTIO II.

LUPUS in território Aurelianensi natus est ex nobilíssimis paréntibus, Bettóne, et Agîâ seu Austregilde. Ab avúnculis suis Austréno Aurelianensi et Aunachário Autissiodorensi Epíscopis, propter déditos religióni mores, in Clerum cooptátus est. Crescéntibus cum ætáte méritis, Artémio in cáthedra Senonensi suffectus est; Clero et pópulo id apud regem agéntibus. Quo in múnere admirandis tum pietátis, tum sollicitúdinis pastorális, tum patiéntiæ opéribus eluxit, máximè sub Theodoríco Burgundiónum rege, apud quem váriis impetítus est calúmniis. Ejus tamen fílio Sigiberto servátâ post mortem ejus intemerátâ fide, missas à Clotário secundo contra Senones cópias suis ad Deum précibus répulit. Unde Clotárius Burgundiónum regno potítus, invísum sibi Præsulem in Néustriam circa Vinemacensem pagum relegávit. Ibi cùm multos infidéles Lupus ad fidem adduxisset, innocéntiam ejus agnóvit tandem Clotárius óperâ sancti Vinebaldi Abbátis apud Trecas, éumque ab exílio revocávit, et ad ejus pedes advolútus véniam precátus est. Ex aula cùm ad sedem rediret, ac Parísios cómite Vinebaldo transíret, multos in cárcere detentos à vínculis liberávit. In prædio Briennonensi suæ Diœcésis adversâ correptus valetúdine óbiit, plúrimis clarus miráculis; et sepultus est, ut ipse jússerat, sub stillicídio Basílicæ sanctæ

Columbæ Mártyris, quam singulári cultu semper fúerat prosecútus.

De S. Ægidio,

LECTIO III.

Ægidius Athénis natus, adoléscens pátriam propter Christum relíquit; et Massíliam apulsus, Arelátem ad beátum Cæsárium, audítâ sanctitátis ejus famâ, contendit. Per biénnium ejus magistério erudítus, cùm vitæ solitáriæ desidério æstuáret, secretiórem erémum, primùm ad ripam Wardónis amnis in agro Ucetiensi cum sancto Veredémio pétiit: mox, cùm illic quoque frequentióri hóminum concursu gravarétur, ad oram Rhódani reversus, tandem qualem optábat locum in valle Flaviána, quà Paróchia Nemausensis ad Arelatensis fines porrígitur, réperit. Illic diútiùs solis fere herbárum radícibus pastus, demum per magnátes quosdam de famíla regis qui tunc Gothórum tenébat monárchiam, detectus est; et céteris detrectátis munéribus, eò tandem adductus, ut in loco speluncæ monastérium éxtrui paterétur. Hujus Abbas, jubente rege, factus, iter Romam aggressus est, cui testimónium perhibéri créditur in actis Conciliórum, ubi leguntur Romam missi à Cæsário, Abbas Ægídius et Messiánus Notárius, ambo ex ejus discípulis, qui Symmacho Papæ libellum in grátiam Arelatensis Eccléstæ deferrent, ejusque privilégium ab Aquensi Epíscopo violátum vindicárent. Redux in Septimániam Ægídius, Childeberto Francórum regi, cùm bellum illic géreret, innotuisse, et Parísios ab eódem invitátus esse tráditur. Ubi in aula aliquándiu detentus, tandem impetrátâ abeundi facultáte, in monastério suo defunctus est die Domínicâ, anno quingentésimo quadragésimo séptimo. Corpus ejus, grassante Albigénsium furóre, Tolósam ad Basílicam sancti Saturníni delátum est.

ORATIO.

Tribue nobis, quæsumus, Dómine, misericórdiam tuam, intercedente beáto Lupo Pontífice; et quæcumque præcipis ut agámus, ipse ádjuva ut implére possímus; Per Dóminum.

Pro Commemoratione S. Ægidii. Ant. Ecce ego. ℣. Veníte, fílii, XLVII.

ORATIO.

Sancti abbátis Ægídii supplicatiónibus tríbue nos, Deus, adjuvári; ut quæ pie crédidit; appetámus, et quod justè speràvit, consequámur; Per Dóminum.

Vesperæ *de Sequenti.*

DIE II.

SS LAZARI, MARTHÆ, ET MARIÆ, CHRISTI HOSPITUM.

Duplex-minus.

IN I. VESPERIS.

Psalmi de Feria; et sic in toto Officio.

Ant. 6. F. Intrávit Jesus in quoddam castellum; et múlier quædam, Martha nómine, excépit illum in domum suam. *Luc.* 10.

Ant. 8. G. Huic erat soror, nómine María, quæ étiam, sedens secus pedes Dómini, audiébat verbum illíus; Martha autem satagébat circa frequens ministérium. *Luc.* 10.

Ant. 3. a. Stetit Martha, et ait: Dómine, non est tibi curæ quòd soror mea relíquit me solam ministráre? dic ergo illi ut me ádjuvet. *Luc.* 10.

Ant. 5. a. Dixit illi Dóminus: Martha, Martha, sollícita es, et turbáris erga plúrima: porrò unum est necessárium. *Luc.* 10.

Ant. 1. D María óptimam partem elégit, quæ non auferétur ab ea. *Luc.* 10.

Capitulum. (*Hebr.* 13.)

Caritas fraternitátis máneat in vobis: et hospitalitátem nolíte oblivísci; per hanc enim latuérunt quidam, Angelis hospítio receptis.

℟. Si quis díligit me, sermónem meum servábit; et * Pater meus díliget eum, et ad eum veniémus, et † Mansiónem apud eum faciémus. ℣. Sapiéntia súscipit inquirentes se; et qui illam díligit, díliget vitam. * Pater meus, díliget eum, et ad eum veniémus, et mansiónem apud eum faciémus. Glória Patri. † Mansiónem apud eum faciemus. *Joan.* 14. *Eccli.* 4.

HYMNUS.

Flagrans amóre, pérditos
Dum nos Redemptor quæreret,
Defessus ad Martham Deus
Sese recépit hóspitam.

Beata, quæ tantum suis
Amíca tectis hóspitem
Fovére gaudet, et Deo
Inferre convívæ dapes!

Dum Martha pascit, páscitur
María felix, ac sedens,
Magnóque tuta Júdice
Partem potítur óptimam.

Nunc, Martha, nunc sedens Deo,
Et ipsa Verbo pásceris,
Et juge se tuus tibi
Convíva dat convívium.

Da Christe, sanctórum quies,
Sic nos ad unum téndere
Per multa, posthàc óptimam
Ut parte póssimus frui.
Amen.

℣. Oculi mei ad fidéles terræ, ut sédeant mecum : ℟. Ambulans in via immaculáta, Hìc mihi ministrábat. *Ps.* 100.

Ad Magníficat, *Ant.* 5. C. Diligébat Jesus Martham, et sorórem ejus Maríam, et Lázarum. *Joan.* 11.

ORATIO.

PRÆSTA, quæsumus, Dómine, ut cum Lázaro in novitáte vitæ ambulantes, te in tuis cum Martha páscere, et à te cum María verbi tui meditatióne pasci mereámur; Qui vivis et regnas cum Deo Patre in unitáte.

Fit Commem. sancti Lupi, Ant. Sacerdótes. ℣. Salvum fecit, XXVIII. *Oratio*, Tríbue nobis, *ut suprà*, 382.

Deinde sancti Antonini, Mart. Ant. Ecce Deus. ℣. In Deo, *ut in Communi*, IX. *Oratio*, Adesto, Dómine, XII.

AD OFFIC. NOCTURNUM.

INVITATORIUM.

DEUM cum homínibus conversátum, * Veníte, adorémus. *Baruch* 3.

Ps. 94. Veníte, 2.

HYMNUS.

REDDITUM luci, Dómino vocante,
Lázarum, turbæ, domitamque mortem
Láudibus festis, modulisque sacri
Dícite cantûs.

ILLE qui Christum méruit frequenti
Hóspitem gaudens recreáre mensâ,
Fœtidus clauso, data præda morti,
Cónditur antro.

HEU! tuâ præsens ope si jacenti,
Fata qui præscis, Deus, astitisses;
Víveret, necdum premerentur atrâ
Lúmina nocte.

JAMQUE mors, vítæ Dómino solútam;
Si Jubes, reddet spoliáta prædam;
Nunc et extinctus súperas amícus
Surget ad auras.

ECCE dilecti lácrymis honóras
Hóspitis funus, fremituque prodis.
Quàm pio plangas, Pater, impiórum
Corde ruínam!

UT Patrem semper pia Spiritumque
Omne plebs tecum célebret per ævum,
Christe, credentes ánimas secundæ
Eripe morti. Amen.

IN I.° NOCTURNO.

Ant. 1. a. Erat quidam languens Lázarus à Bethánia, de castello Maríæ et Marthæ soróris ejus. *Joan.* 11.

Ant. 6. F. María erat quæ unxit Dóminum unguento,

et extersit pedes ejus capillis suis : cujus frater Lázarus infirmabátur. *Joan.* 11.

Ant. 3. c. Misérunt soróres ejus ad Jesum dicentes : Dómine, ecce quem amas infirmátur. *Joan.* 11.

℣. Dóminus opem ferat illi super lectum dolóris ejus : ℟. Universum stratum ejus versásti in infirmitáte ejus. *Ps.* 40.

Lectiones de Scriptura occurrente.

Post I Lect. ℟. Audiens Jesus quia Lázarus infirmabátur, dixit : * Infírmitas hæc non est ad mortem, sed pro glória Dei, ut glorificétur Fílius Dei per eam. ℣. Tentat vos Dóminus Deus vester, ut palàm fiat utrùm diligátis eum, an non, in toto corde, et in tota ánima vestra. * Infírmitas. *Joan.* 11. *Deut.* 13.

Post II Lect. ℟. Dixit Jesus discípulis suis : Lázarus amícus noster dormit ; sed * Vado, ut à somno éxcitem eum : dixerat autem de morte ejus. ℣. Numquid qui dormit, non adjíciet ut resurgat? * Vado. *Joan.* 11. *Ps.* 40.

Post III Lect. ℟. Dixit Jesus manifestè : * Lázarus mórtuus est ; et gáudeo, ut credátis ; quóniam non eram ibi : sed † Eámus ad eum. ℣. Dilectus, vivens inter peccatóres, translátus est : * Lázarus. Glória Patri. † Eámus. *Joan.* 11. *Sap.* 4.

IN II.° NOCTURNO.

Ant. 8. c. Venit Jesus, et invénit Lázarum quátuor dies jam in monumento habentem. *Joan.* 11.

Ant. 4. f. Multi ex Judæis vénerant ad Martham et Maríam, ut consolarentur eas de fratre suo. *Joan.* 11.

Ant. 5. a. Martha, ut audívit quia Jesus venit, occurrit illi ; María autem domi sedébat. *Joan.* 11.

℣. Defecérunt óculi mei, Dómine, ℟. Dicentes : Quando consoláberis me? *Ps.* 118.

LECTIO IV.

Sermo sancti Bernardi Abbátis.

(Serm. 2, in Assumpt. n. 6 et 7.)

Non sola inveniátur in nobis exercitátio corporális, ad módicum valens : sed inveniátur útilis ad ómnia pietas, et exercítium spirituále. Múlier, Martha nómine, excépit Jesum in domum suam ; et huic erat soror, nómine María. Soróres sunt, et debent esse contubernáles. Occupátur hæc circa frequens ministérium ; illa Domínicis est intenta sermónibus. Ad Martham spectat ornátus, sed implétio ad Maríam. Vacat enim Dómino, ut non sit domus vacans. Sed mundatiónem cui póssumus attribúere? Erit enim, si et hoc invenérimus,

domus, in qua Salvátor suscípitur, et munda, et ornáta, et non vacans. Demus eam Lázaro, si et vobis ita vidétur. Et ei síquidem fraternitátis jure cum soróribus est domus ista commúnis. Dico autem Lázarum, quem quatriduánum, jamjamque fœtentem, à mórtuis éxcitat vox virtútis; ut videátur satis cóngruè formam gérere pœnitentis. Intret ergo domum Salvátor, et frequenter vísitet eam, quam pœnitens Lázarus mundat, ornat Martha, et María replet internæ dédita contemplatióni.

℟. Dixit Martha ad Jesum : Dómine, si fuísses hic, frater meus non fuísset mórtuus; sed et nuuc * Scio quia quæcumque popósceris à Deo, dabit tibi Deus. ℣. Exaudi oratiónem meam, Dómine, et deprecatiónem meam : áuribus percipe lácrymas meas. * Scio quæcumque popósceris à Deo, dabit tibi Deus. *Joan.* 11. *Ps.* 38.

LECTIO V.

(Serm. 3. n. 1, 2 et 4.)

Martha in domum suam éxcipit Salvatórem in terris : María pótiùs cógitat quemádmodùm suscipiátur ab eo in domo non manufacta, ætérna in cœlis. María tacet, et pro ea lóquitur Christus. Optimam, inquit, partem elégit sibi María, quæ non auferétur ab ea in ætérnum. Hoc Unum illud, quod necessárium est; hæc Una, quam Prophéta tam sédulò requirébat : Unam, inquit, pétii à Dómino, hanc requíram. Sed considerémus, fratres, quemádmodùm tria hæc distribúerit ordinátio caritátis, Marthæ administratiónem, Maríæ contemplatiónem, Lázari pœniténtiam. Habet hæc simul quæcumque perfecta est ánima : magis tamen vidéntur ad síngulos síngula pertinére, ut álii vacent sanctæ contemplatióni, álii déditi sint fraternæ administratióni, álii in amaritúdine ánimæ suæ recógitent annos suos, tanquam vulnerati dormientes in sepulcris. Sic planè, sic opus est, ut María piè et sublímiter séntiat de Deo suo, Martha benignè et misericórditer de próximo, Lázarus míserè et humíliter de seipso.

℟. Dixit Jesus Marthæ : Resurget frater tuus. Dicit ei Martha : * Scio quia resurget in resurrectióne in novíssimo die. ℣. In manu Dómini ánima omnis viventis; et spíritus universæ carnis * Scio quia resurget. *Joan.* 11. *Job.* 12.

LECTIO VI.

(N. 4, 5 et 7.)

Quibus nulla crédita est dispensátio, administrátio nul-

la commissa, his omnínò sedendum erit, aut secus pedes Jesu cum María, aut certè cum Lázaro intra septa sepulcri. Quidni erga multa turbétur Martha, quæ sollícita est pro multis? Tibi verò, cui necéssitas hæc non incumbit, è duóbus unum est necessárium; aut non turbári pénitùs, sed delectári magis in Dómino; aut, si id necdum potes, turbári non erga plúrima, sed (ut de se Prophéta lóquitur) ad teipsum. Sed et ipsam quoque Martham admónitam esse necesse est, id máximè quæri inter dispensatóres, ut fidélis quis inveniátur. Erit autem fidélis, si neque quæ sua sunt quærat, sed quæ Jesu Christi, ut sit inténtio pura; nec suam fáciat, sed Dómini voluntátem, ut sit áctio ordináta. Vídeat María quemádmodùm vacet, et vídeat quóniam suávis est Dóminus. Vídeat, inquam, quàm devótâ mente, quàm tranquillo sédeat ánimo secus pedes Jesu, próvidens cum semper in conspectu suo, et verba ex ore ejus excípiens, cujus et aspectus delectábilis, et elóquium dulce. Gaude et grátias age, María, quæ partem óptimam elegisti. Beáti enim óculi qui vident quæ tu vides, et aures quæ merentur audíre quod audis. Beáta planè, quæ venas susurri divíni percipis in siléntio, in quo útique bonum est hómini Dóminum expectáre.

℟. Dixit Marthæ Jesus: Ego sum resurréctio, et vita. Credis hoc? Ait illi: Utique, Dómine, ego crédidi quia * Tu es Christus Fílius Dei vivi, qui in hunc mundum venísti. ℣. Tu es, Dómine, qui vitæ et mortis habes potestátem, et dedúcis ad portas mortis, et redúcis: * Tu es. Glória. * Tu. *Joan.* 11. *Sap.* 16.

IN III.º NOCTURNO.

Ant. 2. D. Abiit Martha, et vocávit Maríam sorórem suam siléntio, dicens: Magister adest, et vocat te. *Joan.* 11.

Ant. 7. d. María ut audívit, surgit citò, et venit ad eum. *Joan.* 11.

Ant. 1. *f.* Judæi qui erant cum ea in domo, et consolabantur eam, cùm vidissent Maríam quia citò surrexit et éxiit, secúti sunt eam. *Joan.* 11.

℣. Veníte, et vidéte ópera Dómini, ℟. Quæ pósuit prodígia super terram. *Ps.* 45.

LECTIO VII.

Léctio sancti Evangélii secundùm Joannem.

(Cap. 11.)

In illo témpore; Erat quidam languens Lázarus à Bethánia, de castello Maríæ, et Marthæ soróris ejus. Et réliqua.

Homília sancti Joannis Chrysóstomi.

(Homil. 62, in Joan. N. 1.)

Multi cùm áliquos vident hóminęs Deo acceptos in ærumnam quámpiam, ut morbum, paupertátem, aut quid símile incidisse, perturbantur, néscii Deo amícis id máximè compétere. Nam Lázarus ex Christi amícis erat, et infirmabátur; id quod dicébant ii qui misérunt: Ecce quem amas, infirmátur. Narrat autem Evangelista soróres quoque ipsum amavisse; et tamen Lázarum mori permísit. Amábat autem Jesus Martham, et sorórem ejus, et Lázarum. Ne unquam indignémur, vel ægre ferámus, si viri virtúte prædíti, et Dei amíci, in morbum íncidant. Ecce quem amas, infirmátur. In commiseratiónem Christum pertráhere volébant. Adhuc enim hóminem esse putábant, quod ex dictis eórum argúitur: Si fuisses hic, non fuisset mórtuus; neque dixérunt, Ecce Lázarus infirmátur; sed, Ecce quem amas, infirmátur. Quid ergo Christus? Hæc infírmitas non est ad mortem, sed pro glória Dei, ut glorificétur Fílius Dei per eam. Vide quómodò rursum eamdem dicat glóriam suam et Patris; cùm enim dixisset, Dei, súbdidit, Ut glorificétur Fílius Dei. Hæc infírmitas non est ad mortem. Cùm enim illic bíduo mansúrus esset, remittit illos ut hæc núntient. Quâ in re mirandum est quòd soróres cùm audissent non esse ad mortem, et pósteà mori vidissent, offensæ non fúerint, rem contrà cessisse cernentes. Verùm accessérunt, nec putárunt mentítum illum esse.

℣. María cùm venisset ubi erat Jesus, videns eum, cécidit ad pedes ejus, et dicit ei: * Dómine, si fuisses hic, non esset mórtuus frater meus. ℣. Fuérunt mihi lácrymæ meæ panes die ac nocte, dum dícitur mihi quotídie: Ubi est Deus tuus? * Dómine. *Joan.* 11. *Ps.* 41.

LECTIO VIII.

(N. 2 et 3.)

Multi ex Judæis adfuérunt qui consolarentur Maríam et Martham. Hæc dicit Evangelista, Lázari mortem confírmans. Cur porrò Martha Christo óbviam venit sine soróre cómite? Vult seorsim illum adíre, et rem nuntiáre. Postquàm autem Christus spem bonam indíderat, tunc abit, et Maríam vocat; et hæc occurrit illi, luctu adhuc vigente. Viden amóris magnitúdinem? Hæc est de qua dicébat: María verò óptimam partem elégit. Quómodò ergo, inquies, Martha nunc fervéntior vidétur? Non erat hæc

fervéntior; sed illa nihil dixérat. Nam Martha imbecíllior erat. Cùm enim tot tántaque audisset, adhuc tamen dicit: Jam fœtet, quatriduánus est enim. Illa verò, etsi nihil ut dùm audisset, nihil hujúsmodi locúta est: sed statim credens dixit: Dómine, si fuisses hic, frater meus non fuisset mórtuus. Vidéte quanta sit mulíerum philosóphia, etiamsi imbecíllâ mente essent. Viso namque Christo, non statim in luctum, in planctum, in gémitum erumpunt, ut nos solémus quando notos quóspiam ad luctum venientes conspícimus. Sed statim illæ Magistrum mirantur. Credébant útique ambæ in Christum; sed non ut par erat. Nondum enim perfectè sciébant, nec Deum esse, neque suâ potestáte et auctoritáte hæc fácere: quod utrumque ipsas edócuit.

℟. Jesus ut vidit Maríam plorántem, et Judæos qui vénerant cum ea, plorántes, infrémuit spíritu, et turbávit seipsum, et dixit: Ubi posuístis eum? Dicunt ei: * Dómine, veni, et vide. ℣. Homo cùm mórtuus fúerit, et nudátus atque consumptus, ubi, quæso, est? * Dómine, veni, et vide. *Joan.* 11. *Job.* 14.

[*Si transferatur, vel ubi fit absque memoria sancti Antonini,*

LECTIO IX.

(Homil. 63, n. 2.)

Venit ergo ad monumentum. Ait autem: Tóllite lápidem. Cur non absens vocávit, et súrgere jussit? Imò, cur non adhuc, super pósito lápide, suscitávit? Nam qui póterat corpus mórtuum voce movére, et animátum osténdere, multò magis voce lápidem removísset: qui vinctum fásciis, et impedítum voce ut ambuláret effécit, longè facíliùs lápidem removísset. Cur non fecit? ut ipsos miráculi testes fáceret; ne idipsum dícerent quod circa cæcum: Hic est, Non est hic. Ipsæ namque manus, et quòd venisset ad sepulcrum, testimónio erant eumdem ipsum esse. Quare si non eò advenissent, putáti erant aut phantasma esse, aut álium, et non illum esse quem vidébant. Nunc autem cùm ad sepulcrum vénerint, lápidem remóverint, jussíque ligátum à vínculis sólverint, et amíci qui ex sepulcro retúlerant, ex pannis illum agnóverint, quòd soróres non abscésserint, quòd áltera díxerit: Jam fœtet, quatriduánus enim est; jam hæc ómnia abundè póterant ímprobos ipsi miráculi testes cohibére. Ideò præcipit illis ut lápidem à sepulcro amovérent, ostendens seipsum

suscitáre. Ideò étiam intérrogat, Ubi posuistis eum? utqui díxerant, Veni, et vide; et qui díxerant illum, dícere non possint álium fuisse suscitátum: ut et vox et manus testificarentur; vox dicendo, Veni, et vide; manus lápidem tollendo, et fáscias solvendo; visus quoque et audítus, hic vocem audiendo, ille exeuntem videndo; olfactus quoque testis, qui odórem excépit: Jam fœtet, inquit; quatriduánus enim est. Res enim stupenda erat, quatriduánum et corruptum cadáver suscitáre.]

De S. Antonino.

LECTIO IX.

Antonini mártyris gallicáni memória célebris est tam in Aquitánia, território Ruthenensi, quàm in Gállia Narbonensi, ad illam agri Tolosáni partem, quæ Diœcésis Apamiensis fínibus hódie circumscríbitur. In utróque loco insigne monastérium fuit ejus patrocínio consecrátum, et inter utrumque jam à plúribus séculis ipsíus relíquiæ divísæ sunt. Nam cùm Pippínus, caput secundæ regum Francórum stirpis, bellum adversùs Waifárium in Aquitánia géreret, ingressus vallem nóbilem territórii Ruthenensis, statim venisse scríbitur ad Ecclésiam in qua beáti Antonini caput cum córporis parte non módica servabátur, eamque, quòd Mártyrem ipse cum exército suo protectórem expertus esset, copiósis redítibus et donáriis auxit. Eódem témpore Justinus Episcopus ictérico morbo labórans, ad eamdem Ecclésiam véniens, prostrátus coram Mártyris memória, ejusdem interventu liberátus est: quod post áliquot annos Episcopi duódecim, qui sub Cárolo magno, Pippíni fílio, et Ludovíco Caroli fílio plúrimos annos vixérunt, Pippíni donatiónes, et privilégia roborántes, authéntico testimónio confirmavérunt; quorum princeps fuit Hildebaldus, Metropolitánus Coloniensis, et sacri Palátii Archicapelánus. Constat páriter ex certis instrumentis anno nongentésimo sexagésimo álterum in Tolosána paróchia, apud castrum Fredelácum, sancti Antoníni mártyris monastérium extitísse, in quo insignes ejus relíquiæ absque cápite, et áliis quibusdam membris anno nongentésimo octogésimo septímo repertæ sunt, et agente Rogério Cómite Carcassonensi solémniter translátæ in Ecclésiam, quæ póstea novæ Apamiárum civitátis et diœcésis Cathedrális facta est.

℟. Lacrymátus est Jesus Dixérunt ergo Judæi: * Ecce quómodò amábat eum! ℣

Omni témpore díligit qui *amícus est*, et *frater in angústiis comprobátur*: * Ecce. Glória. * Ecce. *Joan.* 11. *Prov.* 17.

Te Deum.

℣. *Sacerd.* Numquid confitébitur pulvis veritátem tuam? ℟. Audívit Dóminus, et misértus est meî. *Ps.* 29.

AD LAUDES.

Ant. 3. *à.* Jesus venit ad monumentum Lázari. Erat autem spelunca, et lapis superpósitus erat ei. Ait Jesus: Tóllite lápidem. *Joan.* 11.

Ant. 8. G. Dicit Martha, soror ejus qui mórtuus fúerat: Dómine, jam fœtet; quatriduánus est enim. *Joan.* 11.

Ant. 4. A. Dicit Marthæ Jesus: Nonne dixi tibi quóniam, si credíderis: vidébis glóriam Dei? *Joan.* 11.

Ant. 7. a. Voce magnâ.

CANTICUM.

(Sap. 8.)

Quam desidarabíle consortium sapientiæ.

Intrans in domum meam * conquiescam cum sapiéntia:

Non enim habet amaritúdinem conversátio illíus, nec tædium convíctus illíus, * sed lætítiam et gáudium.

Quóniam immortálitas est * in cognátione sapiéntiæ,

Et in amicítiâ illíus delectátio bona, * et in opéribus mánuum illíus honestas sine defectióne;

Et in certámine loquélæ illíus sapiéntia, * et præcláritas in communicatióne sermónum ipsíus.

Ant. Voce magnâ clamávit Jesus: Lázare, veni foràs; et statim pródiit qui fúerat mórtuus. *Joan.* 11.

Ant. 1. a. Pródiit Lázarus, ligátus pedes et manusínstitis, et fácies illíus sudário erat ligáta. Dixit Jesus: Sólvite eum. *Joan.* 11.

Capitulum. (*Ezech.* 37.)

Hæc dicit Dóminus Deus. Ecce ego apériam túmulos vestros, et edúcam vos de sepulcris vestris; et sciétis quia ego Dóminus.

HYMNUS.

Panditur saxo túmulus remóto,
Intimos clamor pénetrat recessus,
Et Deum sentit dócili jubentem
Aure cadáver.

Pron stupor! notas répetit medullas
Spíritus; cæcam pédibus revinctus
Dum viam carpit, síbimet superstes
Prodit et hæres.

Ipsa sic ruptis inimíca vinclis
Mors fugit, vinci pátiens: futúris
Summa prælúdit tua sic triumphis,
Christe, potestas.

Ut Patrem semper pia Spíritumque
Omne plebs tecum célebret per ævum,
Christe, credentes ánimas secundæ
Eripe morti. Amen.

℣. Eripuisti ánimam meam de morte, ℟. Ut pláceam coram Deo in lúmine vivéntium. *Ps.* 55.

Ad Benedictus, *Ant.* 2. D. Multi ex Judæis, qui vénerant ad Maríam et Martham, et víderant quæ fecit Jesus, credidérunt in eum. *Joan. c.* 11.

ORATIO.

Præsta, quæsumus, Dómine, ut cum Lázaro in novitáte vitæ ambulantes, te in tuis cum Martha páscere, et à te cum María verbi tui meditatióne pasci mereámur; Qui vivis et regnas cum Deo Patre, in unitáte Spíritûs sancti Deus.

Pro Commem. S. Antonini, *Ant.* Bonum. ℣. Adjutor. *Oratio*, Adesto, XII.

AD PRIMAM.

Ant. 3. *à.* Jesus venit.

AD TERTIAM.

Ant. 8. G. Dicit Martha.

Capitulum. (*Thren.* 3.)

Lapsa est in lacum vita mea, et posuérunt lápidem super me. Inundavérunt aquæ super caput meum: dixi, Périi: invocávi nomen tuum de lacu novíssimo.

℟. *br.* De ventre ínferi clamávi, * Et exaudísti vocem meam. De ventre. ℣. Projecísti me * in profundum, * Et exaudísti vocem meam Glória Patri. De ventre ínferi clamávi.

℣. Sublevábis de corruptióne vitam meam, ℟. Dómine Deus meus. *Cant. Jonæ* 2.

AD SEXTAM.

Ant. 4. A. Dicit Martha Jesus.

Capitulum. (*Eccli.* 2.)

Sustine, et in humilitáte tua patiéntiam habe; quóniam in igne probátur aurum et argentum, hómines verò receptíbiles in camíno humiliatiónis. Crede Deo, et recuperábit te.

℟. *br.* Spera in Dómino, * Et ipse fáciet. Spera. ℣. Et dabit tibi * petitiónes cordis tui, * Et ipse fáciet. Glória Patri. Spera in Dómino.

℣. Dóminus amat judícium, ℟. Et non derelinquet sanctos suos. *Ps.* 36.

AD NONAM.

Ant. 1. a. Pródiit.

Capitulum. (*Osee* 13.)

De manu mortis liberábo eos, de morte rédimam eos: ero mors tua, ô mors; morsus tuus ero, inferne.

℟. *br.* Humiliátus sum, *

Et liberávit me Dóminus. Humiliátus sum. ℣. Erípuit ánimam meam * de morte, * Et liberávit me. Glória Patri. Humiliátus sum. *Ps.* 114.

℣. Conscidisti saccum meum, ℟. Ut cantet tibi glória mea. *Ps.* 29.

AD II. VESPERAS.

Ant. 4. *D.* Jesus venit Bethániam, ubi Lázarus fúerat mórtuus, quem suscitávit Jesus. *Joan.* 12.

Ant. 8. *G.* Cognóvit turba multa ex Judæis quia illic est; et venérunt, non propter Jesum tantùm, sed ut Lázarum vidérent, quem suscitávit à mórtuis. *Joan.* 12.

Ant. 7. *d.* Fecérunt ei cœnam ibi, et Martha ministrábat; Lázarus verò unus erat ex discumbéntibus cum eo. *Joan.* 12.

Ant. 6. *C.* María accépit libram unguenti nardi pístici, pretiósi, et unxit pedes Jesu, et extersit capillis suis; et domus impléta est ex odóre unguenti. *Joan.* 12.

Ant. 1. *D.* Ubicumque prædicátum fúerit Evangélium istud in universo mundo, et quod fecit hæc, narrábitur in memóriam ejus. *Marc.* 14.

[*A Capitulo fit de sancto Gregorio Papa et Doctore Ecclesiæ, ut in Communi,* XXVIII, *cum Commemoratione SS. Lazari et sororum, ut infrà, nisi transferatur Festum sancti Lazari, quod tunc habet secundas Vesperas integras, quæ continuantur ut sequitur.*]

Capitulum. (*Apoc.* 3.)

Ecce sto ad óstium, et pulso: si quis audíerit vocem meam, et aperúerit mihi jánuam, intrábo ad illum, et cœnábo cum illo, et ipse mecum.

HYMNUS.

Intrante Christo Bethánicam domum,
Currámus omnes: hóspite spléndidam
Simóne cœnam præparante,
Tam célebrem penetrémus aulam.
Hic dum ministrat Martha celer gradu,
Fraterque lætas ássidet ad dapes;
María, Christo tu fragranti
Vasa reples pretiósa nardo.
Pedes inungens, térgere crínibus
Gaudes; liquórem fundis et in caput:
Et vase fracto, mox inundans,
Tecta novo récreas odóre.
Sed cur iníquo dente lacésseris,
Dum gloriósis obséquiis vacas?
Unguenta fundens, antevertis
Exéquias morientis Agni.
Quantum per orbem Christiádum fides
Diffúsa vastas subjíciet plagas,

Tantùm Maríæ grande factum
Per pópulos resonábit omnes.
LAUS summa Patri, súmmaque Fílio :
Sanctoque compar glória Flamini,
Quo dante jam nunc sponsa Christi
Perpétuâ frúitur quiéte.
Amen.

℣. Myrrha, et gutta, et cásia à vestimentis tuis, ℟. Ex quibus delectavérunt te fíliæ regum. *Ps.* 44.

Ad Magníficat, *Ant.* 6. F. Veníte, benedícti Patris mei, possidéte parátum vobis regnum : esurívi enim, et dedístis mihi manducáre : sitívi, et dedístis mihi bíbere : hospes eram, et collegístis me. *Matth.* 25.

Fit Commem. S. Proculæ, Virg. et Mart. Ant. Infirma, ℣. Deus, LVI. *Oratio*, Omnípotens, LXI.

DIE III.

SANCTI GREGORII,

PAPÆ ET ECCLESIÆ DOCTORIS.

Duplex-minus.

Omnia ut in Communi Doctorum, additis quæ sequuntur. Oratio, Deus, coróna, *infrà*, 397.

IN I. NOCT. *Lectiones de Scriptura occurrente.*

IN II.° NOCTURNO.

LECTIO IV.

GREGORIUS magnus Gordiáni ex Senatório génere, et sanctæ Sylviæ fílius, Urbánâ præfectúrâ functus, mórtuo patre, ex própriis facultátibus sex in Sicília monastéria, séptimum Romæ sancti Andréæ nómine in suis ædibus ad clívum Scauri extruxit; ubi sub Valentióne Abbáte mónachi vitam professus, póstea Abbas fuit; evocátus inde, Diáconus ordinátur. Nec multò post à Pelágio secundo Constantinópolim Apocrisiárius míttitur, sedis apostólicæ responsa factúrus; ubi ne aulæ consuetúdine, et curis seculáribus piétas refrigésceret, Scripturárum meditatióni, et conscribendis Morálium libris ánimum adhíbuit. Eà in urbe Eutychium Patriarcham, qui contra veram et contrectábilem córporum resurrectiónem scrípserat, ita convícit, ut et Imperátor ejus librum in ignem conjécerit, et ipse paulò post Eutychius inter morbi dolóres, instante morte, pellem manûs suæ contrectans, multis astántibus díxerit : Confíteor quia omnes in hac carne resurgémus.

LECTIO V.

ROMAM reversus Gregórius Pelágio pestiléntiâ sublato, ómnium votis Póntifex elígitur, anno Christi quingentésimo nonagésimo. Totisque licet víribus reníten-

non sine multis lácrymis ordinátus est tértio Nonas Septembris, quæ dies pósteà in multis Ecclésiis ejus memóriæ celebrandæ consecráta est. In Epístola synódica, quam pro more tunc scripsit ad Patriarchas, professus est se sicut sancti Evangélii quátuor libros, sic suscípere quátuor Concília; Nicænum nempe, Constantinopolitánum, Ephesínum, et Chalcedonense: quintum quoque páriter venerári; quas illa Concília persónas respuunt, se respúere; quasque venerántur, amplecti. Vétuit ne ullus in Sicília Subdiáconus fieret, nisi qui continéntiam se servatúrum pollicerétur. Joanni Patriarchæ Constantinopolitáno fórtiter óbstitit, qui sibi nomen universális Episcopi arrogábat. Quâ de re ad Constantínam Augustam ita scripsit: Etsi peccáta Gregórii tanta sunt, ut pati tália débeat; Petri tamen peccáta nulla sunt, ut vestris tempóribus pati ista meretur. Ipse verò præ modéstia servum servórum Dei se, primus Romanórum Pontíficum, in suis Epístolis inscripsit.

LECTIO VI.

Divini Officii órdinem cantúsque Ecclesiástici méthodum melióri formæ restítuit. Scripsit ad Theodoricum et Theodebertum reges, ut synodum in Gálliis congregárent, in qua constituerétur, ne ullus pro Ecclesiástico órdine áliquid unquam daret, aut accíperet, nec quisquam de láicis ad sacerdótium contínuò transíret; prohiberentque, ne Judæi christiána mancípia possidérent. Donatistas repressit in Africa. Manichæos in possessiónibus suis in Sicília degentes ab errore revocári curávit. Cénsuit ut Judæi prædicatióne pótiùs quàm vi ac necessitáte, ad baptismum compellerentur. Anglórum gentem, missis in Británniam Augustíno et áliis mónachis, ad fidem adduxit; unde Anglórum Apóstolus à Beda vocátus est. Admirabília sunt quæ dixit, fecit, scripsit, decrévit, præsertim infirmâ semper valetúdine. Dénique, multis éditis miráculis, Pontificátûs anno décimo-tértio, mense sexto, ad cœlestem beatitúdinem est evocátus. Corpus ejus máximâ ex parte in Gállias ad Suessionense sancti Medardi monastérium nono sæculo translátum est.

IN III.° NOCTURNO.

LECTIO VII.

Léctio sancti Evangélii secundùm Matthæum.

(Cap. 5.)

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Vos estis sal terræ: quòd si sal evanúerit, in quo saliétur? Ad

níhilum valet ultrà, nisi ut mittátur foràs, et conculcétur ab homínibus. Vos estis lux mundi. Et réliqua.

Homília sancti Gregórii Papæ.

(Homilia 17, in Evangelium, n. 16.)

Vos estis sal terræ. Si cibus Dei est pópulus, condimentum cibi sacerdótes esse debuérunt Pensémus ergo qui unquam per linguam nostram conversi, qui de perverso suo ópere nostrâ increpatióne correpti, pœniténtiam egérunt. Quis luxúriam ex nostra eruditióne deséruit? quis avarítiam, quis supérbiam declinávit? Pensémus quod lucrum Deo fécimus nos, qui, accepto talento, ab eo ad negótium missi sumus; étenim dicit: Negotiámini, dum vénio. Ecce jam venit, ecce de nostro negótio lucrum requírit. Quale ei animárum lucrum de nostra negotiatióne monstrábimus?

LECTIO VIII.

(N. 17.)

Ponamus ante óculos nostros illum tantæ districtiónis diem, quo Judex véniet, et ratiónem cum servis suis, quibus talenta crédidit, ponet. In illo tanto exámine, electórum ómnium, et reprobórum multitúdo deducétur; et unusquisque quid sit operátus, ostendétur. Ibi Petrus cum Judæa conversa, quam post se traxit, apparébit. Ibi Paulus conversum, ut ita díxerim, mundum ducens. Ibi Andreas post se Achaíam; ibi Joannes Asiam, Thomas Indiam in conspectu sui Regis conversam dicet. Ibi omnes Domínici gregis aríetes, cum animárum lucris apparébunt, qui sanctis suis prædicatiónibus Deo post se súbditum gregem trahent. Cùm ígitur tot pastóres cum grégibus suis ante æterni Pastóris óculos vénerint, nos míseri quid dictúri sumus, qui ad Dóminum nostrum post negótium vácui redímus; qui pastórum nomen habúimus, et oves quas ex nutrimento nostro debeámus osténdere, non habémus? Hic pastóres vocáti sumus, et ibi gregem non dúcimus.

[*Si transferatur, vel ubi fit absque memoriá S. Proculæ.*

LECTIO IX.

N. 18.)

Et per nos quidem fidéles ad sanctum baptisma véniunt, nostris précibus benedicuntur, et per impositiónem nostrárum mánuum à Deo Spíritum sanctum percípiunt; atque ipsi ad regnum cœlórum pertingunt; et ecce nos per negligéntiam nostram deorsum téndimus. Ingrediuntur electi, sacerdótum mánibus expiáti, cœlestem pátriam; et sacerdó-

tes ipsi per vitam réprobam ad inferni supplícia festínant. Cui ergo rei, cui símiles dixerim sacerdótes malos, nisi aquæ baptísmatis, quæ peccáta baptizatórum diluens, illos ad regnum cœleste mittit, et ipsa pósteà in cloácas descendit? Timeámus hæc, fratres : convéniat actióni nostræ ipsum ministérium nostrum.]

De Sancta Procula.

LECTIO IX.

Procula in Ruthenensi pago nata, solum natále desérere coacta est virginitátis servandæ et tuendæ causâ. Cæsa est propè Ganníacum Diœcésis Claromontánæ, ubi sacræ ejus reliquiæ asservantur. Quarum partem insignem illustríssimus Gábriel de Voyer de Paulmy, Episcopus Ruthenensis, instántibus sancti Amántii clero et cívibus Burgi, à reverendíssimo Claromontensi præsule dono accépit. Quæ solemni pompâ, et piâ veneratióne ab universo clero Ruthénæ urbis, jussu ejusdem Epíscopi, in Ecclésiam sancti Amántii, tértiâ die Septembris anno millésimo sexcentésimo septuagésimo tértio transláta est públicо fidélium cultu exponenda.

ORATIO.

Deus, coróna Pontíficum et lucerna Doctórum, qui beátum Gregórium Ecclésiæ tuæ providísti Pontíficem et Doctórem : quæsumus, ut ejus nos semper et documentis erúdias, et exemplis informes ; Qui vivis et regnas.

Ad Laudes, *pro Commem. sanctæ Proculæ, Ant.* Factus est. ℣. Hæréditas, *Oratio*, Omnípotens, XLIV.

Ad Vesperas, *fit Commem. S. Fredaldi, Episc. Ant.* Elegit, ℣. Beátus, XXII. *Oratio*, Deus qui pópulis, XXVI.

DIE IV.

SANCTI FREDALDI,

EPISCOPI.

Simplex.

Omnia ut in Communi Pontif. additis quæ sequuntur.

Oratio, Deus qui pópulis, XXI.

Ad Noct. *Lectiones duæ priores de script. occurrente, tribus in duas redactis ; et sic in omnibus Simplicibus, nisi aliter notetur.*

LECTIO III.

Fredaldus imperante Ludóvico Pio Cároli magni fílio, creátus est Mimatensis Episcopus, meritisque exímiis se honóre dignum probávit. Cùm Episcopátum suscépit, tunc nonnullis in locis Gabalitánæ regiónis vigébat adhuc idololatría, in áliis plerisque torpébat fides et refrigescébat cáritas. Fidélibus verò et infidélibus debitórem se agnoscens, totus utrisque erudiendis incúbuit, exemplísque ac doc-

trinâ álios ab inánium deórum cultu avocávit, aliosque ne à fide et caritáte deficerent incéndere stúduit. Impléto autem assíduè per áliquot annos tanto ministério, pretiósà quidem sed præmaturâ morte óbiit, traditurque ab ímpio nepóte ejus spóliis ditári cúpido necátus. Ejus corpus asservátur et cólitur in templo ipsíus nómine insignito propè Canónicam, ubi ostenditur locus quo occísus créditur. Vária circumferuntur ante et post ejus mortem ad ejus invocatiónem patráta mirácula. Plures sub ejus nuncupatióne habentur in Diœcési Mimatensi dicátæ Ecclésiæ.

Ad Laudes, *Ant.* Ego sum. ℣. Elégit. *Oratio*, Deus qui pópulis tuis, xxvi.

DIE VI.

SANCTI EUGENII,

EPISCOPI.

Duplex-majus.

Omnia ut in Communi Pontificum, xxi. *additis quæ sequuntur. Oratio*, 400.

In I. Noct. *Lectiones de Scriptura occurrente.*

IN II.° NOCTURNO.

LECTIO IV.

Ex sancto Gregório Turonensi.

(Lib. 2. Histor.)

Defuncto Trasamundo, Hunerícus Africánum occupávit regnum. Círola falsò vocátus Epíscopus, hæreticórum máximus assertor, sanctum Eugénium Epíscopum, virum inenarrábili sanctitáte, in suburbáno civitátis suæ réperit. Quem ita violenter ráput, ut nec ad hortandum gregem Christícolum abíre permítteret. Ille verò cùm se vidéret abdúci, epístolam cívibus pro custodiendà fide Cathólicà transmísit. Ductus ítaque sanctus Eugénius ad Regem, cum illo Arianórum Epíscopo, pro fide Cathólicà decertávit. Cùmque eum de sanctæ Trinitátis mystério potentíssimè devicisset, in majórem insániam idem Epíscopus, invídiæ flammà succénditur. Vocátum ad se quemdam hóminem, ab illo quo ipse vidébat errore deceptum, ait: Accéptis quinquaginta áureis, sede; et manum super óculos clausos impónens, me prætereunte cum réliquis, excláma dicens: Te, beatíssime Círola, nostræ religiónis Antístes, déprecor, ut respíciens manifestes glóriam ac virtútem tuam, ut óculos meos apériens, merear lucem vidére quam pérdidi.

LECTIO V.

Qui jussa complens, transeunte hærético cum sanctis Dei, exclamávit, dicens: Sancte Sacerdos Dei, respice

cæcitátem meam. Tunc hæreticórum Epíscopus páululùm se divertit, quasi in virtúte triumphatúrus, et elátus supérbiâ pósuit manum suam super óculos ejus, dicens : Secundùm fidem nostram, quâ rectè Deum crédimus, aperiantur óculi tui. Et mox tantus dolor óculos míseri illíus invásit, ut eos dígitis vix comprímeret, ne crepárent. Déniquè clamáre cœpit, ac dícere : Væ mihi misero, quia seductus sum ab inimíco legis divínæ ; væ mihi, quia Deum pro pecúniâ irridére vólui. Tunc sancti Dei misericórdiâ moti, Si, ínquiunt, credis, ómnia possibília sunt credenti.

LECTIO VI.

At ille clamábat voce magnâ : Qui non credíderit Christum Fílium Dei et Spíritum sanctum æquálem habére substántiam atque deitátem cum Deo Patre, quæ ego pérfero, patiátur. Tunc sanctus Eugénius crucem super óculos cæci fáciens, ait : In nómine Patris, et Fílii, et Spíritûs sancti, veri Dei, aperiantur óculi tui. Et statim ablato dolóre, ad prístinam rédiit sanitátem. Videns autem Hunerícus rex assertiónes suas per sanctórum fidem déstrui, fraudemque Pontíficis sui in hoc scélere fuisse detectam, sanctos Dei post multa tormenta, misit intérfici. Beátum verò Eugénium decollári jussit, sub eâ sponsióne, ut si in eâ horâ quâ ensis super cervícem ejus incumbébat, non reverterétur ad hæreticórum sectam, non occiderétur, ne eum pro mártyre excólerent Christiáni ; sed exílio damnarétur. Tunc suspenso gládio, apud Albigensem Galliárum urbem exílio deputátus est : ubi et finem vitæ præsentis fecit. Ad cujus nunc sepulcrum virtútes crebérrimæ ostenduntur.

IN III.° NOCTURNO.

LECTIO VII.

Léctio sancti Evangélii secundùm Matthæum.

(Cap. 5.)

In illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Vos estis sal terræ. Quòd si sal evanúerit, in quo saliétur ? Et réliqua.

Homília sancti Eugénii Epíscopi.

(Apud Greg. Turon. Lib. 22 Hist. Cap. 3.)

Dilectissimis, et in Christi amóre dulcíssimis fíliis et filiábus Ecclésiæ mihi à Deo commissæ, Eugénius Epíscopus. Regális emanávit auctóritas, et pro exercendâ fide Cathólicâ edicto nos à Carthágine veníre præcépit. Et ídeò ne ábiens à vobis Ecclésiam Dei in suspenso dimítterem ; aut oves Christi non verus pastor siléntio

relínquerem; necessárium duxi has pro me vicárias vestræ dirígere sanctitáti lítteras: in quibus, non sine lácrymis peto, hortor, móneo, et satis abundéque per Dei majestátem et per tremendum judícii diem atque adventûs Christi terríbilem claritátem obtestor, ut fixiùs teneátis Cathólicam fidem; asserentes Fílium Patri esse æquálem, et Spíritum sanctum eamdem habére cum Patre et Fílio deitátem. Serváte ítaque únici Baptísmatis grátiam, custodientes Chrísmatis unctiónem. Nemo post aquam revertátur ad aquam, renátus ex aqua. Nutu enim Dei sal ex aquâ confícitur; sed si in aquam redactum fúerit, omnis spécies ejus confestim evacuátur.

LECTIO VIII.

Unde non immérito Dóminus in Evangélio ait: Si sal infatuátum fúerit, in quo saliétur; et útique hoc est infatuári, velle baptizári secundò. Undè ritè semel fecisse suffíciat. Non audístis Christum dicentem, Qui semel lotus est, non habet necessitátem íterùm lavandi. Ideòque, Fratres, et Fílii, Fíliæque meæ in Dómino, non vos contristet abséntia mea; quia si Cathólicæ disciplínæ adhæreátis, ego vos nec longinquitáte áliquâ obliviscar, nec morte à vobis divellar. Scitóte quia quocumque me fécerint dívidi agónes, mecum est palma. Si ad exílium abiero, beáti Joannis Evangelistæ constat exemplum. Si ad mortis exítium, mihi vívere Christus est et morilucrum. Si redíero, Fratres, implébit Deus desidérium vestrum.

LECTIO IX.

Attamen suffíciat modò, quod vobis non tácui: mónui, et instruxi, quómodò pótui; ideóque mundus sum à sánguine ómnium pereúntium; et scio, quia adversùs eos legentur istæ lítteræ ante tribúnal Christi, cùm vénerit réddere unicuíque secundùm ópera sua. Si reversus fúero, Fratres, vidébo vos in hâc vitâ. Si reversus non fúero, vidébo vos in futúrâ. Dico tamen vobis, Valéte: oráte pro nobis et jejunáte, quia jejúnium et eleemósyna semper Dóminum ad misericórdiam deflexérunt. Mementóte esse scriptum in Evangélio: Nolíte timére eos qui occídunt corpus, ánimam autem non possunt occídere. Timéte autem eum, qui postquàm occíderit corpus, habet potestátem et ánimam et corpus pérdere, et míttere in gehennam.

ORATIO.

Omnipotens sempiterne Deus, qui beáto Eugénio

Pontífici et Confessóri tuo, pro justítiâ fórtiter certáre et pati tribuisti : fac nos ejus méritis, vitæ frágilis amórem abjícere; et ad te, qui solus vera vita es, pervenire; Per Dóminum.

VESPERÆ *à Capítulo de Sequenti, ut in Communi Virg. non Martyris,* LV. *Pro Commem. S. Eugenii. Ant.* Sacerdótes. ℣. Salvum, XXVII. *Oratio,* Omnípotens, *suprà.*

DIE VII.

SANCTÆ CHARISSIMÆ,

VIRGINIS.

Duplex-majus.

Omnia ut in Communi Virginum, LV, *additis quæ sequuntur. Oratio ut infrà.*

IN I. NOCT. *Lectiones de Scriptura occurrente.*

IN II.° NOCTURNO

LECTIO IV.

CHARISSIMA tráditur Albígæ nata parentibus nobílibus, à quibus cùm propter nuncupátum à se virginitátis votum persecutiónem paterétur, toto triénnio in sylva látuit. Deinde transmisso Tarne flúvio, Viántium venit, locum ad amnem Veram situm, ubi Eugénius Carthaginensis Epíscopus in território Albiensi éxulans, monastérium ædificáre cœperat. Ibidem post annos septem defunctam Eugénius idem in monastério suo sepelívit. Hæc etália habentur in antíquo Ecclésiæ Albiensis lectionário, ubi acta sanctæ Charissimæ leguntur, quibus fidem tríbuunt docti quidam Agiógraphi. Indubitátum verò est eam diuturno et vetusto cultu esse illustrem. Ecclésiam habuit sub invocatióne nóminis sui dicátam in Diœcesi Albiensi. Corpus ipsíus Albígæ in majóri sanctæ Cæcíliæ basilicâ religiósè cólitur.

LECTIO V.

Ex libro sancti Augustíni Epíscopi de sanctâ Virginitáte.

CUM ipsa universa Ecclésia Virgo sit desponsáta uni viro Christo, sicut dicit Apóstolus, quanto digna sunt honóre membra ejus, quæ hoc custódiunt étiam in ipsa carne, quod tota custódit in fide? quæ imitátur matrem viri sui et Dómini sui? Nam Ecclésia quoque et mater et virgo est. Cujus enim integritáti consúlimus, si virgo non est? Proindè cùm Ecclésia universa sit sancta córpore et spíritu, nec tamen universa sit córpore virgo, sed spíritu; quantò sánctior est in his membris, ubi virgo est et córpore et spíritu? Hábeant conjúgia bonum suum. Virginális autem intégritas Angélica pórtio est,

et in carne corruptíbili incorruptiónis perpétuæ meditátio.

LECTIO VI.

(Cap. 52.)

Hoc ágite, Vírgines Dei, hoc ágite : sequímini Agnum quocumque íerit. Sed priùs ad eum quem sequímini, veníte; et díscite ab eo quóniam mitis est et húmilis corde. Humíliter ad húmilem veníte, si amátis; et ne discedátis ab eo, ne cadátis. Qui enim timet ab illo discédere, rogat et dicit : Non véniat mihi pes superbiæ. Pérgite viam sublimitátis, pede humilitátis. Ipse exaltat humíliter sequentes, quem non píguit descéndere ad jacentes. Dona ejus illi servanda committite; fortitúdinem vestram ad illum custodíte. De víribus vestris expertis cavéte, ne quia ferre áliquid potuistis, inflémini : de inexpertis autem oráte, ne supra quàm potestis tentémini.

IN III.° NOCTURNO.

LECTIO VII.

Léctio sancti Evangélii secundùm Matthæum.

(Cap. 25.)

In illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc : Símile erit regnum cœlórum decem Vírgínibus, quæ accipientes lámpades suas, exiérunt óbviam sponso et sponsæ. Et réliqua.

Homília sancti Hierónymi Presbyteri.

(Epist. ad Eustoch.)

Nolo te sponsum quærere per platéas. Nolo te circumíre ángulos civitátis. Dicas licet : Surgam et circumíbo civitátem, et in foro, et in platéis quæram quem dilexit ánima mea; et intérroges : Num quem dilexit ánima mea, vidistis? Nemo tibi respondére dignábitur. Sponsus in platéis non potest inveníri. Atque útinam non invenisse suffíciat. Vulneráberis, et gemebunda narrábis : Invenérunt me custódes, qui circúmeunt civitátem : percussérunt me, et vulneravérunt me, tulérunt theristrum meum mihi. Si autem hoc éxiens pátitur illa, quæ díxerat : Ego dórmio, et cor meum vígilat? quid de nobis fiet, quæ adhuc adolescéntulæ sumus; quæ sponsà intrante cum sponso remanémus extrínsecus? Zelótipus est Jesus; non vult ab áliis vidéri fáciem tuam.

LECTIO VIII.

Audi ítaque Isaíam loquentem : Pópulus meus, intra cúbiculum tuum : claude óstium tuum; abscondére pusillùm aliquántulùm, donec tránseat ira Dómini. Foris vagentur Vírgines stultæ,

tu intrínsecus esto; quia si óstium cláuseris, et secundùm Evangélii præceptum in occulto oráveris patrem tuum, véniet, pulsábit et dicet: Ecce ego sto ante jánuam, et pulso. Si quis mihi aperúerit, introíbo et cœnábo cum eo, et ipse mecum; et tu statim sollícita, consurge, et áperi, ne te morante pertránseat, et póstea conqueráris, et dicas: Apérui ego fratruéli meo, fratruélis meus pertransívit. Quid enim necesse est ut cordis tui óstia clausa sint sponso? aperiantur Christo, claudantur diábolo, secundum illud: Si Spíritus potestátem habéntis ascénderit super te, ne dimíseris locum tuum.

LECTIO IX.

Te ipsam considerans, noli in altérius ruinâ, sed in tuo ópere gloriári. Nec illárum tibi exempla propónas, quæ carnis curam facientes, possessiónum réditus, et quotidiánas domûs impensas súputant. Nec dicas: Illa et illa suis rebus fruítur; honorátur ab homínibus; fratres ad eam convéniunt et soróres. Numquid ídeò Virgo esse désiit? Primò dúbium est an Virgo sit. Non enim quómodò videt homo, videt Deus. Homo videt in fácie, Deus autem videt in corde; dehinc, etiamsi córpore Virgo est, an spíritu Virgo sit, néscio. Apóstolus autem ita Vírginem definívit: ut sit sancta córpore et spíritu. Ad extrémum, hábeat sibi glóriam suam. Vincat Pauli sententiam, delíciis fruátur et vivat. Nos meliórum exempla sectémur.

ORATIO.

Aures tuæ pietátis, quæsumus, Dómine, précibus nostris inclína; ut qui delictórum nostrórum caténis stríngimur, interveniente beátâ Charíssimâ Vírgine, miseratiónis tuæ grátiâ liberémur; Per.

Vesperæ *de Sequenti*.

IN NATIVITATE
BEATÆ MARIÆ VIRGINIS.

SOLEMNE - MAJUS.

IN I. VESPERIS.

Psalmi de Feria.

Ant. 3. a. Oriétur stella ex Jacob, et consurget virga de Israel. *Num.* 24.

Ant. 1. f. Egrediétur virga de radíce Jesse, et flos de radíce ejus ascendet. *Is.* 11.

Ant. 4. E. Erit radix Jesse, et qui exurget régere gentes : in eum gentes sperábunt. *Rom.* 15.

Ant. 6. F. Requiescet super eum Spíritus Dómini, et replébit eum. *Is.* 11.

Ant. 5. C. In diébus illis salvábitur Juda, et Israel habitábit confidenter. *Jer.* 23.

Capitulum. (*Jerem.* 3.)

Ecce dies véniunt, dicit Dóminus, et suscitábo David germen justum : et regnábit rex, et sápiens erit; et fáciet judícium et justítiam in terra.

℣. Hæc dicit Dóminus : * Si írritum potest fíeri pactum meum cum die et nocte; et pactum meum írritum esse póterit cum David, ut non sit ex eo fílius qui regnet in throno ejus. ℣. Volens Deus osténdere pollicitatiónis hæ-rédibus immobilitátem consílii sui, interpósuit jusjurandum. * Si írritum. Glória. * Si. *Jer.* 33. *Hebr.* 6.

HYMNUS.

Debitam morti sóbolem creárat
Eva peccátrix : nova destinátur,
Quæ sacro partu scelus atque mortem
Déstruat, Eva.
Victa serpentis fuit illa fraude;
Intimis virus récipit medullis :
Vulnus hæc sanat, tumidíque colla
Cónterit anguis.
Quo dolus cessit? Dómitâ parente,
Tótius sperat sóbolis ruínam :
Omnibus reddet Sóboles parentis
Una salútem.
Sic lucro cedunt, Dómino volente,
Damna, dum gratâ vice per Maríam

Delet antíquam nova vita mortem,
Grátia culpam.
DICERIS mater quoque nostra, Virgo;
Te proba nostram, pia Virgo, matrem,
Efficax blandis précibus severum
Fléctere Numen.
LAUS sit æternæ sua Trinitáti,
Quæ laborantem miseráta mundum,
Próximos Christi, præeunte matre,
Núntiat ortus. Amen.

℣. Usque in æternum præparábo semen tuum, ℟. Et ædificábo in generatiónem et generatiónem sedem tuam. *Ps.* 88.

Ad Magníficat, *Ant.* 1. D. Dómine, sermo quem locútus es David et super domum ejus, confirmétur in perpétuum, et magnificétur nomen tuum usque in sempiternum. 1. *Paral.* 17.

ORATIO.

DEUS, qui secundùm propósitum voluntátis tuæ mundum tibi reconciliáre voluisti: præsta, quæsumus, ut qui Nativitátem Vírginis Maríæ, de quâ natus est nobis Christus Salvátor, cum gáudio celebrámus, ipsam quam Fílius operátus est salútem, Matris intercessióne consequámur; Per eumdem.

Fit Commem. S. Charissimæ, Virg. Ant. In resurrectióne. ℣. Vírgines, LXIII. *Oratio,* Aures, *ut suprà*, 403.

AD COMPLETORIUM.

Psalmi de Feria.

Ant. 2. D. Ecce ténebræ opérient terram, et calígo pópulos; super te autem orietur Dóminus. Allel. *Is.* 60.

Hymnus, Virgo Dei génitrix, *post Psalterium,* 165.

Ad Nunc dimittis, *Ant.* 1. g. In splendóre ortûs tui omnes vénient, laudem Dómino annuntiantes. Allel. *Is.* 60.

AD OFFIC. NOCTURNUM.

INVITATORIUM.

JESUM de María natum * Veníte, adorémus. *Matth.* 1. *Ps.* 94. Veníte, 2.

HYMNUS.

LÆTIS terra sonet pláusibus; huic Dei
Mater virgo datur: múnere quo nova
Se rerum fácies prótinus éxerit,
Mundo pax redit áurea.
HÆC est illa domus, quâ Deus ádvena
In terris hábitat, digna Deo domus;
Templum grande, sibi quod própriâ manu
Summus cóndidit Artifex.
AUREIS arca vetus fúlserit úndique
Scintillans rádiis: hæc vácuas decent
Umbras: intérior núminis ipsíus
Arcam nobílitas decet.

Non hìc manna latet, légifer aut lapis,
Non ramus stérilis : flos viget hìc ferax
Virtútum ; sacer hìc panis, homo Deus ;
Hìc legis résidet dator.
Sit laus summa Patri, súmmaque Fílio :
Ambórum sit idem Spirítui decus,
Arcánis hábilem qui thálamum modis
Christo præparat hóspiti.
Amen.

Psalmi de Officio parvo.

IN I.º NOCTURNO.

Ant. 4. f. Appáruit Móysi Dóminus in flamma ignis de médio rubi ; et vidébat quòd rubus ardéret, et non comburerétur. *Exod.* 3.

Ant. 8. *G.* Cùm virgas posuísset Móyses coram Dómino, invénit germinasse virgam Aáron. *Num.* 17.

Ant. 5. a. Abscissus est lapis de monte sine mánibus ; lapis autem factus est mons magnus, et implévit universam terram. *Dan.* 2.

℣. Mons in quo beneplácitum est Deo habitáre in eo : ℟. Etenim Dóminus habitábit in finem. *Ps.* 67.

LECTIO I.

De Cánticis canticórum.

(Cap. 2.)

Surge, amíca mea, speciósa mea, et veni : columba mea, in foramínibus petræ, in caverna macériæ ; ostende mihi fáciem tuam : sonet vox tua in áuribus meis ; vox enim tua dulcis, et fácies tua decóra. Cápite nobis vulpes párvulas, quæ demoliuntur víneas ; nam vínea nostra flóruit. Dilectus meus mihi, et ego illi qui páscitur inter lilia, donec aspíret dies, et inclinentur umbræ. Revértere : Símilis esto, dilecte mi, capræ, hinnulóque cervórum super montes Bether.

℟. Noli timére ; quia redémi te, et vocávi te nómine tuo : * Ego Dóminus Deus tuus, sanctus Israel, salvator tuus. ℣. Dóminus tecum : ne tímeas ; invenisti enim grátiam apud Deum : * Ego. *Is.* 43. *Luc.* 1.

LECTIO II.

(Cap. 4.)

Favus distillans lábia tua, sponsa : mel et lac sub lingua tua ; et odor vestimentórum tuórum sicut odor thuris. Hortus conclúsus, soror mea sponsa ; hortus conclúsus, fons signátus. Emissiónes tuæ paradísus malórum punicórum cum pomórum frúctibus. Cypri cum nardo, nardus et crocus, fístula et cinnamómum cum universis lignis Líbani, myrrha et alóe, cum ómnibus primis unguentis. Fons hortórum, púteus aquárum vivéntium quæ fluunt ímpetu de Líbano. Surge,

Aquilo; et veni, Auster: perfla hortum meum, et fluant arómata illíus.

℟. Hæc dicit Dóminus, fáciens et formans te ab útero: * Effundam Spíritum meum super semen tuum, et benedictiónem meam super stirpem tuam. ℣. Quod nascetur ex te, Sanctum, vocábitur Fílius Dei. * Effundam Spíritum meum super semen. *Is.* 44. *Luc.* 1.

LECTIO III.

(Cap. 5.)

Véniat dilectus meus in hortum suum, et cómedat fructum pomórum suórum. Veni in hortum meum, soror mea, sponsa; méssui myrrham meam cum arómatibus meis, comédi favum cum melle meo, bibi vinum meum cum lacte meo: comédite, amíci, et bíbite; et inebriámini, caríssimi. Ego dórmio, et cor meum vígilat. Vox dilecti mei pulsantis: Aperi mihi, soror mea, amica mea, columba mea, immaculáta mea; quia caput meum plenum est rore, et cincinni mei guttis nóctium. Expoliávi me túnicâ meâ, quómodò índuar illâ? lavi pedes meos, quómodò inquinábo illos?

℟. Benedícam tibi, complens juramentum quod spopondi Abraham patri tuo: * Et † Benedicentur in sémine tuo omnes gentes terræ. ℣. Benedicta tu inter mulíeres, et benedictus fructus ventris tui: * Et. Glória. † Benedicentur. *Gen.* 26. *Luc.* 1.

IN II.° NOCTURNO.

Ant. 1. g. Dixit Gédeon: Si ros in solo véllere fúerit, et in omni terra síccitas; sciam, Dómine, quòd sicut locútus es, liberábis Israel. *Judic.* 6.

Ant. 8. G. Ecce nubécula parva quasi vestígium hóminis ascendébat de mari, et facta est plúvia grandis. 3. *Reg.* 18.

Ant. 6. F. Fons parvus crevit in flúvium: lux et sol ortus est, et húmiles exaltáti sunt. *Esther* 11.

℣. Descendet Dóminus sicut plúvia in vellus; ℟. Et sicut stillicídia stillántia super terram. *Ps.* 71.

Benedictiones de B. M. V.

LECTIO IV.

Sermo sancti Joannis Damascéni.

(In Nat. B. M. V.)

Adeste, gentes omnes, omne hóminum genus, omnes cujusvis linguæ, ætátis ac dignitátis orbis universi. Lætítiæ natálem lætis ánimis celebrémus: Dei Genitrícis natálem complectámur, per quam mortálium genus redintegrátum est, per quam primigéniæ matris Evæ mœror in lætítiam mutátus est. Etenim illa per divínam

sententiam hoc audívit : In dolóre páries líberos; hæc, Ave, grátia plena. Illa, Ad virum convérsio tua; hæc, Dóminus tecum.

℟. Exultáte in lætítia, Jacob : personáte, et cánite, quia creávit Dóminus novum super terram : * Fémina circúmdabit virum. ℣. Sacraméntum abscónditum à séculis in Deo qui ómnia creávit : * Fémina. *Jer.* 31. *Ephes.* 3.

LECTIO V.

Quid autem quòd Virgo mater orta sit ex stérili ? Quia scílicet oportébat ut ad id quod solum sub sole novum futúrum erat, ac miraculórum caput, via per mirácula sternerétur, ac paulatim ab humilióribus ad sublimióra progressus fieret; quanquam ália quoque áltior ac divínior rátio à me afferri potest. Etenim natúra grátiæ cedit, statque subtrémula, non sústinens prógredi. Quóniam ítaque futúrum erat ut Dei génitrix Virgo ex Anna nascerétur, natúra grátiæ fœtum antevértere mínimè ausa est ; sed mansit infructuósa, dum grátia fructum edidísset.

℟. Misericórdia et véritas obviavérunt sibi ; justítia et pax osculátæ sunt : * Etenim Dóminus dabit benignitátem, et terra nostra dabit fructum suum. ℣. Prosúit Deus in dispensatióne plenitúdinis témporum, instauráre ómnia quæ in cœlis et quæ in terra sunt : * Etenim. *Ps.* 84. *Ephes.* 1.

LECTIO VI.

Hodie stériles portæ aperiuntur, et virgínea ac divína jánua prodit, ex qua et per quam Deus, qui rebus ómnibus supérior est, in orbem terrárum corporáliter introívit. Hódie de radíce Jesse virga orta est, ex qua mundo flos divínitùs existens ascendit. Hódie ex terréna natúra cœlum in terra ille cóndidit, qui olim firmamentum ex aquis finxerat, atque in altum extúlerat. Ac sanè hoc illo longè divínius est. Nam qui in illo condíderat solem, ex hoc ipse justítiæ Sol ortus est.

℟. Ego sum, ego sum quæ Dómino canam : * Cessavérunt fortes in Israel, et quiévérunt, donec súrgeret mater in Israel. ℣. Ubi venit plenitúdo témporis, misit Deus Fílium suum factum ex mulíere, factum sub lege; ut eos qui sub lege erant, redímeret. * Cessavérunt. Glória. * Cessavérunt. *Judic.* 5. *Galat.* 4.

IN III.° NOCTURNO.

Ant. 7. d. Egressa est glória Dómini, et stetit in introítu portæ domûs Dómini orientális. *Ezech.* 10.

Ant. 2. D. Dixit Dómi-

nus: Porta hæc clausa erit, et non aperiétur; quóniam Dóminus Deus Israel ingressus est per eam. *Ezech.* 44.

Ant. 3. c. Erit clausa príncipi: princeps ipse sedébit in ea. *Ezech.* 44.

℣. Dómini est assúmptio nostra, ℟. Et Sancti Israel regis nostri. *Ps.* 88.

LECTIO VII.

Léctio sancti Evangélii secundum Matthæum.

(Cap. 1.)

LIBER generatiónis Jesu Christi fílii David, fílii Abraham. Abraham génuit Isaac, Isaac autem génuit Jacob. Et réliqua.

Homília sancti Bernardi Abbátis.

(Serm. de 12. Prærog. B. M. V. N. 8.)

QUID mirat in generatióne Maríæ? Planè quòd ex régibus orta, quòd ex sémine Abrahæ, quòd generósa ex stirpe David. Si id parum videtur, adde quod generatióni illi ob singuláre privilégium sanctitátis divínitùs nóscitur esse concessa; quòd longè antè eisdem pátribus cœlitùs repromissa; quòd mysticis præfiguráta miráculis; quòd oráculis prænuntiáta prophéticis. Hanc enim sacerdotális virga, dum sine radice flóruit; hanc Gedeónis vellus, dum in médio siccæ áreæ máduit; hanc in Ezechiélis visióne orientális porta, quæ nulli unquam pátuit, præsignábat.

℟. Abrahæ promittens Deus, jurávit per semetipsum, dicens: Benedícens benedícam te. * Et sic longanímiter ferens, adeptus est repromissiónem. ℣. Dixit Abrahæ Deus: Reges ex te egredientur, et státuam pactum meum inter me, et te, et semen tuum post te: * Et sic longanímiter ferens. *Hebr.* 6. *Gen.* 17.

LECTIO VIII.

HANC dénique præ céteris Isaías, nunc virgam de radíce Jesse oritúram promittébat; nunc evidentiùs vírginem paritúram. Méritò signum hoc magnum in cœlo apparuisse scríbitur, quod tantò antè de cœlo nóscitur fuisse promissum. Dóminus ait: Ipse dabit vobis signum: Ecce virgo concípiet. Magnum profectò signum dedit, quia et magnus ipse qui dedit. Hujus ergo prærogatívæ fulgor quorum non vehementer revérberat áciem oculórum?

℟. Semel jurávi in sancto meo, si David méntiar: * Semen ejus in æternum manébit, et thronus ejus sicut sol in conspectu meo. ℣. Antè promíserat Deus per Prophétas de Fílio suo, qui factus est ei ex sémine Da-

vid secundùm carnem : * Semen ejus in æternum manébit, et thronus ejus sicut sol in conspectu meo. *Ps.* 88. *Rom.* 1.

LECTIO IX.

(N. 9.)

Nihilominus fulget étiam novus ille conceptiónis modus, ut non in iniquitáte, quemádmodùm céteræ omnes, sed superveniente Spíritu sancto, sola, et de sola sanctificatióne María concíperet. Nam quòd verum Deum, et Dei Fílium génuit, ut idem ipse Dei atque hóminis Fílius, unus omníno Deus et homo prodíret ex María, abyssus est lúminis; nec fácilè díxerim quòd vel angélicus óculus ad hujus fulgóris veheméntiam non caligét. De cétero sanè et virginitátem carnis, et propósitum virginitátis, máximè et ipsíus quoque propósiti nóvitas evidenter illustrat; quòd vidélicet in libertáte spíritûs, legis Mosáicæ decréta transcendens, illibátam Deo córporis simul et spíritûs sanctimóniam vovit.

℟. Erat virgo desponsáta viro, cui nomen erat Joseph, de domo David; et * Nomen vírginis María. ℣. Tu ipse, Dómine Deus, qui elegísti, posuísti nomen ejus. * Nomen. Glória. * Nomen. *Luc.* 1. 2. *Esdr.* 9.

Te Deum.

℣. *Sacerd.* Numquid Sion dicet : Homo natus est in ea; ℟. Et ipse fundávit eam Altíssimus? *Ps.* 86.

AD LAUDES.

Psalmi de Dominica.

Ant. 1. g. Quæ est ista, quæ progréditur quasi auróra consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol? *Cant.* 6.

Ant. 4. E. Una est columba mea, perfecta mea, una est matris suæ, electa genitríci suæ. *Cant.* 6.

Ant. 6. *C.* Vidérunt eam fíliæ, et beatíssimam prædicavérunt; regínæ, et laudavérunt eam. *Cant.* 6.

Ant. 5. a. Surge.

CANTICUM.

(Judic. 5.)

Gratiarum actio post victoriam.

Audite, reges; áuribus percípite, príncipes : * Ego sum, ego sum quæ Dómino canam, psallam Dómino Deo Israel.

Dómine, cùm exíres de Seïr, * et transíres per regiónes Edom,

Terra mota est, * cœlique ac nubes distillavérunt aquis.

Montes fluxérunt à fácie Dómini, * et Sínaï à fácie Dómini Dei Israel.

Cessavérunt fortes in Israel, et quievérunt, * donec súrgeret mater in Israel.

Nova bella elégit Dóminus, * et portas hóstium ipse subvertit.

Salvátæ sunt relíquiæ pópuli : * Dóminus in fórtibus dimicávit.

Benedicta inter mulíeres ; * benedicátur in tabernáculo suo.

Qui autem díligunt te, Dómine, * sicut sol in ortu suo splendet, ita rútilent.

Et dicitur per Octavam, quando fit de ea.

Ant. Surge et veni, columba mea : ostende mihi fáciem tuam. *Cant.* 2.

Ant. 3. a. Quàm pulchra es, et quàm decóra, caríssima, in delíciis ! *Cant.* 7.

Capitulum. (*Baruch* 5.)

DEUS ostendet splendórem suum in te, omni qui sub cœlo est. Nominábitur enim tibi nomen tuum à Deo : Pax justítiæ, et honor pietátis.

HYMNUS.

MORTALE, cœlo tolle, genus, caput :
En noctis horror désiit ; en jubar
Nascentis auróræ propínquum
Admónuit properáre Solem.
SACRO tumentes gérmine jam polus
Terras amícis ímbribus írrigat :
De stirpe Jesse virga surgit
Conspícuum paritúra florem.
CŒLESTIS illum grátia Spíritûs
Inunget : illi Justítia et Fides,
Timorque castus, Veritasque
Et Píetas cómites præíbunt.
HUNC ergo, quem tot secla fidélibus
Votis anhélant ; quem mísero Deus
Promísit orbi, spem salútis,
Accélera, pia Virgo, fructum.
SIT Trinitáti perpétuum decus,
Inflicta mundo quæ míserans mala,
In matre pígnus nascitúri
Non dúbium dat habére Christi. Amen.

℣. Vultum tuum deprecabuntur ℟. Omnes dívites plebis. *Ps.* 44.

Ad Benedictus. *Ant.* 7. G. Benedicta tu à Deo tuo in omni tabernáculo Jacob ; quóniam in omni gente quæ audíerit nomen tuum ; magnificábitur super te Deus Israel. *Judith* 13.

Oratio. Deus, qui secundùm, *ut suprà*, 405.

AD HORAS, *in fine Hymnorum dicitur Doxologia :* Qui natus es.

Psalmi de Dominica.

AD PRIMAM.

Non dicitur Symbolum Quicumque.

Ant. 1. g. Quæ est ista.

In ℟. *br.* ℣. Qui natus es * de María vírgine.

Canon proprius ad calcem.

AD TERTIAM.

Ant. 4. F. Una est.

Capitulum. (*Eccli.* 24.)

Qui creávit me, requiévit in tabernáculo meo, et dixit mihi : In Jacob inhábita, et in Israel hæreditáre, et in electis meis mitte radíces.

℟. *br.* De ventre matris meæ * Deus meus es tu. * Allelúia, allelúia. De ventre. ℣. Spes mea * ab ubéribus. * Allelúia. Glória. De ventre. *Ps.* 21.

℣. Dómine, spes mea à juventúte mea : ℟. In te cantátio mea semper. *Ps.* 70.

AD SEXTAM.

Ant. 6. C. Vidérunt.

Capitulum. (*Judith* 13.)

Laudate Dóminum Deum nostrum, qui non deséruit sperantes in se, et in me ancillà suâ adimplévit misericórdiam suam quam promísit dómui Israel.

℟. *br.* Prope timentes Dóminum * salutáre ipsíus. * Allelúia, allelúia. Prope. ℣. Ut inhábitet glória * in terra nostra. * Allelúia. Glória Prope timentes Dóminum.

℣. Véritas de terra orta est, ℟. Et justítia de cœlo prospexit. *Ps.* 84.

AD NONAM.

Ant. 3. a. Quàm pulchra es.

Capitulum. (*Isai.* 41.)

Elegi te, et non abjéci te : ne tímeas, quia ego tecum sum.

℟. *br.* Pópuli confitebuntur tibi * in æternum. * Allelúia, allelúia. Pópuli. ℣. Mémores erunt * nóminis tui. * Allelúia. Glória. Pópuli.

℣. Concupiscet rex decórem tuum ; ℟. Quóniam ipse est Dóminus Deus tuus, et adorábunt eum. *Ps.* 44.

AD II. VESPERAS.

Psalmi de Officio parvo.

Ant. 6. F. Lauda et lætáre, fília Sion : quia ecce ego vénio, et habitábo in médio tuî, ait Dóminus. *Zach.* 2.

Ant. 8. G. Rex Israel Dóminus in médio tui ; non timébis malum ultrà. *Soph.* 3.

Ant. J. Dóminus Deus tuus in médio tuî ; fortis, ipse salvábit. *Soph.* 3.

Ant. 5. C. Gaudébit super te in lætítia, silébit in dilectióne sua, exultábit super te in laude. *Soph.* 3.

Ant. 4. E. Applicabuntur gentes multæ ad Dóminum in die illa, et erunt mihi in pópulum ; et habitábo in médio tuî. *Zach.* 2.

Capitulum. (*Apoc.* 21.)

Ecce tabernáculum Dei cum homínibus, et habitábit cum eis : et ipsi pópulus ejus erunt, et ipse Deus cum eis erit eórum Deus.

HYMNUS.

Unus bonórum fons, Deus, ómnium,

Quàm liberáli fundis opes manu!
Non antè concessis Maríam
Quot próperas cumuláre donis!
INTER rigentes, ceu rosa, cláuditur
Spinas, et acres vincit acúleos;
Præsens amáram virulenti
Grátia vim frúticis retundit.
QUANTUM pudícas ínclyta vírgines
Præstat, remóto quæ dóminam gradu
Sequuntur, et Regis parentem
Sidéreà comitantur aulâ!
NEC Angelórum par decus: hi Deo
Adstant sedenti; fert hóminem Deum
María, nomen dulce matris
Virgíneo sócians honóri.
REGINA mundi, Virgo cliéntium
Tutéla, mœstis perfúgium reis,
Fer nostra Nato vota: tristem
Non pátitur génitrix repulsam.
SIT Trinitáti perpétuum decus,
Inflicta mundo quæ miserans mala,
In matre pignus nascitúri
Non dúbium dat habére Christi. Amen.

℣. Sanctificávit tabernáculum suum Altíssimus: ℟. Deus in médio ejus. *Ps.* 45.

Ad Magníficat, *Ant.* 3. a Exte egrediétur qui sit dominátor in Israel, et egressus ejus ab inítio, à diébus æternitátis; et erit iste pax. Allelúia. *Mich.* 5.

Oratio, ut suprà, 405.

AD COMPLET. *Ps. et Capit. de Domin. Reliqua ut heri.*

DIEBUS

INTRA OCTAVAM

NATIVITATIS B. M. V.

Semiduplex.

Omnia ut in die, exceptis quæ sequuntur. Ps. de Feria.

AD OFFIC. NOCTURNUM.

Tres Ant. ℣. ℟℟. *sumuntur ex Nocturno diei, secundùm Feriam.*

Lectio I de Scriptura occurr. tribus in unam junctis.

Lectio II et III habentur infrà, in qualibet die.

Dicitur Te Deum.

AD LAUDES.

Ant. sola 5. a. Surge, 411.

AD HORAS, *non dicitur* Allelúia, *in* ℟℟. *brevibus.*

AD VESPERAS.

Ant. sola 6. F. Lauda, 412.

DOMINICA

INTRA OCTAVAM.

Totum Officium fit de Dominica, ut in Psalterio, incipiendo à I Vesperis, quæ erunt integræ de Sabbato ante Dominicam occurrentem, cum Commem. Nativitatis B. M. in utrisque Vesperis et Laudibus.

DIE IX.

DE OCTAVA.

LECTIO II.

Ex Epístola sancti Athanásii Epíscopi, ad Epictétum.

Non peccávit Verbum, quod aliórum peccáta redémit; ut mutátum in corpus, seipsum pro seipso in sacrifícium offerret, ac seipsum redímeret: sed non ita se res habet; absit. Nam semen Abrahæ apprehendit, ut ait Apóstolus: unde débuit per ómnia frátribus similári, et corpus assúmere nobis símile. Proptéreà ígitur adest verè María, ut ab ea illud assúmat, et tanquam próprium pro nobis illud ófferat. Ad réliquos quidem sanctos Verbum factum est, ut prophetárent: ex María autem Verbum, carne assumptâ, homo pródiit, qui natúrâ quidem et substántiâ Verbum Dei erat; secundùm carnem autem ex sémine David, et ex carne Maríæ homo factus est, ut ait Paulus.

LECTIO III.

Ex libro sancti Fulgéntii Epíscopi, de fide ad Petrum.

(Cap. 2.)

Deus factus est fílius vírginis Maríæ, et María virgo facta est mater Unigéniti Dei; ut quem Pater génuit ex æternitáte, ipsum Virgo conceptum proferret in témpore. Illa útique est Virgo, quam Deus qui de ea súerat nascitúrus, ita singulári grátiâ prævénit atque replévit, ut ipsum habéret ventris sui fructum, quem ex inítio hábuit univérsitas Dóminum; et ipsum sibi vidéret nascendi solemnitáte súbditum quem in unitáte paternæ substántiæ, non solùm humána, sed étiam angélica creatúra cognoscit et adórat Altíssimum.

DIE X.

SANCTI SALVII,

ALBIENSIS EPISCOPI.

Duplex-majus.

Omnia ut in Communi Pontificum; additis quæ sequuntur.

IN I. VESPERIS.

Capitulum. (2. *Cor.* 12.)

Non quæro quæ vestra sunt, sed vos; non enim debent fílii paréntibus thesaurizáre, sed parentes fíliis. Ego autem libentíssimè impendam, et superimpendar ipse pro animábus vestris.

℟. Scio hóminem, sive in córpore sive extra corpus néscio, Deus scit; quóniam raptus est in paradísum: et audívit arcána verba quæ non licet hómini loqui. Pro

hujúsmodi gloriábor; * Pro me autem † Nihil gloriábor nisi in infirmitátibus meis. ℣. Vílior fiam plus quàm factus sum; et ero húmilis in óculis meis, et glorióſior apparébo. * Pro me autem nihil gloriábor. Glória Patri. † Nihil gloriábor nisi in infirmitátibus meis.

HYMNUS.

NUNC, Salvi, dócili perge novum gradu
Quod monstrátur iter: te sat inánibus
Curis implícitum detínuit cohors
Importúna cliéntium.
VIX hunc, Christe, vocas; te próperans sequi,
Urbem, rostra, suos, seque simul fugit;
Claustrórum tácitis inque recéssibus,
Mundi tránsfuga, cónditur.
HIC rerum strépitu jam procul, ínfima
Forti despíciens péctore, níteris,
Sursùm, sancte Pugil, quam Deus índicat,
Metam cúrsibus ássequi.
HINC tecum látitans turba sodálium,
Ardens nempe tuis vívere nútibus,
Sese sponte tibi súbjicit, et suum
Te supplex répetit ducem.
VOTIS ergo favens, múnera præsulis
Imples; sed sócios dum sápiens regis,
Discas inde juvat nobilióribus
Fungi munéribus, Pater.
OLIM namque fides te sacra víndicem
Dicet mirificum; Relígio pium
Dicet Pontíficem; dicet et Albia
Pastórem gregis óptimum.
SIT laus summa Patri, summáque Fílio;
Sit par, sancte, tibi laus quoque Spíritus,
Quo spirante, sacris in penetrálibus
Sese Sálvius ábdidit. Amen.

℣. Glóriam et magnum decórem impónes super eum; Dómine; ℟. Quóniam dabis eum in benedictiónem.

Ad Magníficat, *Ant.* J. Tibi dixit Dóminus Deus tuus; Tu pasces pópulum meum, et tu eris princeps super eum. 1. *Paralip.* 11.

Oratio, Omnípotens sempiterne Deus, qui beátum Sálvium, *ut infrà*.

Fit Commem. Octavæ. Ant. Ex te. ℣. Sanctificávit, 413. *Oratio*, Deus qui secundùm, 405.

Deinde S. Nicolai Tolentinatis, Presbyteri, Ant. Quasi thus. ℣. Stabit, *ut in Communi Presbyterorum*, XXXVI. *Oratio*, Dómine Deus, XL.

AD OFFIC. NOCTURNUM.

HYMNUS.

UNDENAM tanto gémitu resultant

Claustra? Quid fundit pia turba fletus?
Ha! ducem sanctum dolet ocióri
Fúnere demptum.
TANGIT, heu! si te miseranda prolis
Orbitas; vocem, Deus ô, jubentis
Audiat Lethum, vomat et rapáci
Gútture prædam.
TUQUE, qui nondum stádio peractis
Cúrsibus, cœlo súpero triumphas,
Huc ades, Salvi; nova te reposcunt
Prælia terris.
FALLOR. En celsis révolans ab astris,
Spíritus notas répetit medullas;
Jamque calcáto redivíva surgunt
Membra ferétro.
TURBA portentum stupet, et parentem
Rédditum votis sibi gratulátur:
Désinunt luctus, resonatque lætis
Pláusibus æther.
ERGO jam dignum tibi qui ministrum
Cœlites inter, Deus, hunc parasti;
Tempus est, sacrum veneranda cingat
Infula frontem.
SUMMA laus summo sit ubique Patri;
Summa laus summo sit ubique Nato;
Cultus et compar tibi sit per omne,
Spíritus, ævum. Amen.

IN I. NOCT. *Lectiones de Scriptura occurrente.*

IN II.° NOCTURNO.

LECTIO IV.

Ex sancto Gregório Turonensi.

(Lib. 7. Hist. cap. 1.)

SALVIUS Albigensis Episcopus, diu mundiáles causas executus, relictà seculári militià, monastérium expetívit. Defuncto Abbáte, alendi gregis súscipit offícium. Quodam autem témpore, febre nímià exhaustus, magno lúmine céllulà clarificátà et contremiscente, spíritum exhalávit. Mane autem facto, fúneris offício præparáto, corpus movéri cœpit in ferétro, et quasi de gravi somno suscitátus, excútitur: apertisque óculis ait: O Dómine misericors, quid fecisti mihi, ut me in hunc tenebrósum mundánæ habitatiónis locum redíre permítteres? Stupéntibus autem suis, et interrogántibus, quid fúerit tale prodígium, nihil ille respondit. Die autem tértio implícitus fratrum précibus, ut quid vidisset expóneret, ait: Cum me ante hos quátuor dies exánimem vidistis, apprehensus à duóbus Angelis, in cœlórum excelsa sublátus, introductus sum in illud habitáculum,

in quo lux ineffábilis, amplitúdo inenarrábilis, quam ita multitúdo promíscui sexûs obtéxerat, ut longitúdo ac latitúdo catervæ prorsus pervidéri non possit. Cumque pervenímus ad locum in quo superpendébat nubes omni luce lucídior, stans audívi vocem dicentem: Revertátur hic in séculum, quóniam necessárius est Ecclésiis nostris. Vox enim audiebátur, nam qui loquerétur, pénitus cerni non póterat.

LECTIO V.

Et ego prostrátus, cum fletu dicébam: Heu Dómine, cur mihi hæc ostendisti, si ab his frustrandus eram? et ait vox, Vade in pace; ego enim sum custos tuus, donec redúcam te in hunc locum. Tunc relíctus à comítibus meis descendens cum fletu, huc sum regressus. Hæc eo loquente, cœpit íterum sanctus Dei cum lácrymis dícere: Væ mihi, quia tale mystérium ausus sum revelâre. Ecce enim odor suavitátis, quem de loco sancto háuseram, et in quo per hoc tríduum sine ullo cibo potuque sustentátus sum, recessit à me. Sed et lingua mea grávibus est operta vulnéribus, et ita tumefacta, ut omne os meum videátur implére. Sed tu nosti, Dómine, quia in simplicitáte cordis hæc feci, non in jactántiâ mentis. (Ego verò hæc scribens véreor ne alícui legenti sit incredíbile; nam testor Deum omnípotentem, quia ab ipsíus ore ómnia quæ rétuli, audíta cognóvi). Post multum verò tempus ipse vir beátus, ad Episcopátum electus, invítus est ordinátus: in quo invalescente apud Albigensem urbem inguinário morbo, cum jam pauci remanérent, vir beátus tanquam bonus pastor nunquam ab illo loco recédere vóluit, sed semper hortabátur eos qui relicti erant, oratióni incúmbere, ac vigíliis insístere: et bona semper tam in opéribus quàm in cogitatióne versáre.

LECTIO VI.

Cum autem, ut credo, jam revelante Dómino, tempus suæ vocatiónis agnósceret, ipse sibi sarcóphagum compósuit, corpus ábluit, vestem índuit, et sic intentum semper cœlo beátum spíritum exhalávit. Fuit autem magnæ sanctitátis, minimæque cupiditátis, aurum nunquam habére volens. Nam si coactus accepisset, prótinus paupéribus erogábat. Cujus témpore cum Múmmolus patrítius multos captívos ab eâ urbe duxisset, prosecútus ille omnes redémit. Tantamque ei Dóminus grátiam tríbuit, ut ipsi étiam qui captívos dúxerant, et de prétio ei concéderent, et in réliquo munerárent. Plúrima præ-

termitto. Non est tamen siléntio prætereundum, quod adveniente Sálvio ad Chilperícum, rex ei præcipit indículum recenséri, quod ipse scripserat, ut sancta Trínitas non in personárum distinctióne, sed tantùm Deus nominarétur, deprécans Chilperícus ut sibi consentáneus fieret Episcopus. Quod ille áud ens, ita réspuit, ut si Chartam in quâ hæc scripta tenebantur, potuisset attíngere, in frusta discérperet. Et sic Rex ab hâc intentióne quiévit. Cùm autem vale post Synodum Regi jam dicto, ad própria redíre vellémus, in átrio Brinnacensis domûs réperi Sálvium. Tunc remóti páululum, dum hinc indè sermocinarémur, ait mihi, Videsne super hoc tectum quæ ego suspício? Cui ego, Nihil vídeo. At ille, alta trahens suspíria, ait: Vídeo ego evaginátum iræ divínæ gládium super domum hanc dependentem. Verúmtamen non fefellit díctio sacerdótem: nam post dies viginti, duo fílii Regis obiérunt.

IN III.° NOCTURNO.

LECTIO VII.

Léctio sancti Evangélii secundum Matthæum.

(Cap. 5.)

In illo témpore: Videns Jesus turbas, ascendit in montem, et cùm sedisset, accessérunt ad eum discípuli ejus. Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Episcopi.

(Serm. 53, de verbis Evang. Matth. Cap. 6.)

Beati mundicordes, hoc est, qui mundi corde sunt; quóniam ipsi Deum vidébunt. Hic est finis amóris nostri; finis quo perficiámur, non quo consumámur. Quidquid agimus; quidquid benè ágimus; quidquid nítimur; quidquid laudabíliter æstuámus; quidquid inculpabíliter desiderámus, ad Dei visiónem cùm vénerit, plus non requirémus. Quid enim quærat, cui adest Deus? aut quid sufficiat ei, cui non súfficit Deus? Vidére Deum vólumus, vidére Deum quærimus, vidére Deum inardéscimus. Quis non? sed vide quid dictum est: Beáti mundicordes, quóniam ipsi Deum vidébunt. Hoc para unde vídeas. Ut enim secundùm carnem loquar, quid desíderas ortum solis cum óculis lippis? Sani sint óculi, et erit lux illa gáudium: non sint óculi sani, erit lux illa tormentum. Non enim corde non mundo vidére permítteris, quod non vidétur nisi corde mundo. Repelléris, auferéris, non vidébis.

LECTIO VIII.

VENTUM est ad mundicordes, ibi vísio Dei promissa est. Non sine causâ, nisi quia ibi sunt óculi, unde videtur Deus. De his óculis Paulus Apóstolus loquens ait, Illumináto s óculos cordis vestri. Modò ergo óculi isti pro suà infirmitáte illuminantur fide : pósteà pro sua firmitáte illuminabuntur spécie. Quámdiu enim sumus in córpore, peregrinámur à Dómino : per fidem enim *ambulámus*, *non per spéciem*. Quámdiu autem in hàc fide sumus, quid de nobis dícitur? vidémus nunc per spéculum in ænígmate ; tunc autem fácie ad fáciem.

[*Si transferatur, vel ubi fit absque memoria S. Nicolai.*]

LECTIO IX.

(Cap. 9.)

NON ergo ita sápias in his præceptis et præmiis, utcum audis Beáti mundicordes, quóniam ipsi Deum vidébunt, putes páuperes spíritu non visúros, aut non visúros mites, non visúros lugentes, non visúros esurientes et sitientes justítiam, non visúros misericordes. Non arbitréris eos tantum quasi visúros qui mundo sunt corde, illis à visióne separatis. Omnia enim hæc iidem ipsi sunt. Ipsi vidébunt, et non ídeò vidébunt, quia páuperes spíritu sunt, quia mites sunt, quia lugentes, quia esurientes sitientesque justítiam, quia misericordes : sed quia mundi sunt corde.

De S. Nicolao.

LECTIO IX.

NICOLAUS, Tolentínas ob diuturnam apud Tolentínum commoratiónem appellátus, in óppido sancti Angéli in Picéno natus est piis paréntibus : qui liberórum desidério, Bárium, ad sepulcrum sancti Nicolái Pontíficis, voti causâ profecti, quem suscepérunt fílium, de illíus nómine appellárunt. Is ab infántia multárum virtútum, sed abstinéntiæ in primis, spécimen dedit. Nam anno vix séptimo, complúres hebdómadæ dies jejunáre cœpit, eamque pósteà consuetúdinem retínuit, solo pane et aquâ contentus. Adultâ ætáte, jam clericáli milítiæ ascriptus, et Canónicus factus, cum quodam die concionatórem Ordinis Eremitárum sancti Augustíni de mundi contemptu dicentem audisset, eo sermóne inflammátus, statim eumdem Ordinem est ingressus ; in quo tam exactam religiósæ vitæ ratiónem instítuit, ut áspero vestítu, verbéribus et férreâ caténâ corpus domans, atque à carne et omni ferè obsónio ábstinens, caritáte, humilitáte, patientiâ, cæterisque virtútibus áliis

prælucéret. Orandi assíduum stúdium, quamvis Sátanæ insídiis váriè vexátus, et flagellis interdum cæsus, non intermittébat. Demum sex ante óbitum ménsibus, cum jam paradísi gáudia prægustáret, crebrò illud Apóstoli repetébat: Cúpio dissolvi, et esse cum Christo. Obitûs sui die frátribus prædicto, ábiit ad Dóminum anno millésimo trecentésimo nono. Miráculis multis étiam post mortem cláruit: quibus cógnitis, ab Eugénio Papa quarto in Sanctórum número est relátus.

Te Deum laudámus, te Dóminum.

AD LAUDES.

HYMNUS.

O QUEM supernis sédibus árduas
Pastóris artes edócuit Deus,
Te prome, Salvi; quid moráris?
Pasce gregem tibi destinátum.
CLAUSTRIS reluctans véllitur: ô tuo
Occurre plaudens, Albia, præsuli;
En ille se sistit vocanti,
Dona ferens pretiósa genti:
QUAS ex olympi fóntibus háuserat,
Jam liberáli spargit aquas manu:
Quot inde fœcundáta profert
Terra sinu ségetes feráci!
HINC frendet, atris fáucibus et luem
Infernus hostis lethíferam vomit:
Vastátur urbs latè, suisque
Hospítibus viduantur ædes.
MORI parátus cum grege Póntifex
Adest, et ægris corpóribus manum
Affert benignam, languidisque
Fert ánimis páriter medélam.
TE charitátis nunc áliud vocat
Munus, sacerdos: compédibus graves
Ab hoste cives qui trahuntur,
Auxílium Patris en reposcunt.
AUDIT: parentis víscera gestiens;
Mox liberátor cum prétio volat;
Mirátur hostis, præsulique
Et pópulum et prétium reláxat.
LAUS summa Patri, summaque Fílio;
Sit, sancte compar laus tibi, Spíritûs,
Qui, quo fidéles sint Ministri,
Pontífices, Deus, intûs ungis. Amen.

ORATIO.

OMNIPOTENS sempiterne Deus, qui beátum Salvium Antístitem pópulo tuo præesse, et quibus præerat, verbo et exemplo prodesse voluisti: eódem intercedente, pastóres Ecclésiæ tuæ

cum grégibus sibi commissis dírige in viam salútis æternæ; ut omnes, te donante, tibi plácita cúpiant, et totâ virtúte perfíciant; Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum, qui tecum vivit et regnat.

Fit Commem. Octavæ. Ant. Benedicta tu. ℣. Vultum tuum, 411. *Oratio*, Deus, qui secundùm, 405.

Deindè S. Nicolai. Ant. Euge. ℣. Sacerdótes, *Oratio*, Dómine Deus, XL.

AD II. VESPERAS.

Capitulum. (2. *Cor.* 5.)

Dum sumus in córpore, peregrinámur à Dómino: (per fidem enim ambulámus, et non per spéciem) audémus autem, et bonam voluntátem habémus magis peregrinári à córpore, et præsentes esse ad Dóminum.

HYMNUS.

Cœlo triumphans Sálvius
ádditur;
Hinc tota plaudit cúria Cœlitum.
Adeste, cives; æmuloque
Pontíficem celebráte plausu.
Ad tempus, olim, raptus
in æthera,
Libárat altæ gáudia pátriæ;
Torrente sed jam mersus
ipso,
Perpétuo satiátur haustu.
Caduca terræ despíciens
bona,
Hæc indigórum condíderat
sinu:
Quàm pródigus nunc ipsa
Christus,
Divítiis cúmulans rependit!
Cujus, vel ipsis princípibus palam,
Defensor audax, asséruit fidem,
Huic tota sese, nube demptâ,
Alma Trias manifesta pandit.
Ergo supernis áddita páscuis,
Dum mens perenni lúmine
páscitur;
Hic ossa pastóris verenda
Supplícibus venerémur ulnis.
O nos ab altis áspice sédibus,
Caros alumnos, quos géneras, Pater,
Fac quò præisti dux, olympo
Te tua gens dócilis sequátur.
Laus summa Patri, summaque Fílio;
Sit, sancte, compar laus tibi, Spíritus,
Tu qui fidéles per Ministros
Das pátrias remeáre sedes.
Amen.

℣. Transíbo in locum tabernáculi admirábilis, usque ad domum Dei, ℟. In voce exultatiónis et confessiónis. *Ps.* 41.

Ad Magnificat. *Ant.* 5. C. Memória ejus in benedictióne est. Magnificávit eum Deus. Glorificávit illum in conspectu Regum, et ostendit illi glóriam suam. *Eccli.* 45.

Pro Commem. Octavæ. Ant. Ex te ℣. Sanctificávit. 413. *Oratio*, Deus, qui secundùm, 405.

DIE XI.

DE OCTAVA.

LECTIO II.

Ex libro sancti Augustíni Episcopi, de sancta Virginitáte.

(Cap. 5.)

UNIUS sanctæ Vírginis partu ómnium sanctárum vírginum est decus. Et ipsæ cum María matres Christi sunt, si Patris ejus fáciunt voluntátem. Hinc enim et María laudabíliùs atque beátiùs Christi mater est, secundùm ejus sententiam : Quicumque facit voluntátem Patris mei qui in cœlis est, ipse mihi frater, et soror, et mater est. Has sibi omnes propinquitátes in pópulo quem redémit, spiritáliter exhibet : fratres et soróres habet sanctos viros et sanctas féminas, quóniam sunt illi in cœlesti hæreditáte cohærédes. Mater ejus est tota Ecclésia, quia membra ejus per Dei grátiam parit. Item mater ejus est omnis ánima pia, fáciens voluntátem Patris ejus, fœcundíssimâ caritáte in iis quos párturit, donec in eis ipse formétur.

LECTIO III.

MARIA ergo fáciens voluntátem Dei corporáliter Christi tantúmmodò mater est, spiritáliter autem et soror et mater. Ac per hoc illa una fémina, non solùm spíritu, verùm étiam córpore, et mater est et virgo. Et mater quidem spíritu, non cápitis nostri, quod est ipse Salvátor, ex quo magis illa spiritáliter nata est; quia omnes qui in eum credíderint, in quibus et ipsa est, rectè fílii sponsi appellántur : sed planè mater membrórum ejus quod nos sumus; quia cooperáta est caritáte, ut fidéles in Ecclésia nascerentur, qui illíus cápitis membra sunt. Córpore verò ipsíus cápitis mater. Oportebat enim caput nostrum, propter insigne miráculum, secundùm carnem nasci de Vírgine quò significáret membra sua de vírgine Ecclésia secundùm spíritum nascitúra.

DIE XII.

DE OCTAVA.

LECTIO II.

Sermo sancti Petri Chrysólogi.

(Serm. 143.)

VIDETIS quibus est Virgo oppigneráta munéribus : Ave, grátiâ plena. Hæc est grátia quæ dedit cœlis glóriam, terris Deum, fidem Géntibus, finem vítiis, vitæ órdinem, móribus disciplínam,

Hanc grátiam détulit Angelus, accépit Virgo, salútem *séculis* redditúra. Ave, grátiâ plena. Quia síngulis grátia se est largíta per partes: Maríæ verò simul se totam *dedit* grátiæ plenitúdo. Omnes, inquit Evangelista, de plenitúdine ejus accépimus. Unde et David dicit: Descendit sicut plúvia in vellus. Vellus cùm sit de córpore, nescit córporis passiónes: sic virgínitas cùm sit in carne, vítia carnis ignórat.

LECTIO III.

Benedicta tu inter mulíeres. Verè benedicta Virgo, quæ et virginitátis póssidet decus, matris et pértulit dignitátem. Verè benedicta, quæ et superni conceptûs méruit grátiam, et sústulit integritátis corónam. Verè benedicta, quæ et divíni gérminis suscépit glóriam, et regína totíus éxtitit castitátis. Verè benedicta, quæ fuit *major* cœlo, fórtior terrâ, orbe látior; nam Deum quem mundus non capit, sola cepit. Portávit eum qui portat orbem, génuit genitórem suum, nutrívit ómnium vivéntium nutritórem.

Ad Vesperas, *fit Commem. S. Mamantis Mart. Ant.* Ecce Deus. ℣. In Deo sperávi, IX. *Oratio*, Da nobis, quæsumus, Dómine, intercedente beáto Mamante, XII.

DIE XIII.

DE OCTAVA.

LECTIO II.

Sermo sancti Bernardi Abbátis.

(In Nativit. B. M. V. n. 7.)

Totis medullis córdium, totis præcordiórum affectibus, et votis ómnibus Maríam venerémur; quia sic est voluntas ejus qui totum nos habére vóluit per Maríam. Hæc, inquam, voluntas ejus est, sed pro nobis. In ómnibus síquidem, et per ómnia próvidens míseris, trepidatiónem nostram solátur, fidem éxcitat, spem róborat, diffidéntiam ábigit, érigit pusillanimitátem. Ad Patrem verebáris accédere, Jesum tibi dedit mediatórem, hunc tibi fratrem María dedit. Sed fórsitan et in ipso majestátem vereáre divínam, quòd licèt factus sit homo, mánserit tamen Deus. Advocátum habére vis et ad ipsum? Ad Maríam recurre: pura síquidem humánitas in María, non modò pura ab omni contaminatióne, sed et pura singularitáte natúræ. Nec dúbius díxerim, exaudiétur et ipsa pro reveréntia sua. Éxaudiet útique matrem Fílius, et exáudiet Fílium Pater. Filíoli, hæc peccatórum scala, hæc mea máxima fidúcia est, hæc tota rátio spei meæ.

De S. Mamante.

LECTIO III.

Mamas qui et Mammes, nullo natálium splendóre, sed eximiâ sanctitáte illustris, Cæsaréæ in Cappadócia martyrio coronátus est, imperante Aureliáno, circa annum ducentésimum septuagésimum quartum. Hunc sancti patres Basílius et Gregórius Nazianzénus, summis láudibus extulérunt, et ad ejus sepulcrum multa perpetráta fuisse mirácula ambo testantur. Inter illa hoc præcípuum referri solet, quòd cùm Gallus et Julianus, Constantíni imperatóris ex frátre nepótes, amplíssimam Basílicam in honórem sancti Mártyris ædificáre decrevissent, partíto inter se ópere; pars ejusdem quæ Gallo obtígerat, felíciter attollebátur; ex opéribus autem Juliáni ália sibi cohærére vix póterant, ália penitùs corruébant. Quo prodígio quid prænuntiátum fúerat, innótuit, cùm Juliánus, ejurátâ Christiánâ religióne, ad idololatriam rédiit. Hujus Mártyris relíquiæ in Gálliam translátæ sunt, et Língonis asservantur.

Ad Laudes, *fit Commem. S. Mamantis. Ant.* Bonum. ℣. Adjútor. *Oratio*, Da nobis quæsumus, Dómine, intercedente, xii.

Vesperæ *de sequenti.*

DIE XIV.

IN EXALTATIONE SANCTÆ CRUCIS.

Duplex-majus.

IN I. VESPERIS.

Psalmi de Feria; et sic in toto Officio.

Ant. 8. G. Radix Jesse, qui stat in signum populórum, ipsum gentes deprecabuntur; et erit sepulcrum ejus gloriósum. *Is.* 11.

Ant. 3. a. Ascendet sicut virgultum coram eo, et sicut radix de terra sitienti: non est spécies ei, neque decor. *Is.* 53.

Ant. 4. E. Sicut ovis ad occisiónem ducétur; et quasi agnus coram tondente se, non apériet os suum. *Is.* 53.

Ant. 1. D. Si posúerit pro peccáto ánimam suam, vidébit semen longævum; et voluntas Dómini in manu ejus dirigétur. *Is.* 53.

Ant. 7. d. Justificábit ipse justus multos, et iniquitátes eórum ipse portábit. *Is.* 53.

Capitulum. (*Isaiæ.* 11.)

Levabit Dóminus signum in natiónes, et congregábit prófugos Israel, et dispersos Juda cólliget à quátuor plagis terræ.

℟. Fílius hóminis tradétur Princípibus Sacerdótum, et Scribis; et condemnábunt eum morte, et * Tra-

dent eum géntibus, ad crucifigendum; et † Tértiâ die resurget. ℣. Occidétur Christus; et non erit ejus pópulus, qui eum negatúrus est. * Tradent. Glória Patri. † Tértia. *Matth.* 20. *Dan.* 9.

HYMNUS.

Crux alma, salve, Crux venerábilis,
Torrente Christi sánguinis ébria;
Testis dolórum, tu suprémа
Verba Dei morientis audis.
Tu celsa sedes, unde suos docet;
Vitális, in quo nos péperit, thorus;
Currus triumphantis, tribúnal
Júdicis, atque litantis ara.
Non rapta cæsis hóstibus ímpia
Hic arma fulgent; nec dómiti duces
Graves caténis hìc trahuntur:
Nobílior Crucis est triumphus.
Orbis redempti quália pígnora!
Crux tincta Christi sánguine adhuc madet:
Speráte, mortáles: salútem
Plena necis monumenta præstant.
Crux certa cœli sémita, quæ Patris
Thronum petenti pandis iter Deo:
Nunc álterâ nobis nefas est
Ire viâ malè delicátos
Laus summa Patri qui creat ómnia,
Natóque mundum qui répărat Cruce:
Qui cuncta replet, summa sancto
Spíritui: tribus una semper.
Amen.

℣. Accípere ánimam meam consiliáti sunt; ℟. Ego autem in te sperávi, Dómine. *Ps.* 30.

Ad Magníficat, *Ant.* J. Ego quasi Agnus qui portátur ad víctimam; cogitavérunt super me consília, dicentes: Eradámus eum de terra vivéntium, et nomen ejus non memorétur ámpliùs. *Jerem.* 11.

Oratio, ut infrà ad Laudes.

Fit Commem. de Nativitate B. Mariæ. Ant. Ex te egrediétur. ℣. Sanctificávit, 413. *Oratio*, Deus, 405.

Postea sancti Cornelii, Papæ et Mart. Ant. Ecce Deus. ℣. In Deo, IX. *Oratio*, Deus, cujus grátia beátum Cornélium, XIII.

AD COMPLETORIUM.

Psalmi de Feria cum sua Antiphona, ut in Psalterio.

Hymnus Grates, *cum Doxologia sequenti, quæ dicitur etiam cras ad Horas.*

Qui per Crucem nos líberas,
Fili, tibi laus máxima
Cum Patre: nec tibi minor
Laus, utriusque Spíritus.
Amen.

Ad Nunc dimittis, *Ant.* Dómine, dabis, *ut in Psalterio.*

AD OFFIC. NOCTURNUM.

INVITATORIUM.

JESUM qui crucifixus est, * Veníte, adorémus. *Matth.* 28.

Ps. 94. Veníte, 2.

HYMNUS.

LIGNUM Crucis mirábile
Totum per orbem prómi-
net,
In qua pependit ínnocens
Christus, Redemptor óm-
nium.

HANC nulla cedrus árbo-
rem
Adæquat alto vértice,
Quæ poma nescit nóxia,
Sed ferre vitæ præmia.

TU, Christe, Rex piíssime,
Hujus Crucis signáculo,
Diébus, horis ómnibus,
Munire nos non ábnuas;

UT lingua cordi cónsona,
Comesque cordis púritas,
Laudis tibi perénniter
Munus rependat débitum.

QUI per Crucem nos líbe-
ras,
Fili, tibi laus máxima
Cum Patre: nec tibi minor
Laus, utriusque Spíritus.
Amen.

IN I.° NOCTURNO.

Ant. 1. *a.* Benedictum est lignum, per quod fit justítia. *Sap.* 14.

Ant. 3. *à.* Ab inítio cùm perírent superbi gigantes spes orbis terrárum ad ratem confúgiens, remísit século semen nativitátis. *Sap.* 14.

Ant. 8. G. Cùm aqua deléret terram, sanávit íterùm sapiéntia, per contemptíbile lignum justum gubernans. *Sap.* 10.

℣. Laudábunt ligna saltûs coram Dómino; ℟. Quia venit judicáre terram. 1. *Par.* 16.

Lectiones de Scriptura occurrente.

Post I Lect. ℟. Quóniam potens es, Dómine, ex ómnibus salváre; transeuntes mare hómines, * Exíguo ligno liberáti sunt. ℣. Quem vos interemístis, suspendéntes in ligno, hunc príncipem Deus exaltávit, ad dandampœniténtiam Israéli. * Exíguo. *Sap.* 14. *Act.* 5.

Post II Lect. ℟. Duxit Abraham fílium suum secum, et ábiit ad locum quem præcéperat ei Deus, ut immoláret eum: * Ligna quoque holocausti impósuit, et pósuit eum in altáre. ℣. Próprio Fílio suo non pepercit Deus; sed pro nobis ómnibus trádidit illum: * Ligna quoque holocausti. *Genes.* 22. *Rom.* 8.

Post III. Lect. ℟. De sánguine agni ponent fílii Israel super utrumque postem, et in superliminaribus domórum: * Erit autem sanguis vobis in signum, † Nec erit in vobis plaga dis-

perdens. ℣. Redempti estis pretióso sánguine quasi agni immaculáti Christi :* Erit. Glória. ✝ Nec. *Exod.* 12. 1. *Petr.* 1.

IN II.° NOCTURNO.

Ant. 2. D. Dóminus ostendit Móysi lignum : quod cùm misisset in aquas, in dulcédinem versæ sunt. *Exod.* 15.

Ant. 7. b. Nonne à ligno indulcáta est aqua amára? et dedit homínibus sciéntiam Altíssimus, honorári in mirabílibus suis. *Eccli.* 38.

Ant. 4. A. In hoc ostendisti inimícis nostris, quia tu es qui líberas ab omni malo. *Sap.* 16.

℣. In te speravérunt patres nostri, Dómine : ℟. Speravérunt, et liberasti eos. *Ps.* 21.

LECTIO IV.

Chosroes Persárum rex, extrémis Phocæ impérii temporibus, Ægypto et Africâ occupátis, ac Jerosólymâ captâ, multisque ibi Christianórum míllibus, partim cæsis, partim in captivitátem cum Zacharía Patriarcha abductis, Crucem étiam Dómini quam Hélena in monte Calváriæ collocárat, post innúmeras distributiónes, tribus jam tum réliquis portiónibus conflátam, in Pérsidem asportávit, anno Christi sexcentésimo décimo quarto. Heráclius qui jam ab annis quátuor Phocæ Succésserat, étiam per sequentes annos multis belli incómmodis et calamitátibus affectus, pacem bis à Chósroa pétiit : sed hanc ille pertináciter utráque vice denegávit, nisi Crucifixo abnegáto, sol adorarétur à Románis. Quam impietátem detestátus Heráclius, imploráto Dei auxílio, bellum quasi sacrum suscépit, militesque ad martyrium hortátus, signa cum hoste cóntulit. Post diuturnum bellum, anno demum sexcentésimo vigésimo séptimo exeunte, Persas ingenti prælio superávit.

℟. Pugnávit Jósue contra Amalec : cùmque levâret Móyses manus, vincébat Israel; Aáron autem et Hur sustentábant manus ejus ex utráque parte. * Et dixit Dóminus : Delébo memóriam Amalec. ℣. Preces supplicationesque cum lácrymis ófferens Christus, exaudítus est; et factus est obtemperántibus sibi causa salútis æternæ. * Et. *Exod.* 17. *Hebr.* 5.

LECTIO V.

Victus ígitur Chósroes, in fuga quâ trajícere Tigrim parábat, Medarsen fílium sócium regni designat. Quam contuméliam cùm Síroes Chósroæ major natu fílius ægrè ferret, patre simul et fratre interemptis, regno

Persárum potítus est, pacemque cum Heráclio fecit, quibus dam acceptis conditiónibus, quarum ea prima fuit, ut Crucem Dómini restitúeret. Captívos ítaque, in primis Zacharíam patriarcham, dimísit, restitútis étiam Crucis sanctæ partículis, quarum thecam argénteam íntegram, illæsaque sigilla ipse Patriarcha agnóvit. Igitur Crux sancta quatuórdecim post annos quàm vénerat in Persárum potestátem, recepta est : et deláta primùm Constantinópolim, et anno sequenti Jerosólymam, in locum prístinum restitúta est; actæque Deo de victóriis grátiæ. Exinde Exaltatiónis sanctæ Crucis festívitas, quæ hâc die quotannis agebátur, celébrior habéri cœpit.

℣. Fugávit Jósue Amalec; ædificavitque Móyses altáre, et vocávit nomen ejus, Dóminus exaltátio mea, dicens : * Quia manus sólii Dómini erit contra Amalec, à generatióne in generatiónem. ℣. Ostendit mihi Angelus in médio civitátis lignum vitæ : et omne maledictum non erit ámpliùs, sed sedes Dei et Agni in illa erunt; * Quia. *Exod.* 17. *Apoc.* 22.

LECTIO VI.

Hac eadem die sanctus Ludovícus, Francórum rex, anno millésimo ducentésimo quadragésimo primo, partem Dóminicæ Crucis, quæ in Syria título pignoris apud Templários milites remánserat, à Balduíno Orientis Imperatóre acceptam cumália non módica portióne, ex qua Imperatóres Ecclésiis et amícis partículas dare consuéverant, itemália multa Dominicæ Passiónis instrumenta, Parísios, præcedente Clero, solémniter tránstulit. Tunc rex piíssimus magnum exhíbuit christiánæ pietátis argumentum, cùm, abjectis véstibus régiis, et pedes nudátus, in urbem íntulit instrumentum quo mundi prétium persolútum est. Demum constructà in régio palátio magnificâ Capellâ, sacrosancta redemptiónis nostræ insígnia religióse in ea asservári vóluit.

℣. Benedixit rex pópulo in nómine Dómini exercítuum, dixitque : Ante Dóminum vílior fiam plusquàm factus sum, et ero húmilis in óculis meis, * Et gloriósior apparébo. ℣. Mihi absit gloriári, nisi in cruce Dómini nostri Jesu Christi; * Et gloriósior. Glória Patri. * Et gloriósior. 2. *Reg.* 6. *Gal.* 6.

IN III.° NOCTURNO.

Ant. 8. c. Mórsibus colubrórum exterminabantur; sed ad correptiónem in brevi turbáti sunt, signum habentes salútis. *Sap.* 16.

Ant. 6. *C.* Qui conversus est, non per hoc quod vidébat sanabátur, sed per te ómnium Salvatórem. *Sap.* 16.

Ant. 5. C. Misericórdia advéniens sanábat illos; in memória enim sermónum tuórum examinabantur. *Sap.* 16.

℣. Tu es Deus qui mandas salútes Jacob; ℟. Salvasti enim nos de affligéntibus nos. *Ps.* 43.

LECTIO VII.

Léctio sancti Evangélii secundùm Joannem.

(Cap. 12.)

In illo témpore; Dixit Jesus turbis Judæórum: Nunc judícium est mundi, nunc princeps hujus mundi ejiciétur foràs; et ego si exaltátus fúero à terra, ómnia traham ad meipsum. Et réliqua.

Homília sancti Leónis Papæ.

(Serm. 8. de Pass. Domini.)

Exaltato, dilectíssimi, per crucem Christo, non illa tantùm spécies aspéctui mentis occurrat, quæ fuit in óculis impiórum, quibus per Móysen dictum est: Et erit pendens vita tua ante óculos tuos, et timébis die ac nocte, et non credes vitæ tuæ. Isti enim nihil in crucifixo Dómino præter fácinus suum cogitáre potuérunt, habentes timórem, non quo fides vera justificátur, sed quo consciéntia iníqua torquétur. Noster verò intellectus, quem Spíritus veritátis illúminat, glóriam Crucis cœlo terráque radiantem, puro ac líbero corde suscípiat, et interióre ácie vídeat, quale sit quod Dóminus, cùm de passiónis suæ loquerétur instántia, dixit: Nunc judícium mundi est, nunc princeps hujus mundi ejiciétur foràs; et ego si exaltátus fúero à terra, ómnia traham ad me.

℟. Nunc judícium est mundi, nunc princeps hujus mundi ejiciétur foràs; * Et ego si exaltátus fúero à terra, ómnia traham ad meipsum. ℣. Locútus est Dóminus ad Móysen: Fac serpentem æneum, et pone eum pro signo: qui percussus aspéxerit eum, vivet * Et ego. *Joan.* 12. *Num.* 21.

LECTIO VIII.

(Cap. 7.)

O admirabilis poténtiæ Crucis! ô ineffábilis glória passiónis! in qua et tribúnal Dómini, et judícium mundi, et potestas est Crucifixi. Traxisti enim, Dómine, ómnia ad te; et cùm expandisses totà die manus tuas ad pópulum non credéntem et contradicéntem tibi, confitendæ majestátis tuæ sensum totus mundus accépit. Traxisti, Dómine,

ómnia ad te; cùm in execratiónem Judáici scéleris, unam protulérunt ómnia elementa sententiam, cùm obscurátis luminaribus cœli, et converso in noctem die, terra quoque mótibus quaterétur insólitis, universaque creatúra impiórum úsui se negáret. Traxisti, Dómine, ómnia ad te; quóniam, scisso templi velo, sancta sanctórum ab indignis pontifícibus recessérunt, ut figúra in veritátem, prophetía in manifestatiónem, et lex in Evangélium verterétur.

℣. Deus, quæ prænuntiávit per os ómnium Prophetárum pati Christum suum, sic implévit. * Pœnitémini ígitur, et convertímini, ut deleantur peccáta vestra. ℣. Ipse peccáta multórum tulit, et pro transgressóribus rogávit. * Pœnitémini ígitur, et convertímini. *Act.* 3. *Is.* 53.

[*Ubi hoc festum fit absque Commemoratione sancti Cornelii.*

LECTIO IX.

Traxisti, Dómine, ómnia ad te; ut quod in uno Judææ templo obumbrátis significatiónibus tegebátur, pleno apertoque sacramento, universárum ubíque *natiónum* devótio celebráret. Nunc étenim et ordo clárior Levitárum, et dignitas ámplior Seniórum, et sacrátior est únctio Sacerdótum; quia Crux tua ómnium fons benedictiónum, ómnium est causa gratiárum; per quam credéntibus datur virtus de infirmitáte, glória de oppróbrio, vita de morte. Nunc étiam carnálium sacrificiórum varietáte cessante, omnes differéntias hostiárum una córporis et sánguinis tui implet oblátio; quóniam tu es verus Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi; et ita in te universa pérficis mystéria, ut sicut unum est pro omni víctima sacrifícium, ita unum de omni gente sit regnum.]

De sancto Cornelio,

LECTIO IX.

Ex Epístola sancti Cypriáni Episcopi et Mártyris, ad Antoniánum.

Factus est Cornélius Episcopus de Dei et Christi ejus judício, de Clericórum penè ómnium testimónio, de plebis quæ tunc affuit suffrágio, et de Sacerdótum antiquórum et bonórum virórum collégio, cùm nemo ante se factus esset, cùm Fabiáni locus, id est, cùm locus Petri et gradus cáthedræ sacerdotális vacáret: quo occupáto de Dei voluntáte, atque ómnium nostrûm consensióne firmáto, quisquis jam Episcopus fieri volúerit, foris fiat necesse est, nec hábeat ecclesiásticam ordinatiónem, qui Ecclésiæ non

tenet unitátem. Quanta in ipsò suscepto Episcopátu suo virtus! quantum robur ánimi! qualis firmitas fídei! quod nos símplici corde et perspícere pénitùs et laudáre debémus: sedisse intrépidum Romæ in sacerdotáli cáthedra, eo témpore cùm tyrannus ínfestus Sacerdótibus Dei fanda atque infanda comminarétur; cùm multò patiéntiùs et tolerabíliùs audíret levári adversùs se æmulum Príncipem, quàm constítui Romæ æmulum Sacerdótem. Nonne hic summo virtútis et fídei testimónio prædicandus est? Nonne inter gloriósos Confessóres et Mártyres deputandus, qui tantùm témporis sedit expectans córporis sui carnífices et tyranni ferocientis ultóres? (Centumcellis óbiit anno Christi ducentésimo quinquagésimo secundo, die décimâ-quartâ Septembris.)

℟. Hóstiæ quæ secundùm legem offeruntur, nunquam possunt auferre peccáta: * Christus autem unam pro peccátis ófferens hóstiam, unà oblatióne consummávit in sempiternum sanctificátos. ℣. Sacrifícium et oblatiónem noluisti, Deus; holocaustum et pro peccáto non postulasti: * Christus. Glória Patri. * Christus. *Hebr.* 10. *Ps.* 39.

Te Deum.

℣. *Sacerd.* Ipse rédimet Israel ℟. Ex ómnibus iniquitátibus ejus. *Ps.* 129.

AD LAUDES.

Ant. 7. ç. Christus mórtuus est pro peccátis nostris, et resurrexit tértiâ die secundùm Scriptúras. 1. *Cor.* 15.

Ant. 4. E. Humiliávit semetipsum, factus obédiens usque ad mortem, mortem autem Crucis; propter quod et Deus exaltávit illum. *Philip.* 2.

Ant. 2. D. Cùm esset Fílius Dei, dídicit ex iis quæ passus est obediéntiam; et consummátus, factus est ómnibus obtemperántibus sibi causa salútis æternæ. *Hebr.* 5.

Ant. 3. a. Sic oportébat.

CANTICUM.

(Isaiæ 49.)

Evangelii crucis gloria et fructus.

Ecce levábo ad gentes manum meam, * et ad pópulos exaltábo signum meum.

Et áfferent fílios tuos in ulnis, * et fílias tuas super húmeros portábunt.

Et erunt reges nutrítii tui, * et regínæ nutríces tuæ.

Vultu in terram demisso, adorábunt te, * et púlverem pedum tuórum lingent.

Et scies quia ego Dóminus, * super quo non confundentur qui expectant eum.

Numquid tollétur à forti præda? * aut quod captum

fúerit à robusto, salvum esse póterit?

Quia hæc dicit Dóminus: équidem et captívitas à forti tollétur: * et quod ablátum fúerit à robusto, salvábitur.

Eos verò, qui judicavérunt te, ego judicábo; * et fílios tuos ego salvábo.

Et cibábo hostes tuos cárnibus suis, * et quasi musto, sánguine suo inebriabuntur.

Et sciet omnis caro quia ego Dóminus salvans te, * et Redemptor tuus fortis Jacob.

Ant. Sic oportébat Christum pati et resúrgere, et prædicári in nómine ejus pœniténtiam, et remissiónem peccatórum in omnes gentes. *Luc.* 24.

Ant. 8. G. Verbum Crucis pereúntibus quidem stultítia est; iis autem qui salvi fiunt, nobis, Dei virtus est. 1. *Cor.* 1.

Capitulum. (1. *Cor.* 1.)

Prædicamus Christum crucifixum, Judæis quidem scándalum, Géntibus autem stultítiam, ipsis autem vocátis Judæis atque Græcis, Christum Dei virtútem, et Dei sapiéntiam.

HYMNUS.

Uncta Crux Dei cruóre
Quàm potens et éfficax!
Hujus attactu jacentes
Erigunt se mórtui:
Christus olim quâ pependit,
Tanta vis fuit Crucis.

Publici fontes salútis,
Sacra Christi vúlnera,
Vulnerátos illa sanant
Anguis instar ænei:
Quisquis æger speret, et spe
Non suâ fraudábitur.

Crux tribúnal, quo sedébit
Justus ultor críminum:
Sponte sed nos judicémus,
Cedet ira Judicis;
Nosque primi puniámus,
Ne secundus puniat.

Totius fons sanctitátis,
Sancta quo sunt ómnia,
Qui tuo quodcumque crimen
Expiasti sánguine,
Labe puros, Christe, serves
Christiános móribus.

Sempiterna laus Parenti
Qui creávit ómnia,
Filioque qui redémit
Morte nos volens suâ:
Par et illi cujus almo
Recreámur hálitu. Amen.

℣. Omnis terra adóret te, et psallat tibi: ℟. Psalmum dicat nómini tuo, Dómine. *Ps.* 65.

Ad Benedictus, *Ant.* 1. D. Dignus est Agnus qui occísus est, accípere virtútem, et divinitátem, et sapiéntiam, et fortitúdinem, et honórem, et glóriam, et benedictiónem. *Apoc.* 5.

ORATIO.

Deus, qui nos hodiernâ die Exaltatiónis sanctæ Crucis

ánnuâ solemnitáte lætíficas: præsta, quæsumus, ut cujus mystérium in terra cognóvimus, ejus redemptiónis præmia in cœlo mereámur; Per eumdem.

Fit Commem. de Nativ. B. M. Ant. Benedicta tu. ℣. Vultum, 411. *Oratio*, Deus, 405.

Postea S. Cornelii, Ant. Bonum. ℣. Adjútor, XII. *Oratio*, Deus, cujus grátia, XIII.

AD PRIMAM.

Ant. 7. ç. Christus.

In ℟. *br.* ℣. Qui passus es * pro nobis. 1. *Petr.* 2.

AD TERTIAM.

Ant. 4. E. Humiliávit.

Capitulum. (*Act.* 10.)

Nos testes sumus ómnium quæ fecit in regióne Judæórum et Jerúsalem, quem occidérunt suspendentes in ligno: hunc Deus suscitávit tertiâ die.

℟. *br.* Lápidem quem reprobavérunt ædificantes, * Hic factus est in caput ánguli. Lápidem. ℣. A Dómino factum est istud, * et est mirábile in óculis nostris. * Hic. Glória Patri. Lápidem. *Ps.* 117.

℣. Deus noster, Deus salvos faciendi, ℟. Et Dómini Dómini éxitus mortis. *Ps.* 67.

AD SEXTAM.

Ant. 2. D. Cùm esset.

Capitulum. (*Hebr.* 2.)

Decebat eum propter quem ómnia, et per quem ómnia, qui multos fílios in glóriam addúxerat, auctórem salútis eórum per passiónem consummáre.

℟. *br.* Deus rex noster * Operátus est salútem. Deus. ℣. In médio * terræ. * Operátus est. Glória. Deus. *Ps.* 73

℣. Apud Dóminum misericórdia, ℟. Et copiósa apud eum redémptio. *Ps.* 129.

AD NONAM.

Ant. 8. G. Verbum Crucis

Capitulum. (*Ephes.* 3.)

Deus det vobis ut possítis comprehéndere cum ómnibus sanctis, quæ sit latitúdo, et longitúdo, et sublímitas, et profundum; scire étiam supereminentem sciéntiæ caritátem Christi, ut impleámini in ómnem plenitúdinem Dei.

℟. *br.* Magnus Dóminus noster, * Et magna virtus ejus. Magnus. ℣. Et sapientiæ ejus * non est número, * Et magna. Glória Patri. Magnus. *Ps.* 146.

℣. Notam fecisti in pópulis virtútem tuam: ℟. Redemisti in bráchio tuo pópulum tuum. *Ps.* 76.

AD II. VESPERAS.

Ant. 1. D. Christus nos redémit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum; quia scriptum est: Maledictus omnis qui pendet in ligno. *Galat.* 3.

Ant. 8. G. Eum qui non nóverat peccátum, pro nobis peccátum fecit Deus; ut nos efficerémur justítia Dei in ipso. 2. *Cor.* 5.

Ant. 6. F. Commendat caritátem suam Deus in nobis; quóniam justificáti in sánguine Christi, salvi érimus ab ira per ipsum. *Rom.* 5.

Ant. 5. C. Gloriámur in Deo per Dóminum nostrum Jesum Christum, per quem nunc reconciliatiónem accépimus. *Rom.* 5.

Ant. 3. a. Semel oblátus est ad multórum exhaurienda peccáta; secundò sine peccáto apparébit expectántibus se, in salútem. *Hebr.* 9.

Capitulum. (*Act.* 10.)

Præcepit nobis prædicáre pópulo, et testificári quia ipse est qui constitútus est a Deo judex vivórum et mortuórum. Huic omnes Prophétæ testimónium pérhibent, remissiónem peccatórum accípere per nomen ejus omnes qui credunt in eum.

Hymnus, Crux alma, salve, Crux venerábilis, *ut in I. Vesperis,* 425.

℣. In te confídit ánima mea, Deus; ℟. Et in umbra alárum tuárum sperábo. *Ps.* 56.

Ad Magníficat, *Ant.* 7. *d.* Parébit signum Fílii hóminis in cœlo, et tunc plangent omnes tribus terræ, et vidébunt Fílium hóminis venientem in núbibus cœli cum virtúte multa et majestáte. *Matth.* 24.

Oratio, Deus, qui nos hodiernâ die Exaltatiónis, *ut suprà ad Laudes,* 432.

Deinde fit Commem. de Octava Nativ. B. M. V. per Ant. Dómine, sermo quem locútus es David. ℣. Usque in æternum. *Oratio*, Deus, qui secundùm propósitum voluntátis tuæ mundum, 405.

Completorium, *ut heri,* 425.

Quatuor Tempora, *Septembris celebrantur Feriâ IV, Feriâ VI, et Sabbato post Festum Exaltationis sanctæ Crucis.*

Officium fit de Feria, additis et exceptis quæ hìc, in his tribus Feriis propriasunt.

Si hodie, vel Feria VI, aut Sabbato sequenti occurrat Festum Semiduplex, aut suprà, Officium fit de Festo, cum commemoratione de Feria per Homiliam in Evangelium, quæ legitur pro ultima Lectione, cum Antiphona, versiculo atque Oratione propriis Feriæ quatuor Temporum.

FERIA QUARTA,

QUATUOR TEMPORUM.

Lectio I et II, de Scriptura occurrente ; è tribus fiunt duæ.

LECTIO III.

Léctio sancti Evangélii secundùm Marcum.

(Cap. 9.)

In illo témpore; Respondens Jesu unus de turba, dixit : Magister, áttuli fílium meum ad te, habentem spíritum mutum : qui ubicumque eum apprehénderit, allidit illum ; et spumat, et stridet déntibus, et arescit : et dixi discípulis tuis ut ejícerent illum; et non potuérunt. Et réliqua.

Homília sancti Joannis Chrysóstomi.

(Homil. 57, aliàs 58, in Matth.)

Non mihi raro exemplo, dicas, quosdam sine jejúnio dæmones ejecisse. Nam si unus aut alter increpando sic expulisse narrétur, fieri nequit, ut si is qui id pátitur in delíciis vivat, ab hoc unquam furóre liberétur. Jejúnio enim et oratióne máxime opus est ei qui hoc morbo labórat. Sed si fide opus est, ínquies, cur opus est, et jejúnio? Quia cum fide jejúnium non parvam addit fortitúdinem : philosóphiam quippe magnam indit, et ángelum ex hómine éfficit, ac cum incorpóreis virtútibus pugnat. Verùm non súfficit illud ; sed addi debet orátio, quæ étiam præeat oportet. Vide ergo quanta bona ex utróque gignantur.

℟. Quare non potúimus ejícere spíritum immundum ? Dixit Jesus : * Hoc genus in nullo potest exíre, nisi in oratióne et jejúnio. ℣. Scitóte quóniam exáudiet Dóminus preces vestras, si permanséritis in jejúniis et oratiónibus : * Hoc genus in nullo. Glória Patri. ℟ Hoc genus. *Marc.* 9. *Judith* 4.

℣. Audítam fac mihi mane misericórdiam tuam; ℟. Quia in te sperávi. *Ps.* 142.

Ad Benedictus, *Ant.* 7. d. Increpávit Jesus spíritum immundum, et sanávit púerum, et réddidit illum patri ejus. Stupébant autem omnes in magnitúdine Dei. *Luc.* 9.

Preces flexis genibus.

ORATIO.

Misericordiæ tuæ remédiis, quæsumus, Dómine, nostram ádjuva fragilitátem ; ut quæ suâ conditióne attéritur, tuâ cleméntiâ reparétur ; Per Dóminum nostrum.

Et dicitur per horas tantùm. Fiunt Suffragia de Cruce.

Canon proprius, ad calcem.

Ad Vesperas, *si sint de*

Feria, dicitur ad Magníficat, *Antíph. ut in Psalterio, cum Precibus, flexis genibus, et Oratione de Dominica, et suffragiis.*

FERIA SEXTA

QUATUOR TEMPORUM.

Lectio I et II, de Scriptura occurrente; è tribus fiunt duæ.

LECTIO III.

Léctio sancti Evangélii secundùm Lucam.

(Cap. 7.)

In illo témpore; Rogábat Jesum quidam de Pharisæis, ut manducáret cum illo. Et ingressus domum Pharisæi, discúbuit. Et reliqua.

Homília sancti Gregórii Papæ.

(Homiliâ 33, in Evang. habitâ in Basil. S. Clementis, Feriâ VI. Quatuor Temp. Sept.)

Si recta ópera ágimus, quibus opinionis bonæ odóre Ecclésiam respergámus, quid in Dómini córpore nisi unguentum fúndimus? Sed secus pedes Jesu múlier stetit. Contra pedes enim Dómini stétimus, cùm in peccátis pósiti ejus itinéribus renitebámur. Sed si ad veram pœniténtiam post peccáta convértimur, jam retrò secus pedes stamus; quia ejus vestígia séquimur quem impugnabámus. Lácrymis múlier pedes ejus rigat. Quod nos quoque veráciter ágimus, si quibúslibet últimis membris Dómini per compassiónis affectum inclinámur, si sanctis ejus in tribulatióne compátimur, si eórum tristítiam nostram putámus.

℟. Conversus Jesus ad mulíerem, dixit Simóni:* Dico tibi, † Remittuntur ei peccáta multa, quóniam dilexit multùm. ℣. Ego sum Dóminus Deus tuus fortis, zelótes, et fáciens misericórdiam in míllia his qui díligunt me: * Dico tibi. Glória Patri. † Remittuntur ei peccáta multa, quóniam dilexit multùm. *Luc.* 7. *Exod.* 20.

℣. Exultábo mane misericórdiam tuam; ℟. Quia factus es susceptor meus in die tribulatiónis. *Ps.* 58.

Ad Benedictus, *Ant.* 6. F. Dixit Jesus ad mulíerem: Fides tua te salvam fecit; vade in pace. *Luc.* 7.

Preces flexis genibus.

ORATIO.

Adesto, quæsumus, omnípotens Deus; et in jejúnio corporáli mentem nostram opéribus tuórum réfice mandatórum; Per Dóminum nostrum.

Et dicitur ad Horas tantùm.

Canon proprius, ad calcem.

SABBATO
QUATUOR TEMPORUM.

Lectio I et II, de Scriptura occurrente; è tribus fiunt duæ.

LECTIO III.

Léctio sancti Evangélli secundùm Lucam.

(Cap. 13.)

In illo témpore; Dicébat Jesus et hanc similitúdinem: Arbórem fici habébat quidam plantátam in vínea sua, et venit quærens fructum in illa, et non invénit. Et réliqua.

Homília sancti Gregórii Papæ.

(Hom. 31. in Evang. habitâ Sabbat. IV. Temp. Sept.)

Tertio Dóminus víneæ ad ficúlneam venit; quia natúram géneris humáni ante legem, sub lege, sub grátia, expectando, admonendo, visitando, requisívit. Dixit autem ad cultórem víneæ: Ecce anni tres sunt, ex quo vénio fructum quærens in ficúlnea hac, et non invénio. Venit ante legem; quia per naturálem intellectum, quid unusquisque exemplo suî quáliter erga próximum ágere debuisset, innótuit. Venit in lege, quia præcipiendo dócuit. Venit post legem, per grátiam; quia pietátis suæ præséntiam exhibendo monstrávit. Sed tamen in tribus annis fructum se non invénisse conquéritur; quia quorumdam pravórum mentes, nec inspirâta lex naturâlis córrigit, nec præcepta erúdiunt; nec incarnatiónis ejus mirácula convertunt. Quid verò per cultórem víneæ, nisi Præpositórum ordo exprímitur; qui, dum præsunt Ecclésiæ, nimirùm Dominicæ víneæ curam gerunt?

℟. Ecce múlier habébat spíritum infirmitátis annis decem et octo; et * Erat inclináta, nec omninò póterat sursùm respícere: quam † Cùm vidéret Jesus, erecta est, et glorificábat Deum. ℣. Anima quæ tristis est super magnitúdine mali, et incédit curva et infirma, dat tibi glóriam et justítiam, Dómine. * Erat inclináta. Glória Patri † Cùm vidéret Jesus. *Luc.* 13. *Baruch* 2.

℣. Deduc me, Dómine, et ingrédiar in veritáte tua: ℟. Lætétur cor meum, ut tímeat nomen tuum. *Ps.* 85.

Ad Benedictus, *Ant.* 8. G. Hypócritæ, unusquisque vestrûm Sábbato non solvit bovem suum, et ducit ad aquáre? Hanc autem fíliam Abrahæ non opórtuit solvi a vínculo isto, die Sábbati? *Luc.* 13.

Preces flexis genibus.

ORATIO.

Omnipotens sempiterne

Deus, qui per continéntiam salútárem corpóribus medéris et méntibus: majestátem tuam súpplices exorámus, ut piâ jejunántium deprecatióne placátus, et præséntia nobis subsídia tribuas, et futúra; Per Dóminum nostrum Jesum Christum.

Et dicitur ad Horas tantùm.

Canon proprius, ad calcem.

DIE XV.

OCTAVA NATIVITATIS B. MARIÆ VIRGINIS.

Duplex-minus.

Psalmi de Feria. Cætera ut in die, præter sequentia.

In I. Noct. *Lectiones de Scriptura occurrente.*

IN II.° NOCTURNO.

LECTIO IV

De Sermóne sancti Bernardi Abbátis.

(Homil. 2, super *Missus*, n. 17.) Maria aptíssimè síderi comparátur: quia sicut sine suî corruptióne sidus suum emittit rádium, sic absque suî læsióne Virgo párturit Fílium. Nec síderi rádius suam mínuit claritátem, nec Vírgini Fílius suam integritátem. Ipsa est ígitur nóbilis illa stella ex Jacob orta, cujus rádius universum orbem illúminat, cujus splendor et præfulget in supernis, et ínferos pénetrat; terras étiam perlustrans, et calefácions magis mentes quàm córpora, fovet virtútes, et excoquit vítia.

LECTIO V.

Ipsa, inquam, est præclára et exímia stella, super hoc mare magnum et spatiósum necessáriò subleváta, micans méritis, illustrans exemplis. O quisquis te intélligis in hujus sæculi proflúvio magis inter procellas et tempestátes fluctuáre, quàm per terram ambuláre; ne avertas óculos à fulgóre hujus síderis, si non vis óbrui procellis. Si insurgant venti tentatiónum, si incurras scópulos tribulatiónum; réspice stellam, voca Maríam. Si jactáris supérbiæ undis, si ambitiónis, si detractiónis, si æmulatiónis: réspice stellam, voca Maríam. Si iracúndia, aut avarítia, aut carnis illécebra navículam concússerit mentis; réspice ad Maríam.

LECTIO VI.

Si críminum immanitáte turbátus, conscientiæ fœditáte confúsus, judícii horróre pertérritus, bárathro incípias absorbéri tristítiæ, desperatiónis abysso; cógita Maríam. In perículis, in angústiis, in rebus dúbiis, Maríam cógita, Maríam invoca. Non recédat ab ore, non recédat à corde, et ut ímpetres ejus oratiónis suf-

frágium, non déseras conversatiónis exemplum. Ipsam sequens, non dévias; ipsam rogans, non despéras; ipsam cógitans, non erras; ipsâ tenente, non córruis; ipsa protegente, non métuis; ipsâ duce, non fatigáris; ipsâ propítiâ, pérvenis.

IN III.° NOCTURNO.

LECTIO VII.

Léctio sancti Evangélii secundùm Matthæum.

(Cap. 1.)

In illo témpore; Angelus Dómini dixit Joseph: Páriet María fílium, et vocábis nomen ejus Jesum; ipse enim salvum fáciet pópulum suum à peccátis eórum. Et réliqua.

Homília *sancti Basílii* Epíscopi.

(De humana Christi gener. ac Nativ. Serm. 23.)

Quo pacto cum Deo necessitúdinem íneas, eíque conciliéris, ratiónem quæris. Hanc áccipe. Propterea Deus venit in carne, quóniam diris devótam et contamináta carnem hanc nostram, purgátam sanctamque reddi oportébat, infírmam ac débilem corroborári, à Deo abalienátam ei conciliári, è paradíso prolapsam in cœlum tolli. Quænam verò est dispensatiónis hujus officína? Sanctæ Vírginis corpus. Quæ autem generatiónis princípia? Spíritus sanctus, et virtus Altíssimi obumbrans. Sed pótius ipsa audi Evangélii verba. Inventa est, inquit, in útero habens de Spíritu sancto. Et virgo erat, quantumvis desponsáta viro; atque ad hujus mystérii dispensatiónem idónea judicáta est, ut et virginitáti honor haberétur, et matrimónium non improbarétur. Virgínitas quidem electa est ut apta ad sanctimóniam; per desponsatiónem verò una assumpta sunt conjúgii princípia. Simul autem ut et Joseph doméstìcus testis Maríæ puritátis esset, ac ne illa obnóxia calúmniæ, velut quæ virginitátem commaculasset, cùm sponsum habéret vitæ custódem.

LECTIO VIII.

Quod in ea, inquit, génitum est, de Spíritu sancto est. Hinc apertíssimè liquet non secundùm commúnem carnis índolem, Dómino fuisse constitutiónem. Statim enim quod conceptum est carne, perfectum fuit, non per intervalla paulátim formátum, utì verba ostendunt. Non enim dixit: Quod in ea conceptum est; sed: Quod in ea natum seu génitum est. Ex sanctitáte ígitur compacta caro digna erat quæ deitáti Unigéniti uni-

rétur. Páriet autem fílium, et vocábis nomen ejus Jesum. In quo illud observandum quibus de indústria nómina imponuntur, subjectæ natúræ notas et indícia præferre, uti Abrahámo, Jácobo, Israéli. Horum enim quódlibet non magis córporis caractérem quàm virtútis ab eis implendæ proprietátem ostendit. Hâc ratióne et unus Jesus appellátur, salus scílicet pópuli. Jam verò quod et ante sécula ordinátum fúerat mystérium, et olim per Prophétas prædictum, hábuit éxitum : Ecce Virgo in útero accípiet, et páriet fílium; et vocábunt nomen ejus Em*mánuel*, *quod est interpretátum*, Nobiscum Deus. Hæc item appellátio omnis pénitùs mystérii declarationem habet, quòd Deus inter hómines, quandóquidem ejus vocis interpretátio Emmánuel est nobiscum Deus.

LECTIO IX.

Nemo autem Judáicis se fráudibus décipi patiátur, qui dicunt non vírginem, sed puellam à prophétâ vocátam. Ecce enim, inquiunt, puella in útero accípiet. Nam primum quidem ómnium absurdíssimum est et ineptíssimum, id à Dómino pro signo datum existimáre quod commúne est et totíus manifestè natúræ. Quid enim ait Prophéta? Et adjécit Dóminus loqui ad Achaz, dicens : Pete signum à Dómino Deo tuo, sive in profundum, sive in excelsum. Et dixit Achaz : Non petam, et non tentábo Dóminum. Tunc paucis interjectis, ait : Propter hoc dabit Dóminus Deus ipse vobis signum : Ecce virgo in útero accípiet. Quóniam enim non petíerat Achaz *signum*, *neque in* profundum, neque in excelsum ; ut scires quòd qui descendit in inferióres partes terræ, ipse est qui ascendit super omnes cœlos, ipse Dóminus dedit signum. Signum autem quoddam inaudítum ac prodigiósum, valdéque à commúni natúra remótum, éadem scílicet múlier, et virgo, et mater; quæ et in virginitátis sanctimónia perseveráret, et sustollendæ prolis benedictiónem susceptúra esset.

Ad Vesperas, *fit Comm. sancti Cypriani, Episc. et Martyris. Ant.* Ecce Deus. ℣. In Deo, IX. *Oratio.* Beáti Cypriáni, *ut infrà*, 442.

DIE XVI.

SANCTI CYPRIANI,

CARTHAGINENSIS EPISCOPI ET MART.

Semiduplex.

LECTIO II.

Cyprianus Afer, primùm cum laude Rhetóricam docuit : exinde suadente Presbytero Cæcílio, à quo et

cognomentum sortítus est, Christiánus factus, omnem substántiam suam páuperibus erogávit; ac post non multùm témporis, electus in Presbyterum, étiam Carthaginensis Episcopus constitútus est. In persecutióne Décii proscriptus, et divíno mandáto secédere jussus, Ecclésiæ laboranti nec spíritu, nec actu, nec mónitis défuit, et inter lapsórum importúnas petitiónes, et schismáticam Novatiáni severitátem, sic disciplínæ vigórem temperávit, ut ejus judícium vária dehinc Concília secúta sint. Grassante póstmodùm sub Gallo et Volusiáno princípibus dirâ peste, ómnia pietátis offícia non fidélibus tantùm, sed étiam infidélibns per Christiános exhibéri curávit.

LECTIO III.

Ab Ecclésia Romána sub Episcopis Cornélio et Lúcio sæpè consultus, de baptismo hæreticórum cum Stéphano eórum successóre ácriter disputávit; sed, Augustíno teste, vicit pax Christi in córdibus eórum, et jam sub Xysto Stéphani successóre externæ quoque concórdiæ reparandæ spes illúxerat, cùm súbitò recrudescente Valeriáni persecutióne, Xystus cápite damnátus, et Cypriánus jam ante annum Curúbim in exílium missus, à Galério Máximo procónsule Cartháginem, ut audirétur, vocátus est. Quem productum coram se in subúrbio Sexti, octávo décimo die Calendárum Octóbrium, sic allocútus est: Tu es Cypriánus, qui te Papam sacrílegæ mentis hominibus præbuisti? Jussérunt te Imperatóres sacrificáre: cónsule tibi, ne péreas. Sanctus Martyr respondit: Ego sum Cypriánus: Christiánus sum, et diis sacrificáre non pótero. Irátus Proconsul dixit: Diu sacrílegâ mente vixisti, et inimícum te diis Románis constituisti: sánguine tuo sanciétur disciplína. Et his dictis, decrétum ex tabella recitátum est: Cypriánum gládio animadverti placet. Cypriánus respondit: Deo grátias. Et cùm ducerétur, pópulus plangens et éjulans dicébat: Et nos decollémur cum ipso. Productus autem in agrum extra subúrbium, cùm se lacernâ, byrro, et dalmáticâ expoliasset, stans in línea, spiculatórem expectábat; qui cùm venisset, jussit suis ut ei viginti quinque áureos darent. Póstea verò manu suâ óculos sibi texit, et sic gládio percussus occúbuit. Corpus ejus ex Africa, témpore Cároli magni in Gálliam allátum, Lugdúni primùm, et tandem à Carolo-Calvo Compéndii, in sacello régii palátii collocátum est

ORATIO.

Beati Cypriáni, quæsumus, Dómine, nos tibi sancta commendet orátio, qui simul et vigóre sacerdótii cláruit, et gloriósæ passiónis triumpho refulsit; Per.

DIE XVIII.

SANCTI JOANNIS CHRYSOSTOMI,

EPISCOPI ET ECCLES. DOCTOR.

Semiduplex.

LECTIO II.

Joannes Antiochíæ natus, in adolescéntia baptizátus à sancto Melétio Epíscopo, per annos áliquot in solitúdine vitam egit. Quinto post susceptum diaconátum anno, Présbyter Antiochénæ Ecclésiæ à Flaviáno creátus, homílias hábuit ad pópulum tantà cum eloquéntiâ, ut inde Chrysóstomus sit appellátus. Exactis eo in múnere annis duódecim, Antiochiæ subductus, in sede Constantinopolitána, mórtuo Nectário, invítus sufficitur. Tum de clericórum móribus sollícitus, vétuit eos superintroductas habére mulíeres, ac lautióres optimátum mensas frequentáre. Dívitum étiam fastum fórtiter retúdit. Ipse autem forma gregis factus, resécuit sumptus inútiles Ecclésiæ ac famíliæ episcopális; et quod inde supérerat, in páuperum cómmodum convertit, præsertimque infirmórum, quibus et nosocómia construxit. Sex Asiæ Episcopos ab Antoníno Ephesíno per simóniam ordinátos, in Ephesína Synodo exauctorávit: ac pari ánimi fortitúdine óbstitit, ne Ariánis Gaínæ ducis Gothórum præsídio elátis Ecclésia concederétur. Fidem in Scythia prædicandam, idolórum templa in Phœnícia diruenda curávit. Flaviánum Epíscopum Antiochénum reconciliávit cum Innocéntio Papa, et Occidentálibus ac Egyptiis Episcopis, qui ab eo propter susceptum in locum Melétii, vivente adhuc Paulíno, episcopátum dissidébant. Cùm autem vitam instituisset ásperam et sevéram, ac depravátos ómnium órdinum mores corrígere niterétur, multórum súbiit invídiam, Eudóxiæ Augustæ imprímis, quæ concionantis verba quædam quasi in se contumeliósa indignè ferébat. Quare hábita est apud Quercum, Chalcédonis subúrbium, Episcopórum áliquot Chrysóstomo infensórum tumultuária Synodus; in qua agente Theóphilo Alexandrino, annitente Eudóxiâ, depósitus, ejectus est in exílium; quem pópulus incredíbili stúdio, nocte licet urgente, longè prosecútus est. Sed paulò post, facto terræ motu, et coortâ sedi-

tióne plebis, ab exílio revocátur.

LECTIO III.

Cum autem pérditos mores argúere non desísteret; et ad argénteam Eudóxiæ statuam in foro sanctæ Sophíæ erectam histriónes lúdere, et à vulgi clamóribus divínam psalmódiam interturbári mínime paterétur, idque públicâ oratióne reprehendísset, in Episcopórum conventículo íterùm damnátus est, quòd in sedem absque novæ Synodi judício redíisset: et ipsà nocte Paschátis Ecclésia pulsus Arcádii Imperatoris jussu, paucis post ménsibus Cucúsum in Arméniam amandátur; Epíscopi autem quadragínta, aliíque complúres qui ipsi adhæserant, hincque Joánnitæ dicebantur, váriis tormentis afficiuntur. Post Chrysostómi discessum erumpens súbitò ex ejus throno flamma Ecclésiam et Palátium absumpsit. Mox intrúditur in sedem illíus Arsácius Nectárii frater; quod Innocéntius, ad quem per lítteras Joannes confúgerat, et Epíscopi Occidentáles ádeò improbárunt, ut cum eo communicáre nolúerint. Interim contínuâ febre debilitátus Joannes, cœptum iter perágere cógitur, donec Cæsaréam Cappadóciæ venit; ubi cùm per áliquot dies commorátus esset, remíttere páululum vis morbi cœpit: sed Cæsariensis Epíscopi monachorumque factióne rursum exagitátus, réddere se itíneri, atque Isaurórum regiónem vastántium immanitáti se expónere coactus est. Cucúsum tandem, quò amandátus fúerat, pervénit; ibíque, hyemis incleméntiâ penè enectus, Arméniæ páuperes frumento et cœlesti verbo páscere non déstitit. Hinc, propter crebras Isaurórum incursiónes, Arabissum munítius óppidum, non sine perículo, translátus est, deinde Pityuntem: ut assíduis itínerum labóribus conficerétur. Comána cùm adventáret, pernoctávit in ecclésia sancti Basilísci, ubi beátus Martyr sic eum in somnis affátus est: Confíde, frater Joannes; cras enim simul érimus. Sumptis postrídie cœléstibus sacramentis, consignans se in modum crucis, ánimam Deo réddidit, quartâ decimâ die Septembris, anno quadringentésimo septímo. Corpus ejus máximo vírginum et monachórum concursu sepultúræ mandátum, post áliquot annos Theodósius Arcádii fílius Constantinópolim transtulit insigni pompâ, sexto Calendas Februárii; ejusque reliquias venerátus, pro paréntibus véniam precátus est. Epíscopi autem Occidentáles non priùs cum Attico Arsácii

successóre aliisque Orientálibus communicáre voluérunt, quàm nomen illíus in dípticha retulíssent.

ORATIO.

Da nobis in sacro ministério, Dómine, spíritum sapiéntiæ et fortitúdinis, quo beátus Joannes Chrysostómus peccantes argúere non déstitit, et multíplices ærumnas pro tui nóminis amóre superávit; Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum.

DIE XXI.

SANCTI MATTHÆI,

APOSTOLI ET EVANGELISTÆ.

Duplex-majus.

Omnia de Communi Apostolorum, exceptis quæ sequuntur.

In I. Vesp. *Ad* Magníficat, *Ant.* 8. *G.* Vidit Jesus hóminem sedentem in telónio, Matthæum nómine, et ait illi: Séquere me. *Matth.* 9.

Oratio, ut infrà ad Laudes.

In I. Noct. *Lectiones de Scriptura occurrente.*

IN II° NOCTURNO.

LECTIO IV.

Ex libro sancti Hierónymi Presbyteri, de Scriptóribus ecclesiásticis.

Cap. 3.)

Matthæus, qui et Levi, ex publicáno Apóstolus, primus in Judæa propter eos qui ex circumcisióne crediderant, Evangélium Christi Hebráicis lítteris verbisque compósuit: quod quis pósteà in Græcum transtúlerit, non satìs certum est. Porrò ipsum Hebráicum habétur usque hódiè in Cæsariensi bibliothéca, *quam Pámphilus* martyr studiosíssimè confécit. Mihi quoque à Nazaræis, *qui in Beræa, urbe* Syriæ, hoc volúmine utuntur, describendi facultas fuit. In quo animadvertendum, quòd ubicumque Evangelista, sive ex persóna sua, sive ex persóna Dómini Salvatóris, véteris Scriptúræ *testimóniis abútitur, non* sequátur Septuaginta translatórum auctoritátem; sed Hebráicam, è quibus illa duo sunt, Ex Egypto vocávi Fílium meum; et, Quóniam Nazaræus vocábitur.

LECTIO V.

Ex libro sancti Epiphánii Epíscopi, adversùs hæreses.

(Hæres. 51.)

Matthæus, primus Evangélium scríbere aggressus est: ei quippe inítio prædicandi Evangélii munus est commissum, idque méritò. Oportébat enim ut ille qui ad salútem humáni géneris advénerat, quique díxerat: Non veni vocáre justos, sed peccatóres ad pœniténtiam;

ad exemplum eórum qui salvandi erant, ei hómini potíssimùm prædicandæ salútis munus injúngeret, qui à peccátis conversus et à telónio suscitátus fúerat; ut ab illo quanta sibi esset adventu Christi benígnitas collàta hómines díscerent. Nam post remissiónem peccatórum, largítus est étiam ipsi suscitatiónem mortuórum, et mundatiónem lepræ, et virtútes sanatiónum, et fugatiónem dæmonum; ut non solùm verbo persuadéret auditóribus, sed facto étiam Evangélia pérditis homínibus prædicáret, quòd scílicet possent per pœniténtiam recuperári.

LECTIO VI.

Sermo sancti Joannis Chrysóstomi.

(In Matth. Hom. 1.)

In véteri testamento cùm Móyses ascendisset in montem, descendit Deus: in novo verò cùm nostra in cœlum esset eleváta natúra, Spíritus sanctus descendit de cœlo. Non descendérunt Apóstoli de monte tábulas lapídeas afferéntes in mánibus, sicut Móyses; sed sanctum Spíritum mente portántes, et thesaurum quemdam dógmatum donorumque gestantes. Sic innumerábiles pópulos attraxérunt, Deo per illórum linguam cunctis accedéntibus dissérente; à quo étiam Matthæus replétus Spíritu Evangélium conscripsit; Matthæus ille publicánus, non enim ab arte sua illum erubúerim nuncupáre, nec réliquos: hoc est enim quod máximè ostendit Spíritûs sancti grátiam, eorumque virtútem. Non abs re verò scriptiónem suam Evangélium vocávit: síquidem pœnárum sublatiónem, véniam peccatórum, sanctificatiónem, justítiam, redemptiónem, adoptiónem filiórum, cœlórum hæreditátem, et cum Dei Fílio fraternitátem, ómnibus nuntiávit.

IN III.° NOCTURNO.

LECTIO VII.

Léctio sancti Evangélii secundùm Matthæum.

(Cap. 9.)

In illo témpore; Vidit Jesus hóminem sedéntem in telónio, Matthæum nómine; et ait illi: Séquere me. Et réliqua.

Homília sancti Hierónymi Presbyteri.

(In Matth. Lib. 1.)

Ceteri Evangelistæ, propter verecúndiam et honórem Matthæi, noluérunt eum nómine appellàre vulgáto; sed dixérunt, Levi: dúplici quippe vocábulo fuit. Ipse autem Matthæus (secundùm illud quod à Salomóne præcípitur, Justus accusátor

est sui in princípio sermónis; et in álio loco, Dic tu peccáta tua, ut justificéris,) Matthæum se et publicánum nóminat; ut ostendat legéntibus nullum debére salútem desperáre, si ad melióra conversus sit; cùm ipse de publicáno in Apóstolum sit repente mutátus.

LECTIO VIII.

Arguit in hoc loco Porphyrius, et Juliánus Augustus, vel imperítiam históricí mentientis, vel stultítiam eórum qui statim secúti sint Salvatórem, quasi irrationabíliter quémlibet vocántem hóminem sint secúti; cùm tantæ virtútes tantaque signa præcésserint, quæ Apóstolos, ántequàm créderent, vidisse non dúbium est. Certè fulgor ipse, et majestas divinitátis occultæ, quæ étiam in humána fácie relucébat, ex primo ad se vidéntes tráhere póterat aspectu. Si enim in magnéte lápide et súccinis hæc esse vis dícitur, ut ánnulos, et stipulam, et festúcas sibi cópulent; quantò magis Dóminus ómnium creatúrarum ad se tráhere póterat quos volébat?

LECTIO IX.

Et factum est, discumbénte eo in domo, ecce multi publicáni et peccatóres venientes discumbébant cum Jesu. Vidébant Publicánum à peccátis ad melióra conversum, locum invenisse pœniténtiæ, et ob id étiam ipsi non despérant salútem. Neque verò in prístinis vítiis permanentes véniunt ad Jesum, ut Pharisæi et Scribæ múrmurant; sed pœniténtiam agentes, ut sequens Dómini sermo significat, dicens: Misericórdiam volo, et non sacrifícium; non enim veni vocáre justos, sed peccatóres. Ibat autem Dóminus ad convívia peccatórum ut occasiónem habéret docendi, et spirituáles invitatóribus suis præbéret cibos.

Ad Benedictus, *Ant.* 3. a. Relictis ómnibus, Levi secútus est Jesum; et fecit ei convívium magnum in domo sua. *Luc.* 5.

ORATIO.

Deus, qui ineffábili misericórdia, beátum Matthæum ex publicáno Apóstolum elígere dignátus es: da nobis, ejus exemplo et intercessióne, ut post te, relictis ómnibus, ambulantes, tibi firmiter adhærére valeámus; Qui vivis et regnas.

Ad Magníficat, *Ant.* 6. *C.* Misericórdiam volo, et non sacrifícium; non enim veni vocáre justos, sed peccatóres ad pœniténtiam. *Matth.* 9. *Luc.* 5.

Fit Commem. Translationis sancti Clari, Episc. et Mart. Ant. Ecce Deus. ℣. In Deo, xx. *Oratio ut infrà*

Deindè SS. Mauricii, et

Soc. Mart. Ant. Cùm vos óderint. ℣. Viríliter, xv. *Oratio*, Deus, pro te certántium, *infrà*.

DIE XXII.

IN TRANSLAT. RELIQUIARUM

SANCTI CLARI,

EPISCOPI ET MARTYRIS.

Semiduplex.

Omnia ut in Communi unius Mart. additis quæ sequuntur.

LECTIO II.

(Ex Carthul. Albiensi.)

Ex Lipsánis sancti Clari Burdígalæ apud sanctam Eulàliam quiescéntibus, majórem de osse cruris partem, reverendíssimus in Christo Pater Cárolus, Albiensis Archiepíscopus, pro sua in Ecclésiam et pópulum sibi commissum benevoléntia, pétiit et impetrávit à reverendíssimo Armando Burdigalensi Archiepíscopo. Igitur Albíam sacrum hoc pignus, anno septingentésimo suprà millésimum, in Ecclésia Fratrum Minórum extra muros urbis sità depósitum fuit vigésimà primà Septembris, in Basílicam Metropolitánam posterà die transferendum. Ibi beáti Clari Relíquiæ à quátuor Ecclésiæ Metropolitánæ Canónicis exceptæ, eorumque húmeris innixæ, et baldachíno ab urbis Magistrátibus deláto, honorífice pièque obumbrátæ in eamdem Basílicam solémniter translátæ sunt. Sacra verò pignora in altári, super excelsum tabulátum in extrémà templi navi extructum ædificáto, depósita fuérunt, et per octo dies in eo veneratióni fidélium expósita, ac deindè collocáta in sacello nuper erecto, quod idem Dóminus Archiepiscopus pictúris auro rutilántibus à se exornátum, beáto Claro públicè dedicávit. Ad perennem autem tantæ solemnitátis, acceptique benefícii memóriam, fovendumque pium erga sanctum protopræsulem fidélium cultum, præfátus Archiepíscopus Missam quartâ quâque feriâ (quóniam in hanc fériam Translatiónis celébritas incíderat) vicissim à Canónicis in præfáto sacello in perpétuum celebrandam fundávit.

De SS. Mauricio et Sociis ejus.

LECTIO III.

Sub Maximiáno, qui à Diocletiáno collega ascítus Império, statim in Gállias est profectus, erat in exército légio mílitum, qui Thebæi appellabantur. Hi in auxílium novo Imperatóri ab Orientis pártibus acciti vénerant, viri in rebus béllicis strénui, nóbiles virtúte, sed nobiliores fide, Evangelici

præcepti étiam sub armis non immemóres. Maximiánus sacrificatúrus idólis Octodúrum convenire exércitum jussit, atróci propósitâ jussióne, ut per aras dæmónibus consecrátas jurárent. Soli id Thebæi detrectáre ausi sunt. Eo ítaque cógnito, Maximiánus Agaunum mittit, ubi octávo ab Octodúro milliári inter Alpína juga conséderant, et décimum quemque ex legióne ob neglecta impéria gládio feríri jubet, céteros parére mandátis. Ubi ad Thebæos denuntiátio iteráta pervénit, vociferátio passim in castris exóritur, se idolórum profána sacra semper detestatúros; extréma experíri sátiùs esse, quàm adversùs christiánam fidem veníre. His compertis, Maximiánus ímperat ut íterùm décimus eórum morti detur, et céteri nihilóminus ad ea quæ spréverant compellantur. Percussus est ítaque qui décimus sorte obvénerat. Flagrábat in illis martyrii gloriósus ardor, suadente imprímis sancto Maurício, tunc primicério legiónis, qui cum Exsupério campi ductóre et Cándido senatóre mílitum exhortabátur singulos, ut pro sacramento Christi ánimas ultro profúnderent, sequerenturque contubernáles qui jam in cœlum præcésserant. Maximiánus despérans gloriósam eórum constántiam posse revocári, unâ sententiâ intérfici omnes decrévit, et rem confici, circumfúsis agmínibus, jubet. Reveláta sunt post annos ferè centum eórum córpora sancto Theodóro Octodurensi Epíscopo, et hinc delátæ várias in partes eórum relíquiæ.

ORATIO.

Deus qui hunc diem honorábilem nobis in beáti Clari Mártyris tui atque Pontíficis Translatióne tribuísti: da, quæsumus, Ecclésíæ tuæ in hâc celebritáte lætítiam; ut cujus membra pio amóre venerátur in terris, ejus intercessiónibus sublevétur in cœlis; Per Dóminum.

Pro Commem. Sanctorum Mauricii et Sociorum, Mart. Ant. Beáti. ℣. Multæ, XIX.

ORATIO.

Deus, pro te certántium fortitúdo, et coróna per te vincéntium: da nobis, quæsumus, ut qui in beatórum Mártyrum Maurícii et Sociórum passióne virtútem tuam prædicámus, per eamdem contra salútis hostes firmâ fide roborémur; Per Dóminum nostrum.

Vesperæ *à Capitulo de sancta Thecla, Virg. et Mart. ut in Communi Virg.* LV. *Oratio*, Præsta, quæsumus, *infrà*, 449.

Fit Commem. Translationis S. Clari.

DIE XXIII.

SANCTÆ THECLÆ,

VIRGINIS ET MARTYRIS.

Semiduplex.

LECTIO II.

Ex libro sancti Ambrósii Epíscopi, de Virgínibus.

(Lib. 2, cap. 3, n. 19 et 20.)

THECLA cópulam fúgiens nuptiálem, et sponsi furóre damnáta, natúram étiam bestiárum virginitátis veneratióne mutávit. Namque paráta ad feras, cùm aspectus quoque declináret virórum, ac vitália ipsa sævo offerret leóni, fecit ut qui impudícos detúlerant óculos, pudícos referrent. Cérnere erat lingentem pedes béstiam cubitáre humi, muto testificantem sono, quòd sacrum vírginis corpus violáre non posset.

LECTIO III.

ERGO adorábat prædam suam béstia, et própriæ oblíta natúræ, natúram indúerat quam hómines amíserant. Vidéres quàdam natúræ transfusióne, hómines feritátem indútos sævítiam imperáre béstiæ: béstiam exosculantem pedes vírginis, docére quid hómines deberent. Non impastos cibus flexit, non citátos ímpetus rápuit, non stimulátos ira exasperávit, non usus decépit assuétos, non feros natúra possédit. Docuérunt religiónem, dum adórant Mártyrem: docuérunt étiam castitátem, dùm vírgini nihil áliud nisi plantas exosculantur; demersis in terram óculis, tanquam verecundántibus ne mas áliquis vel béstia vírginem nudam vidéret.

ORATIO.

PRÆSTA, quæsumus, omnípotens Deus, ut præclára virgo Thecla, sicut in muliébri sexu prima Domínicæ passiónis imitátrix enítuit, ita fragilitáti nostræ promptam se adjutrícem exhíbeat; Per eumdem Dóminum.

DIE XXVII.

SS. COSMÆ ET DAMIANI,

MARTYRUM.

Semiduplex.

Omnia de Communi plurium Martyrum, additis quæ sequuntur. Oratio, Magníficet te, *ut infrà,* 450.

LECTIO II.

COSMAS et Damiánus, fratres, natióne Arabes, arte médici, mártyres celeberrimi, antiquíssimo ritu coluntur, tum in Occidentáli tum in Orientáli Ecclésia. In urbe Cyro, in quam primùm eórum córpora creduntur fuisse transláta, célebrem sub eórum nómine erectam fuisse Basílicam testis est século quinto Theodorétus, ejus-

dem urbis Epíscopus. Pósteà hanc ipsam urbem Justiniánus Imperátor, referente Procópio, auxit, munívit et decorávit, in memóriam recuperátæ divínitùs, sanctórum Mártyrum benefício, valetúdinis. Idem Imperátor Constantinópoli Basílicam sub eórum nómine, et quidem magnificentíssimam, construxit, destructâ véteri quæ jam à tempóribus Theodósii junióris fúerat sub eórum invocatióne Deo dicáta. Hæc jamprídem erat clara miráculis; quorum, ut refert Marcellínus Comes, auxit famam et celebritátem sánitas Sanctórum ope restitúta Lauréntio Epíscopo Lychnídis.

LECTIO III.

In séptima Synodo œcuménica referuntur miracula quædam, sanctórum Cosmæ et Damiáni patrocínio à Deo impetráta; traditurque coli solére depictas in Basílicis et privátis in ædibus horum Mártyrum imágines, eorumque ope salútem ægris étiam desperátis plerumque fuisse restitútam. Romæ autem eórum cultum non minùs célebrem fuisse testátur, non solùm dicáta Deo sub illórum nómine in foro Románo à sancto Felíce, sancti Gregórii magni átavo, Ecclésia; sed étiam insertum jam ánteà Cánoni Missæ sanctórum Mártyrum nomen. Horum relíquias Joannes de Bellomonte eques, dum ab expeditióne sacra, témpore Alexandri Papæ tértii, reverterétur, asportávit in Gállias, et apud Lusarcam in Basílica sancti Æterni, Ebroicensis Epíscopi, sub custódia Canonicórum depósuit. Ex quibus portiúncula una Parísios in Ecclésiam Cathedrálem beátæ Maríæ allata est, áltera in Ecclésiam Parochiálem, in eadem urbe sub eórum nómine cónditam.

ORATIO.

Magnificet te, Dómine, sanctórum tuórum Cosmæ et Damiáni veneranda solémnitas, quâ et illis glóriam sempiternam, et opem nobis ineffábili providéntiâ contulísti; Per Dóminum nostrum.

DIE XXIX.

SANCTI MICHAELIS,

ET OMNIUM ANGELORUM.

Duplex-majus.

IN I. VESPERIS.

Ps. de Feria; et sic in toto Officio.

Ant. 1. D. Vidi Dóminum sedentem super sólium excelsum et elevátum: et ea quæ sub ipso erant, replébant templum. *Is.* 6.

Ant. 2. D. Séraphim sta-

bant super illud, et clamábant alter ad álterum: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dóminus Deus exercítuum. *Is.* 6.

Ant. 3. à. Eleváta est glória Dómini desuper Cherub: et sónitus alárum Cherubim audiebátur, quasi vox Dei omnipotentis loquentis. *Ezech.* 10.

Ant. 5. C. De throno procedébant fúlgura, et voces, et tonítrua: et septem lámpades ardentes ante thronum, qui sunt septem Spíritus Dei. *Apoc.* 4.

Ant. 6. F. Thronus ejus flammæ ignis: míllia míllium ministrábant ei, et décies míllies centéna míllia assistébant ei. *Dan.* 7.

Capitulum. (*Coloss.* 1.)

In Christo cóndita sunt universa in cœlis, et in terra; visibília, et invisibília, sive Throni, sive Dominatiónes, sive Principátus, sive Potestátes: ómnia per ipsum et in ipso creáta sunt.

℟. Dómine exercítuum, Deus Israel, * Qui sedes super Chérubim, tu es Deus solus ómnium regnórum terræ: † Tu fecísti cœlum et terram. ℣. Dómine Deus noster, tu creásti ómnia; et propter voluntátem tuam erant, et creáta sunt. * Qui sedes super Chérubim, tu es Deus solus. Glória Patri. † Tu fecísti cœlum et terram. *Is.* 37. *Apoc.* 4.

HYMNUS.

Christe, qui sedes olympo,
Par Deo Patri Deus,
Quem tremiscunt intuendo
Purióres Spíritus:
Da choris junctos supernis
Ore puro psállere.

Inter omnes fulguranti
Ense victor émicat,
Qui dracónis insolentem
Cóntudit ferócium,
De polo trusit rebellem
In profunda tártara.

Dum superbum sternis hostem,
Intonas: Quis ut Deus?
Obstináta turba præceps
Clade commúni ruit:
Te Triumphantem corónat
Qui tibi dat víncere.

Tu decóre vincis omnes,
Alitûm pulchérrime:
Assides Deo propinquus,
Cónsilî tu párticeps:
Astra claudis et reclúdis,
Nosque sistis Júdici.

Te tremendo poscat æger
Mortis in luctámine,
Advolantis efficácem
Séntiet præséntiam:
Córporis vinclis solútum
Mox ad astra tránsferes.

Sit supréma laus Parenti,
Qui creávit ómnia;
Filióque qui redémit
Morte nos volens suâ:
Par et illi, cujus almo
Confovémur hálitu.
Amen.

℣. Benedícite, ómnia ópera Dómini, Dómino: ℟. Benedícite, omnes Angeli Dómini, Dómino. *Dan.* 3.

Ad Magníficat, *Ant.* 8. G. Quis pósuit mensúras terræ? vel quis tetendit super eam líneam, cùm me laudárent simul astra matutína, et jubilárent omnes fílii Dei? *Job* 38.

Oratio, ut infrà ad Laudes, 458.

AD OFFIC. NOCTURNUM.

INVITATORIUM.

Deum cui ministrant Angeli, * Veníte, adorémus. *Matth.* 4.

Ps. 94. Veníte, 2.

Hymnus, Christe, *ut suprà*, 451.

IN I.° NOCTURNO.

Ant. 1. a. Ecce Míchael unus de princípibus primis *venit in adjutórium meum. Dan.* 10.

Ant. 8. c. Missus est Angelus Gábriel à Deo ad vírginem; et nomen vírginis, María. *Luc.* 1.

Ant. 3. *à.* Exaudítæ sunt preces Tobíæ et Saræ, et missus est Angelus Dómini sanctus Ráphael, ut curáret eos. *Tob.* 3.

℣. Immíttet Angelus Dómini in circúitu timéntium eum; ℟. Et erípiet eos. *Ps.* 33.

Lectiones de Scriptura occurrente.

Post I Lect. ℟. Consurget Míchael princeps magnus, qui stat pro fíliis pópuli tui; et in témpore illo * Salvábitur omnis qui inventus fúerit scriptus in libro. ℣. Vidi Angelum fortem, descendentem de cœlo: et jurávit per Viventem in sécula seculórum, quia tempus non erit ámpliùs. * Salvábitur omnis. *Dan.* 12. *Apoc.* 10.

Post II Lect. ℟. Angelus dixit Zacharíæ: Ego sum Gábriel, qui asto ante Deum; * Et missus sum hæc tibi evangelizáre, quæ implebuntur in témpore suo. ℣. Gábriel venit, et ait *ad* me: Intéllige: ego ostendam tibi quæ futura sunt; * Et missus sum. *Luc.* 1. *Dan.* 8.

Post III Lect. ℟. Dixit Ráphael ad Tobíam: * Quando orábas cum lácrymis, et sepeliébas mórtuos, ✝ Ego óbtuli oratiónem tuam Dómino. ℣. Oratiónes tuæ, et eleemósynæ tuæ ascendérunt in memóriam in conspectu Dei: * Quando. Glória Patri. ✝ Ego. *Tob.* 12. *Act.* 10.

IN II.° NOCTURNO.

Ant. 8. G. Nemo est adjútor meus, nisi Míchael princeps vester. *Dan.* 10.

Ant. 3. a. Ecce Gábriel locútus est mihi: Septuaginta hebdómades abbreviátæ sunt, ut impleátur vísio, et ungátur Sanctus sanctórum. *Dan.* 9.

Ant. 1. *f.* Dixit Tobíæ Ráphael Angelus: Ego sanum ducam, et sanum tibi redúcam fílium tuum. *Tob.* 5.

℣. Angelis suis Deus mandávit de te, ℟. Ut custódiant te in ómnibus viis tuis. *Ps.* 90.

LECTIO IV.

Sermo sancti Gregórii Papæ.

(Homil. 34, in Evang. n. 7.)

Novem Angelórum órdines esse, testante sacro elóquio scimus: Angelos, Archángelos, Virtútes, Potestátes, Principátus, Dominatiónes, Thronos, Chérubim atque Séraphim. Esse namque Angelos et Archángelos penè omnes sacri elóquii páginæ testantur. Chérubim verò atque Séraphim sæpè, ut notum est, libri Prophetárum loquuntur. Quátuor quoque órdinum nómina Paulus Apóstolus ad Ephésios enúmerat, dicens: Supra omnem Principátum, et Potestátem, et Virtútem, et Dominatiónem. Qui rursus ad Colossenses scribens, ait: Sive Throni, sive Dominatiónes, sive Principátus, sive Potestátes. Dum ergo illis quátuor quæ ad Ephésios dixit, conjunguntur Throni, quinque sunt órdines: quibus dum Angeli et Archángeli, Chérubim atque Séraphim adjuncta sunt, procul dúbio novem esse Angelórum órdines inveniuntur.

℟. Cùm Míchael Archángelus cum diábolo dísputans altercarétur de Móysi córpore, non est ausus judícium inferre blasphémiæ; sed dixit: * Imperet tibi Dóminus. ℣. Coram Angelo Dómini, Satan stabat ut adversarétur ei; et dixit Dóminus ad Satan: Increpet in te, Satan, qui elégit Jerúsalem: * Imperet. *Judæ* 9. *Zach.* 3.

LECTIO V.

(N. 8 et 9.)

Sciendum quoque quòd Angelórum vocábulum nomen est officii, non natúræ. Nam sancti illi cœlestis pátriæ Spíritus semper quidem sunt spíritus, sed semper vocári Angeli nequáquam possunt; quia tunc solùm sunt Angeli, cùm per eos áliqua nuntiantur; unde et per Psalmistam dícitur: Qui facit Angelos suos, spíritus. Ac si patenter dicat: Qui eos quos semper habet spíritus, étiam cùm volúerit, Angelos facit. Hi autem qui mínima núntiant, Angeli; qui verò summa annúntiant, Archángeli vocantur. Hinc est enim quòd ad Maríam vírginem non quílibet Angelus, sed Gábriel Archángelus míttitur. Ad hoc quippe ministérium, summum Angelum veníre dignum fúerat, qui summum ómnium nuntiábat. Qui idcirco étiam privátis nomínibus censentur, ut signétur per vocábula étiam in operatióne quid

váleant. Míchael namque, Quis ut Deus? Gábriel autem, Fortitúdo Dei; Ráphael verò dicitur Medícina Dei.

℟. Dócuit me, dixitque Gábriel: Intéllige visiónem: Post hebdómades sexaginta duas occidétur Christus; et * Non erit ejus pópulus; qui eum negatúrus est: civitátem et sanctuárium dissipábit pópulus cum duce ventúro. ℣. Dictum est ab Angelo, quóniam átrium templi datum est Géntibus; et civitátem calcábunt, ubi et Dóminus crucifixus est. * Non. *Dan.* 9. *Apoc.* 11.

LECTIO VI.

(N. 9.)

Et quóties miræ virtútis áliquid ágitur, Míchael mitti perhibétur; ut ex ipso actu et nómine detur intélligi, quia nullus potest fácere quod fácere prævalet Deus. Unde et ille antíquus hostis, qui Deo esse per supérbiam símilis concupívit, dicens: In cœlum conscendam, super astra cœli exaltábo sólium meum, símilis ero Altíssimo; dum in fine mundi in sua virtúte relinquétur extrémo supplício perimendus, cum Michaéle Archángelo prœliatúrus esse perhibétur; sicut per Joannem dícitur: Factum est prœlium cum Michaéle Archángelo. Ad Maríam quoque Gábriel míttitur, qui Dei Fortitúdo nominátur. Illum quippe nuntiáre veniébat, qui ad debellandas aéreas potestátes húmilis apparére dignátus est. Ráphael quoque interpretátur, ut díximus, Medícina Dei; quia vidélicet dum Tobíæ óculos quasi per offícium curatiónis tétigit, cæcitátis ejus ténebras tersit.

℟. Misit me Dóminus u curárem *te*, *et Saram à dæ*mónio liberárem; ego enim sum Ráphael Angelus, unus ex septem qui astámus ante Dóminum: * Pax vobis, nolíte timére. ℣. Grátia vobis et pax ab eo qui est, et à septem Spirítibus qui in conspectu throni ejus sunt: * Pax. Glória. * Pax. *Tob.* 12. *Apoc.* 1.

IN III.° NOCTURNO.

Ant. 7. *d.* Vidit Jósue virum, evaginátum tenentem gládium, et ait: Noster es, an adversariórum? Qui respondit: Sum princeps exércitûs Dómini, et nunc vénio. *Josue* 5.

Ant. 5. a. Dixit Gábriel: Vir desideriórum, pax tibi; confortáre, et esto robustus. Et dixi: Lóquere, Dómine mi; quia confortasti me. *Dan.* 10.

Ant. 4. E. Dixit Angelus Ráphael: Benedícite Deum cœli, et coram ómnibus viventibus confitémini ei; quia fecit vobiscum misericórdiam suam. *Tob.* 12.

℣. Dómine Deus meus, magnificátus es vehementer: ℟. Qui facis Angelos tuos, spíritus. *Ps.* 103.

LECTIO VII.

Léctio sancti Evangélii secundùm Matthæum.

(Cap. 18.)

In illo témpore: Accessérunt discípuli ad Jesum, dicentes: Quis, putas, major est in regno cœlórum? Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Epíscopi.

(De Civit. Lib. 11, Cap. 32 et 33.)

Angelos sanctos in sublímibus cœli sédibus, non quidem Deo coæternos, sed tamen de sua sempiterna et vera felicitáte secúros et certos esse, nemo ámbigat. Ad quorum societátem pertinére párvulos suos Dóminus, docens, non solùm illud ait: Erunt æquáles Angelis Dei; verùm ipsi quoque Angeli quà contemplatióne fruantur, ostendit, ubi ait: Vidéte, ne contemnátis unum ex pusillis istis; dico enim vobis quia Angeli eórum in cœlis semper vident fáciem Patris mei qui in cœlis est. Peccasse autem quosdam ángelos, et in hujus mundi ima detrúsos, quibus velut carcer est, usque ad futúram in die judícii últimam damnatiónem, Apóstolus Petrus apertíssime ostendit, dicens: Quòd Deus ángelis peccántibus non pepércerit, sed carcéribus caligínis ínferi retrúdens tradíderit in judício puniendos reservári.

℟. Factum est prælium magnum in cœlo: Míchael, et Angeli ejus præliabantur cum dracóne; et * Projectus est draco ille magnus, qui sedúcit universum orbem. ℣. Quómodò cecidisti de cœlo, Lúcifer? qui dicébas: Super astra Dei exaltábo sólium meum: ad infernum detráheris in profundum laci. * Projectus est draco ille magnus. *Apoc.* 12. *Is.* 14.

LECTIO VIII.

Inter hos ergo et illos, Deum vel præsciéntiâ vel ópere divisisse quis dúbitet? Has duas angélicas societátes, unam fruentem Deo, álteram tumentem typho: unam cui dícitur, Adoráte eum, omnes Angeli ejus; áliam cujus princeps dicit, Hæc ómnia tibi dabo, si prostrátus adoráveris me: unam Dei sancto amóre flagrantem; álteram própriæ celsitúdinis immundo amóre fumantem; et quóniam sicut scriptum est, Deus superbis resistit, humílibus autem dat grátiam: illam in cœlis cœlórum habitantem; istam inde ejectam in hoc ínfimo aério cœlo tumultuantem: illam luminósâ pietáte tranquillam; istam tenebrósis cupi-

ditátibus turbulentam : illam Dei nutu clementer subvenientem, justè ulciscentem; istam suo fastu subdendi et nocendi libídine exæstuantem : illam, ut quantùm vult, cónsulat, Dei bonitátis ministram ; istam, ne quantùm vult nóceat, Dei potestáte frænátam : illam huic illudentem, ut nolens prosit persecutiónibus suis; hanc illi invidentem, cùm peregrínos cólligit suos. Nos ergo has duas societátes angélicas, unam et natúrà bonam, et voluntáte rectam ; áliam verò natúrà bonam, sed voluntáte perversam, in libro cui nomen est Génesis, lucis tenebrarumque vocábulis significátas existimávimus.

℟. Ait Gábriel ad me : Noli metúere, ego veni propter sermónes tuos : princeps autem regni Persárum réstitit mihi, et * Ecce veni ut docérem te quæ ventúra sunt pópulo tuo in novíssimis. ℣. Dóminus Deus spirítuum Prophetárum misit Angelum suum, ostendere servis suis quæ oportet fieri. * Ecce veni. *Dan.* 10. *Apoc.* 22.

LECTIO IX.

(Lib. 10, c. 7.)

Merito illi in cœléstibus sédibus constitúti, immortáles et beáti, qui Creatóris sui participatióne congaudent, cujus æternitáte firmi, cujus veritáte certi, cujus múnere sancti sunt; quóniam nos mortáles et miseros, ut immortáles beatíque simus, misericórditer diligunt : nolunt nos sibi sacrificáre, sed ei cujus et ipsi nobiscum sacrifícium se esse novérunt. Cum ipsis enim sumus una *cívitas Dei, cui* dícitur in Psalmo : Gloriósa dicta sunt de te, cívitas Dei; cujus pars in nobis peregrinátur, pars in illis opitulátur. De illa quippe superna civitáte, ubi Dei voluntas intelligíbilis atque incommutábilis lex est, de illa superna quodámmodò cúria (géritur namque ibi cura de nobis) ad nos ministráta per Angelos sancta Scriptúra descendit.

℟. Dixit Angelus Ráphael : Cùm essem vobiscum, per voluntátem Dei eram : tempus est ut revertar ad eum qui me misit; vos autem, * Benedícite Deum, et † Narráte ómnia mirabília ejus. ℣. Timéte Dóminum, et date illi honórem, et adoráte eum : * Benedícite. Glória Patri. † Narráte ómnia mirabília ejus. *Tob.* 12. *Apoc.* 14.

Te Deum laudámus, te Dóminum, 9.

℣. *Sacerd.* Benedícite Dómino, omnes Angeli ejus : ℟. Potentes virtúte, facientes verbum illíus. *Ps.* 102.

AD LAUDES.

Ant. 8. *G.* Vidi in médio

throni agnum stantem tanquam occísum; et audívi vocem Angelórum multórum in circúitu throni. *Apoc.* 5.

Ant. 1. a. Erat número eórum míllia míllium, dicéntium voce magnâ : Dignus est Agnus qui occísus est, accípere virtútem et divinitátem. *Apoc.* 5.

Ant. 2. D. Cecidérunt in conspectu throni in fácies suas, et adoravérunt Deum. *Apoc.* 7.

Ant. 6. F. Projectus est.

CANTICUM.

(2. Mach. 15.)

Machabæi invocatio, Angelum liberatorem a Deo postulantis.

Tu, Dómine, qui misisti Angelum tuum * sub Ezechía Rege Juda;

Et interfecisti de castris Sennácherib * centum octogínta quinque míllia.

Et nunc, dominátor cœlórum, mitte Angelum tuum bonum ante nos, in timóre * et tremóre magnitúdinis bráchii tui,

Ut métuant qui cum blasphémia véniunt * adversùs sanctum pópulum tuum.

Ant. Projectus est accusátor fratrum nostrórum; et ipsi vicérunt eum : propterèa lætámini, cœli, et qui habitátis in eis. *Apoc.* 12.

Ant. 4. E. Omnes audívi, dicentes : Sedenti in throno, et Agno, benedíctio, et honor, et glória, et potestas in sécula seculórum. *Apoc.* 5.

Capitulum. (*Daniel* 3.)

Benedictus es, Dómine, in throno regni tui; et superlaudábilis, et superexaltátus in sécula. Benedictus es qui intuéris abyssos, et sedes super Chérubim.

HYMNUS.

Mille, quem stipant sólio sedentem *
Córporis puræ sine mole mentes,
Christe, quos fuso tibi consecrasti
Sánguine, serva.

Quas tenent celsas super astra sedes
Spíritus, nobis quoque præparasti :
Ut viam monstrent, sócios fidéles
Próvidus addis.

Qui Dei nunquam temeranda jura
Víndicat sacris metuendus armis,
Prompta perdendos Míchael in hostes
Arma ministret.

Nuntius felix melióris ævi
Fausta qui mundo Gábriel tulisti,
Creber è cœlo vénias, amíca
Núntia portans.

Corporis morbos, tenebrasque mentis
Pelle, divínas médicus per artes,

Qui seni cæco, Ráphael, dedisti
Cérnere solem.
GRATIAS Regi súperûm canámus,
Fonte de cujus bona cuncta manant:
Quem fides veri studiósa trinum
Credit et unum. Amen.

℣. Adoráte Dóminum, omnes Angeli ejus: ℟. Audívit, et lætáta est Sion. *Ps.* 96.

Ad Benedictus, *Ant.* 1. *D.* Poténtiam virtútis operátus est Deus in Christo, illum constituens ad déxteram suam, supra omnem Principátum, et Potestátem, et Virtútem, et Dominatiónem. *Ephes.* 1.

ORATIO.

DEUS, qui miro órdine Angelórum ministéria hominumque dispensas: concéde propítius, ut à quibus tibi ministrántibus in cœlo semper assístitur, ab his in terra vita nostra muniátur; Per.

AD PRIMAM.

Ant. 8. *G.* Vidi.

AD TERTIAM.

Ant. 1. a. Erat.

Capitulum. (*Hebr.* 12.)

ACCESSISTIS ad Sion montem et civitátem Dei viventis, Jerúsalem cœlestem, et multórum míllium Angelórum frequéntiam, et Eccléstam primitivórum qui conscripti sunt in cœlis, et júdicem omnium Deum, et spíritus justórum perfectórum, et testamenti novi mediatórem Jesum.

℟. *br.* Benedícite Dómino, * Omnes Virtútes ejus. Benedícite. ℣. Ministri ejus, * qui fácitis voluntátem ejus, * Omnes. Glória Patri. Benedícite Dómino.

℣. Benedícite Dómino, ómnia ópera ejus, ℟. In omni loco dominatiónis ejus. *Ps.* 102.

AD SEXTAM.

Ant. 2. D. Cecidérunt.

Capitulum. (*Apoc.* 22.)

CECIDI ut adorárem ante pedes Angeli qui mihi hæc ostendébat; et dixit mihi: Vide ne féceris; conservus enim tuus sum, et fratrum tuórum Prophetárum, et eórum qui servant verba prophetiæ libri hujus: Deum adóra.

℟. *br.* In conspectu Angelórum * Psallam tibi, Dómine. In conspectu. ℣. Adorábo * ad templum sanctum tuum, * Psallam. Glória Patri. In conspectu Angelórum. *Ps.* 137.

℣. Adorábo ad templum sanctum tuum, ℟. In timóre tuo. *Ps.* 5.

AD NONAM.

Ant. 4. E. Omnes.

Capitulum. (*Hebr.* 1.)

CUM introdúcit Primogéni-

tum in orbem terræ, dicit : Et adórent eum omnes Angeli Dei. Et ad Angelos quidem dicit : Qui facit Angelos suos, spíritus : et ministros suos, flammam ignis.

℟. *br.* Laudáte Dóminum, * Omnes Angeli ejus. Laudáte. ℣. Laudáte eum, * omnes Virtútes ejus. * Omnes. Glória Patri. Laudáte. *Ps.* 148.

℣. Benedícite, Angeli Dómini, Dómino : ℟. Laudáte et superexaltáte eum in sécula. *Dan.* 3.

AD II. VESPERAS.

Ant. 5. a. Vidi septem Angelos stantes in conspectu Dei; et datæ sunt illis septem tubæ. *Apoc.* 8.

Ant. 6. F. Mittet Fílius hóminis Angelos suos cum tuba, et voce magnà ; et congregábunt electos ejus à quátuor ventis. *Matth.* 24.

Ant. 8. c. Ipse Dóminus in jussu, et in voce Archángeli, et in tuba Dei descendet de cœlo ; et mórtui qui in Christo sunt, resurgent primi. 1. *Thess.* 4.

Ant. 2. D. Exíbunt Angeli, et separábunt malos de médio justórum. *Matth.* 13.

Ant. 7. ç. Angeli cólligent de regno Dei ómnia scándala, et eos qui fáciunt iniquitátem ; et mittent eos in camínum ignis. *Matth.* 13.

Capitulum. (2. *Thess.* 1.)

Digni habeámini in regno Dei, pro quo et patímini, si tamen justum est apud Deum retribúere tribulatiónem iis qui vos tríbulant ; et vobis, qui tribulámini, réquiem nobiscum in revelatióne Dómini Jesu de cœlo cum Angelis virtútis ejus.

Hymnus, Christe, 451.

℣. Qui sedes super Chérubim, manifestáre, ℟. Coram Ephraim, Bénjamin, et Manasse. *Ps.* 79.

Ad Magníficat, *Ant.* J. Qui digni habebuntur sæculo illo, et resurrectióne ex mórtuis, æquáles Angelis sunt, et fílii sunt Dei ; cùm sint fílii resurrectiónis. *Luc.* 20.

Oratio, ut suprà ad Laud.

Fit Commem. S. Hieronymi, Ant. Beátus qui. ℣. Beátus homo, xxix. *Oratio*, Deus, qui Ecclésiæ, *infrà*, 462.

DIE XXX.

SANCTI HIERONYMI,

PRESBYTERI ET ECCLES. DOCT.

Duplex minus.

Omnia de Communi Doct. additis quæ sequuntur.

In I. Noct. *Lectiones de Scripturâ occurrente.*

IN II.° NOCTURNO.

LECTIO IV.

Hieronymus, Eusébii fílius Stridóne in fínibus Dalmátiæ et Pannóniæ natus, puer à Donáto liberálibus disciplínis Romæ est institutus, ubi diébus Domínicis sepulcra Apostolórum et Márty-

rum circuíre, crebróque cryptas ingredi cum æquálibus consuéverat. Suscepto ibi in adolescéntia baptismo, ad sacras lítteras ánimum adjíciens, Gállias studiórum causâ peragrávit, Trevirisque librum sancti Hilárii de Synodis suâ manu descripsit. Perlustrátis deinde Thrácià, Ponto, Bithyniâ, Galátià, Cappadócià et Cilícià, in Chálcidis Syriæ solitúdinem se recépit, instructus bibliothécâ quam Romæ sibi magno stúdio confécerat. Ibi, ut importúnas cogitatiónes, quas jejúniis non vícerat, studiórum assiduitáte abígeret, Judæo ad Christum converso se in disciplínam dedit, ut linguam hebráicam addísceret. Aliquando interrogátus, unam an tres confiterétur hypóstases, incertus étiam ad quam se partem adjúngeret, exorto Antiochíæ inter Paulínum, Vitálem et Melétium dissídio, Dámasum Pontíficem Románum consúluit, an tres hypóstases dícere, et cui ex tribus Epíscopis communicáre debéret.

LECTIO V.

Exacto in eo secessu quadriénnio, vexátus ab invidis, et hæréseos postulátus, ex erémo discédens, Antiochíam venit; ubi à Paulíno cui adhæserat, eâ conditióne ordinári se Presbyterum passus est, ut, quam amplexus fúerat mónachi vitam, non desereret. Cùm deinde Jerosólymis et Béthleem aliquándiu mansisset, Constantinópolim se cóntulit; ibíque Gregórium Nanzianzénum, sacras lítteras explanantem, frequens audívit. Romam deinde, ob Antiochíæ aliarumque Ecclesiárum dissentiónes, cum Paulíno et Epiphánio profectum Damasus retínuit, ut eo uterétur in conscribendis epístolis ac reddendis ad synódicas Orientis et Occidentis consultatiónes responsis. Romæ per triénnium commorátus, post óbitum Dámasi, Béthleem ad incunábula Redemptóris, in extructo à Paula monastério, majórem vitæ partem exégit.

LECTIO VI.

Sacros códices commentáriis illustrávit: et quò cértiùs genuínum illórum sensum assequerétur, síngula Palestínæ loca sédulò invísit, adhíbitis Judæórum eruditíssimis. Alexandríam ætáte jam provectus pétiit, de difficilióribus Scriptúræ locis Dídymum consultúrus. Novum Testamentum Græcæ fídei réddidit; vetus juxta Hebráicam tránstulit: Psaltérium quo deinceps Eccléisia Latína usa est, secundùm Septuaginta editiónem correxit. Multa doctórum virórum scripta latínè réddidit. Luciferiános, Helví-

dium, Vigilántium, Joviniánum et Pelágium scriptis ácriter insectátus est. Hujus sententiam sanctus Augustínus et álii passim de difficilióribus quæstiónibus rogábant. Captà eversâque à Gothis Romà, nóbilesRomános, qui ad summam inópiam redacti fúerant, in monastério Bethleemitáno benignè excépit. In extréma senectúte febre correptus, migrávit ad Dóminum, Theodósio junióre et Honório imperántibus, anno Christi quadringentésimo vigésimo. Ejus corpus apud Béthleem sepultum, pósteà Romam translátum, in Basílica sanctæ Maríæ Majóris ad Præsépe cónditum est.

IN III.º NOCTURNO.

LECTIO VII.

Léctio sancti Evangélii secundùm Matthæum.

(Cap. 5.)

In illo témpore; Dixit Jesus discípulis suis: Vos estis sal terræ. Quòd si sal evanúerit, in quo saliétur? Et réliqua.

Homília sancti Hierónymi Presbyteri.

(Comment. in Cap. 2 Aggæi.)

Considera Sacerdótum esse offícii, de lege interroganti respondére. Si Sacerdos est, sciat legem Dómini; si ignórat legem, ipse se árguit non esse Sacerdótem. Sacerdótis enim est scire legem, et ad interrogatiónem respondére de lege. Quod quidem et in Deuteronómio légimus; ut sícubi in úrbibus Israel quæstio fúerit exorta inter sánguinem et sánguinem, inter judícium et judícium, lepram et lepram, contradictiónem et contradictiónem, eant ad Sacerdótes atque Levítas, et ad Pontíficem qui in diébus illis fúerit constitútus, et quærant ab eo legem Dómini: quibus respondéntibus, fáciant quod jubentur. Quòd si non fécerint, exterminentur de pópulo suo.

LECTIO VIII.

Et ne fórsitan in véteri solùm instrumento hæc præcepta videantur, lóquitur et Apóstolus ad Timótheum, Epíscopum non solùm irreprehensíbilem esse debére, et unius uxóris virum, et sapientem, et pudícum, et ornátum, et hospitálem, sed étiam doctórem. Hæc pósui, ut tam ex veteri quàm ex novo Testamento, Sacerdótum esse offícium novérimus, scire legem Dei, et respondére ad quæ fúerint interrogáti; nec simplicitátem, et cibórum continéntiam in magistro suffícere, nisi quod ipse facit, possit et álios erudíre.

LECTIO IX.

Certe quia responsúros puto, hoc eórum esse qui se ab adolescéntia præparant

ad docendum ; frequenter autem judício Dómini, et populórum suffrágio, in Sacerdótium símplices éligi : saltem illud hábeant, ut postquàm Sacerdótes fúerint ordináti, discant legem Dei, ut possint docére quod didícerint, et áugeant sciéntiam magis quàm opes, et non erubescant à Láicis díscere, qui nóverint ea quæ ad offícium pértinent Sacerdótum ; magisque noctes et dies in Scripturárum tractátu, quàm in ratiocíniis et supputatióne consúmant.

ORATIO.

Deus, qui Ecclésiæ tuæ in exponendis sacris Scriptúris beátum Hierónymum Doctórem máximum providére dignátus es : præsta, quæsumus, ut ejus suffragántibus méritis, quod ore simul et ópere dócuit, te adjuvante, exercére valeámus ; Per Dóminum nostrum.

Ad Vesp. *fit Commem. sancti Remigii, Episcopi. Ant.* Elégit. ℣. Beátus, xxi. *Oratio*, Deus, qui pópulo tuo ætérnæ salútis, *infrà*, 472.

FESTA OCTOBRIS.

DOMINICA PRIMA OCTOBRIS.

IN SOLEMNITATE

SS. ROSARII B. M. V.

SOLEMNE-MAJUS.

IN I. VESPERIS.

Psalmi de Sabbato.

Ant. 8. G. Dóminus in ancílla sua adimplévit misericórdiam suam, quam promísit dómui Israel. *Judith* 13.

Ant. 4. A. Benedicta inter mulíeres, benedicátur in tabernáculo suo. *Judic.* 5.

Ant. 5. a. Benedictiónem ómnium géntium dedit illi Dóminus. *Eccli.* 44.

Ant. 7. a. Immortális est memória illíus; et in perpétuum coronáta triumphat. *Sap.* 4.

Ant. 3. a. Benedictus Dóminus qui exaltávit eam, et sit regnum ejus in sécula super eam. *Tob.* 13.

Capitulum. (*Eccli.* 24.)

Ego quasi vitis fructificávi suavitátem odóris; et flores mei fructus honóris et honestátis. Ego mater pulchræ dilectiónis, et timóris, et agnitiónis, et sanctæ spei.

℟. Ego diligentes me díligo: * Mecum sunt divítiæ, et glória, ut ditem diligentes me, et thesauros eórum répleam. ℣. Fecit mihi magna qui potens est; esurientes implévit bonis. * Mecum sunt. Glória Patri. * Mecum sunt. *Prov.* 8. *Luc.* 1.

HYMNUS.

Quis ore te puro satis,
Virgo, canat, Dei parens?
Adeste, puri Spíritus,
Vestri sit illud múneris.

Quis intret augustíssima
Mentis tuæ sacrária?
Dotes quis enarrans tuas,
Perterritus non hæreat?

Dic, Virgo, quæ vis tráxerit
Patri coævum Fílium,
De Patris æterni sinu
Mortális in matris sinum?

An hos honórum te gradus
Non virginális te pudor,
Non éxtulit tantùm fides,
Nec igne fervens cáritas:

Sed, quæ sibi nunquam placet,
Deo placens modéstia
Quâ tu tibi fis vílior,
Hâc digna fis mater Dei.

Quam celsa, quæ se déprimens,
Altum tonantem déprimit!
In te, suî jam non memor,
Descendit è cœlo Deus.

Qui natus es de Vírgine,
Jesu, tibi sit glória,
Cum patre et almo Spíritu,
In sempitérna sécula. Amen.

℣. Anima mea exultábit in Dómino, ℟. Et delectábitur super salutári suo. *Ps.* 34.

Ad Magníficat. *Ant.* 5. C. Exultávit Spíritus meus in Deo salútari meo: quia respexit humilitátem ancillæ suæ. *Luc.* 1.

Oratio, ut infrà ad Laudes.

Fit commemoratio Dominicæ occurrentis.

AD COMPLETORIUM.

Ant. 4. d. Ego dilecto meo, et ad me convérsio ejus. *Cant.* 7.

Hymnus, Virgo Dei génitrix, *ut post Psalterium*, 165.

Ad Nunc dimittis, *Ant.* 3. a. Sub umbra illíus quem desideráveram sedi, et fructus ejus dulcis gútturi meo. *Cant.* 2.

AD OFFIC. NOCTURNUM.

INVITATORIUM.

Jesum de María natum; * Veníte adorémus. *Matth.* 1. *Ps.* 94. Veníte, 2.

HYMNUS.

Davidis sóboles, glória vírginum,
Christi virgo parens, te
pósuit Deus,
Partu Virgíneo, quæ malè
súbdoli
Anguis contéreres caput.

Rebus princípium qui dedit ómnibus,
A te princípium sumpsit homo Deus;
Cunctis prospíciens qui tríbuit cibos
Pastus lacte fuit tuo.

Per te quod múlier perdíderat vetus,
Humáno géneri rédditur áuctius;
Tu clausas míseris, heu nímium diu!
Cœlórum réseras fores.

Qui lucis pater est glória sit patri;
Cujus virgo parens glória fílio:
Quo fœcunda, tibi, nexus amábilis,
Sit par glória, Spíritus. Amen.

Psalmi de Officio parvo B. M. V.

IN I.º NOCTURNO.

Ant. 5. a. Exultáte in lætítia: personáte et cánite: lætábitur virgo, et pópulus meus bonis adimplébitur. *Jer.* 31.

Ant. 4. f. María inventa est in útero habens de Spíritu sancto, ut adimplerétur quod dictum est: Ecce Virgo in útero habébit. *Matth.* 1.

Ant. 8. G. Salutávit Elízabeth, et ut audívit salu-

tatiónem Maríæ Elízabeth, exultávit infans in útero ejus; et repléta est Spíritu sancto. *Luc.* 1.

℣. Audívit et lætáta est Sion; ℟. Exultavérunt fíliæ Judæ. *Ps.* 96.

LECTIO I.

De libro Proverbiórum.

(Cap. 8 et 9.)

Ego Sapiéntia hábito in consílio, et erúditis intérsum cogitatiónibus. Timor Dómini odit malum: arrogántiam, et Supérbiam, et viam pravam, et os bilingue detestor. Meum est consílium, et æquitas, mea est prudéntia, mea est fortitúdo. Per me reges regnant, et legum conditóres justa decernunt; per me príncipes ímperant, et potentes decernunt justítiam. Ego diligentes me díligo: et qui manè vígilant ad me, invénient me.

℟. Impléti sunt dies ut páreret María; et péperit Fílium suum primogénitum: * Gáudium erit omni pópulo, quia natus est Salvátor qui est Christus Dóminus. ℣. Párvulus natus est nobis, et fílius datus est nobis. * Gáudium. *Luc.* 2. *Is.* 9.

LECTIO II.

Mecum sunt divítiæ, et glória, opes superbæ, et justítia. Mélior est enim fructus meus auro, et lápide pretióso, et genímina mea argento electo. In viis justítiæ ámbulo, in médio semitárum judícii, ut ditem diligentes me, et thesauros eórum répleam. Dóminus possédit me in ínitio viárum suárum, ántequàm quidquam fáceret à princípio. Abætérno ordináta sum, et ex antíquis ántequam terra fíeret. Nondum erant abyssi, et ego jam concépta eram: necdum fontes aquárum erúperant; necdum montes gravi mole constíterant: ante colles ego parturiébar.

℟. Tulérunt Jesum in Jerúsalem parentes ejus, ut sísterent eum Dómino; * Et erant pater ejus et mater mirántes super his, quæ dicebántur de illo. ℣. Obtulérunt púerum, et adoravérunt ibi Dóminum. * Et erant. *Luc.* 2. 1. *Reg.* 1.

LECTIO III.

Beatus homo qui audit me, et qui vígilat ad fores meas quotídiè, et observat ad postes óstii mei. Qui me invénerit invéniet vitam, et háuriet salútem à Dómino; qui autem in me peccáverit, lædet ánimam suam. Omnes, qui me odérunt, díligunt mortem. Sapiéntia ædificávit sibi domum, éxcidit columnas septem. Immolávit víctimas suas, míscuit vinum, et propósuit mensam

suam. Misit ancillas suas ut vocárent ad arcem, et ad mœnia civitátis; si quis est párvulus véniat ad me. Et insipiéntibus locúta est; Venite, comédite panem meum, et bíbite vinum quod míscui vobis.

℟. Jesus annórum duódecim remansit in Jerúsalem, et parentes ejus requirébant eum; et non invenientes regressi sunt in Jerúsalem; et * Post tríduum invenérunt illum in templo. ℣. Per vicos et platéas quæsívi quem díligit ánima mea, et non invéni: páululùm cùm pertransissem, invéni quem díligit ánima mea. *Post tríduum. Glória. *Post. *Luc.* 2. *Cant.* 3.

IN II.° NOCTURNO.

Ant. 7. d. Quare mœróre contráheris, Fília Sion? numquid rex non est tibi, quia comprehendit te dolor? *Mich.* 4.

Ant. 2. D. Orábat Jesus, ut si fíeri posset, transíret ab eo hora: et factus est sudor ejus sicut guttæ sánguinis decurrentis in terram. *Marc.* 14. *Luc.* 22.

Ant. 6. C. Pilátus dimísit Barabbam, et trádidit Jesum flagellis cæsum, ut crucifigerétur. *Marc.* 15.

℣. Quem tu percussísti persecúti sunt; ℟. Et super dolórem vúlnerum meórum addidérunt. *Ps.* 68.

Benedict. de B. M. V.

LECTIO IV.

Sermo sancti Bernardi Abbatis.

(In Nativ. B. M. V. n. 11.)

Incomprehensibilis erat Deus et inaccessíbilis, invisíbilis et inexcogitábilis omninò. Nunc verò comprehendi vóluit, vidéri vóluit, cogitári vóluit. Quonam modo, inquis? Nimirum jacens in præsépio, in virgináli grémio cubans, in monte prædicans, in oratióne pernoctans, aut in cruce pendens, in morte pallens, liber inter mórtuos, et in inferno ímperans, seu étiam tértiâ die resurgens, et Apóstolis loca clavórum victóriæ signa demonstrans, novíssimè coram eis cœli secréta conscendens. Quid horum non verè, non piè, non sanctè cogitátur? quidquid horum cógito, Deum cógito, et per ómnia ipse est Deus meus.

℟. Mílites plectentes corónam de Spinis, imposuérunt cápiti ejus: exívit ergo Jesus * Portans corónam spíneam, et purpúreum vestimentum. ℣. Quid, dilecte mi, quid, dilecte úteri mei, quid, dilecte votórum meórum? * Portans. *Joan.* 19. *Prov.* 31.

LECTIO V.

(N. 11 et 13.)

Hæc ego meditári dixi sapiéntiam, et prudéntiam

judicávi eructáre memóriam suavitátis, quam in supernis háuriens, ubériùs nobis María refúdit. In supernis planè et ultra Angelos, quæ Verbum ex ipso Patris corde suscépit. Fratres, curandum nobis summóperè est, ne Verbum quod de ore patris ad nos egressum est, Vírgine mediante, vácuum revertátur. Sed per eamdem nihilóminùs Vírginem grátiam pro grátia referámus. Eructémus memóriam, donec præséntiam suspirámus, et suæ reddantur orígini fluenta grátiæ, ut ubériùs fluant. Alióquin, nisi ad fontem rédeant, exsiccantur, et infidéles in módico, quod máximum est accípere non merémur.

℟. Suscepérunt Jesum et eduxérunt: et * Bájulans sibi crucem, exívit in eum qui dícitur calváriæ locum. ℣. Quò ábiit dilectus tuus? ò pulchérrima mulíerum, et quærémus eum tecum. * Bájulans. *Joan.* 19. *Cant.* 5.

LECTIO VI.

(N. 18.)

Ceterum quidquid illud est quod offerre paras, Maríæ commendáre memento, ut eódem álveo ad largitórem grátiæ grátia rédeat, quo influxit. Neque enim ímpotens erat Deus, et sine hoc aquæ ductu infúndere grátiam prout vellet: sed tibi vehículum vóluit providére. Fortè enim manus tuæ, aut sánguine plenæ, aut infectæ munéribus; quòd non eas ab omni múnere excussisti. Ideoque módicum istud quod offerre desíderas, gratíssimis illis et omni acceptióne digníssimis Maríæ mánibus offerendum trádere cura, si non vis sustinére repulsam. Nimírùm candidíssima quædam lília sunt: nec causábitur ille liliórum amátor inter lília non inventum, quidquid illud sit quod inter Maríæ manus invéneris.

℟. Supra modum mater mirábilis, * Bono ánimo ferébat propter spem quam in Deo habébat, repléta sapiéntiâ. ℣. Crucifixérunt Jesum; stabat autem juxta crucem Jesu Mater ejus. * Bono. Glória. * Bono. *Mach.* 7. *Joan.* 9.

IN III.° NOCTURNO.

Ant. 1. a. Exue te stolâ luctûs; et índue te decóre et honóre ejus, quæ à Deo tibi est sempiternæ glóriæ. *Baruch.* 5.

Ant. 3. c. Jesum Deus suscitávit; propter hoc lætátum est cor meum. *Act.* 2.

Ant. 6. F. Assumptus est in cœlum et sedet à dextris Dei. *Marc.* 16.

℣. Surge, Dómine, in réquiem tuam; ℟. Tu et arca sanctificatiónis tuæ. *Ps.* 131.

LECTIO VII.

Léctio sancti Evangélii secundùm Lucam.

(Cap. 1.)

In illo témpore; Exclamávit voce magna Elízabeth, et dixit ad Maríam: Benedicta tu inter mulíeres, et benedictus fructus ventris tui. Et réliqua.

Homília sancti Ambrósii Epíscopi.

(Expos. in Luc. l. 2, n. 26.)

Sit in síngulis Maríæ ánima, ut magnífiçet Dóminum: sit in síngulis Spíritus Maríæ, ut exúltet in Deo. Si secundùm carnem una mater est Christi; secundùm fidem tamen, ómnium fructus est Christus. Omnis enim ánima áccipit Dei verbum, si tamen immaculáta et immúnis à vítiis, intemeráto castimóniam pudóre custódiat. Quæcumque ígitur talis esse potúerit ánima, magnífiçat Dóminum, sicut ánima Maríæ magnificávit Dóminum, et exultávit spíritus ejus in Deo salutári.

℟. Erant Apóstoli perseverantes in oratióne cum María matre Jesu, et frátribus ejus; * Et repléti sunt omnes Spíritu sancto. ℣. Ex toto corde suo omnes orábant Deum, ut visitáret pópulum suum. * Et repléti sunt omnes Spíritu sancto. *Act.* 1 *et* 2. *Judith* 4.

LECTIO VIII.

Imago Dei Christus est; et ídeò si quid justum fécerit ánima aut religiósum, illam imáginem Dei, ad cujus est similitúdinem creáta, magnífiçat. Et ídeo dùm magnífiçat eum, magnitúdinis ejus quàdam participatióne sublímior fit; ut illam imáginem spléndido honórum colóre factórum, et quàdam æmulatióne virtútis in se vidéatur exprímere. Magnífiçat autem ánima Maríæ Dóminum, et exultat spíritus ejus in Deo, eò quòd et ánimâ et spíritu Patri Filioque devóta, unum Deum ex quo ómnia, et unum Dóminum per quem ómnia, pio venerétur affectu.

℟. Quæ est ista, quæ * Ascendit de deserto delíciis áffluens, innixa super dilectum suum? ℣. María de qua natus est Jesus qui vocátur Christus, * Ascendit. *Cant.* 8. *Matth.* 1.

Lectio IX, *de Evangelio et homil. Dominicæ occurrentis.*

℟. Signum magnum appáruit in cœlo: múlier amicta sole, et luna sub pédibus ejus, * Et ✝ In cápite ejus córona stellárum duódecim ℣. Pósitus est thronus matri regis, quæ sedit ad déxteram ejus. * Et in cápite. Glória. ✝ In cápite. *Apoc.* 12. 3. *Reg.* 2.

Te Deum.

℣. *Sacerd.* Annuntiáte in-

ter gentes glóriam ejus; ℟. In ómnibus pópulis mirabília ejus. *Ps.* 95.

AD LAUDES.

Psalmi de Dominica.

Ant. 2. D. Pósuit rex diadéma regni in cápite ejus, fecitque eam regnáre. *Esth.* 2.

Ant. 6. F. Dixit ad eam Rex : Quæ est petítio tua, ut detur tibi? Et quid vis fieri? *Esth.* 7.

Ant. 1. f. Pete, mater mea, neque enim fas est ut avertam fáciem tuam. 3. *Reg.* 2

Canticum, Audíte, Reges, *ut in festo Nativitatis B. M. V., suprà*, 410.

Ant. 3. a. Si invéni grátiam in óculis tuis, ô Rex; et si tibi placet, dona mihi pópulum meum pro quo obsécro. *Esth.* 7.

Ant. 4. E. Rex dedit Regínæ ómnia quæ vóluit, et petívit ab eo. 3. *Reg.* 10.

Capitulum. (*Eccli.* 24.)

Qui creávit me, requiévit in tabernáculo meo, et dixit mihi : in Jacob inhábita, et in Israel hereditáre, et in electis meis mitte radíces.

HYMNUS.

Aurora, quæ solem paris,
Et ipsa solis fília,
Quàm splendidum, cùm násceris,
Affers diem mortálibus.

Te luce sol vestit suâ
Tibique luna stérnitur :
Aptáta sacro vértici
Nectunt corónam sídera.

Te mille virtútum chori,
Te turma cingit cœlitum ;
Ambit suo te númine,
Qui te facit matrem Deus.

Uti potens exércitus,
Tu, Virgo, terror hóstium;
Te sic obumbrátam Deo
Pavent tremuntque tártara.

Qui tabe nos infécerat,
Serpentis élidis caput;
Attrítus æterno jacet,
Non jam timendus vúlnere.

Fac, Virgo, quem scimus Deum
Venisse terris hóspitem,
Per te, manens nobis adhuc
Nostri sit hospes péctoris

℣. Qui natus es de Vírgine,
Jesu, tibi sit glória,
Cum Patre cumque Spíritu,
In sempiterna sécula. Amen.

℣. Deus rex noster operátus est salútem in médio terræ; ℟. Tu confregísti cápita Draconis. *Ps.* 73.

Ad Benedictus, *Ant.* 1. D. Propter angústias et tribulatiónem géneris tui subvenisti ruínæ ante conspectum Dei nostri ; benedicta tu à Deo tuo in omni tabernáculo Jacob. *Judith* 13.

ORATIO.

Da nobis, Dómine, sacratíssimi Rosárii solemnitátem piè celebrántibus, salútis hostes superáre, et Christi Dómini, ejusque sanctíssimæ matris vitam sic meditári in terris, ut eorumdem glóriæ in cœlis consor-

tes esse mereámur ; Per eumdem Dóminum nostrum Jesum Christum.

Fit commem. Dominicæ occurrentis.

Ad Horas, *Ps. de Dominica. In fine hymnorum, Doxologia :* Qui natus es de Vírgine, etc.

AD PRIMAM.

Ant. 2. D. pósuit Rex.

In ℟. *br.* ℣. Qui natus es *de María Vírgine. *Matth.* 1.

Canon proprius ad calcem.

AD TERTIAM.

Ant. 6. F. Dixit ad eam Rex.

Capitulum. (*Gen.* 41.)

Tu eris super domum meam, et ad tui oris impérium cunctus pópulus obédiet : uno tantùm regni sólio te præcédam.

℟. *br.* Astitit Regína * à dextris tuis, Deus * Allelúia, allelúia. Astitit. ℣. In véstitu deauráto * circúmdata varietáte, * Allelúia, allelúia. Glória Patri. Astitit. *Ps.* 44.

℣. Posuisti in cápite ejus corónam ℟. De lápide pretióso. *Ps.* 20.

AD SEXTAM.

Ant. 1. f. Pete, mater mea.

Capitulum. (*Gen.* 12.)

Magnificabo nomen tuum : benedícam benedicéntibus tibi, et maledícam maledicéntibus tibi; atque in te benedicentur universæ cognatiónes terræ.

℟. *br.* Corónat te Dóminus * in misericórdia, * Allelúia, allelúia. Corónat te. ℣. Replet in bonis * desidérium tuum, * Allelúia, allelúia. Glória. Corónat. *Ps.* 102.

℣. Concupiscet rex decórem tuum, ℟. Quóniam ipse est Dóminus Deus tuus. *Ps* 44.

AD NONAM.

Ant. 4. E. Rex dedit.

Capitulum. (*Prov.* 8.)

Beatus homo qui audit me, et qui vígilat ad fores meas quotídie, et observat ad postes óstii mei. Qui me invénerit invéniet vitam, et háuriet salútem à Dómino.

℟. *br.* Super salutáre tuum * exultábit vehementer, * Allelúia, allelúia. ℣. Desidérium cordis ejus * tribuisti ei, * Allelúia, allelúia. Glória. Super.

℣. Magna est glória ejus, ℟. In salutári tuo. *Ps.* 10.

AD II. VESPERAS.

Psalmi de Officio parvo B. M. V.

Ant. 1. g. Ave María, grátia plena ; Dóminus tecum ; benedicta tu in muliéribus. *Luc.* 1.

Ant. 4. A. Benedicta tu inter mulíeres, et bene-

dictus fructus ventris tui. *Luc.* 4.

Ant. 8. G. Beáta quæ credidisti, quóniam perficientur ea quæ dicta sunt tibi à Dómino. *Luc.* 1.

Ant. 6. F. Ne rétrahas manus tuas ab auxílio servórum tuórum : líbera nos, ferque præsídium. *Jos.* 10.

Ant. 7. c. Peccávimus Dómino : ne cesses pro nobis clamáre ad Dóminum Deum nostrum, ut salvet nos. 1. *Reg.* 7.

Capitulum. (1. *Reg.* 12.)

Absit à me, ut cessem oráre pro vobis, et docébo vos viam bonam et rectam. Igitur timéte Dóminum et servíte ei in veritáte, et ex toto corde vestro : vidistis enim magnífica quæ in vobis gésserit.

Hymnus, Ave maris stella, *ut in Officio parvo.*

℣. Lauda Deum tuum qui benedixit fíliis tuis in te; ℟. Qui pósuit fines tuos pacem. *Ps.* 47.

Ad Magníficat, *Ant.* 3. E. Sérviant tibi pópuli : qui maledíxerit tibi, sit ille maledictus : et qui benedíxerit tibi, benedictiónibus repleátur. *Gen.* 27.

Oratio, ut suprà ad Laudes.

Fit Commem. Dominicæ occurrentis.

Ad Completorium, *Psalmi et Capit. de Dominica. Reliqua ut heri.*

DIE I.

SANCTI REMIGII,

EPISCOPI.

Semiduplex.

Omnia de Communi Pontific. additis quæ sequuntur.

Ad Noct. *Lectio I, de Scriptura occurrente, tribus in unam junctis.*

LECTIO II.

Remigius, Laudúni natus est paréntibus Æmilio et sanctâ Celíniâ jam ætáte provectis. Ejus ortum prædíxerat solitárius quidam cæcus, Montánus nómine; qui et visum pósteà recépit, admóto ad óculos lacte, quo infans Remígius alebátur. Annos natus duos et viginti, ob seníles in adolescéntia mores ad Episcopátum Remensem præter voluntátem raptus est. Cùm autem Clodovéus Alamannos, Tolbíaci, invocáto Christi nómine, debellasset, et instanti Remígio ut fidem profiterétur, respondisset veréri se ut per pópulum sibi licéret; ubi id rescívit pópulus, statim acclamávit : Mortáles deos abígimus, pie rex; et Deum quem Remígius prædicat immortálem, sequi paráti sumus. Tum Remígius Clodóveum quem fídei documentis imbúerat, baptizávit ipso die Natális Dómini, his eum verbis allocútus : Mitis depóne colla, Sicamber ;

adóra quod incendisti, incende quod adorasti. Baptizátum sacro inunxit chrísmate cum signáculo crucis Christi.

LECTIO III.

De exércitu autem ejus ter mille et ámpliùs baptismo initiáti sunt, simul et Albofládis soror Clodovéi : quæ cùm paulò post decessisset, Remígius per lítteras regem est consolátus. Lanthildis quoque áltera ejus soror, ab Ariána hæresi revocáta, sacro chrísmate reconciliáta est Ecclésiæ. Clodovéum Gothis bellum parantem utilíssimis regno administrando consíliis per lítteras instruxit, ei que auctor fuit ut Concílium Aurelianense indíceret. Cleméntiâ in pœnitentes erat singulári : Neque enim, inquiébat, nos pósuit Dóminus ad iracúndiam, sed ad hóminum curam. Novos Episcopátus instítuit; Teruannæ, ubi sanctum Antimundum ; Atrebátis, ubi sanctum Vedastum ; Laudúni, ubi sanctum Genebaldum præfécit. Sub finem vitæ, oculórum usu orbátus est, quem tamen paulò ante mortem recuperávit. Sénio tandem confectus, óbiit die décimâ tértiâ Januárii. Interália quæ édidit mírácula, mórtuum suscitávit, ut refert liber de ejus vita à Gregório Turonensi laudátus, qui et méminit festivitátis ejus quæ jam suo témpore initio mensis Octobris celebrabátur.

ORATIO.

Deus, qui pópulo tuo æternæ salútis beátum Remígium ministrum tribuísti : præsta, ut quem doctórem vitæ habúimus in terris, intercessórem habére mereámur in cœlis ; Per Dóminum nostrum Jesum Christum fílium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitáte spíritûs sancti Deus, per ómnia sécula seculórum.

℟. Amen.

Vesperæ *de Sequenti.*

DIE II.

SS. ANGELORUM CUSTODUM,

ET ANGELORUM PROTECTORUM DIŒCESIS ET PROVINCIÆ ALBIENSIS.

Duplex-minus.

IN I. VESPERIS.

Psalmi de Feria ; et sic in toto Officio.

Ant. 7. a. Ecce ego mittam Angelum meum, qui præcédat te, et custódiat in via, et introdúcat in locum quem parávi. *Exod.* 23.

Ant. 4. *D.* Observa eum, et audi vocem ejus, nec contemnendum putes ; quia non dimittet cùm peccáveris, et est nomen meum in illo. *Exod.* 23.

Ant. 8. G. Si audíeris vo-

cem Angeli mei, et féceris ómnia quæ loquor; inimícus ero inimícis tuis, præcedetque te Angelus meus. *Exod.* 23.

Ant. 5. a. Edúcam vos cum pace, dicit Dóminus; Angelus enim meus vobiscum est, ipse autem exquíram ánimas vestras. *Baruch* c. 6.

Ant. 6. *C.* Ne dicas coram Angelo: Non est providéntia; ne irátus Deus díssipet cuncta ópera mánuum tuárum. *Eccles.* 5.

Capitulum. (*Is.* 63.)

Dixit Dóminus: Pópulus meus est, fílii non negantes; et factus est eis Salvátor. In omni tribulatióne eórum non est tribulátus, et Angelus faciéi ejus salvávit eos: in dilectióne sua et in indulgéntia sua ipse redémit eos, et portávit eos.

℟. Non accédet ad te malum; * Quóniam Angelis suis Deus mandávit de te, ut conservent te: et † In mánibus tollent te, ne unquam offendas ad lápidem pedem tuum. ℣. Dicit mihi Angelus: Conservus tuus sum, et fratrum tuórum: Deum adóra; * Quóniam Angelis suis Deus mandávit. Glória Patri. † In mánibus tollent te. *Ps.* 90. *Apoc.* 19.

HYMNUS.

Custodes hóminum psállimus Angelos,
Natúræ frágili quos Pater áddidit
Cœlestis cómites, insidiántibus
Ne succúmberet hóstibus.
Nam quòd corrúerit próditor Angelus,
Concessis méritò pulsus honóribus,
Ardens invídiâ, péllere nítitur
Quos cœlo Deus ádvocat.
Huc Custos ígitur pérvigil ádvola,
Avertens pátriâ de tibi créditâ
Tam morbos ánimi, quàm requiéscere
Quidquid non sinit íncolas.
Qui lucis Pater est, glória sit Patri:
Qui lux ipsa Patris, glória Filio:
Amborumque tibi, nexus amábilis,
Compar glória, Spíritus. Amen.

℣. Qui hábitat in adjutório Altíssimi, ℟. In protectióne Dei cœli commorábitur. *Ps.* 90.

Ad Magníficat, *Ant.* 1. D. Deus viros ínstruit disciplínâ, ut avertat hóminem ab his quæ facit: si fúerit pro eo Angelus loquens, miserébitur ejus, et dicet: Líbera eum; et vidébit fáciem ejus. *Job.* 33.

Oratio, Deus, qui ineffábili providéntiâ Angelos tuos, *ut infrà ad Laudes*, 479.

Fit Commem. sancti Remigii.

40.

Ant. Sacerdótes tui induantur salútem : Dómine Deus, ne avérteris fáciem Christi tui : memento misericordiárum servi tui. 2. *Faral.* 6.

℣. Salvum fecit Dóminus Christum suum : ℟. Exáudiet illum de cœlo sancto suo. *Ps.* 19.

Oratio, Deus, qui pópulo tuo, *ut suprà*, 472.

AD OFFIC. NOCTURNUM.

INVITATORIUM.

In conspectu Angelórum, * Veníte, adorémus Dóminum. *Ps.* 137.

Ps. 94. Veníte, 2.

Hymnus, Custódes hóminum psállimus Angelos, *ut suprà*, 473.

IN I.° NOCTURNO.

Ant. 1. *D.* Cùm invenisset Angelus Dómini Agar in solitúdine, dixit ad illam : Ecce páries fílium, vocabisque nomen ejus Ismael, eò quòd audíerit Dóminus afflictiónem tuam. *Genes.* 16.

Ant. 7. d. Venérunt duo Angeli ; et eos qui vim faciébant Loth, percussérunt cæcitáte ; eduxéruntque eum, dicentes : Salva ánimam tuam. *Genes.* 19.

Ant. 3. *à.* Dixit Abraham ad servum seniórem domûs suæ : Dóminus Deus cœli mittet Angelum suum tecum, et díriget viam tuam. *Genes.* 24.

℣. Flagellum non appropinquábit tabernáculo tuo : ℟. Angeli custódient te in ómnibus viis tuis. *Ps.* 90.

Tres Lectiones de Scripturâ occurrente.

Post I Lect. ℟. Vidit Jacob in somnis scalam stantem super terram, et cacúmen illíus tangens cœlum, Angelos quoque Dei ascendentes, et descendentes per eam ; pavensque inquit : * Non est hic áliud nisi domus Dei, et porta cœli. ℣. Amen, amen dico vobis ; vidébitis cœlum apertum, et Angelos Dei ascendentes, et descendentes supra Fílium hóminis. * Non est hic aliud nisi domus Dei. *Genes.* 28. *Joan.* 1.

Post II Lect. ℟. Jacob ábiit itínere quo cœperat ; fuerúntque ei óbviam Angeli Dei : quos cùm vidisset, ait : * Castra Dei sunt hæc. ℣. Erat Jesus in deserto, et tentabátur à sátana ; eratque cum béstiis, et Angeli ministrábant illi. * Castra. *Genes.* 32. *Marc.* 1.

Post III Lect. ℟. Jacob in fortitúdine sua directus est cum Angelo, et inváluit ad Angelum ; * Et ✝ Confortátus est, flevit et rogávit. ℣. Jesus factus in agónia, prolíxiùs orábat : appáruit autem illi Angelus de cœlo, confortans eum : * Et. Glória Patri. ✝ Confortátus est, flevit et rogávit. *Osee* 12. *Luc.* 22.

IN II.° NOCTURNO.

Ant. 6. *C.* Benedixit Jacob filiis Joseph, et ait : Angelus qui éruit me de cunctis malis, benedícat púeris istis. *Genes.* 48.

Ant. 8. G. Descendérunt patres nostri in Ægyptum ; et clamávimus ad Dóminum, et exaudívit nos, misítque Angelum qui eduxit nos de Ægypto. *Num.* 20.

Ant. 5. C. Angelus Dei qui præcedébat Israel, stetit inter castra Ægyptiórum, et castra Israel. *Exod.* 14.

℣. Immittet Angelus Dómini in circúitu timéntium eum ; ℟. Et eripiet eos. *Ps.* 33.

LECTIO IV.

Sermo sancti Bernardi Abbátis.

(In Ps. *Qui habitat*, Serm. 12, n. 4.)

Angelis suis mandávit de te. Mira dignátio, et verè magna diléctio caritátis! Quis enim, quibus, de quo, quid mandávit? Studiósè considerémus, fratres, diligenter commendémus memóriæ hoc tam grande mandátum. Quis enim mandávit? Cujus sunt Angeli? cujus mandátis obtémperant? cujus obédiunt voluntáti? Nempe Angelis suis mandávit de te, ut custódiant te in ómnibus viis tuis : nec cunctantur quin étiam in mánibus tollant te. Summa ergo Majestas mandávit Angelis, et Angelis suis mandávit; illis útique sublímibus, tam beátis, tam próximis, sibi cohæréntibus, tam familiáriter adhæréntibus, et verè domésticis Dei. Mandávit autem de te. Tu quis es? Dómine, quid est homo, quòd memor es ejus? aut fílius hóminis, quóniam réputas eum? quasi verè non sit homo putrédo, et fílius hóminis vermis.

℟. Locútus est Dóminus ad Móysen, dicens : Vade in terram quam jurávi Abraham, Isaac et Jacob ; et mittam præcursórem tuî Angelum, * Ut ejíciam Chananæum, et intres in terram fluentem lacte et melle. ℣. Ego Jesus misi Angelum meum testificári in Ecclésiis : Etiam vénio citò, * Ut ejíciam Chananæum. *Exod.* 33. *Apoc.* 22.

LECTIO V.

(N. 6.)

Ut custódiant te in ómnibus viis tuis. Quantam tibi debet hoc verbum inferre reveréntiam, afferre devotiónem, conferre fidúciam! Reveréntiam pro præséntia, devotiónem pro benevolén-tia, fidúciam pro custódia. Cautè ámbula, ut vidélicet cui adsunt Angeli, sicut eis mandátum est, in ómnibus viis tuis. In quovis diversó-

rio, in quovis ángulo, Angelo tuo reveréntiam habe. Tu ne áudeas illo præsente, quod vidente me non audéres? An præsentem esse dúbitas quem non vides? Adsunt ígitur, et adsunt tibi; non modò tecum, sed étiam pro te. Adsunt ut prótegant, adsunt ut prosint.

℣. Apéruit Dóminus óculos Bálaam, et vidit Angelum stantem in via, evagináto gládio; adoravitque eum pronus in terram. * Cui Angelus dixit: Ego veni ut adversárer tibi, quóniam perversa est via tua. ℣. Dicit qui habet romphæam utràque parte acútam: Hábeo adversùs te, quia habes tenentes doctrínam Bálaam. * Cui Angelus dixit. *Num.* 22. *Apoc.* 2.

LECTIO VI.

In mánibus portábunt te. In tuis quidem viis custódient te; et dedúcent párvulum, quà potest párvulus ambuláre. Céterùm non te patiéntur tentári suprà quàm sustinére potes; sed in mánibus tollent, ut pertránseas offendículum. Quàm fácilè transit, qui illis portátur in mánibus! Quóties ergo gravíssima cérnitur urgére tentátio, et tribulátio véhemens imminére, invoca Custódem tuum, ductórem tuum, adjutórem tuum in opportunitátibus, in tribulatióne. Incláma eum, et dic: Dómine salva nos; perímus. Non dormit neque dormítat, etsi ad tempus quandóque dissímulet; ne fortè periculósiùs ab illíus te mánibus ipse præcípites, si te eis ignoráveris sustentátum.

℣. Cùm vidissent Angelum Dómini ascendentem in flamma altáris Mánue et uxor ejus, dixit Mánue: Morte moriémur, quia vídimus Deum. Cui respondit múlier: * Si Dóminus nos vellet occídere, de mánibus nostris holocaustum non suscepisset. ℣. Habémus grátiam per quam serviámus placentes Deo cum metu et reveréntia: * Si Dóminus nos vellet occídere. Glória Patri. * Si Dóminus. *Judic.* 13. *Hebr.* 12.

IN III.º NOCTURNO.

Ant. 2. D. Vidit David evaginátum gládium in manu Angeli, dixitque: Ego sum qui peccávi, præcepitque Dóminus Angelo, et convertit gládium suum in vagínam. 1. *Paral.* 21.

Ant. 5. a. Minister Elisæi vidit exércitum in circúitu civitátis, nuntiavitque ei. At ille respondit: Noli timére; plures enim nobiscum sunt, quàm cum illis. 4. *Reg.* 6.

Ant. 1. g. Qui missi erant à rege Sennácherib, quia blasphemavérunt te, Dómine, éxiit Angelus, et percussit ex eis centum octo-

ginta quinque míllia. 1. *Machab.* 7.

℣. Fiant tanquam pulvis ante fáciem venti; ℟. Et Angelus Dómini coarctans eos. *Ps.* 34.

LECTIO VII

Léctio sancti Evangélii secundùm Matthæum.

(Cap. 18.)

In illo témpore; Dixit Jesus discípulis suis: Vidéte ne contemnátis unum ex his pusillis; dico enim vobis quia Angeli eórum in cœlis semper vident fáciem Patris mei, qui in cœlis est. Et réliqua.

Homília sancti Hilárii Epíscopi.

(Lib. 3 comment. in Cap. 8 Matth.)

Videte ne contemnátis unum de pusillis istis qui credunt in me. Arctíssimum vínculum mútui amóris impósuit, ad eos præcípuè qui verè in Dómino credidissent. Pusillórum enim Angeli quotídie Deum vident; quia Fílius hóminis venit salváre quæ pérdita sunt. Ergo et Fílius hóminis salvat; et Deum Angeli vident, et Angeli pusillórum sunt.

℟. Próferens Judith caput Holofernis, ostendit, dicens: Vivit ipse Dóminus, quóniam custodívit me Angelus ejus, et revocávit me vobis: * Confitémini illi, omnes; quóniam bonus, quóniam in séculum misericórdia ejus. ℣. Et Petrus dixit: Scio verè quia misit Dóminus Angelum suum et erípuit me de manu Heródis. * Confitémini. *Judith* 13. *Act.* 12.

LECTIO VIII.

Fidelium oratiónibus præesse Angelos absolúta auctóritas est. Salvatórum ígitur per Christum oratiónes Angeli quotídie Deoófferunt. Ergo periculósè ille contémnitur, cujus desidéria ac postulatiónes ad æternum et invisíbilem Deum, ambitióso Angelórum famulátu ac ministério pervehuntur. Atque ut ingentem esse in cœlis lætítiam réditu humánæ salútis osténderet, comparatiónis pósuit exemplum ejus qui oves nonaginta novem in móntibus reliquisset, et errantem unam requisisset; quâ inventâ, plus gáudii sit, quàm habebátur in nonaginta novem conservatióne lætítiæ.

℟. Angelus Dómini descendit cum Azária et sóciis ejus in fornácem: et excussit flammam de fornáce, et non tétigit eos omníno ignis. Tunc hi tres quasi ex uno ore laudábant, * Et benedicébant Deum. ℣. Injecérunt manus in Apóstolos; Angelus autem Dómini eduxit eos: qui intravérunt in templum, et docébant, * Et benedicébant Deum. *Dan.* 3. *Act.* 5.

LECTIO IX.

Ovis una, homo intelligendus est; et sub hómine uno univérsitas sentienda est. Sed in unius Adæ erróre omne hóminum genus aberrávit. Ergo nonaginta novem non errantes, multitúdo Angelórum cœléstium opinanda est, quibus in cœlo est lætítia et cura salútis humánæ. Igitur, et quærens hóminem, Christus est; et nonaginta novem relicti, cœléstis glóriæ multitúdo est: cui cum máximo gáudio errans homo, in Dómini córpore est relátus.

℟. Dániel regi respondens, ait: Deus meus misit Angelum suum, et conclúsit ora leónum, et non nocuérunt mihi: * Ipse est Deus vivens, et æternus in sécula. ℣. Paulus stans in navi, dixit: Astitit mihi Angelus Dei, cujus sum ego, dicens: Ecce donávit tibi Deus omnes qui návigant tecum: * Ipse. Glória. * Ipse. *Dan.* 6. *Act.* 27.

Te Deum.

℣. *Sacerd.* Laudáte Dóminum in virtútibus ejus: ℟. Laudáte eum secundùm multitúdinem magnitúdinis ejus. *Ps.* 150.

AD LAUDES.

Ant. 4. E. Angelus Dómini dixit: Dómine exercítuum, úsquequò tu non miseréberis Jerúsalem, et úrbium Juda, quibus irátus es? *Zach.* 1.

Ant. 6. F. Respondit Dóminus Angelo verba consolatória, dicens: Consolábitur adhuc Dóminus Sion, et éliget adhuc Jerúsalem. *Zach.* 1.

Ant. 1. a. Angelus egrediebátur, dicens: Absque muro habitábitur Jerúsalem; et ego ero ei, ait Dóminus, murus ignis in circúitu ejus. *Zach.* 2.

Ant. 7. *d.* Suscitávit.

CANTICUM.

(Judith 13.)

Grata Judith exultatio de Dei in se mediante Angelo, protectione.

Laudate Dóminum Deum nostrum, * qui non deséruit sperantes in se:

Et in me ancilla sua adimplévit misericórdiam suam, * quam promísit Dómui Israel,

Et interfécit in manu mea * hostem pópuli sui hàc nocte.

Vivit autem ipse Dóminus: * quóniam custodívit me Angelus ejus,

Et hinc euntem, et ibi commorantem, * et indè hùc revertentem.

Ant. Suscitávit me Angelus qui loquebátur in me, et ait: Scietis quia Dóminus exercítuum misit me ad vos. *Zach.* 4.

Ant 3. à. Próteget Dóminus habitatóres Jerúsalem; et erit domus David quasi Dei, sicut Angelus Dómini in conspectu eórum. *Zach.* 12.

Capitulum. (*Isaiæ* 62.)

SUPER muros tuos, Jerúsalem, constítui custódes: totâ die et totâ nocte, in perpétuum non tacébunt. Qui reminiscímini Dómini, ne taceátis, et ne detis silèntium ei, donec stabíliat, et donec ponat Jerúsalem laudem in terra.

HYMNUS.

REGNATOR orbis summus et árbiter,
Cui prona servit cúria Cœlitûm;
Quæ voce solâ tu creásti,
Perpétuâ regis ipse curâ.
NOBIS fidéles próvidus Angelos
Missos olympo suppéditas duces,
Qui nos tot obsessos perículis
Incólumes sine labe servent;
NE nos malignis fráudibus óccupet,
Incauta fallat péctora súbdolus
Suásor malórum; ne redemptam
Abrípiat lánietque prædam.
LAUS summa Patri, súmmaque Fílio;
Tibíque compar glória, Spíritus,
Qui per salútis tot ministros
Das pátrias remeáre sedes.
Amen.

℣. Inclinávit cœlos, et descendit Dóminus: ℟. Ascendit super Chérubim. *Ps.* 17.

Ad Benedictus, *Ant.* 5. C. Cùm páriter prompto ánimo procederent Jerosólymis, appáruit præcédens eos eques in veste cándida; tunc omnes simul benedixérunt misericordem Dóminum.

ORATIO.

DEUS, qui ineffábili providéntiâ sanctos Angelos tuos ad nostram custódiam mittere dignáris: largíre supplícibus tuis, et eórum semper protectióne defendi, et æternâ societáte gaudére; Per.

AD PRIMAM.

Ant. 4. E. Angelus.

AD TERTIAM.

Ant. 6. F. Respondit.

Capitulum. (*Zach.* 1.)

DIXIT ad me Angelus qui loquebátur in me: Clama, dicens: Zelátus sum Jerúsalem et Sion zelo magno: et irâ magnâ ego irascor super gentes opulentas; quia ego irátus sum parùm, ipsi verò adjuvérunt in malum. Propterèa hæc dicit Dóminus: Revertar ad Jerúsalem in misericórdiis.

℟. *br.* Surge, Dómine; * Et dissipentur inimíci tui. Surge. ℣. Et fúgiant qui odérunt te, * à fácie tua, * Et dissipentur. Glória Patri. Surge, Dómine. *Cant. Moysi. Num.* 10.

℣. Fiat via illórum ténebræ, et lúbricum; ℟. Et An-

gelus Dómini pérsequens eos. *Ps.* 34.

AD SEXTAM.

Ant. 1. a. Angelus.

Capitulum. (*Zach.* 9.)

Circumdabo domum meam ex his qui militant mihi, euntes et revertentes: et non transíbit super eos ultra exactor; quia nunc vidi in óculis meis.

℟. *br.* Dómine Deus meus, * Magnificátus es vehementer. Dómine. ℣. Qui facis Angelos tuos, spíritus; * et ministros tuos, ignem urentem, * Magnificátus es. Glória Patri. Dómine Deus meus. *Ps.* 103.

℣. Currus Dei decem míllibus múltiplex, míllia lætántium: ℟. Dóminus in eis. *Ps.* 67.

AD NONAM.

Ant. 3. à. Próteget Dóminus.

Capitulum. (2. *Mach.* 15.)

Dominator cœlórum, mitte Angelum tuum bonum ante nos, in timóre et trémore magnitúdinis brachii tui; ut métuant qui cum blasphémia véniunt adversùs sanctum pópulum tuum.

℟. *br.* Qui sedes super Chérubim, * Dómine Deus virtútum. Qui sedes. ℣. Ostende fáciem tuam, * et salvi érimus, * Dómine. Glória Patri. Qui sedes. *Ps.* 79.

℣. Dóminus virtútum nobiscum, ℟. Susceptor noster Deus Jacob. *Ps.* 45.

AD II. VESPERAS.

Ant. 3. a. Vidéte ne contemnátis unum de pusillis qui in me credunt; dico enim vobis quia Angeli eórum semper vident fáciem Patris mei qui in cœlis est. *Matth.* 18.

Ant. 4. E. Dico vobis: Gáudium erit coram Angelis Dei super uno peccatóre pœniténtiam agente. *Luc.* 15.

Ant. 6. F. Mittet Dóminus Angelos suos: et congregábunt electos ejus. *Matth.* 24.

Ant. 8. G. Omnes sunt administratórii Spíritus, in ministérium missi propter eos qui hæreditátem cápient salútis. *Hebr.* 1.

Ant. 5. C. Cecidérunt coram Agno, habentes sínguli cítharas, et phíalas plenas odoramentórum, quæ sunt oratiónes Sanctórum. *Apoc.* 5.

Capitulum. (*Apoc.* 8.)

Angelus venit, et stetit ante altáre, habens thuríbulum áureum; et data sunt illi incensa multa, ut daret de oratiónibus Sanctórum ómnium super altáre áureum quod est ante thronum Dei: et ascendit fumus incensórum de oratiónibus Sanctórum de manu Angeli coram Deo.

Hymnus, Custódes, 473.

℣. In conspectu Angelórum psallam tibi, Deus meus: ℟. Adorábo ad templum sanctum tuum, et confitébor nómini tuo. *Ps.* 137.

Ad Magníficat, *Ant.* 7. G. Unus de Angelis ostendit mihi civitátem sanctam Jerúsalem; et habébat murum habentem portas duódecim; et in portis Angelos duódecim. *Apoc.* 21.

Oratio, ut suprà ad Laudes.

Fit Commem. Translat. Reliq. SS. Eugenii, Episc. et Conf. Amarandi, Vindemialis, Longini, Mart. et Charissimæ Virginis. Ant. Cùm vos óderint. ℣. Virílitər, xv. *Oratio, ut infrà.*

DIE III.

IN TRANSLATIONE

SANCTORUM EUGENII,

EPISC. ET CONF.

AMARANDI, VINDEMIALIS,

LONGINI, MARTYRUM,

ET CARISSIMÆ, VIRGINIS.

Semiduplex.

Omnia de Communi plurium Martyrum, xiv.

LECTIO II.

Sanctorum Eugénii, Vindemiális, Longíni, Amarandi Mártyrum, et Charíssimæ Vírginis, córpora quæ ab ipsâ illórum morte, in Eccléstà Viántii, in território Albiensi, repósita fúerant, et per multa sécula colebantur: cùm de religióne loci decédere, atque sacrórum pignorum cultum immínui in dies cérneret Ludovícus de Ambósià Albiensis Epíscopus, illa in Eccléstam sanctæ Cæcíliæ, suo benefício miríficè decorátam, et totà Gállià jam célebrem, quantâ pótuit pompâ et apparátu, vir imprímis pius atque magníficus inferenda curávit anno salútis millésimo, quadringentésimo, nonagésimo quarto, ipsâ die dedicatiónis Archángeli Michaélis: cujus tamen Translatiónis festum ágitur tértiâ die Octóbris.

LECTIO III.

Sermo sancti Ambrósii Episcopi.

(Serm. 55. in Append.)

Agnoscamus, Caríssimi, circà Ecclésiam nostram uberiórem divinórum múnerum largitátem. Exultant felíces singulárum úrbium pópuli, si uníus saltem Mártyris relíquiis muniántur: ecce nos pópulos mártyrum possidémus. Gáudeat terra nostra nutrix cœléstium mílitum, et tantárum parens fœcunda virtútum. Rectè ítaque et ex débito à fíliis parentis Ecclésiæ horum beatórum Mártyrum celebrántur insígnia: qui illuminántes virtúte fídei suæ innumerábiles pópulos, soli

quidem illátam sibi sensére mortem, sed non soli mortis suæ benefícia possedérunt. Immensa enim Dei nostri piétas, múltiplex ad bonitátem, et ártifex ad salútem, in paucórum triumphis, plurimórum cómmodis próspicit. Illórum siquidem mérita nostra vult esse suffrágia : simulque, dum nobis fidem veram duro Martyrii agóne commendat, afflictiónem præcedéntium instructiónem éfficit posterórum.

ORATIO.

Omnipotens, sempiterne Deus, qui ad immortáles triumphos, Eugénium Confessórem tuum atque Pontíficem, Amarandum, Vindemiálem, Longínum, Mártyres tuos, et Charíssimam Vírginem, extulisti : da córdibus nostris dignam pro eórum Translatióne lætítiam : ut quorum córpora pio amóre ampléctimur, eórum précibus adjuvémur; Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritûs sancti Deus.

Vesperæ *à Capítulo de sancto Francisco, ut in Communi Justorum*, xlix. *Oratio*, Deus, qui te párvulis, *infrà*, 483.

Pro Commem. Translationis SS. Eugenii, *Ant.* Beáti. ℣. Multæ, xix. *Orátio*, *ut suprà*.

DIE IV.

SANCTI FRANCISCI ASSISINATIS.

Semiduplex.

LECTIO II.

Franciscus Assísii in Umbria natus, à prima ætáte, patris exemplum secútus, mercatúram fecit. Quodam die, páuperem pro Christi amóre pecúniam flagitántem, cùm præter consuetúdinem repulísset, repentè eo facto commótus, largè ei misericórdiam impertívit. Quâ ex die Deo promísit se némini unquam poscenti eleemósynam negatúrum. Cùm verò in gravem morbum incidísset, receptâ sanitáte, cœpit ardéntiùs cólere offícia caritátis. Quâ in exercitatióne tantùm profécit, ut Evangélicæ perfectiónis cúpidus, quidquid habéret paupéribus largirétur. Cùm autem illud ex Evangélio audísset : Nolíte possidére aurum, neque argentum in zonis vestris, non peram in via, neque duas túnicas, neque calceamenta, sibi eam régulam servándam propósuit. Itaque detractis cálceis, et unâ contentus túnicâ, cùm duódecim sócios adhibuísset, Ordinem Minórum instítuit, conscriptâ régulâ, quam anno millésimo ducentésimo nono Innocén-

tius tértius, ad quem Franciscus supplex cum sóciis Romam accésserat, confirmávit. Inde reversus, habitávit cum iis in tugúrio juxta Assísium, ubi in labóre multo, magnàque inópiâ, piis meditatiónibus vacábant.

LECTIO III.

Docebat eos honoráre præcípuâ reveréntiâ Sacerdótes, et fídei quam Romána tenet Ecclésia, firmiter adhæréscere. Jubébat quoque mulíerum familiaritátes, collóquia et aspectus sollicítiùs evitári. Otium, ómnium malárum cogitatiónum sentínam, summóperè fugiendum prædicábat; dicebatque: Volo fratres meos laboráre et exercitári; ne ótio dédíti, per illícita corde aut linguâ vagentur. Eosdem duxit póstea ad sanctam Maríam Angelórum, unde in finítimis locis regnum Dei annuntiábat, dícere sólitus, salúti animárum nihil esse anteponendum. Hinc cùm fratres in várias orbis partes dimítteret, ipse iter Parísios dirígere instítuit, singulárem propensiónem testátus erga hanc Ecclésiam. Cùm verò id illi propter suborta quædam negótia non licéret, quosdam ex sóciis Lutétiam misit, quibus Custódis nómine primus in hospítio præpósitus est Agnellus, ántequàm domum própriam habérent: quam tandem in território sancti Germáni de Pratis, concedéntibus Monáchis, consecúti sunt. Franciscus autem martyrii cúpidus in Syriam trajécit, ubi à Meledíno Babylónis Ægypti Soldáno liberáliter exceptus, cùm nihil proficeret, rédiit in Itáliam. Gráviter ægrótans deferri vóluit in Ecclésiam sanctæ Maríæ Angelórum; ut ubi grátiæ spíritum accéperat, ibi spíritum vitæ rédderet. Eo in loco fratres ad paupertátem ac patiéntiam, et sanctæ Románæ Ecclésiæ fidem servandam cohortátus, Psalmum illum pronúntians, Voce meâ ad Dóminum clamávi; in eo versículo, Me expectant justi, donec retribuas mihi, efflávit ánimam anno Christi millésimo ducentésimo vigésimo sexto. Miráculis clarum Gregórius nonus paulò post Sanctis ascripsit.

Tu autem.

ORATIO.

Deus, qui te párvulis et humílibus revelâre non dedigináris: tríbue nobis, quæsumus, imitatióne beáti Francisci, et stultam hujus mundi dedíscere sapiéntiam, et solum edíscere Jesum Christum crucifixum; Qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritûs sancti Deus, per ómnia sécula seculórum.

℟. Amen.

DIE VI.

SANCTI BRUNONIS,

MONACHI.

Semiduplex.

Omnia de Communi Monach. additis quæ sequuntur.

In I. Vesp. *Fit Commem. sanctæ Enimiæ, Virg. Ant.* Complácuit. ℣. Audi, LVII. *Oratio*, Deus qui habitáculum, LXI.

Deinde S. Fidis, Virg. et Mart. Ant. Infirma. ℣. Deus, XLI. *Oratio*, Omnípotens sempiterne Deus, LVI.

Ad Noct. *Lectio I, de Script. occur. è tribus fit una.*

LECTIO II.

Bruno Colóniæ Agrippínæ natus, post emensa Parísiis Grammáticæ, Philosóphiæ, et Theológiæ stúdia, Remensis Ecclésiæ Canónicus, ibidemque magnórum studiórum Rector effectus est. Solitúdinis amóre flagrans, cum sex áliis familiáribus mundo renuntiávit, ac sanctum Hugónem Epíscopum Gratianopolitánum ádiit : qui, causâ eórum adventûs cógnitâ, montes suæ Diœcéseos aspérrimos, qui Carthusiáni dicebantur, incolendos concessit. Illic ædificáto Oratório, ac céllulis separátim exstructis, bini in síngulis habitantes, silén-tio, oratióni, et lectióni vacábant. Hugónem Epíscopum nímio solitúdinis amóre diútiùs in Carthúsia commorantem, his verbis admonébat : Redi ad oves tibi commissas ; iisque quod debes, fidéliter exsolve. Post sex annos in secessu exactos, Bruno ab Urbáno secundo Romam accersítus, postquàm eum in Synodis celebrandis, gerendisque negótiis Ecclesiásticis, consílio suo per triénnium adjuvisset, ab eo demum facultátem obtínuit erémi repetendæ, recusáto Archiepiscopátu Rhegiensis Ecclésiæ, quæ prima est Calábriæ Metrópolis.

LECTIO III.

Cum Urbánus post celebrátum Placéntiæ Concílium, in Gálliam profectúrus esset; Bruno secessit in erémum prope Scyláceum in Calábria, ubi monastérium ædificávit. Morti pxóximus, fídei suæ professiónem coram frátribus édidit; eamque contra errórem Berengárii conclúsit his verbis : Credo étiam Sacramenta quæ sancta credit et venerátur Ecclésia : et nominátim panem et vinum quæ consecrantur in Altári, post consecratiónem verum Corpus esse Dómini nostri Jesu Christi, veram Carnem et verum Sánguinem, quæ et nos recípimus in remissiónem peccatórum nostrórum et in spe salútis æternæ. Quiévit in Dómino anno millésimo centésimo primo ¶ Hoc

ipso die ágitur memória sanctæ Enímiæ, insignis apud Gabalitános vírginis, ac celebrátur martyrium sanctæ Fidis vírginis, quæ Aginni ad Garumnam nata, et Christi fidem professa, sub Daciáno Præfecto multis horrendisque probáta cruciátibus, amputáto cápite, martyrium complévit. Corpus ejus Conchas, Ruthenórum vicum, in monastérium ejus nómine célebre, póstea delátum est: ubi plúrima circa annum millésimum édita sunt mirácula, quæ scripta per Bernardum Andegavensem Scholásticum, et Fulberto Epíscopo Carnutensi transmissa, sanctæ Martyris cultum et memóriam in his pártibus propagárunt.

In Laudibus Hymn. O pulchras ácies, XLVI. ℣. Clamávi. *Ant.* Pars mea, LVII.

ORATIO.

Sancti Brunónis, quæsumus, Dómine, intercessiónibus adjuvémur; ut qui majestátem tuam gráviter delinquendo offéndimus, ejus méritis et précibus, nostrórum delictórum véniam consequámur; Per Dóminum nostrum Jesum Christum fílium tuum, qui tecum vivit et regnat.

Pro Commem. S. Enimiæ Virg. Ant. Exultábit. ℣. Sitívit. *Oratio*, Deus qui habitáculum, LXI.

Postèà de S. Fide Virg. Ant. Factus est. ℣. Hæréditas. *Oratio*, Omnípotens sempiterne Deus, LXI.

DIE VIII.

IN TRANSLATIONE

CORPORIS S. SALVII,

ALBIENSIS EPICOPI.

Semiduplex.

Omnia ut in Communi Pontificum, additis quæ sequuntur. Oratio, ut infrà, 486.

LECTIO II.

(Ex Chart. Alb.)

Orta est olim dubitátio de córpore beáti Sálvii, cujus sepulcrum immensâ lápidum congérie coopertum, ne alicújus furto unquam patére posset, post altâre beáti Saturníni tunc témporis latébat. Custos Ecclésiæ, vidélicet sacrista, ad cujus curam hoc máxime spectábat, quemdam lápidum cæsórem, boni testimónii virum, super hoc ipso negótio tandem secrétò allóquitur, et ejus ad hoc petit adjutórium. Ambo páriter animáti, adhíbito tantùm secum Ecclésiæ ostiário; quòd sócios tali júngere óperi, donec vidérent eventum rei, formidárent, ad túmulum sacrum accédunt, ibíque fusâ oratióne, acervum díssipant. Nec multitúdine lápidum términi, nec

ponderósâ multitúdine graváti, mirum in modum opus, in quo plusquam decem viri videbantur necessárii, tantâ velocitáte, tantàque facilitáte perágunt, ut magis sese reparári laborando, quàm fatigári séntiant. Mox ex insperáto urnam térream juxta sepulcrum à parte pedum locátam instrumento férreo feriendo pérforant. Statimque mellíflui, et aromátici odóris fragrántiâ copiósè dulcoráti sunt; admotoque lúmine, quid urna contíneat nóscere cupientes, intrò prospíciunt Sanctórum Relíquias, et carnes étiam óssibus adhærentes.

LECTIO III.

Cumque, et desíderáti sepulcri latus, cui urna adhærébat, páriter cérnerent, invenérunt étiam supradictæ urnæ álias duas persímiles, ex directo in álio látere locátas, et pignóribus sanctórum plenas. Post hæc sancti Præsulis monumentum cum gáudio et trémore simul apertum est in Hymnis et Cánticis, et plúribus cereórum lumínibus, octávo Idus octóbris, anno millésimo centésimo nonagésimo quarto, præsente venerábili Dómino Guillelmo Petri Epíscopo: præséntibus étiam Ecclésiæ Pærpósito, et Candeliacensi Abbáte, aliisque multis Ecclésiæ Cathedrális et Collegiátæ ministris. Visique sunt sacratíssimi cíneres à compluribus tam Láicis quàm Cléricis, eódem modo extensi et permanentes, quo sacra córporis gleba olim in vase collocáta est; ita ut et manus super pectus cernerentur, et vestígia pastorális virgæ, quæ juxta corpus pósita in púlverem redacta fúerat, certíssimè notarentur. Tam sacra pignora honorificè cóndita sunt, et ergo Sanctum inde major populórum crevit devótio.

ORATIO.

Deus qui nos sancti Sálvii Pontíficis prótegis præsídio: éxcita in nobis quam adhuc spirant sacri ejus cíneres pietátem, ipsiusque précibus ab omni nos adversitáte custódi; Per.

Vesperæ, *à Capit. de seq*

DIE IX.

SS. DIONYSII,

RUSTICI ET ELEUTHERII

MARTYRUM.

Semiduplex.

Omnia de Communi Martyrum, exceptis quæ seq.

IN I. VESPERIS.

Capitulum. (*Is.* 49.)

Hæc dicit Dóminus Deus: Ecce levábo ad gentes manum meam, et ad pópulos exaltábo signum meum. Et

áfferent filios tuos in ulnis,
et filias tuas super húmeros portábunt.

HYMNUS.

JAM, Christe, nomen Gállica plebs tuum
Audívit; ingens pendet opus tamen:
Compelle clemens universam
Sponte sequi tua signa gentem.
SACER Pothíni fumat adhuc cruor,
Mœretque vastas destítui suo
Cultóre messes: mitte tanto,
Christe, pares óperi ministros.
AUDIS. Verendi, dum lóquimur, senes
Venére septem: dux Dionysius
Exámen ánteit; quàque præstet
Ire, legunt sibi quisque terras.
SED quà nefandos cómperit ácriùs
Fervére cultus, huc rápidus volat,
Impressa carni præliórum
Clara ferens vèterum trophæa.
HINC quanta posthàc Christiadum seges
Exurget! Ergo pastor, Apóstolus
Ames vocári Galliárum,
Sancte Senex, columenque regni.
QUI nos ab alto nunc quoque párturis,
Fovére prolem perge tuam, Pater;
Ut corde spirantem sub imo
Exhíbeat pia vita Christum.
LAUS summa Patri, súmmaque Fílio,
Sanctóque compar laus tibi, Spíritus,
Per quem rebelles veritáti
Súbdere amant fera colla gentes. Amen.

Oratio, ut infra ad Laudes.

Fit Commem. Translationis Corporis S. Salvii Episc. Ant. Sacerdótes. ℣. Salvum, XXVIII. *Oratio, ut suprà.*

Deindè S. Exuperiæ Virg. et Mart. Ant. Infirma. ℣. Deus, LVI. *Oratio,* Deus qui inter, LXI.

AD OFFIC. NOCTURNUM.

HYMNUS.

LUX de luce Deus, fons quoquoque lúminum,
Quo stat perpétuus cœlítibus dies,
Tristem sub misera nocte Lutétiam
Quanto lúmine récreas!
Huc de sede Petri férvidus ádvolat:
Aras, fana, deos fúnditùs éruit;
Et Christum résonans, dédocet ímpios
Dux verbi Dionysius.
ADDUNT se cómites, et rúdibus pia
Committunt fídei sémina méntibus:

Sacris bárbara gens, jam dócilis Deo,
Christum fróntibus índuit.
CRESCIT sancta fides, fit nova cívitas:
Hinc sævit rábies in ténerum gregem:
Intentos óperi, nec tímidos mori
Pastóres furor ímpetit.
APTANTUR gládii, vérbera, cómpedes:
Illi supplícium delícias putant:
Subdunt se gládiis, tres simul óccidunt,
Tres cœlo simul ádvolant.
PATRI máxima laus: máxima Fílio;
Amborumque sacro máxima Flámini,
Cui se rité litans, fúnere spléndido
Triplex consecrat hóstia.
Amen.

LECTIO II.

DIONYSIUS à Románo Pontífice Géntium Epíscopus ordinátus, cum Tróphimo, Saturníno, et áliis quátuor, ad prædicandum in Gállias ante Deciórum impérium, missus est. Appulisse septem in Provínciam Narbonensem, et christiáni nóminis reveréntiam Arelatensi primùm urbi exhibuisse, vetus Ecclésiæ Gallicánæ tradítio est. Cívitas autem illa, quæ tunc témporis nostræ religiónis primítias, teste Papâ Zózimo, prima suscépit, cùm res illic commúni labóre constitútæ fuissent, sanctum Tróphimum ex illis septem primum habére méruit Sacerdótem, in illa Sede, ut ibi háctenus refertur, collocátum à Dionysio; à quo idcirco vétera ejusdem Ecclésiæ diptyca Episcopórum suórum ducunt inítium. Eódem modo divísis inter álios úrbibus, Saturnínus Tolósam, Turónos Gratiánus, uterque anno Décii Imperatóris primo ingressus est. Narbónam verò Paulus, Stremónius Arvernos, et Lemóvicas Martiális diversis sínguli tempóribus pervenérunt: et sic paulátim áliis Galliárum regiónibus donum fídei et religiónis infúsum. Dionysius autem cùm majóre dilatandæ Ecclésiæ stúdio æstuáret, ad últimos Célticæ fines lóngiùs céteris progressus est. Itaque assumptis è discipulórum número adjutóribus duódecim, eo in comitátu, ut Patres Synodi Parisiensis in causa Imáginum sub Ludovíco Pio Imperatóre celebrátæ réferunt, Lutétiam jam ante Christum coram tribunálibus confessus advénit. Tum patefacto sibi per vária mirácula prædicatiónis áditu, postquam cives non exíguo número Christo subjécit, adlégit ex eis ministros quibuscum auram pópuli partirétur; atque ita Ecclésiam quæ necdum illis in locis fúerat, ex

Clero et pópulo secundùm formam Apostólicam instítuit, quam ipse auctoritáte Episcopáli primus administrávit.

LECTIO III.

TUNC verò ad providendum civitátibus Provinciisque vicínis ánimum libériùs adjungens, emísit in ulterióres Gálliæ partes, tanquam ad novam expeditiónem, duódecim discípulos, quorum óperâ strénuâ fidelíque hâctenus usus fúerat, ut illas regiónes suis auspíciis suóque ductu Christo acquírerent; quas feré omnes pósteà sánguine suo consecrárunt in persecutióne Maximiáni Imperatóris. Ipse verò post labóres multos et itínera, Parísios tunc reversus, cùm gravis súbitò in occídua præsertim orbis parte mota persecútio cœpit; cujus minister in his pártibus, Lugdunensis tunc Gálliæ Præses Sisínnius Fescennínus extitísse scríbitur. Is Dionysium ad necem inquíri jussit, et Parísiis cum Rústico Presbytero, et Eleuthério Diácono repertum cárceri mancipári, donec eum audíret. Tum quæstióne hábitâ, admotisque tormentis, postquàm se nihil proficere intellexit, et fide Mártyrum tormentórum vim et vérberum injúrias superári, cápita illis amputári jussit séptimo Idus Octóbris. Córpora eórum in Séquanam prójici jussa, matróna quædam Evangélii fidem amplexári méditans, elúsis milítibus, secum avexit, et sexto ab urbe lápide sepelívit. Illic deinceps Basílica à Christiánis, sanctâ vírgine Genovéfâ potíssimùm agente, constructa, magnificentíssimè à Dagoberto rege instaurâta est, et Martyrum túmulus arte et óperâ beáti Elígii máximis ornamentis decorátus; ad quem Dagobertus primùm, et exinde céteri Francórum reges, Mártyrum patrocíniis regno speciáliter dicáto, tumulári ambiérunt, et sanctum Dionysium ut Galliárum Apóstolum omni religiónis offício prosecúti sunt. ¶ Hâc quoque die memóriam ágimus sanctæ Exupériæ vírginis, quæ tértio século Romæ Viâ Latínâ martyrio coronáta est.

ORATIO.

DEUS, qui hodiernâ die beátum Dionysium, Mártyrem tuum atque Pontíficem, virtúte constántiæ in passióne roborasti; quique illi, ad prædicandum Géntibus glóriam tuam, Rústicum et Eleuthérium sociáre dignátus es: tríbue nobis, quæsumus, ex eórum imitatióne, pro amóre tuo próspera mundi despícere, et nulla ejus adversa formi-

dáre; Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum qui tecum.

Pro Commem. S. Exuperiæ, Ant. Factus est. ℣. Hæreditas. *Oratio,* Deus qui, LXI.

DIE XII.

SANCTÆ SPERIÆ,

VIRGINIS ET MARTYRIS.

Simplex.

Oratio, Deus, qui inter, LXI.

LECTIO III.

Speria Seréno patre et matre Blandínâ nobílibus in sancti Seréni arce diœcésis Cadurcensis nata, et piè educáta, virginitátem Deo vovisse tráditur. Orbáta paréntibus, ne cùm Helídio viro præpotenti, cui à Claro fratre suo desponsáta fúerat, ad sedandas inter se discórdias, cogerétur ad núptias, clam domum secessit in vastam erémi, vulgò de Leymo, solitúdinem, ubi tribus ménsibus delítuit. Ejus abséntiam Helídius et Clarus ægrè ferentes, multâ indágine conquisítam Spériam, tandem invenérunt in quercûs concávo sinu; quam fusis lácrymis Clarus deprecátus est, ut Helídii connúbium pacem commúnem conciliatúrum non recúset; quæ constans perseverávit in virginitátis propósito. A quo cùm nec blandítiis, nec minis averti potuisset, ab Helídio furóre percito gládio percussa, virginitátis et martyrii corónam obtínuit, ad annum círciter septingentésimum sexagésimum. In cujus honórem Ecclésia extructa fuit, et sacris ejus exúviis ditáta, multisque illustráta miráculis, et urbs sancti Seréni sub ejus clientélâ ampliáta est.

Vesperæ, *à Capítulo de Sequenti, ut in Communi Justorum,* XLIX. *Oratio,* Fac, quæsumus, LIV.

DIE XIII.

SANCTI GERALDI,

COMITIS AURELIACENSIS.

Simplex.

LECTIO III.

Geraldus, Aureliáci in Arvérnia Comes, à paréntibus génere claríssimis piè institútus, ad stúdium sacrárum litterárum ultro se cóntulit. In quo stúdio eos progressus fecit, ut Scriptúram sacram totam teneret ferè memóriter. Orbátus paréntibus adolescens, amplo património potítus; ad pietátis, misericórdiæ, et justítiæ offícia, divítiis et potestáte usus est. Nunquam duxit uxórem. Puellæ cujusdam aspectu voluptátis acúleo aliquando pércitus, parùm ábfuit quin in peccátum incíderet; sed ad se statim reversus, pœniténtiam

egit. Nec mora, cæcitáte percussus, conceptæ ánimo libídinis pœnas luit. Mox vigilántior Deo militávit : recuperatoque póstmodùm oculórum usu, nullas passus est unquam apud se diversári mulíeres. Jejúniis, oratióni, sacræ lectióni, páuperum curæ, pupillórum et subditórum defensióni totum se dedit. Romam ad Apostolórum límina visitanda sépties se cóntulit. Orbátus ìterùm visu septénnio ante óbitum, nihil de prístina pœniténtia remísit. Sanctè óbiit anno Christi nongentésimo nono, ætátis quinquagésimo quarto. Multis ante et post óbitum clàruit miráculis, teste sancto Odóne Cluniacensi Abbáte, vitæ ipsíus scriptóre coætáneo.

DIE XV

SANCTÆ THERESIÆ,

VIRGINIS.

Semiduplex.

LECTIO II.

THERESIA Abulæ in Hispánia nata, ex perlectis in tenera ætáte Mártyrum actis, magnum hausit pietátis sensum ; qui póstea tum equéstrium fabellárum lectióne, tum affínium consuetúdine, imminútus, ita Monialium quarum disciplínæ commissa fúerat, institutióne, et Epistolárum beáti Hierónymi lectióne, revixit, ut vigésimo secundo ætátis anno, in Abulensi Carmelitárum cœnóbio, vitæ religiósæ votum emíserit. Ibi humilitátis ac caritátis, máximè erga infirmas soróres, opéribus, patientiàque singulári in váriis tentatiónibus, gravibusque morbis per annos ferè viginti perferendis excélluit. Cùm tamen aliquámdiu secularium familiaritáte, oratiónis intermissióne, et Confessariórum imperítiâ, áliquid de fervóre pietátis remisisset, tandem ex lectióne Confessiónum sancti Augustíni ad Deum pénitùs reversa, ingentes in virtúte progressus fecit. Multis exinde illustratiónibus à Deo donáta est ; quas tamen superiórum arbítrio subjiciébat, dícere sólita, se in revelatiónibus décipi posse, in obediéntia néutiquam. Tanto patiendi tenebátur desidério, ut eos à quibus lædebátur, máximè dilígeret, ac sæpè exclamáret : Dómine, aut pati, aut mori.

LECTIO III.

ORDINIS Carmelitárum reformatiónem aggressa, multa virórum ac mulierum monastéria instítuit, plúrimas ob id contumélias, ipsum étiam cárcerem passa. Insignem in Ordine cooperatórem nacta est Joannem à Cruce dictum, admirandæ sanctitátis et patiéntiæ vi-

rum, qui tamen ejus exemplo plúrimùm se profecisse in spirituális propósiti perfectióne sæpiùs testátus est. Cujus perfectiónis consílium Therésia tam altè ánimo infixit, ut votum emíserit efficiendi semper quidquid perféctius intellígeret. Soróribus suis oratiónem adversùs grassantes hæreses, labórem mánuum et paupertátis stúdium commendávit: nihilque cárius hábuit, quàm ut Vírgines sine dote admítteret. Libros scripsit cœlestem pietátem spirantes. Albæ ad Tormim decumbens, Ecclésiæ sacramentis munita, ánimam Deo réddidit ipsâ nocte quæ inter quartum et décimum quintum Octóbris diem, detractis in Calendárii reformatióne diébus decem, intercedébat, anno salútis millésimo quingentésimo octogésimo secundo, ætátis sexagésimo octávo. Eam ante et post óbitum miráculis claram Gregórius décimus quintus Sanctis adscripsit.

ORATIO.

Deus, qui beátæ vírginis Therésiæ mónitis et exemplo servos tibi et ancillas suscitasti, in quos de Spíritu tuo effúnderes, da nobis, ejus imitatióne ac précibus, et cœlestis doctrínæ pábulo nutríri, et veræ perfectiónis desidério accendi; Per Dóminum.... in unitáte.

DIE XVIII.

SANCTI LUCÆ,

EVANGELISTÆ.

Duplex-majus.

Psalmi de Feria in toto Officio.

IN I. VESPERIS.

Ant. 1. *f.* Quàm speciósi pedes evangelizántium pacem, evangelizántium bona! *Rom.* 10.

Ant. 7. *d.* Vox speculatórum: levavérunt vocem, simul laudábunt; quia consolátus est Dóminus pópulum suum. *Is.* 52.

Ant. 6. F. Primus ad Sion dicet: Ecce adsunt; et Jerúsalem Evangelistam dabo. *Is.* 41.

Ant. 4. E. Ostendit vobis pactum suum quod præcépit ut facerétis, et verba scripsit. *Deut.* 4.

Ant. 8. G. Consummábitur mystérium, sicut evangelizávit per servos suos. *Apoc.* 10.

Capitulum. (*Ephes.* 4.)

Christus dedit quosdam quidem Apóstolos, quosdam autem Prophétas, álios verò Evangelistas, álios autem Pastóres, et Doctóres, ad consummatiónem Sanctórum in opus ministérii, in ædificatiónem córporis Christi.

℟. Implétum est tempus, et appropinquávit regnum Dei: *Pœnitémini, et †Cré-

dite Evangélio. ℣. Ecce super montes pedes evangelizantis, et annuntiantis pacem. * Pœnitémini. Glória Patri. ┼ Crédite Evangélio. *Marc.* 1. *Nahum* 1.

HYMNUS.

Christi perennes núntii,
Retecta qui cœléstibus
Scriptis Dei mystéria
Totum per orbem spárgitis;
Olim sub umbris cóndita
Vates sacri quæ víderant,
Umbris procul cedéntibus,
Vidistis hæc pleno die.
Humana quæ tulit Deus,
Divína quæ gessit homo,
Seris legenda pósteris
Dictante scripsistis Deo.
Loco remótos, témpore,
Vos rexit idem Spíritus:
Vestris adhuc in páginis
Nobis loqui non désinit.
Uni sit et trino Deo
Supréma laus, summum decus,
De nocte qui nos ad suæ
Lumen vocávit glóriæ.
Amen.

℣. Dóminus dabit verbum evangelizántibus, ℟. Virtúte multâ. *Ps.* 67.

Ad Magníficat, *Ant.* 5. C. Exalta in fortitúdine vocem tuam, qui evangelízas Jerúsalem: exalta, noli timére. Ecce bráchium Dómini dominábitur. *Is.* 40.

Oratio, ut infrà ad Laud.

AD OFFIC. NOCTURNUM.

Ut in Communi Apostolorum, exceptis quæ sequuntur

INVITATORIUM.

Deum qui vocávit nos in fide veritátis per Evangélium, * Veníte, adorémus. 2. *Thess.* 2.

Ps. 94. Veníte, 2.

Hymnus, Christi, *ut suprà.*

In I. Noct. *Lectiones de Scriptura occurrente.*

IN II.° NOCTURNO.

LECTIO IV.

Ex libro sancti Hierónymi, Presbyteri, de Scriptóribus Ecclesiásticis.

(Cap. 7.)

Lucas, médicus Antiochensis, ut ejus scripta índicant, Græci sermónis non ignárus, fuit sectátor Apóstoli Pauli, et omnis peregrinatiónis ejus comes. Scripsit Evangélium, de quo idem Paulus: Mísimus, inquit, cum illo fratrem, cujus laus est in Evangélio per omnes Ecclésias. Et ad Colossenses: Salútat vos Lucas médicus, caríssimus. Et ad Timótheum: Lucas est mecum solus. Aliud quoque édidit volúmen egrégium, quod título Acta Apostolórum prænotátur: cujus história usque ad biénnium Romæ commorantis Pauli pervénit, id est, usque ad quartum Nerónis annum. Ex quo intellígimus in eádem urbe librum esse compósitum.

LECTIO V.

IGITUR peregrinatiónes Pauli et Theclæ, et totam baptizáti Leónis fábulam, inter apócryphas scriptúras computámus. Quale enim est, ut indivíduus comes Apóstoli, inter céteras ejus res, hoc solum ignoráverit? Sed et Tertullianus vicínus eórum témporum, refert Presbyterum quemdam in Asia, amatórem Apóstoli Pauli, convictum apud Joannem quod auctor esset libri, et confessum se hoc Pauli amóre fecisse, loco excidisse.

LECTIO VI.

QUIDAM suspicantur, quotiescumque in Epístolis suis Paulus dicit, Juxta Evangélium meum, de Lucæ significáre volúmine; et Lucam non solùm ab Apóstolo Paulo didicisse Evangélium, qui cum Dómino in carne non fúerat, sed et à céteris Apóstolis. Quod ipse quoque in princípio sui volúminis declárat, dicens: Sicut tradidérunt nobis qui à princípio ipsi vidérunt, et ministri fuérunt sermónis. Igitur Evangélium, sicut audíerat, scripsit; Acta verò Apostolórum, sicut víderat, compósuit. Sepultus est Constantinópoli; ad quam urbem, vicesimo Constantíni anno, ossa ejus cum relíquiis Andréæ Apóstoli transláta sunt.

IN III.° NOCTURNO.

LECTIO VII.

Léctio sancti Evangélii secundùm Lucam.

(Cap. 1.)

QUONIAM quidem multi conáti sunt ordináre narratiónem, quæ in nobis complétæ sunt, rerum. Et réliqua.

Homília sancti Hierónymi, Presbyteri.

(Procem. Comment. in Matth.)

PLURES fuisse qui Evangélia scripsérunt, et Lucas Evangelista testátur, dicens: Quóniam quidem multi conáti sunt ordináre narratiónem rerum quæ in nobis complétæ sunt: et perseveránti usque in præsens tempus monimenta declárant, quæ à diversis auctóribus édita, diversárum hæréseon fuére princípia. Quibus jure potest illud prophéticum coaptári: Væ qui prophétant de corde suo; qui ámbulant post spíritum suum; qui dicunt, Hæc dicit Dóminus; et Dóminus non misit eos. Ecclésia autem, quæ supra petram, Dómini voce, fundáta est, quátuor flúmina paradísi instar eructans, quátuor et ángulos et annulos habet, per quos quasi arca testamenti, et custos legis Dómini, lignis immobílibus véhitur.

LECTIO VIII.

PRIMUS ómnium Matthæus est, publicánus, qui Evangélium in Judæa Hebræo sermóne édidit. Secundus, Marcus, interpres Apóstoli Petri, et Alexandrínæ Ecclésiæ primus Epíscopus. Tértius, Lucas, médicus, natióne Syrus, Antiochensis, cujus laus in Evangélio; qui et ipse discípulus Apóstoli Pauli, in Acháiæ Bœotiæque pártibus volúmen cóndidit, quædam áltiùs répetens; et, ut ipse in proœmio confitétur, audíta magis quàm visa descríbens. Ultimus, Joannes, Apóstolus et Evangelista, qui supra pectus Dómini recumbens, puríssima doctrinárum fluenta potávit.

LECTIO IX.

HÆC ígitur quátuor Evangélia multò antè prædicta Ezechiélis quoque volúmen probat, in quo prima vísio ita contéxitur: Et in médio sicut similitúdo quátuor animálium; et vultus eórum, fácies hóminis, et fácies leónis, et fácies vituli, et fácies áquilæ. Prima hóminis fácies Matthæum significat, qui quasi de hómine exorsus est scríbere: Liber generatiónis Jesu Christi Fílii David. Secunda Marcum, in qua vox leónis in erémo rugientis audítur: Vox clamantis in deserto, Paráte viam Dómini. Tértia vituli, quæ Evangelistam Lucam à Zacharía Sacerdóte sumpsisse inítium præfigúrat. Quarta Joannem Evangelistam, qui, assumptis pennis áquilæ, et ad altióra festínans, de Verbo Dei dísputat.

Te Deum.

℣. *Sacerd.* Eructávit cor meum verbum bonum: ℟. Dico ego ópera mea Regi. *Ps.* 44.

AD LAUDES.

Ant. 1. f. Sermónem feci de ómnibus quæ cœpit Jesus fácere et docére usque in diem quâ assumptus est. *Act.* 1.

Ant. 2. D. Visum est mihi, assecúto ómnia à princípio diligenter, ex órdine scríbere. *Luc.* 1.

Ant. 3. a. Notum mihi factum est sacramentum, sicut scripsi; prout potestis legentes intellígere prudéntiam meam in mystério Christi. *Ephes.* 3.

Canticum de Communi Apostolorum, v.

Ant. 4. E. In fide veritátis Deus vocávit vos per evangélium nostrum, in acquisitiónem glóriæ Dómini nostri Jesu Christi. 2. *Thess.* 2.

Ant. 5. a. Evangélii factus sum minister, secundùm donum grátiæ Dei. *Ephes.* 3.

Capitulum. (*Josue* 1.)

NON recédat volúmen legis

hujus ab ore tuo; sed meditáberis in eo diébus ac nóctibus, ut custódias et fácias ómnia quæ scripta sunt in eo: tunc díriges viam tuam, et intélliges eam.

HYMNUS.

Sinæ sub alto vértice,
Cœlo tonante, lex data
Inter tubas et fúlgura
Præsens minabátur Deus.

Nunc, temperáto Númine,
Per vela carnis blándiùs
Amat videri, lánguidis
Se lumen aptans sénsibus.

Insculpta saxo lex vetus
Præcepta, non vires dabat:
Inscripta cordi lex nova
Quidquid jubet dat éxequi.

Scripsistis hanc fidà manu:
Hanc voce, voci cónsonis
Hanc prædicastis móribus:
Signastis hanc et sánguine.

Afflante divo Spíritu,
Quæ verba vitæ tráditis,
Hæc ille nostris ímprimat
Delenda nunquam córdibus.

Uni sit et trino Deo
Suprema laus, summum decus,
De nocte qui nos ad suæ
Lumen vocávit glóriæ.
Amen.

℣. Declarátio sermónum tuórum illúminat, ℟. Et intellectum dat párvulis. *Ps.* 118.

Ad Benedictus, *Ant.* 8. G. Illíus laus est in Evangélio per omnes Ecclésias; et ordinátus est ab Ecclésiis comes peregrinatiónis nostræ, in hanc grátiam quæ minístrátur à nobis. 2. *Cor.* 8.

ORATIO.

Interveniat pro nobis, quæsumus, Dómine, sanctus tuus Lucas Evangelista, qui crucis mortificatiónem júgiter in suo córpore pro tui nóminis honóre portávit; Per Dóminum nostrum

AD PRIMAM.

Ant. 1. f. Sermónem feci.

AD TERTIAM.

Ant. 2. D. Visum est mihi.

Capitulum. (*Hebr.* 2.)

Quomodo nos effugiémus, si tantam neglexérimus salútem? quæ cùm inítium accepisset enarrári per Dóminum, ab eis qui audiérunt in nos confirmáta est, contestante Deo signis, et portentis, et váriis virtútibus, et Spíritûs sancti distributiónibus.

℣. *br.* Quanta audívimus, * Et cognóvimus ea! Quanta. ℣. Et patres nostri * narravérunt nobis! * Et. Glória. Quanta. *Ps.* 77.

℣. Patres nostri annuntiavérunt nobis, ℟. Opus quod operátus es in diébus eórum. *Ps.* 43.

AD SEXTAM.

Ant. 3. a. Notum.

Capitulum. (2. *Cor.* 2.)

Non sumus sicut plúrimi,

adulterantes verbum Dei; sed ex sinceritáte, sed sicut ex Deo, coram Deo, in Christo lóquimur.

℟. *br.* Ecce lábia mea * Non prohibébo. Ecce lábia mea. ℣. Dómine,* tu scisti. * Non prohibébo. Glória Patri. Ecce.

℣. Justítiam tuam non abscondi in corde meo: ℟. Veritátem tuam et salutáre tuum dixi. *Ps.* 39.

AD NONAM.

Ant. 5. a. Evangélii.

Capitulum. (1. *Thess.* 2.)

Sicut probáti sumus à Deo, ut crederétur nobis Evangélium; ita lóquimur, non quasi homínibus placentes, sed Deo qui probat corda nostra.

℟. *br.* Elóquia Dómini, * Elóquia casta. Elóquia. ℣. Argentum * igne examinátum, * Elóquia casta. Glória Patri. Elóquia. *Ps.* 11.

℣. Ignítum elóquium tuum vehementer; ℟. Et servus tuus dilexit illud. *Ps.* 118.

AD II. VESPERAS.

Ant. 4. E. Pervénimus ad vos in Evangélio Christi; spem habentes crescentis fídei vestræ in vobis magnificári. 2. *Cor.* 10.

Ant. 7. ç. Cúpidè volebámus trádere vobis, non solùm Evangélium Dei, sed étiam ánimas nostras. 1. *Thess.* 2.

Ant. 1. a. Spem quæ repósita est vobis in cœlis, audístis in verbo veritátis Evangélii quod pervénit ad vos. *Colos.* 1.

Ant. 2. D. Dignè Evangélio conversámini, in uno spíritu unánimes, collaborántes fídei Evangélii; quia vobis donátum est ut in Christum credátis. *Philip.* 1.

Ant. 3. a. Glória, honor, et pax omni operanti bonum in die cùm judicábit Deus occulta hóminum, secundùm Evangélium meum. *Rom.* 2.

Capitulum. (*Baruch.* 4.)

Hic liber mandatórum Dei, et lex quæ est in æternum; omnes qui tenent eam, pervénient ad vitam; qui autem dereliquérunt eam, in mortem.

Hymnus, Christi perennes núntii, 493.

℣. Suscitávit Dóminus testimónium in Jacob, ℟. Et legem pósuit in Israel. *Ps.* 77.

Ad Magníficat, *Ant.* 8. *G.* Lucas est mecum solus: omnes me dereliquérunt; Dóminus autem mihi ástitit, et confortávit me, ut per me prædicátio impleátur, et áudiant omnes gentes. 2. *Tim.* 4.

Oratio, *ut suprà ad Laudes*, 496.

DIE XXI.

SANCTÆ URSULÆ,

ET SOCIARUM EJUS,

VIRGINUM ET MARTYRUM.

Semiduplex.

Omnia de Communi Virginum, additis quæ sequuntur.

IN I. VESPERIS.

Capitulum. (2. *Cor.* 6.)

Separamini, dicit Dóminus, et immundum ne tetigéritis: et ego recípiam vos; et ero vobis in patrem, et vos éritis mihi in fílios et fílias, dicit Dóminus omnípotens.

HYMNUS.

Quæ turma nuptiálibus,
Permulcet aures cánticis,
Testes pudóris íntegri
Cum líliis ferens rosas?
Agnosco sponsas Vírgines,
Quæ, si suâ negábitur
Augére prole Gálliam,
Cœlum replébunt cívibus.
Ut luna flammas síderum
Inter minóres émicat,
Sodálibus sic Ursula
Cunctis præit præstántior.
Exosa mortáles thoros,
Tot illa sponso vírgini
Sponsas dicávit vírgines,
Mox et futúras mártyres.
Felix nimis connúbium
Quod veritáte néctitur!
Æterna sunt hæc fœdera:
Hæc nulla dissolvet dies.
Qui débilem turbam, Deus,
Flammis calére das novis
Fac nostra puris ígnibus
Ardére pro te péctora.
Amen.

℣. Hæréditas immaculatórum in æternum erit: ℟. Non confundentur in témpore malo. *Ps.* 36.

Ad Magníficat, *Ant.* 4. E. Infirma mundi elégit Deus, ut confundat fórtia; ut non gloriétur omnis caro in conspectu ejus. 1. *Cor.* 1.

Oratio, ut infrà ad Laudes.

Fit commem. S. Hilarionis, Abbatis. Ant. Egrédere. ℣. Potens, XLIII. *Oratio*, Da nobis, quæsumus, XLVII.

AD OFFIC. NOCTURNUM.

INVITATORIUM.

Regem in quo exultant fíliæ Sion, * Veníte, adorémus. *Ps.* 149.

Ps. 94. Veníte, 2.

HYMNUS.

Si quid virgínitas, et bene pródigum
Vitæ martyrium vos movet; Ursulam
Clarâ voce ducem dícite vírginum,
Matrem dícite mártyrum.
Subductæ pátriis cládibus, hinc fugam
Tentábant pélago, cùm súbitus ratem
Turbo disjíciens, versùs in hóspita
Rheni répulit óstia.

Prædæ certus adest, ac vétitâ face,
Obscœnus Scythiæ miles inæstuat;
Et de classe sibi bárbarus únicâ
Promittit spólium duplex.
Captivus ne decor, vel dóminos tremens
Ullo vim rédimet múnere cástitas?
Ni divínus amor, dóctaque víncere
Mundum subvéniat fides.
Turpes blandítias horret amántium;
Contemnit súrias, tela minántium,
Vincit morte suâ, flagítio cohors
Vitam quærere néscia.
O fortes ánimas, quæ nece líberâ
Invenêre malis ómnibus éxitum,
Et captæ véluti, cássibus áucupum
Fractis, effúgiunt aves!
Sit rerum dómino summus honor Patri:
Sit par Unígenæ glória Fílio;
Æternóque sacrum Spirítui melos
Tellus ástraque cóncinant. Amen.

Psalmi novem de Feria sub tribus Antiphonis sequentibus. Tres Psalmi sub unaquaque Antiphona.

Ant. 6. F. Tua, Pater, providéntia gubernat; quóniam dedisti et in mari viam, et inter fluctus sémitam firmíssimam, ostendens quóniam potens es ex ómnibus salváre. *Sap.* 14.

Ant. 4. f. Dómine Deus, inter gentes dispersisti nos: exaudi, Dómine, preces nostras, et educ nos propter te. *Baruch* 2.

Ant. 1. a. Vídeant poténtiam tuam: sicut in conspectu eórum sanctificátus es in nobis, sic in conspectu nostro magnificáberis in eis. *Eccli.* 36.

℣. Pertransiérunt de gente in gentem: ℟. Non relíquit Deus hóminem nocére eis. *Ps.* 104.

Lectio I, de Scriptura occurrente, tribus in unam junctis.

℟. Vidi stantes super mare, habentes cítharas Dei, et cantantes cánticum Agni, dicentes: * Dómine Deus omnípotens, justæ et veræ sunt viæ tuæ: quis non timébit te, et magnificábit nomen tuum? ℣. Deus patrum nostrórum, laudábile et gloriósum nomen tuum in sécula; quia justus es in ómnibus quæ fecisti nobis: * Dómine. *Apoc.* 15. *Dan.* 3.

LECTIO II.

Ursula, quæ et Saula, Martha, virginesque áliæ plures, in excídio Británniæ, de quo Gildas sápiens scripsit, cùm plúrimi, eódem teste, transmarínas terras péterent, in adversum Germániæ littus delátæ sunt; et

à Bárbaris, qui regiónem tunc vastábant, hostíliter abductæ, prope Colóniam Agrippíniam ad ripam Rheni, pro Christi nómine occísæ sunt. Eárum córpora sepulta sunt Colóniæ, ubi plúrimis nobilitáta miráculis, magnâ fidélium veneratióne multis abhinc sæculis coluntur. Auxit et celebritátem loci sanctus Anno, ejusdem Ecclésiæ Epíscopus, qui singulári erga beátas Mártyres pietáte affectus, ad sacros illárum cineres sæpiùs pernoctábat. Sed et è sacris hujus Basílicæ túmulis plúrimæ relíquiæ in várias Gálliæ partes allátæ, plúrimas regni Ecclésias ditavérunt. Inter quas Parísiis éminet Basílica Collégii Sorbónici, quæ Ursulæ patrocínio jamprídem consecráta, duo sanctárum Mártyrum cápita in sacrário suo conservat.

℣. Quàm pulchra est casta generátio cum claritáte! Immortális est enim memória illíus, * Et in perpétuum coronáta triumphat, incoinquinatórum certáminum præmium vincens. ℣. Hæc est victória, quæ vincit mundum, fides nostra; * Et. *Sap.* 4. 1. *Joan.* 5.

De sancto Hilarione, Abbate.

LECTIO III.

Hilarion, Tábathæ in Palæstína ortus ex paréntibus infidélibus, Alexandríam missus studiórum causâ, ibi christiánam suscépit religiónem. Cùm autem Antónii nomen in Ægypto celebérrimum esset, ejus videndi stúdio in solitúdinem contendit: apud quem duórum ménsium spátio commorátus, omnem ejus dídicit vivendi ratiónem. Domum reversus, mórtuis paréntibus, partem facultátum frátribus, partem paupéribus dilargítus est. Necdum quintumdécimum annum egressus, rédiit in solitúdinem: ubi constructâ casâ quæ vix ipsum cáperet, humi super strato júnceo cubábat. Scriptúras sacras, quas tenébat memóriter, post oratiónes et Psalmos quasi Deo præsente recitábat. Paucas ficus et succum herbárum ad victum adhibébat: neque ante solis occásum étiam diebus festis, aut in gravíssima valetúdine, jejúnium solvébat. Labóre mánuum æmulabátur Ægyptiórum monachórum disciplínam. Váriè à dæmónibus vexátus, eos signo crucis, et nóminis Jesu invocatióne superávit. Tandem octogésimum annum agens, multis ædificátis monastériis, editisque miráculis, in morbum íncidit; et morte imminente, sic trepidantem ánimam compellábat: Egrédere, ánima mea; quid dúbitas? septua-

ginta propè annis servisti Christo, et mortem times? Quibus in verbis spíritum exhalávit.

℟. Venérunt de tribulatióne magna; * Et † Lavérunt stolas suas, et dealbavérunt eas in sánguine Agni. ℣. Elegérunt magis mori, quàm coinquinári; et noluérunt infríngere legem Dei sanctam. * Et. Glória. † Lavérunt. *Apoc.* 7. 1. *Mac.* c. 1.

Te Deum.

℣. *Sacerd.* Deus, immaculáta via ejus: ℟. Scutum est ómnium sperántium in se. 2. *Reg.* 22.

AD LAUDES.

Ant. 1. f. Dómine Deus noster, possedérunt nos dómini absque te: tantùm in te recordémur nóminis tui. *Is.* 26.

Ant. 2. D. Tráditi sumus in direptiónem, et in captivitátem, et mortem ómnibus natiónibus, in quibus dispersisti nos: et nunc, Dómine, fac secundùm voluntátem tuam. *Tob.* 3.

Ant. 3. c. In sémita judiciórum tuórum, Dómine, sustinúimus te: nomen tuum et memoriále tuum in desidério ánimæ. *Is.* 26.

Canticum de Communi Virginum, LX.

Ant. 4. d. Volunt tua mutáre promissa, et cláudere ora laudántium te: ut apériant ora géntium, et laudent idolórum fortitúdinem. *Esther* 14.

Ant. 5. a. Cadat virtus eórum in iracúndia tua, qui promittunt se violáre sancta tua, et poliúere tabernáculum nóminis tui. *Judith* 9.

Capitulum. (1. *Cor.* 3.)

Si quis templum Dei violáverit, disperdet illum Deus: templum enim Dei sanctum est; quod estis vos.

HYMNUS.

Quot fregit uno cástitas
Inermis hostes prælio!
Quot ímpiis de bárbaris
Fides trophæa rétulit!

Non illécebris blándiens
Mentes voluptas mólliit:
Non sæviens crudélitas,
Præsente letho, térruit.

Sic, Christe, quos tuo reples
Amóre, fortes éfficis:
Da córdibus nostris quoque
Pellat timórem cáritas.

Tu, mors beáta, próprio
Quæ consecrasti sánguine
Tot castitátis hóstias
Et veritátis víctimas.

Sit summa laus summo Patri,
Et par coævo Fílio,
Cum Spíritu qui Vírgines
Puris adúrit ígnibus.
Amen.

℣. Conféssio et pulchritúdo in conspectu Dómini: ℟. Sanctimónia et magnificéntia in sanctificatióne ejus. *Ps.* 95.

Ad Benedictus, *Ant.* 6. F. Vicérunt propter sánguinem Agni, et propter verbum testimónii sui; et non dilexérunt ánimas suas usque ad mortem: proptéreà lætámini, cœli, et qui habitátis in eis. *Apoc.* 12.

ORATIO.

DEUS, qui singulári providéntiâ beátam Ursulam et sócias ejus ad virginitátis et martyrii palmam provexísti: da nobis cárum intercessióne, ita vários séculi æstus pertransíre, ut ad æternæ salútis portum felíciter perveníre mereámur; Per Dóminum nostrum.

Fit Commem. S. Hilarionis, Ant. Ecce ego. ℣. Veníte. *Oratio,* Da nobis, XLVII.

AD PRIMAM.

Ant. 1. f. Dómine Deus noster.

AD TERTIAM.

Ant. 2. D. Tráditi sumus.

Capitulum. (*Jerem.* 29.)

EGO scio cogitatiónes quas ego cógito super vos, ait Dóminus, cogitatiónes pacis, et non afflictiónis, ut dem vobis finem et patiéntiam: et invocábitis me, et íbitis; et orábitis me, et ego exáudiam vos.

℟. *br.* Anima nostra sústinet Dóminum, * Quóniam protector noster est. Anima. ℣. Et in nómine sancto ejus * sperávimus; * Quóniam. Glória Patri. Anima. *Ps.* 32.

℣. Propter te, Deus, mortificámur totâ die: ℟. Exurge, Dómine, et ne repellas in finem. *Ps.* 43.

AD SEXTAM.

Ant. 3. c. In sémita.

Capitulum. (*Is.* 56.)

QUI elégerint quæ ego vólui, et tenúerint fœdus meum, dabo eis in domo mea et in muris meis locum; et nomen mélius à fíliis et filiábus: nomen sempiternum dabo eis.

℟. *br.* Iníquè non égimus * In testamento tuo, Dómine. Iníque. ℣. Et non recessit retrò * cor nostrum, * In testamento. Glória. Iníquè. *Ps.* 43.

℣. Dómine, ut scuto bonæ voluntátis tuæ, ℟. Coronasti nos. *Ps.* 5.

AD NONAM.

Ant. 5. a. Cadat

Capitulum. (*Apoc.* 3.)

QUI non inquinavérunt vestiménta sua, ambulábunt mecum in albis, quia digni sunt. Qui vícerit, sic vestiétur vestimentis albis; et non delébo nomen ejus de libro vitæ.

℟. *br.* Adducentur Regi vírgines * In lætítia et exultatióne. Adducentur. ℣. Ad-

ducentur * in templum Regis, * In lætitia. Glória Patri. Adducentur. *Ps.* 44.

℣. Exultavérunt fíliæ Judæ, ℟. Propter judícia tua, Dómine. *Ps.* 96.

AD II. VESPERAS.

Hymnus, Si quid, *ut suprà*, 498.

℣. Delectavérunt te fíliæ regum, ℟. In honóre tuo. *Ps.* 44.

Ad Magníficat, *Ant.* 1. f. In resurrectióne neque nubent, neque nubentur; sed erunt sicut Angeli Dei in cœlo. *Matt.* 22.

Oratio, Deus, qui singulári providéntiâ beátam Ursulam, *ut suprà ad Laudes.*

Fit Commem. S. Lupentii, Mart. Ant. Ecce Deus. ℣. In Deo, IX. *Oratio*, Deus, à quo, XII.

DIE XXII.

SANCTI LUPENTII,

MARTYRIS.

Simplex.

LECTIO III.

Lupentius, Abbas sancti Priváti mártyris urbis Gabalitánæ, vitam sacerdóte dignam agébat, cùm gravi persecutióne oppressus est. Hunc apud Brunechildem regínam accusávit Innocéntius, ejusdem urbis ac totíus regiónis comes, de verbis in eam contumelióse prolátis. Discussâ autem ejus causâ, insons declarátus est, ipsique ad Ecclésiam redeundi facultas facta. Redeuntem verò neci dedit ad Axónam flúvium idem Innocéntius. Sacrum ejus corpus à pastóribus sepultúræ mandátum. Ubi autem mors ejus innótuit Gabalitánis, apud quos præcípuè virtútibus exímiis enitúerat. Solemnis ei cultus ibídem delátus est. Sancti Lupéntii exúviæ è loco ejus sepultúræ Catalaunum translátæ sunt, ubi in Ecclésiâ cathedráli religiósè asservantur. Insignem eárum partem Cláudius Antónius, Catalaunensis Epíscopus, dono dedit Ecclésiæ Cathedráli Mimatensi, ubi eâ quâ par erat reveréntiâ et celebritáte repósitæ sunt à Gabriéle Florentio Epíscopo Mimatensi, anno salútis millésimo septingentésimo trigésimo octávo.

DIE XXIV.

SANCTI CAPUANI,

EPISCOPI.

Simplex.

Oratio, Deus, fidélium lumen, XXVI.

LECTIO III.

Capuanus, Cadurcensis Epíscopus, inter Aquitániæ præsules præcellens, fuit insignis fídei defensor. Erat adhuc in istis regiónibus multitúdo copiósa Arianó-

rum, à quo Wisígothi qui hanc hæresim profitebantur, has províncias invásérant: ad quam pénitùs evellendam omnem curam adhíbuit. Sanctum Sacerdótem, qui fuit deindè Lemovicensis Epíscopus, à téneris annis ad pietátem et sanam doctrínam informandum suscépit; cujus futúram sanctitátem prævidens, divíno instinctu illum póstea ordinávit Levítam, et constítuit Archidiáconum suum, unde ei semper assistens fuit, et ádmodùm carus. Ejus ministério usus est ad innúmera pietátis et misericórdiæ ópera; et plenus méritis, et consumptus labóribus, senex migrávit ad Dóminum, octávo, ut conjícitur, século.

VESPERÆ *de Psalterio, à Capítulo de sequenti ut in Communi Pontificum*, XXI. *Orat.* Deus, qui pópulis, XXVI.

DIE XXV.

SANCTI HILARII,

GABALORUM EPISCOPI.

Simplex.

LECTIO III.

HILARIUS seu Hilárus Gabalórum Epíscopus, exímiis quæ pastórem óptimum decent virtútibus emícuit. Adfuisse constat Synodo Arvernensi, anno quingentésimo trigésimo quinto, sub sancto Honoráto Bituricensi Metropolitáno. In vitâ beáti Leobíni légitur, sanctum illum mónachum, Gabalensem expetiisse urbem, et à beáto Hiláro ejusdem urbis Antístite sacerdotáliter fuisse susceptum. Habétur inter cármina Fortunáti, Pictaviensis Epíscopi, Salutátio quædam poética, quæ sancto Hilário Gabalitáno Epíscopo non imméritò judicátur inscripta. Vetus Martyológium, Spicilégii tomo quarto éditum, mémorat octávo Calendas Novembris depositiónem in Gábalis beáti Hilárii Epíscopi et Confessóris. Ipsíus corpus servátur apud Cœnóbium sancti Dionysii prope Parísios, in sacello Cápitis, ut aiunt, quod est amplíssimum retrò majus altáre.

DIE XXVIII.

SS. SIMONIS ET JUDÆ,

APOSTOLORUM.

Duplex-majus.

Omnia de Communi Apostolorum, additis quæ sequuntur. Oratio, Deus, qui nos, *ut infrà*, 506.

IN I NOCT. *Lectiones de Script. occur.*

IN II.° NOCTURNO.

LECTIO IV.

Ex Commentário sancti Hierónymi Presbyteri in Matthæum.

(Lib. I, cap. 10.)

SIMON Cananæus, ipse est

qui in álio Evangelista scríbitur Zelótes; Cana quippe Zelus interpretátur. Thaddæum Apóstolum Ecclesiástica tradit história missum Edessam ad Abgarum regem Chosidénæ; qui ab Evangelista Luca Judas Jacóbi dícitur, et álibi appellátur Lebæus, quod interpretátur Córculus. Credendumque est eum fuisse trinómium: sicut Simon Petrus; et fílii Zebedæi, Boanerges, ex firmitáte et magnitúdine fídei nominati sunt.

LECTIO V.

Ex libro ejusdem, de Scriptóribus Ecclesiásticis.

(Cap. 4.)

Judas frater Jacóbi parvam quidem quæ de septem Cathólicis est, Epístolam relíquit. Et quia de libro Enoch, qui apócryphus est, in ea assúmit testimónium, à plerisque rejícitur; tamen auctoritátem vetustáte jam et usu méruit, et inter sanctas Scriptúras computátur.

LECTIO VI.

Ex libello sancti Adónis Epíscopi, de festivitátibus Apostolórum.

(Cap. 1.)

Thaddæus apud Mesopotámiam, Simon verò apud Ægyptum tráditur prædicasse. Inde simul Pérsidem ingressi, cùm fídei Christi innúmeram gentis ipsíus multitúdinem subdidissent, et Ecclésiam Dómini latè jam fundátam vidérent, martyrium ibi, cursum témporis explentes, beáto certámine consummavérunt; honorífice sepulti à pópulis Christiánis, quos Dómino ipsi genúerant. Quòd quidam putant Simónem Apóstolum unum de Duódecim, ipsum esse qui sub Trajáno crucem passus sit, omninò falsum est. Nam et Beda sanctus Présbyter, qui hoc super Acta Apostolórum sentit, Isidórum secútus, in libro Retractatiónum se hoc non bene sensisse reprehendit. Sed et história Ecclesiástica, non de Apóstolo, sed de álio Simóne gesta narrat.

IN III.° NOCTURNO.

LECTIO VII.

Léctio sancti Evangélii secundùm Joannem.

(Cap. 14.)

In illo témpore; Dixit Jesus discípulis suis: Adhuc módicum, et mundus me jam non videt; vos autem vidétis me. Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Epíscopi.

(In Joan. Tract. 76, n. 1.)

Quia díxerat Dóminus, Adhuc módicum, et mundus me jam non videt; vos autem vidébitis me: interro-

gávit eum de hoc ipso Judas, non ille tráditor ejus qui Iscariótes cognominátus est, sed cujus Epístola inter Scriptúras canónicas légitur : Dómine, quid factum est quia nobis manifestatúrus es teipsum, et non mundo ? Simus cum ipsis tanquam interrogantes discípuli, communemque magistrum audiámus et nos.

LECTIO VIII.

Judas enim sanctus, non immundus, nec insectátor Dómini, sed sectátor, causam quæsívit quare se non mundo, sed suis manifestatúrus esset Jesus : quare adhuc módicum, et mundus non vidéret eum, ipsi autem vidérent eum. Respondit Jesus, et dixit ei : Si quis díligit me, sermónem meum servábit ; et Pater meus díliget eum, et ad eum veniémus, et mansiónem apud eum faciémus.

LECTIO IX.

Qui non díligit me, sermónes meos non servat. Ecce expósita est causa, quare se suis manifestatúrus est, non aliénis quos mundi nómine appellat ; et ipsa est causa quòd hi díligant, illi non díligant. Ipsa causa est de qua sacer ínsonat Psalmus : Júdica me, Deus, et discerne causam meam de gente non sanctâ. Qui enim díligunt, quia díligunt, eliguntur : qui verò non díligunt, si linguis hóminum loquantur et Angelórum, fiunt æramentum sonans et cymbalum tínniens.

ORATIO.

Deus, qui nos per beátos Apóstolos tuos ad agnitiónem tui nóminis veníre tribuisti : da nobis sanctórum tuórum Simónis et Judæ précibus, ut quod fides cognoscit, spes desíderet, et cáritas apprehendat ; Per Dominum.

DIE XXX.

Ad Vesperas, *fit Commem. sancti Quintini, martyris, Ant.* Ecce Deus, ℣. In Deo, IX. *Oratio*, Benedíctio, *ut infrà.*

DIE XXXI.

IN VIGILIA
OMNIUM SANCTORUM
Simplex.

Officium de Feria occurrente, exceptis quæ sequuntur.

Ad Noct. *Lectiones duæ priores de Scriptura occurrente, è tribus fiunt duæ.*

℟℟. *ex Proprio de tempore.*

LECTIO III.

Léctio sancti Evangélii secundùm Lucam.

(Cap. 6.)

In illo témpore ; Elevátis Jesus óculis in discípulos suos, dicébat : Beáti páupe-

res, quia vestrûm est regnum Dei. Et réliqua.

Homília sancti Ambrósii Epíscopi.

(In Luc. lib. 5, n. 62 et 63.)

Nunc dicámus quemádmodùm in quátuor benedictiónibus sanctus Lucas benedictiónes sit octo complexus. Et quidem scimus virtútes esse quátuor cardináles; Temperántiam, Justítiam, Prudentiam, Fortitúdinem. Qui pauper est spíritu, avárus non est. Qui flet, non superbit; sed mitis est, et pacátus. Qui luget, humiliátur. Qui justus est, non negat quod scit ómnibus ad usum commúniter datum. Qui miserétur, largítur de suo. Qui suum donat, non quærit aliénum, nec dolum próximo struit. Connexæ ígitur sibi sunt, concatenatæque virtútes; ut qui unam habet, plures habére videátur: et Sanctis una cómpetit virtus: sed ejus quæ fuerit ubérior, ubérius est præmium.

℟. Beáti mundo corde, quóniam ipsi Deum vidébunt: beáti pacífici, quóniam fílii Dei vocabuntur: * Beáti qui persecutiónem patiuntur propter justítiam, quóniam ipsórum est regnum cœlórum. ℣. Multæ tribulatiónes justórum, et de ómnibus his liberábit eos Dóminus: * Beati. Glória Patri. Beáti. *Matth.* 5. *Ps.* 33.

[*Legitur in Dominica de sancto Quintino.*

LECTIO IX.

Quintinus, Maximiáno et Diocletiáno Imperatóribus, cum sóciis áliquot Româ in Gállias venit, Christi fidem prædicatúrus. Quod cùm magnâ constántiâ Ambiánis perfíceret, a Rictióvaro exquisítis tormentis cruciátur; deinde apud Augustam Veromanduórum duábus súdibus férreis à cervíce usque ad crura transfixus, postrémò cápite truncátus est. Corpus ejus in Sumínam projectum, Eusébia pia múlier, post annos quinquaginta quinque, revelante Angelo, invénit; statimque oculórum usum, quo dudum fúerat orbáta, recuperávit. Illud in monte sepelívit propter urbem; sacellumque túmulo superstruxit, Ignorántibus pósteris quo in Ecclésiæ loco jacéret, Elígio Deus patefécit: qui de terra sublátum corpus pié osculátus, dentes e maxilla in languéntium medélam ábstulit, tumque ex dentis radíce sánguinis gutta stillávit. Clavos étiam prægrandes córpori ejus quondam à tortóribus infixos, e cérebro ceterisque ártubus avulsos, et capillos ejusdem, velut sacras relíquias sibi servávit. Deinde pállio ho-

losérico obvolútum corpus, ponè áltare cóndidit, tumulumque miro ópere désuper fabricávit ex auro, argento et gemmis ; auctâ étiam Basílicâ, in qua, ut in céteris locis quæ ditávit Eligius, signa et virtútes Dóminus operátus est.]

Preces, flexis genibus.

ORATIO.

DOMINE Deus noster, multíplica super nos grátiam tuam : et quorum prævenímus gloriósa solémnia, tríbue súbsequi in sancta professióne lætítiam ; Per Dóminum nostrum.

Pro Comm. sancti Quintíni, Ant. Bonum certámen. ℣. Adjútor, XII.

ORATIO.

BENEDICTIO tua, Deus, ímpleat corda fidélium ; ut et dignè Mártyris tui Quintíni honorificent passiónem, et remédia salútis æternæ, ejusdem patrocínio consequantur ; Per Christum.

Fiunt Suffragia.

FESTA NOVEMBRIS.

DIE 1.

IN FESTO

OMNIUM SANCTORUM.

SOLEMNE-MAJUS.

IN I. VESPERIS.

Psalmi de Feria.

Ant. 3. a. Fui in spíritu; et ecce sedes pósita erat in cœlo, et supra sedem sedens. *Apoc.* 4.

Ant. 4. E. Vidi, et ecce in médio throni Agnum stantem tanquam occísum. *Apoc.* 5.

Ant. 7. a. Audívi vocem Angelórum multórum in circúitu throni, et animálium, et seniórum; et erat número eórum míllia millium. *Apoc.* 5.

Ant. 1. f. Vidi turbam magnam, quam dinumeráre nemo póterat, ex ómnibus géntibus, et tríbubus, et pópulis, et linguis. *Apoc.* 7.

Ant. 5. C. Stabant ante thronum, et in conspectu Agni; et clamábant voce magnâ, dicentes: Salus Deo nostro qui sedet super thronum, et agno. *Apoc.* 7.

Capitulum. (*Hebr.* 12.)

Accessístis ad Sion montem, et civitátem Dei vivéntis, Jerúsalem cœléstem, et multórum míllium Angelórum frequéntiam, et Eccléstam primitivórum qui conscripti sunt in cœlis, et júdicem ómnium Deum, et spíritus justórum perfectórum, et testamenti novi mediatórem Jesum.

℣. Inebriabúntur ab ubertáte domûs tuæ, Dómine; * Et torrente voluptátis tuæ potábis eos, † Quóniam apud te est fons vitæ. ℣. Agnus qui in médio throni est, reget illos et dedúcet eos ad vitæ fontes; * Et. Glória Patri. † Quóniam apud te est. *Ps.* 35. *Apoc.* 7.

HYMNUS.

Cœlo quos éadem glória cónsecrat,
Terris vos éadem concélebrat dies:
Læti vestra simul præmia pángimus,
Duris parta labóribus.
Jam vos pascit amor, núdaque Véritas:
De pleno bíbitis gáudia flúmine:

Illìc perpétuam mens sátiat sitim
Sacris ébria fóntibus.
ALTIS secum hábitans in penetrálibus
Se Rex ipse suo contúitu beat;
Illabensque, suî pródigus, íntimis
Sese méntibus ínserit.
ALTARI médio, cui Deus ínsidet,
Agni fumat adhuc innócuus cruor:
Quæ mactáta Patri se semel óbtulit,
Se jugis litat hóstia.
PRONIS turba senum cérnua fróntibus,
Inter tot rútili fúlgura lúminis,
Regnanti Dómino devóvet áurea,
Quæ ponit, diadémata.
GENTES innúmeræ, conspícuæ stolas
Agni purpúreo sánguine cándidas,
Palmis læta cohors, cántibus æmulis
Ter sanctum célebrant Deum.
SIT laus summa Patri, summaque Fílio:
Sit par sancte tibi laus quoque Spíritus,
Qui das pro méritis, óptimus árbiter,
Te totum simul ómnibus.
Amen.

℣. Dómine, in justítia tua exaltabuntur; ℟. Quóniam glória virtútis eórum tu es. *Ps.* 88

Ad Magníficat, *Ant.* J. Quos Deus prædestinávit, hos et vocávit; et quos vocávit, hos et justificávit; quos autem justificávit, illos et glorificávit. *Rom.* 8.

Oratio, ut infrà ad Laudes, 518.

AD COMPLETORIUM

Psalmi et Capit. de Feria.

Ant. 8. G. Nox ultrà non erit, et non egébunt lúmine lucernæ, neque lúmine solis; quóniam Dóminus Deus illumináhit illos. *Apoc.* 22.

Hymnus, Grates, peracto jam die, 32.

Ad Nunc dimittis, *Ant.* 2. D. Sérvient Dómino, et vidébunt fáciem ejus; et nomen ejus in fróntibus eórum. *Apoc.* 22.

AD OFFIC. NOCTURNUM.

INVITATORIUM.

DEUM qui glórificátur in concílio Sanctórum, * Veníte, adorémus. *Ps.* 88.

Psalmus 94. Veníte, 2.

HYMNUS.

Vos sancti próceres, vos Súperûm chori,
Cœli quotquot habet régia príncipes,
Nostros nunc data vestris
Cantus júngere cántibus.
PRIMIS ante álios, glória cœlitûm,
Christi Virgo parens fulget honóribus;
Divinóque sevérum
Flectit pígnore júdicem.

ASTANT Spirituum mille
ácies throno;
Regi sancta ferunt vota
cliéntium:
Hìc Baptista profundo
Lucis flúmine mérgitur.
QUORUM núntia vox, or-
bis ad últimas,
Christum vox résonans, in-
tónuit plagas,
Præcónes duodéni
Sacris vátibus ássident.
FUSO purpúrei sánguine
Mártyres,
Et puro níveæ péctore Vír-
gines,
Agno cándida fundunt
Rubris lília cum rosis.
QUI pavére suos Præpó-
siti greges,
Pascuntur súpero Númine
pléniùs:
Qui flevére, serénus
Abstergit lácrymas Pater.
A QUO cuncta fluunt, máxi-
ma laus Patri:
Qui mundum réparat, máxi-
ma Fílio:
Et quo péctora flagrant,
Sit laus máxima flámini.
Amen.

Psalmi de Dominica in toto hujus Festi Officio.

IN I.° NOCTURNO.

Ant. 5. C. Ecce servi mei, dicit Dóminus, lætabuntur, et laudábunt præ exultatióne cordis. *Is.* 65.

Ant. 6. C. Habitábunt in Jerúsalem, et anáthema non erit ámpliùs; sed sedébit Jerúsalem secúra. *Zach.* 14.

Ant. 7. d. Gáudium et lætítia inveniétur in ea, gratiárum áctio et vox laudis; salus autem in sempiternum erit. *Is.* 51.

℣. Lætámini in Dómino, et exultáte, justi; ℟. Et gloriámini, omnes recti corde. *Ps.* 31.

LECTIO I.

Ex libro Apocalypsis beáti Joannis Apóstoli.

(Cap. 4.)

ECCE sedes pósita erat in cœlo, et supra sedem sedens. Et qui sedébat, símilis erat aspéctui lápidis jáspidis et sárdinis: et iris erat in circúitu sedis, símilis visióni smarágdinæ: et in circúitu sedis sedília viginti quátuor; et super thronos viginti quátuor senióres sedentes, circumamicti vestimentis albis, et in capítibus eórum corónæ áureæ. Et de throno procedébant fúlgura, et voces, et tonítrua, et septem lámpades ardentes ante thronum, qui sunt septem spíritus Dei. Et in conspectu sedis, tanquam mare vítreum símile crystallo: et in médio sedis, et in circúitu sedis, quátuor animália plena óculis antè et retrò. Et ánimal primum símile leóni, et secundum ánimal símile vítulo, et tértium ánimal habens fáciem quasi hóminis, et quartum ánimal símile áquilæ volanti. Et quátuor animália, síngula

córum habébant alas senas : et in circúitu et intùs plena sunt óculis et réquiem non habébant die ac nocte, dicéntia : Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dóminus Deus omnípotens, qui erat, et qui est, et qui ventúrus est.

℣. Grátias ágimus tibi, Dómine Deus omnípotens, qui es, et qui eras, et qui ventúrus es ; * Quia regnásti, et advénit tempus réddere mercédem servis tuis, et Sanctis. ℣. Confiteántur tibi, Dómine, ómnia ópera tua, et Sancti tui benedícant tibi ; * Quia regnasti. *Apoc.* 11. *Ps.* 144.

LECTIO II.

(Cap. 5.)

Et vidi in déxtera sedéntis super thronum, librum scriptum intùs et foris, signátum sigillis septem. Et vidi Angelum fortem, prædicantem voce magnâ : Quis est dignus aperíre librum, et sólvere signácula ejus? Et nemo póterat, neque in cœlo, neque in terra, neque subtus terram, aperíre librum, neque respícere illum. Et ego flebam multùm ; quóniam nemo dignus inventus est aperíre librum, nec vidére eum. Et unus de senióribus dixit mihi : Ne fléveris ; ecce vicit leo de tribu Juda, radix David, aperíre librum, et sólvere septem signácula ejus. Et vidi ; et ecce in médio throni et quátuor animálium, et in médio seniórum, Agnum stantem tanquam occísum, habentem córnua septem, et óculos septem, qui sunt septem spíritus Dei, missi in omnem terram. Et venit, et accépit de déxtera sedéntis in throno librum Et cùm aperuísset librum, quátuor animália, et viginti quátuor senióres cecidérunt coram Agno, habentes sínguli cítharas et phíalas áureas plenas odoramentórum, quæ sunt oratiónes Sanctórum.

℣. Data sunt Angelo incensa multa, ut daret de oratiónibus Sanctórum ómnium super altáre quod est ante thronum Dei : * Et ascendit fumus incensórum de oratiónibus Sanctórum coram Deo. ℣. Oculi Dómini super justos, et aures ejus in preces córum. * Et ascendit fumus incensórum de oratiónibus. *Apoc.* 8. *Ps.* 33.

LECTIO III.

Et cantábant cánticum novum, dicentes : Dignus es, Dómine, accípere librum, et aperíre signácula ejus ; quóniam occísus es, et redemísti nos Deo in sánguine tuo ex omni tribu et lingua, et pópulo, et natióne ; et fecísti nos Deo nostro regnum, et sacerdótes : et regnábimus super terram. Et vidi, et audívi vocem An-

gelórum multórum in circúitu throni, et animálium, et seniórum; et erat número eórum míllia míllium, dicéntium voce magnà: Dignus est Agnus, qui occísus est, accípere virtútem, et divinitátem, et sapiéntiam, et fortitúdinem, et honórem, et glóriam, et benedictiónem. Et omnem creatúram, quæ in cœlo est, et super terram, et sub terra, et quæ sunt in mari, et quæ in eo; omnes audívi dicentes: Sedenti in throno, et Agno, benedíctio, et honor, et glória: et potestas in sécula seculórum. Et quátuor animália dicébant: Amen. Et viginti quátuor senióres cecidérunt in fácies suas, et adoravérunt viventem in sécula seculórum. Tu autem.

℣. Laudem dícite Deo nostro, omnes servi ejus, et qui timétis Deum, pusilli, et magni; * Quóniam regnávit Dóminus Deus noster omnípotens: † Gaudeámus, et exultémus, et démus glóriam ei. ℣. Exultáte, Justi, in Dómino: rectos decet collaudátio; * Quóniam. Glória. † Gaudeámus, et exultémus. *Apoc.* 19. *Ps.* 32.

IN II.° NOCTURNO.

Ant. 3. *à.* Omnes Sancti in manu Dei sunt; et qui appropinquant pédibus ejus, accípient de doctrína illíus. *Deut.* 33.

Ant. 1. D. Qui confídunt in Dómino, intélligent veritátem; quóniam donum et pax est electis ejus. *Sap.* 3.

Ant. 2. D. Dátio Dei pérmanet justis, et profectus illíus successus habébit in ætérnum. *Eccli.* 11.

℣. Beáta gens, cujus est Dóminus Deus ejus: ℟. Pópulus quem elégit in hæreditátem sibi. *Ps.* 32.

LECTIO IV

Sermo sancti Bernardi, Abbátis.

(Serm. 5, in Festo Omn. SS. N. 1, et 2.)

Festiva nobis est dies, et inter præcípuas solemnitátes hodierna solémnitas numerátur. Nóvimus festivitátem Omnium Sanctórum dici et esse, quam hódie celebrámus; Omnium, inquam, sive cœléstium, sive terréstrium. Sunt enim Sancti de cœlo, et sunt Sancti de terra: itemque eórum qui de terra sunt, quidam adhuc in terra, áliqui jam in cœlo. Celebrátur ergo festívitas ómnium horum commúniter, sed fórsitan non unifórmiter. Nec modò dico, quia álius álio sanctior, sed quòd áliter atque áliter Sanctos dici, et verè dici inveniámus. Et fortè inter Angelos atque hómines assignári possit ista divérsitas sanctitátis páriter et celebritátis. In Angelis enim

honoranda benígnitas Dei, non ad pœniténtiam addúcens, sed abdúcens ab ómnibus, quibus pœniténtia deberétur; non erípiens à tentatióne, sed à tentatióne conservans. Aliud sanè in his sanctitátis genus, et próprio modo vidébitur honorandum, qui venérunt ex magna tribulatióne; qui post multos agónes jam nunc triumphant in cœlis coronáti, quóniam legítimè certavérunt. Est-ne adhuc Sanctórum áliquod tértium genus? Est, sed occultum. Sunt enim Sancti qui adhuc mílitant, adhuc pugnant: currunt adhuc, necdum comprehendérunt. Hæc nimírum divérsitas appellatiónis in nómine sanctitátis, ut álii quidem jam secundùm consummatiónem Sancti vocentur, álii juxta solam adhuc prædestinatiónem.

℟. Ili omnes testimónio fídei probáti sunt: * Ideóque et nos tantam habentes impósitam nubem testium, per patiéntiam currámus ad propósitum nobis certámen. ℣. Omnes isti in generatiónibus gentis suæ glóriam adepti, viri misericórdiæ sunt, quorum pietátes non defuérunt: * Ideóque et nos. *Hebr.* 11 *et* 12. *Eccli.* 44.

LECTIO V.

(N. 5.)

Ad quid Sanctis laus nostra? ad quid glorificátio nostra? ad quid nostra hæc ipsa solémnitas? Quò eis terrénos honóres, quos juxta verácem Fílii promissiónem honorificat Pater cœlestis? Quò eis præcónia nostra? Pleni sunt. Prorsus ita est, dilectíssimi: honórum nostrórum Sancti non egent, nec quidquam eis nostrâ devotióne præstátur. Planè, quòd eórum memóriam venerámur, nostrâ ínterest, non ipsórum. Vultis scire quantùm ínterest nostrâ? Ego in me, fáteor, ex hac recordatióne séntio desidérium véhemens inflammári, ut eórum tam optábili societáte fruámur, et mereámur concíves et contubernáles esse spirítuum beatórum, misceri cœtui Patriarchárum, cúneis Prophetárum, senátui Apostolórum, Mártyrum exercítibus numerósis, Confessórum collégiis, Vírginum choris: in ómnium dénique cólligi et collætári communióne Sanctórum.

℟. Datæ sunt illis síngulæ stolæ albæ; et dictum est illis ut requiéscerent adhuc tempus módicum, * Donec compleantur conservi eórum et fratres eórum. ℣. Educ, Dómine, de custódia ánimam meam, ad confitendum nómini tuo: me expectant justi, donec retríbuas mihi, * Donec compleantur. *Apoc.* 6. *Ps.* 141.

LECTIO VI.

(N. 6.)

Præstolatur nos Ecclésia illa primitivórum, et neglígimus : desíderant nos Sancti, et parvipéndimus : expectant nos Justi, et dissimulámus. Excitémur aliquando, fratres : resurgámus cum Christo, quærámus quæ sursum sunt : quæ sursum sunt sapiámus. Desiderémus desiderantes nos, properémus ad præstolantes nos : expectantes nos votis præoccupémus animórum. Ecce nihil in hac nostra communióne securitátis, nihil perfectiónis, nihil quiétis : et tamen hìc quoque quàm bonum et quàm jucundum habitáre fratres in unum! Quidquid enim, sive intériùs, sive extériùs, molestum occurrit, ipso útique tam germanórum consórtio fratrum, cum quibus est nobis cor unum et ánima una in Deum, tolerabílius invenítur. Quàm dúlcior erit, quàm delectabílior, quàm beátior únio, ubi nulla suspício esse póterit, nulla dissensiónis occásio, ubi omnes perfecta cáritas indissolúbili fœdere colligábit!

℟. Dóminus Deus servos suos vocábit nómine álio; * *Quia oblivióni tráditæ sunt* angústiæ prióres. ℣. Mors ultrà non erit : neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultrà; * Quia. Glória. * Quia. *Is.* 65. *Apoc.* 21.

IN III.° NOCTURNO.

Ant. 4. E. Benedictus Deus qui secundùm misericórdiam suam magnam regenerávit nos in hæreditátem incorruptíbilem. 1. *Petr.* 1.

Ant. 8. *G.* Dignos nos fecit in partem sortis Sanctórum in lúmine, et tránstulit in regnum Fílii dilectiónis suæ. *Coloss.* 1.

Ant. 6. F. Nos omnes, revelátâ fácie, glóriam Dómini speculantes, in eamdem imáginem transformámur à claritáte in claritátem. 2. *Cor.* 3.

℣. Illúminans tu mirabíliter, Dómine, ℟. A móntibus æternis. *Ps.* 75.

LECTIO VII.

Léctio sancti Evangélii secundùm Matthæum.

(Cap. 5.)

In illo témpore; Videns Jesus turbas, ascendit in montem : et cùm sedisset, accessérunt ad eum discípuli ejus; et apériens os suum, docébat eos, dicens: Beáti páuperes spíritu, quóniam ipsórum est regnum cœlórum. Et réliqua.

Homília sancti Hierónymi Presbyteri.

(Comment. in cap. 5. Matth.)

Beati páuperes spíritu, hoc est quod álibi légimus : Et

húmiles spíritu salvábit. Ne quis autem putáret paupertátem quæ nonnunquam necessitáte portátur, à Dómino prædicári, adjunxit, spíritu; ut humilitátem intellígeres, non penúriam. Beáti páuperes spíritu, qui propter Spíritum sanctum voluntáte sunt páuperes. Unde super hujuscémodi paupéribus et Salvátor noster per Isaíam lóquitur: Dóminus unxit me; propter quod evangelizáre paupéribus misit me. Beáti mites, quóniam ipsi possidébunt terram: non terram Judæ, nec terram istíus mundi; non terram maledictam, spinas et tríbulos afferentem, quam crudelíssimus quisque et bellátor magis póssidet; sed terram quam Psalmista desíderat, dicens: Credo vidére bona Dómini in terra vivéntium.

℣. Deus qui dives est in misericórdia, propter nímiam caritátem suam quâ dilexit nos, convivificávit nos, * Et consedére fecit in cœléstibus in Christo Jesu; ut ostenderet abundantes divítias grátiæ suæ. ℣. Addent mites in Dómino lætítiam, et páuperes hómines in Sancto Israel exultábunt, dicit Dóminus qui redémit. * Et. *Ephes.* 2. *Is.* 29.

LECTIO VIII.

Beati qui lugent, quóniam ipsi consolabuntur. Luctus hìc non mortuórum pónitur commúni lege natúræ, sed peccátis et vítiis mortuórum. Sic flevit et Sámuel Saúlem; quia pœnitúerat Deum quòd unxisset eum regem super Israel. Sic et Paulus Apóstolus flere ac lugére se dicit eos qui post fornicatiónem et immundítiam non egérunt pœniténtiam. Beáti qui esúriunt et sítiunt justítiam. Non nobis súfficit velle justítiam, nisi justítiæ patiámur famem; ut sub hoc exemplo nunquam nos satis justos, sed semper esuríre justítiæ ópera intelligámus. Beáti misericordes. Misericórdia non solùm in eleemósynis intellígitur, sed in omni peccáto fratris, si alter altérius ónera portémus.

℣. Repléti sumus misericórdiâ tuâ, Dómine; et exultávimus, et delectáti sumus: * Lætáti sumus pro diébus quibus nos humiliasti, annis quibus vídimus mala. ℣. Momentáneum et leve tribulatiónis nostræ supra modum in sublimitáte ætérnum glóriæ pondus operátur in nobis: * Lætáti sumus. *Ps.* 89. 2. *Cor.* 4.

LECTIO IX.

Beati mundo corde, quóniam ipsi Deum vidébunt. Quos non árguit consciéntia ulla peccáti. Mundus mundo corde conspícitur: Templum Dei non potest esse

pollútum. Beáti pacífici, qui primùm in corde suo, deinde et inter fratres dissidentes pacem fáciunt. Quid enim prodest álios per te pacári, cùm in tuo ánimo sint bella vitiórum? Beáti qui persecutiónem patiuntur propter justítiam. Signanter áddidit, Propter justítiam: multi enim persecutiónem propter sua peccáta patiuntur, et non sunt justi.

℟. Redemisti nos Deo in sánguine tuo ex omni tribu, et linguâ, et pópulo, et natióne; * Et ✝ Fecisti nos Deo nostro regnum et sacerdótes: et regnábimus. ℣. Dux fuisti in misericórdia tua pópulo quem redemisti, et portasti eum in fortitúdine tua ad habitáculum sanctum tuum; * Et. Glória Patri. ✝ Fecisti nos Deo nostro. *Apocalyp.* 5. *Exod.* 15.

Te Deum.

℣. *Sacerd.* Lætámini, justi, in Dómino; ℟. Et confitémini memóriæ sanctificatiónis ejus. *Ps.* 96.

AD LAUDES.

Ant. 1. D. Agnus Dóminus dominórum est, et Rex regum; et qui cum illo sunt, vocáti, electi, et fideles. *Apoc.* 17.

Ant. 2. D. Lavérunt stolas suas, et dealbavérunt eas in sánguine Agni; ídeò sunt ante thronum Dei. *Apoc.* 7.

Ant. 3. a. Qui sedet in throno, habitábit super illos: non esúrient neque sítient ámpliùs. *Apoc.* 7.

Ant. 8. G. Benedícite.

CANTICUM.

(Sap. 10.)

Laudatur Deus magnificus, pro mercede reddita sanctis.

Reddidit justis Sapiéntia mercédem labórum suórum, * et deduxit illos in via mirábili.

Et fuit illis in velamento diéi, * et in luce stellárum per noctem.

Tránstulit illos per mare Rubrum, * et transvexit illos per aquam nímiam:

Inimícos autem illórum demersit in mare; * et ab altitúdine inferórum eduxit illos.

Ideò justi tulérunt spólia impiórum; * et decantavérunt, Dómine, nomen sanctum tuum, et victrícem manum tuam laudavérunt páriter:

Quóniam Sapiéntia apéruit os mutórum, * et linguas infántium fecit disertas.

[*Et dicitur per Octavam, quando fit de ea.*]

Ant. Benedícite Dóminum, omnes electi ejus: ágite dies lætítiæ, et confitémini illi. *Tob.* 13.

Ant. 7. *d.* Hymnus ómnibus Sanctis ejus, fíliis Israel, pópulo appropinquanti sibi: glória hæc est ómnibus Sanctis ejus. *Ps.* 148 *et* 149.

Capitulum. (*Ephes.* 1.)

Deus, Dómini nostri Jesu Christi, Pater glóriæ, det vobis spíritum sapiéntiæ et revelatiónis in agnitióne ejus; illumináto s óculos cordis vestri, ut sciátis quæ sit spes vocatiónis ejus, et quæ divítiæ glóriæ hæreditátis ejus in Sanctis.

HYMNUS.

Hymnis dum résonat cúria Cœlitûm,
Hic flemus pátriis fínibus exules:
Hic suspensa tenémus
Mutis cántibus órgana.
Quando mens mísero líbera cárcere
Se vestris sóciam cœtibus ínseret;
Et caligine pulsâ,
Cœli lucem habitábimus!
Obscuræ fúgient mentis imágines,
Cùm stantes própiùs lúminis ad jubar,
Nos verum sine nube
Ipso in fonte vidébimus.
Nobis, sancta cohors, sis bona: flúctibus
Luctantes médiis quos modò réspicis,
Da portus, duce Christo,
Da contíngere prósperos.
A quo cuncta fluunt, máxima laus Patri:
Qui mundum réparat, máxima Fílio:
Et quo péctora flagrant,
Sit laus máxima Flámini.
Amen.

℣. Exultábunt Sancti in glória: ℟. Lætabuntur in cubílibus suis. *Ps.* 149.

Ad Benedictus, *Ant.* 6. F. Fulgébunt justi, judicábunt natiónes, et dominabuntur pópulis; et regnábit Dóminus illórum in perpétuum. *Sap.* 3.

ORATIO.

Omnipotens sempiterne Deus, qui nos ómnium Sanctórum tuórum mérita sub una tríbuis celebritáte venerári: quæsumus, ut desiderátam nobis tuæ propitiatiónis abundántiam, multiplicátis intercessóribus, largiáris; Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitáte.

AD PRIMAM.

Ant. 1. D. Agnus.

In ℟. *br.* ℣. Qui glorificáris * in concílio sanctórum. *Ps.* 88.

Canon proprius ad calcem.

AD TERTIAM.

Ant. 2. D. Lavérunt.

Capitulum. (*Dan.* 7.)

Ecce cornu béstiæ faciébat bellum adversùs Sanctos, et prævalébat eis, donec venit Antíquus diérum: et judícium dedit Sanctis Excelsi; et tempus advénit, et regnum obtinuérunt Sancti.

℣. *br.* Sancti tui, Dómine, benedícent tibi. * Allelúia, allelúia. Sancti. ℣.

Glóriam * regni tui dicent,* Allelúia. Glória. Sancti.

℣. Notam fácient fíliis hóminum poténtiam tuam, ℟. Et glóriam magnificéntiæ regni tui. *Ps.* 144.

AD SEXTAM.

Ant. 3. a. Qui sedet.

Capitulum. (2. *Cor.* 6.)

Inhabitabo in illis, et inambuláho inter eos; et ero illórum Deus, et ipsi erunt mihi pópulus.

℟. *br.* Lætentur omnes * qui sperant in te, Dómine,* Allelúia, allelúia. Lætentur. ℣. In æternum exultábunt,* et habitábis in eis, * Allelúia. Glória. Lætentur.

℣. Gloriabuntur in te, Dómine, ℟. Omnes qui díligunt nomen tuum. *Ps.* 5.

AD NONAM.

Ant. 7. *d.* Hymnus.

Capitulum. (*Isai* 65.)

Ecce ego creo cœlos novos et terram novam; et non erunt in memória prióra, et non ascendent super cor; sed gaudébitis, et exultábitis usque in sempiternum.

℟. *br.* Beáti qui hábitant* in domo tua, Dómine. * Allelúia, allelúia. Beáti. ℣. In sécula seculórum * laudábunt te, * Allelúia. Glória Patri. Beáti. *Ps.* 83.

℣. Vox exultatiónis et salútis ℟. In tabernáculis justórum. *Ps.* 117.

AD II. VESPERAS.

Ant. 4. E. Benedictus Deus, qui elégit nos in Christo, ut essémus sancti et immaculáti in conspectu ejus in caritáte. *Ephes.* 1.

Ant. 1. D. Ipsíus sumus factúra, creáti in Christo Jesu in opéribus bonis quæ præparávit Deus, ut in illis ambulémus. *Ephes.* 2.

Ant. 3. a. Prædestinávit nos in adoptiónem filiórum, in laudem glóriæ grátiæ suæ, in qua gratificávit nos in dilecto Fílio suo. *Ephes.* 1.

Ant. 6. F. Fílii Dei sumus, hærédes quidem Dei, cohærédes autem Christi; si tamen compátimur, ut et conglorificémur. *Rom.* 8.

Ant. 7. a. Fílii sanctórum sumus; et vitam illam expectámus, quam Deus datúrus est his qui fidem suam nunquam mutant ab eo. *Tob.* 2.

Capitulum. (1. *Petr.* 1.)

Secundum eum qui vocávit vos, Sanctum; et ipsi in omni conversatióne sancti sitis, quóniam scriptum est: Sancti éritis, quóniam ego sanctus sum.

Hymnus, Cœlo quos éadem glória cónsecrat, *ut in I. Vesperis*, 509.

℣. In lúmine tuo vidébimus lumen: ℟. Prætende misericórdiam tuam sciéntibus te, Dómine. *Ps.* 35.

Ad Magníficat, *Ant.* 5. C. Scimus quóniam cùm appa-

rúerit, símiles ei érimus; quóniam vidébimus eum sícuti est, allelúia. 1. *Joan.* 3.

Oratio, Omnípotens sempiterne Deus, *ut suprà ad Laudes.*

Post Benedicámus, *nisi sit Sabbatum, dicuntur Vesperæ Defunctorum; et dictis Precibus cum Ps.* Lauda, ánima, *et* ℣ ℣. *ibi notatis, dicitur sola Oratio*, Fidélium, Deus, *ut infrà*, 526.

[*Si sit Sabbatum, fit Commem. Sabbati ante Dominicam occurr. ut in Proprio de Temp. Vesperæ Defunct. dicuntur die sequenti.*]

AD COMPLETORIUM.

Psalmi et Capit. de Dominica Reliqua ut heri, 510.

DIE II.

IN COMMEMORATIONE

OMNIUM FIDELIUM DEFUNCTORUM

Duplex-majus.

(*Si sit Dominica, hoc Officium fit die sequenti.*)

Omnia ut in Offic. Defunctorum, præter ea quæ hìc sunt propria.

INVITATORIUM.

Deum, cui omnes vivunt, * Veníte, adorémus. *Luc.* 20.

Ps. 94. Veníte, 2, *in cujus fine, loco* Glória, *dicitur*: Requiem æternam dona eis, Dómine; * et lux perpétua lúceat eis.

IN I.° NOCTURNO

LECTIO I.

De libro Job.

(Cap. 7.)

Parce mihi, nihil enim sunt dies mei. Quid est homo, quia magníficas eum? aut quid appónis erga eum cor tuum? Vísitas eum dilúculo, et súbitò probas illum. Usquequò non parcis mihi, nec dimittis me ut glútiam salívam meam? Peccávi: quid fáciam tibi, ô custos hóminum? Quare posuisti me contrárium tibi, et factus sum mihimetipsi gravis? Cur non tollis peccátum meum, et quare non aufers iniquitátem meam? Ecce nunc in púlvere dórmiam; et si manè me quæsíeris, non subsistam. *Nihil additur in fine Lectionum.*

℟. Defecérunt sicut fumus dies mei, et ossa mea sicut crémium aruérunt: * Dies mei sicut umbra declinavérunt. ℣. Quæ est vita nostra? Vapor est ad módicum parens. * Dies mei sicut. *Ps.* 101. *Jac.* 4.

LECTIO II.

(Cap. 14.)

Homo natus de mulíere, brevi vivens témpore, replétur multis misériis. Qui quasi flos egréditur et contéritur, et fugit velut umbra, et nunquam in éodem statu pérmanet. Et dignum ducis

super hujuscémodi aperíre óculos tuos, et addúcere eum tecum in judícium? Quis potest fácere mundum de immundo conceptum sémine? Nonne tu qui solus es? Breves dies hóminis sunt, número mensium ejus apud te est: constituisti términos ejus, qui præteríri non póterunt. Recéde páululùm ab eo, ut quiescat; donec optáta véniat, sicut mercenárii, dies ejus.

℟. Peccávi valdè; sed * Precor, Dómine, ut tránsferas iniquitátem servi tui; quia stultè egi nimis. ℣. Deus, propítius esto mihi peccatóri. * Precor. 2. *Reg.* 24. *Luc.* 18.

LECTIO III.

(Cap. 19.)

Pelli meæ, consumptis cárnibus, adhæsit os meum; et derelicta sunt tantúmmodò lábia circa dentes meos. Miserémini meî, miserémini meî, saltem vos amíci mei; quia manus Dómini tétigit me. Quare persequímini me sicut Deus, et cárnibus meis saturámini? Quis mihi tríbuat ut scribántur sermónes mei? quis mihi det ut exarentur in libro stylo férreo, et plumbi láminâ, vel celte sculpantur in sílice? Scio enim quòd Redemptor meus vivit, et in novíssimo die de terra surrectúrus sum, et rursum circúmdabor pelle meâ, et in carne mea vidébo Deum meum, quem visúrus sum ego ipse, et óculi mei conspectúri sunt, et non álius. Repósita est hæc spes mea in sinu meo.

℟. Ad Dóminum aspíciam, expectábo Deum salvatórem meum; consurgam, cùm sédero in ténebris: * Iram Dómini portábo, quóniam peccávi ei. ℣. Flagellat Dóminus omnem fílium quem récipit: * Iram Dómini. *Mich.* 7. *Hebr.* 12.

IN II.° NOCTURNO.

LECTIO IV.

Ex libro sancti Augustíni Epíscopi, de verbis Apóstoli.

(Serm. 172, c. 1.)

Admonet nos beátus Apóstolus, ut de dormiéntibus, hoc est, mórtuis carissimis nostris, non contristémur sicut et céteri qui spem non habent, spem scílicet resurrectiónis et incorruptiónis æternæ. Nam ídeò et dormientes eos appellat Scriptúræ veracíssima consuetúdo, ut cùm dormientes audímus, evigilatúros mínimè desperémus. Unde étiam cantátur in Psalmo: Numquid qui dormit, non adjíciet ut resurgat? Est ergo de mórtuis, eis qui díligunt, quædam tristítia quodámmodò naturális. Mortem quippe horret, non opínio, sed natura; nec mors hómini accí-

deret, nisi ex pœna quam præcésserat culpa. Quapropter si animália, quæ ita creáta sunt ut suo quæque témpore moriantur, mortem fúgiunt, díligunt vitam; quantò magis homo, qui sic fúerat creátus, ut si vívere sine peccáto voluisset, sine término víveret? Hinc ítaque necesse est ut tristes simus, quando nos moriendo déserunt quos amámus; quia etsi nóvimus eos non in æternum relínquere nos mansúros, sed aliquantùm præcédere secutúros; tamen mors ipsa quam natúra réfugit, cùm óccupat dilectum, contristat in nobis *ipsíus* dilectiónis affectum. Ideò non admónuit Apóstolus, ut non contristémur; sed non sicut céteri qui spem non habent.

℟. Ecce ánimam meam porto in mánibus meis: * Etiamsi occíderit me, in ipso sperábo; et ipse erit Salvátor meus. ℣. Sive vívimus, sive mórimur, Dómini sumus: * Etiamsi. *Job* 13. *Rom.* 14.

LECTIO V.

(Cap. 1 et 2.)

Contristamur ergo nos in nostrórum mórtibus, necessitáte amittendi, sed cum spe recipiendi. Inde ángimur, hinc consolámur. Inde infírmitas afficit, hinc fides réficit. Inde dolet humána conditio, hinc sanat divína promíssio. Proinde pompæ fúneris, ágmina exequiárum, sumptuósa diligéntia sepultúræ, monumentórum opulenta constructio, vivórum sunt qualiacumque solátia, non adjutória mortuórum. Oratiónibus verò sanctæ Ecclésiæ, et sacrifício salutári, et eleemósynis quæ pro eórum spirítibus erogantur, non est dubitandum mórtuos adjuvári, ut cum eis misericórdius agátur à Dómino, quàm eórum peccáta meruérunt. Hoc enim à Pátribus tráditum universa observat Ecclésia; ut pro eis *qui in córporis et sánguinis* Christi communióne defuncti sunt, cùm ad ipsum sacrifícium loco suo commemorantur, orétur, ac pro illis quoque id offerri commemorétur. Cùm verò eórum commendandórum causâ ópera misericórdiæ celebrantur, quis eis dúbitet suffragári, pro quibus oratiónes Deo non inániter allegantur? Non omninò ambigendum est ista prodesse defunctis; sed tálibus, qui ita víxerint ante mortem, ut possint eis hæc utília esse post mortem. Nam qui sine fide quæ per dilectiónem operátur, ejusque sacramentis, de corpóribus exiérunt; frustrà illis à suis hujúsmodi pietátis impenduntur offícia, cujus, dum hic essent, pígnore caruérunt; vel non suscipientes, vel in vácuum suscipientes Dei grátiam, et

sibi non misericórdiam thesaurizántes, sed iram.

℟. Hi qui cum pietáte dormitiónem accepérunt, óptimam habent repósitam grátiam. * Sancta ergo et salúbris est cogitátio pro defunctis exoráre, ut à peccátis solvantur. ℣. Si quis superædíficat super fundamentum, et opus ejus árserit, detrimentum patiétur; ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem. * Sancta. 2. *Mach.* 12. 1. *Cor.* 3.

LECTIO VI.

Non ergo mórtuis nova mérita comparantur, cùm pro eis boni áliquid operantur sui; sed eórum præcedéntibus consequéntia ista redduntur. Non enim actum est, nisi cùm hic víverent, ut eos hæc áliquid adjuvárent, cùm hic vívere destitissent. Et ídeò istam fíniens quisque vitam, nisi quod méruit in ipsa, non póterit habére post ipsam. Permittantur ítaque pia corda carórum de suórum mórtibus contristári dolóre sanábili, et consolábiles lácrymas fundant conditióne mortáli; quas citò réprimat fídei gáudium, quâ creduntur fideles, quando moriuntur, páululùm à nobis abíre, et ad melióra transíre. Consolentur eos étiam fraterna obséquia, sive quæ funéribus exhibentur, sive quæ doléntibus adhibentur, ne sit justa querela dicéntium: Sustínui qui simul contristarétur, et non fuit; et consolantes, et non invéni. Sit pro víribus cura sepeliendi, et sepulcra construendi; quia et hæc in Scriptúris sanctis inter bona ópera deputáta sunt: nec solùm in corpóribus Patriarchárum aliórumque Sanctórum, et humánis cadavéribus quorumcumque jacéntium, verùm étiam in ipsíus Dómini córpore, prædicáti atque collaudáti sunt, qui ista fecérunt. Impleant hæc hómines erga suos offícia postrémi múneris: et sui humáni lenimenta mœróris. Verùm illa quæ ádjuvant spíritus defunctórum, oblatiónes, oratiónes, erogatiónes, multò pro eis observántiùs, instántiùs, abundántiùs impendant, qui suos carne, non spíritu mórtuos, non solùm carnáliter, sed étiam spiritáliter amant.

℟. Dómine omnípotens, Deus Israel, * Audi nunc oratiónem mortuórum Israel: noli meminisse iniquitátum patrum nostrórum; sed memento manûs tuæ et nóminis tui. ℣. Occísus es, Dómine, et redemisti nos Deo in sánguine tuo: * Audi nunc. *Baruch.* 3. *Apoc.* 5.

IN III.° NOCTURNO.

LECTIO VII.

De Epístola prima beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios.

(Cap. 15.)

Si Christus prædicátur quòd

resurrexit à mórtuis, quómodò quidam dicunt in vobis quóniam resurréctio mortuórum non est? Si autem resurréctio mortuórum non est, neque Christus resurrexit. Si autem Christus non resurrexit, inánis est ergo prædicátio nostra, inánis est et fides vestra: invenímur autem et falsi testes Dei; quóniam testimónium díximus adversùs Deum quòd suscitáverit Christum, quem non suscitávit si mórtui non resurgunt: nam si mórtui non resurgunt, neque Christus resurrexit. Quòd si Christus non resurrexit, vana est fides vestra, adhuc enim estis in peccátis vestris: ergo et qui dormiérunt in Christo, periérunt. Si in hac vita tantùm in Christo sperantes sumus, miserabilióres sumus ómnibus homínibus. Nunc autem Christus resurrexit à mórtuis, primítiæ dormiéntium; quóniam quidem per hóminem mors, et per hóminem resurréctio mortuórum: et sicut in Adam omnes moriuntur, ita et in Christo omnes vivificabuntur.

℟. Scio quòd Redemptor meus vivit, et in novíssimo die de terra surrectúrus sum, * Et in carne mea vidébo Deum meum. ℣. Oportet corruptíbile hoc indúere incorruptiónem, et mortále hoc indúere immortalitátem. * Et. *Job* 19. 1. *Cor.* 15.

LECTIO VIII.

Sed dicet áliquis: Quómodo resurgunt mórtui? qualive córpore vénient? Insípiens, tu quod séminas non vivificátur, nisi priùs moriátur: et quod séminas, non corpus quod futúrum est séminas, sed nudum granum, ut putà trítici, aut alicújus ceterórum; Deus autem dat illi corpus sicut vult, et unicuíque séminum próprium corpus. Non omnis caro, éadem caro: sed ália quidem hóminum, ália verò pécorum, ália vólucrum, ália autem píscium. Et córpora cœléstia, et córpora terréstria; sed ália quidem cœléstium glória, ália autem terréstrium. Alia cláritas solis, ália cláritas lunæ, et ália cláritas stellárum; stella enim à stella differt in claritáte. Sic et resurréctio mortuórum. Seminátur in corruptióne, surget in incorruptióne: seminátur in ignobilitáte, surget in glória: seminátur in infirmitáte, surget in virtúte: seminátur corpus animále, surget corpus spiritále.

℟. Qui dórmiunt in terræ púlvere, * Evigilábunt, álii in vitam æternam, et álii in oppróbrium, ut vídeant semper. ℣. Omnes quidem resurgémus, sed non omnes immutábimur: * Evigilábunt, álii in vitam æternam. *Dan.* 12. 1. *Cor.* 15.

LECTIO IX.

Ecce mystérium vobis dico : Omnes quidem resurgémus, sed non omnes immutábimur. In momento, in ictu óculi, in novíssima tuba : canet ènim tuba, et mórtui resurgent incorrupti ; et nos immutábimur. Oportet enim corruptíbile hoc indúere incorruptiónem, et mortále hoc indúere immortalitátem. Cùm autem mortále hoc indúerit immortalitátem, tunc fiet sermo qui scriptus est, Absorpta est mors in victória. Ubi est, mors, victória tua? ubi est, mors, stímulus tuus? Stímulus autem mortis peccátum est ; virtus verò peccáti, lex. Deo autem grátias, qui dedit nobis victóriam per Dóminum nostrum Jesum Christum. Itaque, fratres mei dilecti, stábiles estóte et immóbiles ; abundantes in ópere Dómini semper, scientes quòd labor vester non est inánis in Dómino.

℟. Líbera me, Dómine, ab iis qui odérunt me : non absórbeat me profundum, neque úrgeat super me púteus os suum : * Exaudi me, quóniam ✝ Benigna est misericórdia tua : § Intende ánimæ meæ, et líbera eam. ℣. Dómine Deus, rex seculórum, solus pius es : * Exaudi me, quóniam ✝ Benigna est misericórdia tua : § Intende ánimæ meæ, et líbera eam. ℣ Miserére meî, Dómine fili David : Dómine, ádjuva me : ✝ Benigna est misericórdia tua : § Intende ánimæ meæ, et líbera eam. ℣. Propósuit te Deus propitiatiónem per fidem propter remissiónem delictórum : § Intende ánimæ meæ, et líbera eam. *Repetitur* ℟. Líbera, *usque ad* ℣. Dómine. *Ps.* 68. *Apoc.* 15. *Matth.* 15. *Rom.* 3.

AD LAUDES.

Ut in Officio Defunct.

Dictis Precibus cum Ps. De profundis, *et* ℣℣. *ibi notatis, sola dicitur Orat.* Fidélium, *infrà.*

AD PRIMAM.

Inchoatur absolutè à Psalmo Confitémini, 14, *in cujus fine non dicitur* Glória Patri, *nec* Réquiem, *sed continuò Ps.* Beáti immaculáti, *ut ad Primam Dominicæ, et in fine tantùm ultimi Octonarii dicitur :* Réquiem æternam dona eis, Dómine ; * et lux perpétua lúceat eis.

Posteà Hebdomadarius inchoat ℟. Defecérunt, *Chorus prosequitur*, sicut fumus dies mei, et ossa mea sicut crémium aruérunt : * Dies mei sicut umbra declinavérunt. *Hebdom.* ℣. Quæ est, *Chorus*, vita nostra? Vapor est ad módicum parens. * Dies. *Ps.* 101. *Jac.* 4.

Iterum Hebdomadarius inchoat ℟. Defecérunt, *Chorus*, sicut fumus, *usque ad* ℣. *exclusivè.*

Hebdomadarius absolutè : dicit :

OREMUS.

Fidelium, Deus, ómnium cónditor et redemptor, animábus famulórum famularumque tuárum remissiónem cunctórum tríbue peccatórum ; ut indulgéntiam quam semper optavérunt, piis supplicatiónibus consequantur ; Qui vivis.

Deinde, Requiescant in pace. ℟. Amen. *Is ritus observatur ad celeras dici Horas.*

AD TERTIAM.

Inchoatur absolutè ab Octon. Legem pone, 19, *cum reliquis ; et in fine ultimi dicitur* Réquiem ; *sicque ad Sextam et Nonam.*

Hebdom. ℟. Ad Dóminum, *Chorus*, aspíciam : expectábo Deum salvatórem meum : consurgam, cùm sédero in ténebris : * Iram Dómini portábo, quóniam peccávi ei. *Hebd.* ℣. Flagellat Dóminus, *Chorus*, omnem fílium quem récipit. * Iram. *Mich.* 7. *Hebr.* 12.

Hebdomadarius repetit. ℟. Ad Dóminum, *Chorus*, aspíciam.

Oratio, Fidélium, Deus, ómnium cónditor et redemptor, *ut suprà.*

AD SEXTAM.

Ps. Defécit in salutáre tuum *etc.* 22.

Hebdom. ℟. Dómine, *Chorus*, omnípotens, Deus Israel, * Audi nunc oratiónem mortuórum Israel : noli meminisse iniquitátum patrum nostrórum, sed memento manûs tuæ et nóminis tui. *Hebd.* ℣. Occísus es, Dómine, *Chorus*, et redemisti nos Deo in sánguine tuo : * Audi. *Baruch* 3. *Apoc.* 5.

Hebdom. repetit ℟. Dómine, *Chorus*, omnípotens.

Oratio, Fidélium Deus omnium cónditor et redemptor, *supra.*

AD NONAM.

Ps. Mirabília testimónia tua, *etc.* 25.

Hebd. ℟. Scio, *Chorus*, quòd Redemptor meus vivit, et in novíssimo die de terra surrectúrus sum, * Et in carne mea vidébo Deum meum. *Hebdomadarius.* ℣. Oportet, *Chorus*, corruptíbile hoc indúere incorruptiónem, et mortále hoc indúere immortalitátem : * Et in carne. *Job* 19. 1. *Cor.* 15.

Hebd. ℟. Scio, *Chorus*, quòd Redemptor.

Oratio, Fidélium Deus ómnium cónditor et redemptor, *suprà.*

Officium Defunctorum terminatur ad Nonam inclusivè.

Vesperæ *de Octava, in quibus fit Commem. S. Naamatii Diaconi. Ant.* Qui confidunt. ℣. Sperent, 1. *Oratio*, Fac, quæsumus, Dómine Deus noster, LIV.

DIEBUS

INTRA OCTAVAM

OMNIUM SANCTORUM.

Semiduplex.

Omnia ut in die Festi, exceptis quæ sequuntur.

Ps. de Feria in toto Offic.

AD NOCTURNUM.

Tres Antiph. ℣. *et* ℟℟. *è Nocturno diei, juxta Feriam.*

Lectio I, de Scriptura occurrente, tribus in unam junctis.

Lectio II et III ut infrà in qualibet die.

AD LAUDES.

Ant. sola. 8. G. Benedícite Dóminum, omnes electi ejus: ágite dies lætítiæ, et confitémini illi. *Tob.* 13.

Ad Horas, *ut in die Festi, sine* Allelúia *in* ℟℟. *brevibus.*

AD VESPERAS.

Ant. sola 4. E. Benedictus Deus qui elégit nos in Christo, ut essémus sancti et immaculáti in conspectu ejus in caritáte. *Ephes.* 1.

DOMINICA

INTRA OCTAVAM.

Totum Officium fit de Dominica ut in Psalt. incipiendo à primis Vesp. quæ erunt integræ de Sabbato ante Dominicam occurr. cum Commem. Octavæ in utrisque Vesperis et Laud.

DIE III.

DE OCTAVA.

LECTIO II.

Ex libro sancti Augustíni Epíscopi, de Civitáte Dei.

(L. 22. C. 30. n. 1.)

Vera ibi glória erit, ubi laudantis nec erróre quisquam, nec adulatióne laudábitur. Verus honor, qui nulli negábitur digno, nulli deferétur indigno: sed nec ad eum ámbiet ullus indignus, ubi nullus permittétur esse nisi dignus. Vera pax, ubi nihil adversi, nec à seipso, nec ab álio quisquam patiétur. Præmium virtútis erit ipse qui virtútem dedit, eíque seipsum, quo mélius et majus nihil possit esse, promísit. Quid est enim áliud quod per Prophétam dixit, Ero illórum Deus, et ipsi erunt mihi plebs; nisi, Ego ero unde sátientur, ego ero quæcumque ab homínibus honestè desiderantur, et vita, et salus, et victus, et cópia, et glória, et honor, et pax, et ómnia bona? Sic enim et illud rectè intellígitur quod aît Apóstolus: Ut sit Deus ómnia in ómnibus. Ipse finis erit desideriórum nostrórum, qui sine fine vidébitur, sine fastídio amábitur, sine fatigatióne laudábitur.

Tu autem, Dómine, miserére nostri.

℟. Deo grátias.

De sancto Naamatio.

LECTIO III.

NAAMATIUS è Ruthéna urbe oriundus, jàm ab ipsà adolescéntiâ virtútibus coruscáre cœpit, quibus permótus sanctus Amántius ejusdem urbis Epíscopus, eum sacris ordínibus initiávit, ac in levíticum cooptávit órdinem. In quo múnere beatórum Stéphani, Laurentii, et Vincéntii, vestígia sibi sectanda propónens, tantos in sanctitáte progressus fecit, ut étiam solo verbo dæmones ex obsessis corpóribus ejíceret. Corpus ejus in Ecclésiâ sancti Amántii depósitum fuit, ibíque in túmulo lapídeo requiévit usque ad annum millésimum sexcentésimum septuagésimum, quo sacra illíus pignora Reverendus in Christo Pater Gábriel de Voyer de Paulmy Ruthenensis Epíscopus, à Canónicis venerábilis Capituli associátus, et præséntibus totíus suæ Diœcésis Paróchis, ad Synodum convocátis, magnâ cum solemnitáte elevávit.

VESPERÆ *à Capit. de Sequenti, ut in Communi Pontif. Oratio, ut infrà.*

Pro Commem. Octavæ. Ant. Scimus quóniam cùm apparúerit. ℣. In lúmine tuo vidébimus, 519. *Oratio,* Omnípotens sempiterne Deus, qui nos ómnium Sanctorum, 518.

DIE IV.

S. CAROLI BORROMÆI,

EPISCOPI.

Semiduplex.

LECTIO II.

CAROLUS, Arónæ in território Mediolanensi, nóbili Borromæórum gente natus, à puerítia Clero ascriptus est. Jam ab eo témpore patrem enixe rogávit, ne beneficiórum, quibus donátus fúerat, proventibus rem familiárem augéret, quorum ipse nactus administratiónem, quidquid ex necessáriis súmptibus supérerat, expéndebat in páuperes. Vicésimum-tértium ætátis annum agens, à Pio quarto avúnculo suo in Cardinálium collégium cooptátus, commissa sibi gravíssima Ecclésiæ negótia summâ fide ac religióne administrávit. Mediolanensis deinde Archiepíscopus creátus, plúrimam óperam adhíbuit, ut juxta Concílium Tridentínum quod ejus potíssimum sollicitúdine jam tum fúerat absolútum, Ecclésiam sibi commissam compóneret. Atque ut Ecclesiásticam disciplínam restitúeret, multas tum Diœcesánas, tum Provinciáles Synodos coégit. Hæréticos è pártibus Rhætórum ac Helvetiórum indesinenter insectátus, multos eórum fídei cathólicæ res-

títuit. Caritátem suam in páuperes donis amplíssimis testátum fecit. Ecclesiásticos proventus, quibus ab avúnculo copiósè fúerat cumulátus, dimísit, iis tantùm retentis qui ad quotidiános usus et egenórum necessitátes sufficerent. Quo témpore pestis Medioláni grassabátur, domésticam suppellécti-lem, ne relicto sibi quidem léctulo, in eosdem alendos cóntulit, super nuda in pósterum tábula decumbens : eoque morbo laborantes sédulò invísens, paterno reficiébat affectu; et Ecclésiæ sacramenta própriis ipse mánibus administrans, mirum in modum solabátur. Humíllimis interim précibus reconciliátor accédens, públicâ supplicatióne indictâ, fune sibi ad collum alligáto, nudis pédibus, étiam ex offendículo cruentátis, crucem bájulans, semetipsum pro peccátis pópuli hóstiam ófferens, divínam indignatiónem avértere satagébat.

LECTIO III.

Ecclesiasticæ libertátis acérrimus propugnátor fuit. Disciplínæ reguláris inter mónachos instaurandæ intentus, cùm ex more aliquando in privato oratório véspere cum família oráret, à perditíssimo quodam mónacho, è Congregatióne Humiliatórum, sclopo percussus, divínâ virtúte servátus est. Vitam duxit aspérrimam, corpus domans flagellis, cilício, vigíliis, ac jejúniis, pane tantùm et aquâ, et solis quandoquè lupínis contentus : oratiónem, ac verbi Dei prædicatiónem, gravíssimis licèt curis occupátus, nunquam intermísit. Multas Ecclésias, Monastéria, Seminária, Collégia ædificávit. Plúrima scripsit præcepta, Epíscopis potíssimùm utilíssima; ejusque óperâ Parochórum Catechismus pródiit. Demùm in solitúdinem Varalli montis, ubi sculptæ imágines Domínicæ passiónis mystéria éxprimunt, secessit; ibíque diébus áliquot voluntariâ castigatióne, duram, sed suávem ex Christi dolórum meditatióne vitam agens, in febrem íncidit. Mediolánum reversus, ingravescente morbo, cínere ac cílicio coopertus, et óculis in Christi imáginem defixis, migrávit in cœlum anno ætátis quadragésimo sexto, Christi millésimo quingentésimo octogésimo quarto. Quem miráculis conspícuum Paulus quintus in Sanctórum número ascripsit.

ORATIO.

Multiplica, quæsumus, Dómine, in Ecclésia tua grátiæ spíritum, quo beátum Cárolum Pontíficem

implevisti; ut et gregis tui proficiat ubique successus, et grati fiant nómini tuo, te gubernante, pastóres; Per.

Fit Commem. de Omnibus Sanctis, Ant. Fulgébunt. ℣. Exultábunt. *Oratio*, Omnípotens, 518.

Vesperæ *de Sequenti, ut in Communi Virginum. Oratio*, Deus, qui habitáculum, LXI. *Fit Commen. de omnibus sanctis, ut in II Vesp. Festi; deindè de S. Carolo, per Ant.* Sacerdótes. ℣. Salvum, XXVII. *Oratio*, Multíplica, *ut suprà*, 529.

DIE V.

SANCTÆ MARTIANÆ,

VIRGINIS.

Duplex-majus.

Omnia, ut in Communi Virg. non Mart. LV.

In I. Noct. *Lectiones de Scriptura occurrente.*

IN II.° NOCTURNO.

LECTIO IV.

Martiana apud Albienses nóbili génere nata, téneris adhuc annis paréntibus orbáta, ab Albigensi Episcopo Társiæ religiosíssimæ Vírgini instituenda tráditur. In cujus sanctíssima disciplína, brevi virtútibus ómnibus imbúta, século renuntiávit. In cœnóbio vitam angélicam agens, ita célebris evásit, ut de ejus vitâ multi à viris piis conscripti fúerint commentárii, qui témporum injúriâ jamprídem interiére. Prophético spíritu aflláta interdum appáruit. Geórgii germáni fratris procul ab Albia degentis conjúgium cùm nuntiarétur, sibi longè ante divínitùs revelátum fuisse asséruit; è quo étiam duas fílias susceptúrum fratrem, seque illárum in Christo futúram matrem prævídit.

LECTIO V.

Vaticinium Vírginis probávit eventus. Nam has aliquando géminas neptes apud se sanctíssimè educávit; atque adhuc adolescéntulas cœlo præmísit. Mox ipsum Geórgium ejusque cónjugem ad sanctiórem vivendi formam suâ óperâ traductos, et paulò post mórtuos, in cœlo patrónos habére méruit, quorum salútis in terrâ pia fúerat adjútrix. Tunc vehementióri in dies cœpit cœléstis desidério beatitúdinis inflammári. Tandem intra paucos dies ardentíssimâ febri exhausto córpore, lethalique pallóre, ac squalóre deformis, júgiter orans, prístinæ demùm réddita pulcritúdini, spíritum sub cándidæ columbæ spécie felíciter émisit.

LECTIO VI.

Multis post mortem cláruit miráculis. Illud in primis celebrátum est. Insontem

uxórem vir adultérii accusáverat apud júdicem : cujus jussu, pro more illíus témporis ab Ecclésiâ utcumque toleráto, super novem ignítos vómeres nudis pédibus illæsa incédens, his quidem qui áderant innocéntiam probávit, sed non viro. Cui ut tandem satisfáceret pia uxor, cùm super relíquias divæ Martianæ étiam illæsa jurasset, vir furóre et dæmone pércitus, in honórem vírginis turpíssimè debacchátus, uxórem stricto gládio perséquitur usque in sacram ipsíus ædem. Verùm inter persequendum id divínitùs áccidit, ut gládius è mánibus décidens, in frusta fúerit comminútus. Tum Epíscopi jussu constrictus catenis, beátæ Martianæ intercessióne ab immáni zelotypia, et ab ipso étiam dæmone, liberátus, errórem suum confessus est. Sacrum Vírginis corpus Albiæ olim colebátur in Ecclésiâ ipsi dicáta, quæ propè Ecclésiam sancti Sálvii extábat, et luctuósis tempóribus dirúta fuit. Nunc autem in Ecclésia metropolitána sacræ ejusdem relíquiæ honorífice asservantur.

IN III.º NOCTURNO

LECTIO VII.

Léctio sancti Evangélii secundùm Matthæum.

(Cap. 5.)

In illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc : Símile erit regnum cœlórum decem vírginibus : quæ accipientes lámpades suas, exiérunt óbviam sponso et sponsæ. Et réliqua.

Homília sancti Joannis Chrysóstomi.

(Lib. de Virginitate.)

Virginitatis labor et nobis et hæréticis par est; labórum fructus impar. Illos et víncula, et lácrymæ manent; nos Angelórum domicília : et quod bonórum ómnium caput est, sponsi consuetúdo. Bonum est virgínitas? Matrimónio mélior. Et si placet, quantò étiam mélior sit, addam : quantò cœlum terrâ, quantò homínibus Angeli : imò étiam ámpliùs. Humánum genus natúrâ beátis illis cedens, vires suas urget, eisque æquári summâ ope nítitur. Quo pacto? Nec ducunt uxóres Angeli, nec ducuntur? At nec virgo. Assistunt perpétuò ac ministrant Deo? Itidem et virgo. Quare Paulus eas ab omni sollicitúdine arcet, ut assíduæ sint et indivísæ. Vides virginitátis decus? Mortáles Angelórum æmulos reddit.

LECTIO VIII.

Virginis domúncula turbis líbera est, quasique in tranquillo quodam portu, ómnia interióra ejus siléntium cus-

tódit; et siléntio major animum serénitas: quippè nihil humánum tractantem, sed assíduè cum Deo colloquentem, atque in eum fixè contuentem. Et quis eam voluptátem metiátur? Quæ orátio mentis sic affectæ lætítiam repræsentet? Equidem nulla: sed ii soli qui in Deo delícias fáciant, eárum magnitúdinem tenent. At non vis in cœlum spectáre? Atque hic quid dicam néscio. Nec vídeo cur omne penè hóminum genus, cùm fácilè ac jucundè oblectári líceat, in sollicitúdine, distractióne, atque curis potíssimùm gáudeant. Et quid, velut in omnem ætátem hic mansúri, ita in eárum rerum stúdio à quibus sæpè ad vésperam desciscendum sit, summâ ope nitimur?

LECTIO IX.

Quid verò, si et virgo de multis labóret, atque humána curet? Vírginum choro eam exémeris. Síquidem ad vírginem præstandam haud sanè satis est non nupsisse, sed ánimi quoque castitáte opus est. Castitátem autem intélligo, non fœdâ ac flagitiósâ solùm libídine, ornátu, curiositáte vacáre; sed vítæ étiam curis solútam esse ac líberam. Quod ni sit, quorsùm córporis castitátem? Nam, ut mílite qui abjectis armis in popínis occupétur, nihil túrpius: ita nec vírgine vitæ curis obstrictâ, quicquam inhonéstius. Quinque illæ et lucernas habébant, et virginitátem exercúerant: quorum nihil eis prófuit; sed clausis fóribus exclúsæ periérunt.

Ad Laudes, *fit Commemor. de Omnibus Sanctis, ut in Laudibus Festi.*

Ad Vesperas, *fit Commem. de sancto Amantio, Episc. Ant.* Elégit. ℣. Beátus, xxii. *Oratio*, Deus, fidélium, xxvi.

Deinde de Omnibus Sanctis, ut in II Vesperis Festi.

DIE VI.

SANCTI AMANTII,

RUTHENENSIS EPISCOPI.

Semiduplex.

Omnia ut in Communi Pontificum, xxi. *Oratio*, Deus fidélium, xxvi.

LECTIO II.

Amantius à primævo ætátis flore, abruptis séculi láqueis, milítiam Christi secútus, patiéntiæ, ac fortitúdinis, præsertimque fídei præsídio munítus, mira prorsùs in Dómini famulátu operátus est. Videns ítaque Ruthénos magna adhuc ex pàrte profánis idololatríæ rítibus implicátos, tùm férvidis cohortatiónibus, tùm sanctæ vitæ exempla, tùm máximè miraculórum magnitúdine id tandem effécit, ut cívitas Ruthenensis et

circumjecta régio, abjectis dæmonum simulácris, uníus summi Dei cultum amplecterétur. Collecto ígitur gregi datus ex Dei nutu, et Sacerdotáli ordinatióne primus Pastor et Epíscopus, non modò se tanto múneri parem exhíbuit; sed et susceptæ dignitáti novum decórem adjécit.

LECTIO III.

Apostolico spíritu animátus, dírutis profánis delúbris, eversisque dæmonum simulácris, Christi trophæa ubíque erígere aggressus est. Cumque ad famósum quoddam idólum, in ipsâ civitáte Ruthéna, numerósus fíeret infidélium concursus, nec ullis increpatiónibus illos sanctus Præsul ab ejúsmodi impietáte abdúcere posset: quin imò ejus mónitis efferáti, necem illi inferre molirentur; précibus ab eo fusis, repentíno fúlminis ictu simulácrum córruit, et in partes plúrimas confractum circumquáque magno procellæ ímpetu dispérgitur. Tanto miráculo attónita turba, pravis superstitiónibus ejurátis, Christo se subdit; ejusque fidem amplectens, sancti Epíscopi mónita et documenta auscultat. Nec semel tantùm vir beátus símile díscrimen incurrit, dum in áliis locis dæmonum habitácula dirúere, et pópulum infidélem ad verum divinitátis cultum conátur redúcere. Sed non étiam hâc unâ vice à perículis máximis divínâ virtúte liberátus, magnum inde tulit devictæ impietátis triumphum. Quibus tandem conspícuus, fideique méritis, et opéribus justítiæ ditátus, clarusque miráculis, beátâ morte ad vitam immortálem translátus est.

Ad Laudes, *pro Commemorat. Omnium Sanctorum, Ant.* Fulgébunt. ℣. Exultábunt. *Oratio*, Omnípotens sempiterne, 518.

Vesperæ *de sequenti, ut in Communi unius Martyris*, VIII. *Fit Commem. de omnibus sanctis in II Vesperis festi.*

Deindè sancti Amantii, Episc. Ant. Sacerdótes. ℣. Salvum, XXVIII. *Oratio*, Deus, fidélium, XXVI.

DIE VII.

SANCTI AMARANDI,

MARTYRIS.

Duplex-majus.

Omnia ut in Communi unius Martyris, VII, *additis quæ sequuntur. Oratio, ut infrà.*

In I. Noct. *Lectiones de Scriptura occurrente.*

IN II.° NOCTURNO.

LECTIO IV.

Ex sancto Gregório Turonensi.

(Lib. 1 Miracul. cap. 57.)

Amarandus, Martyr, apud

Albiensem urbem, exacto agónis fidélis cursu, sepultus vivit in glóriâ : cujus, ut história passiónis declárat, sepulcrum diù vépribus sentibusque contectum látuit. Sed Dómino jubente Christiánis pópulis revelátum est, et crypta in quâ quiescébat patefacta resplénduit. Sed cùm, hostilitáte impellente, locus ille ab habitatóribus fuisset evacuátus, à longinquo venientes incolæ, honórem beáto Mártyri, quasi custódi próprio, nitebantur impéndere.

LECTIO V.

Igitur cùm céreos frequenter devótio Christiána deferret; quâdam die cóntigit, ut quidam præ longinquitáte itíneris, incrementum ignis, quo accenderétur céreus, non habéret, arreptumque sílicem ferro vérberat, quasi ignem elicitúrus. Quod dum ágeret, et crebris íctibus lápidem quátiens nihil foci posset excútere; cœlesti lámpade céreus, qui jam beáto sepulcro affixus erat, illumináitur. Sicque factum est, ut quæ humánæ non expléverant indústriæ, peragerentur divíni núminis majestáte.

LECTIO VI.

Cessante humáno stúdio, cœléstia offícia ministrantur; luminisque novi fulgóre céreus clarificátur accensus. Quod cùm pópulis manifestátum fuisset, incrementum foci ultériùs ad accendendum lumen nullus exhibére præsumpsit. Postquàm verò locus ille inhabitári ab homínibus assíduè cœpit, atque ibi domus, in quibus ignis accenderétur, adessent; hoc miráculum non est ultra præstitum plebi, cùm áliis miráculis frequéntiùs illustrétur.

IN III.° NOCTURNO.

LECTIO VII.

Léctio sancti Evangélii secundùm Matthæum.

(Cap. 16.)

In illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Si quis vult post me veníre, ábneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequátur me. Et réliqua.

Homília sancti Gregórii Papæ.

(In cap. 9. Luc.)

Nec súfficit nostra relínquere, nisi relinquámus et nos. Quid est quod dícimus, Relinquámus et nos? Si enim nosmetipsos relínquimus, quò ibimus, extra nos? vel quis est qui vadit, si se deserúerit? Sed áliud sumus per peccátum lapsi, áliud per natúram cónditi: áliud quod fécimus, áliud quod facti sumus. Relinquámus

nosmetipsos quales peccando nos fécimus, et maneámus nosmetipsi quales per grátiam facti sumus. Ecce étenim qui superbus fuit, si conversus ad Christum, húmilis factus est, semetipsum relinquit. Si luxuriósus quisque ad continéntiam vitam mutávit, abnegávit útique quod fuit. Si avárus quisque ambíre jam désiit, et largíri dídicit própria qui priùs aliéna rapiébat, procul dúbio semetipsum relinquit. Ipse quidem est per natúram, sed non est ipse per malítiam. Hinc enim scriptum est : Verte ímpios, et non erunt. Conversi namque ímpii non erunt; non quia non erunt omnínò in essèntia, sed scílicet non erunt in impietátis culpa.

LECTIO VIII.

Tunc ergo nosmetipsos relínquimus, tunc nos ipsos abnegámus, cùm mutámus quod per vetustátem fúimus, et ad hoc nítimur quod per novitátem vocámur. Pensémus quómodò se Paulus abnegáverat, qui dicébat : *Vivo autem jam non ego.* Extinctus quippè fúerat sævus ille persecútor, et vívere cœperat pius prædicátor. Si enim ipse esset, pius profectò non esset. Sed qui se vívere dénegat, dicat unde est quod sancta verba per doctrínam veritátis clamat. Prótinùs subdit : Vivit verò in me Christus. Ac si apertò dicat : Ego quidem à memetipso extinctus sum, quia carnáliter non vivo : sed tamen essentiáliter mórtuus non sum, quia in Christo spiritáliter vivo.

LECTIO IX.

Dicat ergo Véritas, dicat : Si quis vult post me veníre, abneget semetipsum; quia nisi quis à semetipso defíciat, ad eum qui super ipsum est, non appropinquat : nec valet apprehéndere quod ultrà ipsum est, si nescit mactáre quod est. Sic ólerum plantæ transponuntur, ut proficiant, atque, ut ita díxerim erádicantur, ut crescant : sic rerum sémina in terræ admixtióne defíciunt, ut in reparatióne sui géneris ubérius assurgant. Unde enim videtur perdidisse *quod erant, inde accípiunt* hoc apparére quod non erant. Sed qui jam se à vítiis ábnegat, exquirendæ ei virtútes sunt, in quibus crescat. Nam cùm dictum est : Qui vult post me veníre, ábneget semetipsum, prótinùs ádditur : Et tollat crucem suam quotídie, et sequátur me.

ORATIO.

Deus qui nos beáti Amarandi Mártyris tui confessióne gloriósà circumdas et prótegis : præsta nobis, quæsumus, ex ejus interven-

tióne gaudére, et oratióne fulcíri; Per Dóminum.

VESPERÆ *de sequenti.*

DIE VIII.

OCTAVA

OMNIUM SANCTORUM,

ET VENERATIO

SS. RELIQUIARUM.

Duplex-majus.

IN I. VESPERIS.

Psalmi de Feria, et sic in toto Officio.

Ant. 4. E. Justi quasi virens fólium germinábunt; radix justórum non commovébitur. *Prov.* 11 *et* 12.

Ant. 6. F. Sit memória illórum in benedictióne; et ossa eórum púllulent de loco suo. *Eccli.* 46.

Ant. 5. a. Ossa eórum púllulent de loco suo; nam corroboravérunt Jacob, et redemérunt se in fide virtútis. *Eccli.* 49.

Ant. 2. D. Illi viri misericórdiæ sunt, quorum pietátes non defuérunt; et glória eórum non derelinquétur. *Eccli.* 44.

Ant. 1. f. Córpora ipsórum in pace sepulta sunt; et nomen eórum vivit in generatiónem et generatiónem. *Eccli.* 44.

Capitulum. (*Rom.* 8.)

Si Spíritus ejus qui suscitávit Jesum à mórtuis, hábitat in vobis; qui suscitávit Jesum Christum à mórtuis, vivificábit et mortália córpora vestra, propter inhabitántem Spíritum ejus in vobis.

℟. Ego consolábor vos: vidébitis, et gaudébit cor vestrum, * Et ossa vestra quasi herba germinábunt; et ✝ Cognoscétur manus Dómini servis ejus. ℣. Absterget Deus omnem lacrymam, et mors ultrà non erit; neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultrà: * Et ossa vestra quasi. Glória Patri. ✝ Cognoscétur manus Domini servis ejus. *Is.* 66. *Apoc.* 21.

HYMNUS.

O vos unánimes Christiádûm chori,
Sanctórum túmulos et cíneres patrum,
Dulces exúvias, pignora Cœlitûm,
Lætis dícite cántibus.
CŒLO quando piis æqua labóribus
Felíces ánimæ gáudia póssident,
Pœnárum sóciis débita réddítur
Hic laus et decus óssibus.
PASSIM sparsa Deus pollíciti memor,
Custos, ne péreant, pignora cólligit;
Electosque suis próvidus ággerit
Aptandos lápides locis.
QUIN et rellíquias et túmulos sibi

Aras ipse Deus cónsecrat hóstia;
Conjungensque suis se caput ártubus,
Hos secum simul ímmolat.
Vos, quorum cíneres supplícibus pia,
Tútum præsídium, plebs colit ósculis;
Si vos nostra movent, subsídium, boni,
Vestris ferte cliéntibus;
Ut cùm nostra nobis spléndida dótibus,
Surget juncta choris spirítuum caro,
Indivísa Trias sit Deus ómnia
Nobis semper in ómnibus.
Amen.

℣. Pretiósa in conspectu Dómini ℟. Mors Sanctórum ejus. *Ps.* 115.

Ad Magníficat, *Ant.* 3. a. Amodò jam dicit Spíritus, ut requiéscant à labóribus suis; ópera enim illórum sequuntur illos. *Apoc.* 14.

Oratio, ut in infrà ad Laudes.

Fit Commem. S. Amarandi, Martyris. Ant. Justum. ℣. Posuisti, XIV. *Oratio,*

COMPLETORIUM, *ut suprà,* 510.

AD OFFIC. NOCTURNUM

INVITATORIUM.

MIRABILEM in Sanctis suis Dóminum,* Veníte, adorémus. *Ps.* 67.

Ps. 94. Veníte, 2.

Hymnus, O vos unánimes, *ut in I. Vesperis*

IN I.° NOCTURNO.

Ant. 4. *D.* Dixit Deus: Ego sum qui sum, Deus Abraham, Deus Isaac, et Deus Jacob: hoc nomen mihi est in æternum. *Exod.* 3.

Ant. 3. *à.* De manu mortis liberábo eos: de morte rédimam eos. *Osee.* 13.

Ant. 8. c. Fáciam propter servos meos, ut non dispérdam totum; adhuc illis loquéntibus, ego áudiam. *Is.* 65.

℣. Orábit ad te omnis sanctus, ℟. In témpore opportúno. *Ps.* 31.

Lectiones de Script. occur.

Post I Lect. ℟. Abel testimónium consecútus est esse justus, testimónium perhibente munéribus ejus Deo,* Et per fidem defunctus adhuc lóquitur. ℣. Dixit Dóminus ad Cain: Quid fecísti? vox sánguinis fratris tui clamat ad me de terra;* Et. *Hebr.* 11. *Gen.* 4.

Post II Lect. ℟. Cùm emisisset Phárao pópulum, tulit Móyses ossa Joseph secum, eò quòd adjurasset fílios Israel, dícens:* Visitábit vos Deus, efferte ossa mea hinc vobiscum. ℣. Fide Joseph móriens, de profectióne filiórum Israel memorátus est, et de óssibus suis mandávit: * Visitábit vos. *Exod.* 13. *Hebr.* 11.

Post III Lect. ℟. Projecérunt cadáver in sepulcro Eliséi: quod * Cùm tetigis-

set ossa Eliséi, † Revixit homo, et stetit super pedes suos. ℣. Per fidem accepérunt de resurrectióne mórtuos. * Cùm. Glória. † Revixit. 4. *Reg.* 13. *Hebr.* 11.

IN II.º NOCTURNO.

Ant. 6. *C.* Dico vobis amícis meis: Ne terreámini ab iis qui occídunt corpus, et post hæc non habent ámpliùs quid fáciant. *Luc.* 12.

Ant. 7. b. Nonne quinque pásseres væneunt dipóndio? et unus ex illis non est in oblivióne coram Deo. *Luc.* 12.

Ant. 8. G. Capilli cápitis vestri omnes numeráti sunt: nolíte timére, multis passéribus pluris estis vos. *Luc.* 12.

℣. Custódit Dóminus ómnia ossa eórum: ℟. Unum ex his non conterétur. *Ps.* 33.

LECTIO IV.

Sermo sancti Joannis Chrysóstomi.

(Homil. 26. in II ad Cor. n. 5.) Sepulcra sanctórum qui Crucifixo serviérunt, régias aulas splendóre vincunt, non magnitúdine aut pulcritúdine ædificiórum; (nam hâc parte illa súperant) sed, quod multò majus est, coéuntium stúdio. Nam et ille qui púrpuram gestat, ad sepulcra illa se confert, ut ea exosculétur; abjectóque fastu supplex stat, Sanctoque óbsecrat, ut ipsi apud Deum sibi præsídio sint: atque, ut et tentoriórum opíficem, et piscatórem, et quidem fato functos patrónos hábeat, précibus is contendit qui diadémate cinctus est. Ergo-ne, dic, quæso, horum dóminum mórtuum dícere audébis, cujus servi, étiam defuncti, eórum qui universo orbi ímperant, patróni sunt? Atque id non Romæ solùm fieri quíspiam víderit, sed étiam Constantinópli. Nam et hìc quoque Constantínum Magnum ita demum ingenti honóre se affectúrum existimávit, fílius si eum in piscatóris vestíbulo cónderet. Quodque Imperatóribus sunt in aulis janitóres, hoc in sepulcro piscatóribus sunt Imperatóres.

℟. Amen, amen dico vobis; qui credit in me, ópera quæ ego fácio et ipse fáciet, et majóra horum fáciet: * Et quodcumque petiéritis Patrem in nómine meo, hoc fáciam. ℣. Dabo vos in nomen, et in laudem ómnibus pópulis terræ: * Et quod. *Joan.* 14. *Sophon.* 3.

LECTIO V.

Quod si cum Imperatóriis aulis hæc sepulcra conferre líbeat, penès hæc rursus victória futúra est. Illic enim multi sunt, qui turbam submóveant: hic contrà multi qui ínvitent, atque et divi-

tes, et páuperes, et viros, et féminas, et servos ac líberos áttrahant. Illìc ingens terror: hìc lætítia quæ nullis verbis explicári queat. At dulce spectáculum est Imperatórem auro amictum, et corónà redimítum vidére, astantesque béllicos duces, præfectos, tribúnos, centuriónes, prætóres. Verùm hæc ádeò illis augustióra magisque tremenda sunt, ut præ istis illa scena quædam ac merus ludus censéri possint. Simul enim atque límina transilíeris, locus ipse mentem ad cœlum, ad supernum Regem, ad Angelórum exércitum, ad sublíme illud sólium, ad inaccessam glóriam transmittit.

℣. Per manus Apostolórum fiébant prodígia, ita ut in platéas ejícerent infírmos; ut, veniente Petro, saltem umbra illíus obumbráret quemquam illórum: * Qui curabantur omnes. ℣. Misericórdia tua, Dómine, adváeniens sanábat illos: * Qui curabantur. *Act.* 5. *Sap.* 16.

LECTIO VI.

Sanctorum ossa dæmones sistunt et excrúciant, acerbíssimisque illis vínculis eos qui astricti sunt, solvunt. Quid hoc tribunáli terribílius fingi potest? Cùm nemo cernátur, nemo dæmonis láteri incumbat, voces et dilaceratiónes, vérbera et cruciátus, linguæ conflagrantes audiuntur, dæmone admirábilem poténtiam mínimè ferente. Atque isti qui córpora gestárunt, virtútes córpore vacantes súperant: pulvisque, ossa et cinis natúras illas invisíbiles dilácerant. Ideò nemo est qui peregrinatiónem unquam iníre sustíneat, ut Imperatórum aulas vídeat: contra multi plerumque Imperatóres péregrè profecti sunt, ut hoc spectáculo fruerentur. Síquidem sanctórum Mártyrum templa futúri judícii vestígia et signa éxhibent, dum dæmones flagris cæduntur, hominesque castigántur, ac liberantur. Viden quæ Sanctórum, étiam vità functórum, vis sit?

℣. Virtútes non quáslibet faciébat Deus per manum Pauli, ita ut super lánguidos deferrentur à córpore ejus sudária et semicínctia; * Et † Recedébant ab eis languóres, et spíritus nequam egrediebantur. ℣. Quis símilis tuî, Dómine, magníficus in sanctitáte, fáciens mirabília? Extendisti manum tuam; * Et. Glória. † Recedébant. *Act.* 19. *Exod.* 15.

IN III.° NOCTURNO.

Ant. 2. D. Ossa árida, audíte verbum Dómini. *Ezech.* 37.

Ant. 1. *a.* Dicit Dóminus Deus óssibus his: Ecce ego intromittam in vos spíritum, et vivétis. *Ezech.* 37.

Ant. 5. a. Dabo super vos nervos, et succréscere fáciam super vos carnes, et superextendam in vobis cutem; et dabo vobis spíritum, et vivétis. *Ezech.* 37.

℣. Exultábunt Dómino ℟. Ossa humiliáta. *Ps.* 50.

LECTIO VII.

Léctio sancti Evangélii secundùm Lucam

(Cap. 20.)

In illo témpore; Accessérunt quidam Sadducæórum, qui negant esse resurrectiónem. Et réliqua.

Homília sancti Hierónymi Presbyteri.

(Epist. 37. aliàs 75, script. circa an. 406. advers. Vigilantium.)

Dolet Vigilántius Mártyrum Relíquias pretióso operíri velámine, et non vel pannis, vel cilício colligári, vel prójici in sterquilínium, ut solus Vigilántius adorétur. Ergo sacrílegi sumus, quando Apostolórum Basílicas ingrédimur? Sacrílegus fuit Constántius Imperátor, qui sanctas Relíquias Andréæ, Lucæ et Timóthei tránstulit Constantinópolim, apud quas dæmones rúgiunt, et illórum se sentíre præséntiam confitentur? Sacrílegus dicendus est et nunc Augustus Arcádius, qui ossa beáti Samuélis longo post témpore de Judæa tránstulit in Thráciam? Omnes Epíscopi, non solùm sacrílegi, sed et fátui judicándi, qui rem vilíssimam, et cíneres dissolútos, in sérico et vase áureo portavérunt? Mórtuum suspicáris; et idcirco blasphémas. Lege Evangélium: Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Jacob non est Deus mortuórum, sed vivórum.

℟. Multi de his qui dórmiunt in terræ púlvere, * Evigilábunt in vitam ætérnam, et fulgébunt quasi splendor firmamenti, et quasi stellæ in perpétuas ætérnitates. ℣. Quia resurgant mórtui, Móyses dicit, Deum Abraham, et Deum Isaac, et Deum Jacob: Deus autem non est mortuórum, sed vivórum. * Evigilábunt. *Dan.* 12. *Luc.* 20.

LECTIO VIII.

Dicis in libello tuo, quòd dum vívimus, mútuo pro nobis oráre póssumus; postquàm autem mórtui fuérimus; nullíus sit pro álio exaudienda orátio; præsertim cùm Mártyres ultiónem sui sánguinis obsecrántes impetráre non quíverint. Si Apóstoli et Mártyres adhuc in córpore constitúti possunt oráre pro céteris, quando pro se adhuc debent esse sollíciti; quantò magis post corónas, victórias et triumphos? Unus homo Móyses sexcentis míllibus armató-

rum ímpetrat à Deo véniam; et Stéphanus imitátor Dómini sui, et primus Martyr in Christo, pro persecutóribus véniam deprecátur: et postquàm cum Christo esse cœperint, minùs valébunt? Paulus Apóstolus ducentas septuaginta sex sibi dicit in navi ánimas condonátas: et postquàm resolútus esse cœperit cum Christo, tunc ora clausúrus est; et pro iis qui in toto orbe ad suum evangélium credidérunt, mutíre non póterit?

℟. Ecce ego apériam túmulos vestros, et edúcam vos de sepulcris vestris, pópulus meus; * Et sciétis quia ego Dóminus locútus sum, et feci. ℣. Ego sum resurréctio et vita: qui credit in me, etiamsi mórtuus fúerit, vivet; * Et sciétis quia ego. *Ezech.* 37. *Joan.* 11.

LECTIO IX.

Male facit ergo Románus Epíscopus, qui super mortuórum hóminum Petri et Pauli, secundùm nos, ossa veneranda, secundùm te, vilem pulvísculum, offert Dómino sacrifícia, et túmulos eórum Christi arbitrátur altária? Et non solùm uníus, urbis sed totíus orbis errant Epíscopi, qui Vigilántium contemnentes, ingrediuntur Basílicas mortuórum, in quibus pulvis vilíssimus, et favilla néscio quæ jacet linteámine convolúta, ut pollúta ómnia pólluat; et quasi sepulcra pharisáica foris dealbáta sint, cùm intus immundo cínere juxta te immunda ómnia óleant atque sórdeant? O portentum in terras últimas deportandum!

℟. Mundi Creátor, qui formávit hóminis nativitátem, quique ómnium invénit orígenem, et * Spíritum vobis cum misericórdia reddet et vitam. ℣. Deus qui vivíficat mórtuos, et vocat ea quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt, * Spíritum. Glória. * Spíritum. 2. *Mach.* 7. *Rom.* 4.

Te Deum.

℣. *Sacerd.* Psállite Dómino, Sancti ejus; ℟. Et confitémini memóriæ sanctitátis ejus. *Ps.* 29.

AD LAUDES.

Ant. 3. c. Vidi subtus áltare ánimas interfectórum propter verbum Dei, et propter testimónium quod habébant. *Apoc.* 6.

Ant. 7. *d.* Clamábant voce magnà, dicentes: Usquequò, Dómine, sanctus et verus, non júdicas, et non víndicas sánguinem nostrum? *Apoc.* 6.

Ant. 2. D. Datæ sunt illis síngulæ stolæ albæ, et dictum est illis ut requiéscerent adhuc tempus módicum, donec compleantur conservi eórum. *Apoc.* 6.

Canticum, Réddidit justis, *ut in die*, 517.

Ant. 1. a. Hi sunt ante thronum Dei, et sérviunt ei die ac nocte in templo ejus; et qui sedet in throno, habitábit super illos. *Apoc.* 7.

Ant. 8. G. Agnus qui in médio throni est, reget illos, et dedúcet eos ad vitæ fontes aquárum; et absterget Deus omnem lácrymam ab óculis eórum. *Apoc.* 7.

Capitulum. (*Is.* 26.)

ECCE Dóminus egrediétur de loco suo, ut vísitet iniquitátem habitatóris terræ contra eum; et revelábit terra sánguinem suum, et non opériet ultrà interfectos suos.

HYMNUS.

ADESTE, Sancti, plúrimo
Dum thure, vestra dum piis
Coluntur ossa rítibus,
Votis favéte súpplicum.
NON illa, quanquàm trístibus
Imum redacta in púlverem
Dudum sepulcris squáleant,
Divína virtus déserit.
SED sancta præsenti fovet
Impletque templa Númine,
Sed et futúræ Spíritus
Post secla servat glóriæ.
HINC ille qui nostris latet
Cinis sub aris cónditus,
Ægris medétur éfficax,
Torquet fugatque dæmones.
SIT summa, Christe, laus tibi,
Ventúre judex séculi,
Cum patre et almo Spíritu,
In seculórum sécula. Amen.

℣. Exultábunt Sancti in glória : ℟. Lætabuntur in cubílibus suis. *Ps.* 149.

Ad Benedictus, *Ant.* 1. *D.* Vivent mórtui tui, Israel; interfecti mei resurgent : expergiscímini, et laudáte, qui habitátis in púlvere, allelúia. *Is.* 26.

ORATIO.

AUGE in nobis, Dómine, resurrectiónis fidem, qui in Sanctórum tuórum Reliquiis mirabília operáris : et fac nos immortális glóriæ partícipes, cujus in eórum cinéribus pígnora venerámur; Per Dóminum nostrum Jesum Christum.

AD PRIMAM.

Ant. 3. c. Vidi.

Canon proprius ad Calcem.

AD TERTIAM.

Ant. 7. *d.* Clamábant.

Capitulum. (*Rom.* 8.)

SCIMUS quòd omnis creatúra ingemiscit, et párturit usque adhuc; non solùm autem illa, sed et nos ipsi, primítias Spíritûs habentes : et ipsi intra nos gémimus, adoptiónem filiórum Dei expectantes, redemptiónem córporis nostri.

℟. *br.* Posuérunt morticína servórum tuórum, * Escas volatílibus cœli. Posuérunt. ℣. Carnes sanctó-

rum tuórum * béstiis terræ, * Escas. Glória Patri. Posuérunt.

℣. Secundùm magnitúdinem bráchii tui, Dómine, ℟. Pósside fílios mortificatórum. *Ps.* 78.

AD SEXTAM.

Ant. 2. D. Datæ sunt.

Capitulum. (*Coloss.* 3.)

Mortui estis, et vita vestra est abscóndita cum Christo in Deo. Cùm Christus apparúerit, vita vestra, tunc et vos apparébitis cum ipso in glória.

℟. *br.* Quàm magna multitúdo dulcédinis tuæ, * Quam abscondísti timéntibus te! Quàm magna. ℣. Perfecísti eis * qui sperant in te, * Quam abscondísti. Glória Patri. Quàm magna. *Ps.* 30.

℣. Non discédimus à te: vivificábis nos, ℟. Et nomen tuum invocábimus. *Ps.* 79.

AD NONAM.

Ant. 8. G. Agnus qui in médio.

Capitulum. (*Philipp.* 3.)

Nostra conversátio in cœlis est, unde étiam Salvatórem expectámus Dóminum nostrum Jesum Christum, qui reformábit corpus humilitátis nostræ, configurátum córpori claritátis suæ.

℟. *br.* Ambulábunt, Dómine, * In lúmine vultûs tui. Ambulábunt. ℣. In nómine tuo * exultábunt, * In. Glória Patri. Ambulábunt. *Ps.* 88.

℣. In æternum exultábunt, ℟. Et habitábis in eis. *Ps.* 5.

AD II. VESPERAS.

Ant. 1. D. Fidélis sermo: Si commórtui sumus Christo, et convivémus: si sustinébimus, et conregnábimus. 2. *Timoth.* 2.

Ant. 6. F. In ómnibus tribulatiónem pátimur, semper mortificatiónem Jesu in córpore nostro circumferentes; ut et vita Jesu manifestétur in corpóribus nostris. 2. *Cor.* 4.

Ant. 2. D. Habentes eumdem spíritum fídei, et nos crédimus; scientes quóniam qui suscitávit Jesum, et nos cum Jesu suscitábit. 2. *Cor.* 4.

Ant. 4. E. Vivificábit nos Dóminus, suscitábit nos; et vivémus in conspectu ejus. *Osee.* 6.

Ant. 7. G. Cùm mortále hoc indúerit immortalitátem, tunc fiet sermo qui scriptus est: Absorpta est mors in victória. 1. *Cor.* 15.

Capitulum. (1. *Cor.* 15.)

Seminatur in corruptióne, surget in incorruptióne: seminátur in ignobilitáte, surget in glória: seminátur in infirmitáte, surget in vir-

túte: seminátur corpus animále, surget corpus spiritále.

Hymnus, O vos unánimes, *ut in 1. Vesperis*, 536.

℣. Qui séminant in lácrymis, ℟. In exultatióne metent. *Ps.* 125.

Ad Magníficat, *Ant.* 5. C. Cùm à mórtuis resurréxerint, sunt sicut Angeli in cœlis; neque enim ultrà mori póterunt: et fílii sunt Dei, cùm sint fílii resurrectiónis, allelúia. *Marc.* 12. *Luc.* 20.

Oratio, ut suprà ad Laud.

COMPLET., *ut suprà*, 510.

DIE X.

SANCTI LEONIS,

PAPÆ ET ECCLESLÆ DOCTORIS.

Semiduplex.

Omnia, ut in Communi Doct. Oratio, Excíta, XXXIII.

Prídiè AD VESPERAS, *fit Commem. sancti Martini, Papæ et Mart. Ant.* Ecce Deus. ℣. In Deo, IX. *Oratio*, Omnípotens, XIII.

LECTIO II.

LEO, Románus, factus Diáconus, Sixto Pontífici auctor fuit, ne recíperet Juliánum Pelagiánum in communiónem Ecclésiæ subdolè irrepentem, ut sedem amissam recuperáret. Missus in Gálliam dissidentes inter se Albínum et Aétium Romános duces conciliáret, públicâ legatióne revocátur ut Sixto succéderet. Quatiebátur ínterim totus penè orbis christiánus váriis hæreticórum tempestátibus. Orientem Nestoriáni, Occidentem Pelagianórum relíquiæ infestábant. Manichæos qui ex Africa à Vándalis devastáta Romam conflúxerant, cùm cathólicæ communiónis spécie perfídiam suam tégerent, iis præsertim detexit indíciis, quòd Domínicâ die et Fériâ secundâ jejunárent in honórem solis et lunæ, et sánguinem redemptiónis nostræ haurire omninò declinárent. Pelagianórum relíquias extinxit; et de iis ad Ecclésiam redeúntibus ita státuit: Damnent apertis professiónibus suis superbi erróris auctóres; et quidquid in doctrína eórum universális Ecclésia exhórruit, detestentur: omniaque Decréta synodália, quæ ad excisiónem hujus hæréseos Apostólicæ Sedis confirmávit auctóritas, amplecti se, et in ómnibus approbáre, plenis et apertis ac própriâ manu subscriptis protestatiónibus eloquentur. Priscillianistárum renascentem hæresim, congregátâ in Hispánia Synodo, proscripsit. Præfuit per Legátos Concílio quarto œcuménico apud Chalcedónem celebráto; in quo perlecta est illíus ad Flaviánum Epístola de Incarnatiónis mystério, quam ad se missam Galliárum Epíscopi

cummis láudibus accéperant; et ab ómnibus acclamátum: Petrus per Leónem ita locútus est.

LECTIO III.

Canonum propugnátor fuit acérrimus; multaque sanctè et utíliter decrévit. Clericum ab externo Episcopo suum in Clerum ascríbi, ordinári bígamos, solemne baptisma, nisi pervigílio Paschæ et Pentecostes, administrári prohíbuit. Episcopum qui, relictâ suâ civitáte, majórem sedem ambíret, utrâque spoliandum esse cénsuit. Vóluit ut qui Diáconus aut Sacerdos esset ordinandus, per omnes Offícii clericális órdines proveherétur; ut diuturno dísceret témpore, cujus et doctor esset futúrus. Plúrimis functus labóribus, multisque luculenter scriptis; cùm Itáliam à Barbarórum vastatióne, et Ecclésiam ab hæreticórum labe vindicásset, explétis in Pontificátu viginti et ámpliùs annis ábiit ad Dóminum, ut habent antiquióra martyrológia ómnia, quarto Idus Novembris, anno quadringentésimo sexagésimo primo; propter pietátem, eruditiónem, et tot res præclárè gestas, méritò Magni nómine commendátus. ¶ Eódem die relátum est Romam, et pósitum in Ecclésia sancti Martíni Turonensis Episcopi nómine dedicáta in móntibus, corpus beáti Martíni Papæ, qui, condemnátâ in Concílio Lateranensi centum et quinque Episcopórum cum suis princípibus Monothelitárum hæresi, jussu Constantis Imperatóris, cujus Typum, quemádmodùm et ánteà Ecthesim Heráclii, reprobáverat, per Callíopam Ravennensem Exarchum de Ecclésia raptus, ac perductus Constantinópolim, per tres menses in cárcere detentus est, et tandem Chérsonem relegátus, ubi ærumnis confectus cessit è vita décimo sexto Calendas Octóbris.

Ad Laudes, *pro Commem. S. Martini, Ant.* Bonum. ℣. Adjútor, xii. *Oratio*, Omnípotens, xiii.

Vesperæ *de sequenti.*

DIE XI.

SANCTI MARTIN

TURONENSIS EPISCOPI.

Duplex-majus.

IN I. VESPERIS.

Psalmi de Feria; et sic in toto Officio.

Ant. 3. a. Nudus eram, et cooperuisti me. Quámdiu fecisti uni ex frátribus meis mínimis, mihi fecisti. *Matth.* 25.

Ant. 4. E. Præordinávit te Deus, ut vidéres justum, et audíres vocem ex ore ejus, quia eris testis illíus. *Act.* 22

Ant. 6. *C.* Quid moráris? Exurge, et baptizáre, et ábluе peccáta tua, invocáto nómine ipsíus. *Act.* 22.

Ant. 7. *d.* Labóra sicut bonus miles Christi Jesu. Nemo mílitans Deo, ímplicat se negótiis seculáribus. 2. *Tim.* 2.

Ant. 8. *G.* Sollícitè cura te ipsum probábilem exhibére Deo, operárium inconfusíbilem, rectè tractantem verbum veritátis. 2. *Tim.* 2.

Capitulum. (*Jerem.* 1.)

Ad ómnia quæ mittam te íbis, et universa quæcumque mandávero tibi loquéris. Ne tímeas à fácie eórum; quia tecum ego sum ut éruam te, dicit Dóminus.

℟. Dóminus salus mea, quem timébo? Dóminus protector vitæ meæ, à quo trepidábo? * Si consistant adversùm me castra, non timébit cor meum. ℣. Ipse dixit: Non te déseram, neque derelinquam; ita ut confidenter dicámus: * Si consistant. Glória Patri. * Si consistant. *Ps.* 26. *Hebr.* 13.

HYMNUS.

Ecquis ardentes rápitur per auras?
Iste quis pauper petit astra dives?
Cœlites plaudunt: comitémur hymnis
Astra petentem.
Flore sub primo juvenílis ævi,
Cæsárum jussu tulit arma miles:
Moxque depónet, tibi, Christe, nomen
Tiro professus.
Non furor belli bene christiánum
Pectus infrégit: pius inter arma
Integros servat, semel obligáto
Nómine, mores.
Pauperi pauper male membra nudo
Dívidit vestem, mediàque Christus
Obtulit sese túnicâ micantem,
Nocte sequenti.
Fonte lustrátur; melióre testes
Se sacramento vovet inter aras:
Induit Christum, simul ac profána
Exuit arma.
Luminis splendor, Patris una Proles,
Christe, te pronus venerétur orbis,
Qui Sacerdótes per Amóris almi
Flamen inungis. Amen.

℣. Irritavérunt in castris Sanctum Dómini: ℟. Obliti sunt Deum qui fecit magnália. *Ps.* 105.

Ad Magníficat, *Ant.* 5. *C.* Constítuam te ministrum eórum quibus apparébo tibi, erípiens te de pópulo, et géntibus in quas nunc ego mitto te aperíre óculos eórum, ut accípiant remissiónem pec-

catórum, et sortem inter sanctos, per fidem quæ est in me. *Act.* 26.

Oratio, ut infrà ad Laudes. Fit Commem. sancti Leonis, Papæ. Ant. Qui docti. ℣. Beátus homo, XXXV. *Oratio*, Excita, Dómine, XXXIII.

AD OFFIC. NOCTURNUM.

INVITATORIUM.

Christum Pastórum príncipem, * Veníte, adorémus. 1. *Petr.* 5.

Ps. 94. Veníte, 2.

HYMNUS.

Quo fugis præceps? latitáre nescit
Mille portentis manifesta virtus:
Præsulem jam te feret in supremum
Turo tribúnal.
Non tumet fastu, neque splendet auro:
Sórdidam servat, velut antè, vestem:
Ora deformi dabat una virtus
Unde nitéret.
Spreverit vili quis eum lacernâ,
Cujus ad nutus elementa parent?
Scílicet jussi posuêre, fractis
Víribus, ignes.
Redditur cæco sua lux, et auris
Rédditur surdo, sua lingua muto:
Impari qui vix pede claudus ibat,
Ambulat æquo.
Imperat morbis, ábigit malignos
Spíritus, divûm simulácra vertit:
Luce defunctos vocat ad prióris
Múnera vitæ.
Fertur immáni ruitúra mole
Arbor, excíso trepidasse trunco:
Sústinet lapsum, capitíque sacro a-
versa pepercit.
Luminis splendor, Patris una Proles,
Christe, te pronus veneré-tur orbis,
Qui Sacerdótes per Amóris almi
Flamen inungis. Amen.

IN I.° NOCTURNO.

Ant. 7. d. Quid existis in desertum vidére? hóminem móllibus vestimentis indútum? Ecce qui in veste pretiósa sunt et delíciis, in dómibus regum sunt. *Luc.* 7.

Ant. 8. G. Deus secundùm se vestívit illum virtúte, et dedit illi potestátem eórum quæ sunt super terram. *Eccli.* 17.

Ant. 3. *à.* Certè vidétis quem elégit Dóminus: fílii verò Bélial despexérunt eum. 1. *Reg.* 10.

℣. Pósui vestimentum meum cilícium, et factus sum illis in parábolam: ℟.

Ego verò oratiónem meam ad te, Dómine. *Ps.* 68.

Tres Lect. de Scriptura occurrente.

Post I Lect. ℟. Scitis quia per infirmitátem carnis evangelizávi vobis jamprídem; et tentatiónem vestram in carne mea non sprevistis, neque respuistis; sed * Sicut Angelum Dei excepistis me. ℣. Splendébat lucerna Dei super caput meum, quando parábant cáthedram mihi, et senes assurgentes stabant. * Sicut. *Gal.* 4. *Job.* 29.

Post II Lect. ℟. A prima die quâ ingressus sum, nocte et die non cessávi, cum lácrymis monens unumquemque vestrùm. * Argentum et aurum, aut vestem nullíus concupívi, sicut ipsi scitis. ℣. Oculus fui cæco, et pes claudo: pater eram páuperum. * Argentum et aurum. *Act.* 20. *Job* 29.

Post III Lect. ℟. Die noctuque æstu urébar et gelu, fugiebatque somnus ab óculis meis: * Afflictiónem meam, et labórem mánuum meárum respexit Deus. ℣. Fui in labóre et ærumna, in vigíliis multis, in fame et siti, in frígore et nuditáte: * Afflictiónem. Glória. * Afflictiónem. *Gen.* 31. 2. *Cor.* 11.

IN II.º NOCTURNO.

Ant. 5. a. Amplificátus est in mirabílibus suis. Et quis potest simíliter sic gloriári tibi, qui sustulisti mórtuum ab ínferis in verbo Dómini Dei? *Eccli.* 48.

Ant. 1. D. Augebátur credéntium in Dómino multitúdo, ita ut in platéas ejícerent infírmos, et pónerent in léctulis; qui curabantur omnes. *Act.* 5.

Ant. 2. D. Multi eórum qui habébant spíritus immundos, clamantes voce magnà exíbant: multi autem paralytici et claudi curáti sunt. *Act.* 8.

℣. Mementóte mirabílium Dei quæ fecit, ℟. Prodígia ejus, et judícia oris ejus. *Ps.* 104.

LECTIO IV.

Martinus, Sabáriæ in Pannónia, patre Tribúno míllitum natus, Papiæ verò in Itália educátus, anno ætátis décimo, invítis paréntibus, ad Ecclésiam confúgiens, inter catechúmenos nomen dedit. Ascriptus milítiæ ex Imperatórum edicto, quo veteranórum fílii sua nómina profitéri cogebantur, sub Constántio méruit. Ambiánis, ad portam urbis, páuperi nudo eleemósynam petenti, cùm nihil habéret præter arma et vestimentum, partem chlámydis dedit. Cui sequenti nocte Christus dimidiátâ illâ veste indútus appáruit, circumstantes Angelos sic allocútus: Martínus adhuc catechúmenus hâc me veste contexit. Cùm annum décimum octávum attigis-

set, baptizátus est: ac relictâ milítiâ, sanctum Hilárium Pictavensem ádiit, à quo Exorcista factus est, cùm priùs Diáconi órdinem præ humilitáte recusasset: nec multò post ad suos reversus, matrem ad Christum convertit. Ab Episcopis Ariánis, quòd solus penè eórum perfídiam frángeret, públicè virgis cæsus, Illyrico pulsus est. Eàdem de causâ, Mediolráno, ubi monastérium sibi constrúxerat, per Auxéntium ejectus, sedem in Pictónibus fixit, ibíque sub Hilário tum monachis apud Lociácum congregátis præfuit, tum prædicatiónis lumen per omnem vicíniam spárgere cœpit.

℟. Intendébant turbæ his quæ ab eo dicebantur, vidéntes signa quæ faciébat: * Cùm verò credidissent evangelizánti, baptizabantur viri ac mulíeres. ℣. Deserentes cæremónias patrum suórum, quæ in multitúdine deórum erant, unum Deum cœli coluérunt: * Cùm verò credidissent. *Act.* 8. *Judith* c. 5.

LECTIO V.

Turonensis Episcopus ordinátus, secundo ab urbe lápide monastérium cóndidit, in quo discípulos octogínta, nihil próprium habentes, congregávit; ex quibus plures pósteà Episcopi creáti sunt. Non procul ab eo loco altáre díruit, quod falso putabátur erectum in memóriam Mártyris. Idolórum fana dejécit, et lucos succídit, non véritus aliquando vitæ adíre discrímen, ut eórum cultum pénitùs aboléret. Ad comitátum ob máxima negótia ire coactus, à Valentiniáno repulsam passus est; qui tamen séptimo post die, redeunti Martíno, è sólio divínitùs excussus, assurrexit, ejusque postulátis ánnuit. Ithácium Episcopum ácriter reprehendit, quòd contra leges ecclesiásticas Priscillián um in causa cápitis insectarétur. Tréviros profectus, ut apud Máximum Imperatórem grávibus de causis ac præcípuè pro duórum nobiliórum virórum salúte ágeret; cùm nihil impetráre potuisset, nisi antè promitteret se cum Episcopis Ithaciánæ partis in comitátu degéntibus communicatúrum; id factúrum se pollícitus est, si his pro quibus rogáverat parcerétur, dúmmodò étiam Tribúni, quos in cædem Priscillianistárum ad Hispánias jam missos accéperat, revocarentur. Quare congregátis iis ad Ordinatiónem Felícis Episcopi, ingressus Synodum, illórum communiónem aliquátenus íniit; sátiùs exístimans ad horam cédere, quàm his non consúlere quorum cervícibus gládius imminébat: nec tamen addúci

pótuit, ut communiónem illam subscriptióne firmáret. Exinde facti pœnitens, cavit ne in pósterum Ithaciánæ communiónis particeps fieret. Cùmque energúmenos tárdiùs quàm solébat, et grátiâ minóre curáret, subínde discípulis cum lácrymis fatebátur, se, propter communiónis illíus malum, detrimentum sentíre virtútis. Sexdecim pósteà vixit annos, quibus ab omni Episcopórum conventu abstínuit.

℣. Pythónes, et aríolos, et figúras idolórum, et immundítias, et abominatiónes ábstulit; ut statúeret verba legis quæ scripta sunt: * Símilis illi non fuit ante eum, neque post eum surrexit. ℣. Fuit gratus Deo, et erat potens in verbis, et in opéribus suis: * Símilis. 4. *Reg.* 23. *Act.* 7.

LECTIO VI.

Injuriárum fuit patientíssimus, ádeò ut impúnè vel ab ínfimis cléricis læderétur, ac plerumquè sibi obtrectántium peccáta delléret. Quodam in convívio páteram Presbytero priùs porrexit quàm Imperatóri, à quo honóris grátiâ ut prior bibéret accéperat. Innúmeris miráculis cláruit. Tréviris, paralýticam penè exánimem óleo à se benedicto sanávit. Parísiis, ad portam urbis, leprósum ósculo mundávit: próprii córporis óbice flammas aliquando repressit; tres mórtuos suscitávit. Annis demum gravis, dum Condatensis vici Ecclésiam in sua diœcési visitáret, víribus defectum se séntiens, mortem sibi imminére discípulis indicávit. Ingravescente febre, in cínere et cilício decumbens, ne vile quidem stramen sibi súbjici passus est. Rogátus à Presbyteris ut corpus in álterum latus reclinando subleváret: Sínite me, inquit, cœlum pótiùs respícere quàm terram, ut suo jam itínere itúrus ad Dóminum spíritus dirigátur. Instante jam morte, viso dæmone: Quid hic astas, inquit, cruenta béstia? nihil in me, funeste, reperies; Abrahæ me sinus récipit. Eà in voce anno Christi trecentésimo nonagésimo séptimo ánimam Deo réddidit.

℣. Dilatávit glóriam pópulo suo, persecútus est iníquos: et omnes operárii iniquitátis conturbáti sunt; * Et ✝ Directa est salus in manu ejus. ℣. Dóminus augébat qui salvi fierent quotidie in idipsum; * Et. Glória. ✝ Directa. 1. *Mach.* 3. *Act.* 2.

IN III.° NOCTURNO.

Ant. 3. c. Obtulit holocausta et pacífica, et invocávit Dóminum: et exaudívit eum in igne de cœlo super altáre. 1. *Paral.* 21.

Ant 6. C. Glorificávit illum in conspectu Regum, et ostendit illi glóriam suam : in fide et lenitáte ipsíus sanctum fecit illum. *Eccli.* 45.

Ant. 4. d. Sicut Angelus Dei, sic est, ut nec benedictióne, nec maledictióne moveátur. 2. *Reg.* 14.

℣. Parátum cor ejus speráre in Dómino : ℟. Confirmátum est cor ejus, non commovébitur. *Ps.* 111.

LECTIO VII.

Léctio sancti Evangélii secundùm Lucam.

(Cap. 11.)

In illo témpore ; Dixit Jesus turbis : Nemo lucernam accendit, et in abscóndito ponit, neque sub módio, sed supra candelábrum ; ut qui ingrediuntur, lumen vídeant. Et réliqua.

Homília sancti Bernardi Abbátis.

(In Festo S. Martini, n. 12.)

Martinus lucerna erat ardens et lucens : eum saltem non pígeat imitári ; sed imitári in eo quod est imitábile, non autem quod mirábile exhibétur. Ad mensam dívitis sedes hódie : diligenter considera quæ tibi apponuntur ; quænam vidélicet ad admiratiónem, quæ verò ad imitatiónem. Húmilis fuit et spíritu pauper iste Martínus, sicut evidentíssime probat effectus ipse Divínæ grátiæ, quam profectò Deus tam multam nisi multùm húmili non dedisset. Tantam adversùs omnes injúrias patiéntiam assúmpserat, ut cùm esset summus sacerdos, impúne étiam ab ínfimis cléricis læderétur. Ad Cœlum lácrymæ ejus à maxillâ ascéndere consuéverant ; quibus sic abundábat, ut soléret, pro illórum quoque, qui obtrectatóres suî videbantur, flere peccátis.

℣. Surrexit quasi ignis, et verbum ipsíus quasi fácula ardébat : * Irritantes illum pauci facti sunt ; non enim póterant sustinére præcepta Dómini. ℣. De die in diem ánimam justam iníquis opéribus cruciábant : novit Dóminus pios de tentatióne erípere. * Irritantes illum. *Eccli.* 48. 2. *Petr.* 2.

LECTIO VIII.

Sane quantùm justítiam esuríerit, tum in céteris ejus áctibus, tum speciáliter in idololatríæ persecutión probátum est, in templórum destructióne, in statuárum dejectióne, in succisióne lucórum. Ubi se quoque aliquandò non est véritus dare discrímini, ut occásio tanti críminis de médio tollerétur. Nam misericordem eum in páupere se expertum Salvátor ipse apud Angelos gloriabátur, datam sibi medietátem vestis ostentans. Por-

rò mundítiam cordis ejus illud vel maximè índicat, quòd non est confúsus inimíco loquens in portâ: Nihil in me, funeste, repéries; Abrahæ me sinus recípiet. Cèterùm persecutiónes quas sustínuit propter justítiam, longum est numeráre; pro quibus ómnibus dúbium non est multipliciter coronári eum, qui quidem etsi non semel effectu consummátæ passiónis, sed tóties martyr fuit affectu devotíssimæ voluntátis.

℣. Nomen glóriæ ejus usque ad extremum terræ, eò quòd fécerat justítiam, et fidem conservávit genti suæ; * Et in diébus ejus prosperátum est in mánibus ejus, ut tollerentur gentes de regióne. ℣. Propter opus Christi usque ad mortem accessit, tradens ánimam suam: * Et. 1. *Mach.* 14. *Philipp.* 2.

LECTIO IX.

Domine, inquit, si adhuc pópulo tuo sum necessárius, non recúso labórem; fiat voluntas tua. O verè sanctíssimam ánimam! O inæstimábilem caritátem! O obediéntiam singulárem! Bonum certámen certasti, cursum consummasti, fidem servasti; de réliquo súperest tibi coróna justítiæ, quam reddet tibi Dóminus hódie justus judex; et adhuc dicis: Non recúso labórem; fiat voluntas tua. Obtulisti planè Isaac: únicum illum quem díligis, quod in te est, jugulasti: immolasti singuláre gáudium tuum piâ devotióne, parátus redíre íterùm in perícula, innováre certámina, dénuò subíre labórem, sustinére tribulatiónem, prolongáre tentatiónem, deinde differri adhuc ab illâ tantâ felicitáte, et diù desiderátâ societáte spirítuum beatórum, atque in hujus mortalitátis ærumnas ab ipso intróitu glóriæ revocári; postrémo (quod máximum est) à Christo tuo peregrinári diútiùs, si modò ipse voluisset. Nec sanè dúbium quin ampliórem grátiam meretur, qui parátum se éxhibet étiam ante mandátum, quàm qui obedíre sátagit post mandátum.

℣. Dedit Dóminus ipsi fortitúdinem, et usque in senectútem permansit illi virtus; ut vidérent omnes fílii Israel, * Quia bonum est obsequi sancto Deo. ℣. Dóminus mihi ástitit, et confortávit me; ut per me prædicátio impleátur, et áudiant omnes gentes, * Quia. Glória Patri. * Quia. *Eccli.* 46 2. *Tim.* 4.

Te Deum.

℣. *Sacerd.* Usque nunc pronuntiábo mirabília tua, Dómine, ℟. Et usque in senectam et sénium. *Ps.* 70.

AD LAUDES.

Ant. 1. *f.* Ego à vobis dé-

bui commendári: nihil enim minùs fui ab iis qui sunt supra modum Apóstoli; tametsi nihil sum. 2. *Cor.* 12.

Ant. 8. c. Signa Apostolátûs mei facta sunt super vos in omni patiéntia, in signis, et prodígiis, et virtútibus. 2. *Cor.* 12.

Ant. 2. D. Etsi imperítus sermóne, sed non sciéntiâ; in ómnibus autem manifestáti sumus vobis. 2. *Cor.* 11.

Canticum de Communi Pontificum, XXV.

Ant. 7. a. Usque in hanc horam cædimur, et instábiles sumus: maledícimur, et benedícimus: persecutiónem pátimur, et sustinémus. 1. *Cor.* 4.

Ant. 6. F. Ego libentíssimè impendam, et superimpendar ipse pro animábus vestris. 2. *Cor.* 12.

Capitulum. (*Jerem.* 1.)

DIXIT Dóminus ad me: Ego dedi te hódie in civitátem munitam, et in columnam férream, et in murum æreum super omnem terram, régibus Juda, princípibus ejus, et sacerdótibus, et pópulo terræ: et bellábunt adversùm te, et non prævalébunt.

HYMNUS.

THURE fumantes quis hic inter aras,
Vértice cujus sacra flamma lambit?
Intùs ardébat méliùs sacrátâ
Péctoris arâ.

REGIS accumbens épulis tuétur
Præsulum præsul bene par honórem:
Ipsa tunc vilem minor ante pannum
Púpura pallet.

O VIRUM, qualem piétas petébat,
Quem fides nullis labefacta seclis
Non semel sensit médios per enses
Sacra tuentem!

LÆDITUR probris: sibi semper idem
Nescit irasci: fera corda placat;
Et suos tantùm cumulando donis
Súbjicit hostes.

NEC truci quamvis caput immolandum
Pro Dei causa pósuit sub ense,
Mártyris palmam rétulit, vel isto
Dignus honóre.

LÆTUS æternum célebret Parentem
Orbis, æternum célebret Parentis
Fílium: par sit tibi cultus omni,
Spíritus, ævo. Amen.

℣. Loquébar de testimóniis tuis in conspectu regum, ℟. Et non confundébar. *Psalm.* 118.

Ad Benedictus, *Ant.* 8. G. Confitébor nómini tuo, Dómine, quóniam protector

factus es mihi, et liberasti corpus meum à perditióne, et in conspectu astántium factus es mihi adjútor. *Eccli.* 51.

ORATIO.

Deus, qui in beáto Martíno Pontifice, sive per vitam, sive per mortem magnificátus es: ínnova éadem grátiæ tuæ mirácula in córdibus nostris; ut neque mors, neque vita separáre nos possit à caritáte Dómini nostri Jesu Christi; Qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritûs sancti Deus, per ómnia sécula seculórum.

AD PRIMAM.

Ant. 1. *f.* Ego.

AD TERTIAM.

Ant. 8. c. Signa.

Capitulum. (*Deut.* 3.)

Domine Deus, tu cœpisti osténdere servo tuo magnitúdinem tuam, manumque fortíssimam; neque enim est álius Deus, vel in cœlo, vel in terra, qui possit fácere ópera tua, et comparári fortitúdini tuæ.

℟. *br.* Fílii hóminum, * Usquequò gravi corde? Fílii. ℣. Scitóte * quóniam mirificávit Dóminus sanctum suum: * Usquequò. Glória. Fílii. *Ps.* 4.

℣. Exáudiet illum de cœlo sancto suo: ℟. In potentátibus salus déxteræ ejus. *Ps.* 19.

AD SEXTAM.

Ant. 2. D. Etsi.

Capitulum. (1. *Cor.* 2.)

Cum venissem ad vos, fratres, veni, non in sublimitáte sermónis, aut sapiéntiæ, annúntians vobis testimónium Christi; non enim judicávi me scire aliquid inter vos, nisi Jesum Christum, et hunc crucifixum.

℟. *br.* Veníte, fílii, * Audíte me. Veníte. ℣. Timórem Dómini * docébo vos, * Audíte me. Glória Patri. Veníte. *Ps.* 33.

℣. Intellígite, insipiéntes in pópulo: ℟. Et stulti, aliquando sápite. *Ps.* 93.

AD NONAM.

Ant. 6. F. Ego.

Capitulum. (2. *Cor.* 12.)

Placeo mihi in infirmitátibus meis, in contuméliis, in necessitátibus, in persecutiónibus, in angústiis pro Christo: cùm enim infírmor, tunc potens sum.

℟. *br.* Propter te, Dómine, * Sustínui oppróbrium. Propter. ℣. Quóniam zelus domûs tuæ * comédit me, * Sustínui. Glória. Propter. *Ps.* 68.

℣. Paulò minùs consummavérunt me in terra; ℟. Ego autem non derelíqui mandáta tua. *Ps.* 118.

AD II. VESPERAS.

Ant. 1. D. Cum majóres

natu Ecclésiæ simul essent, dixit eis : Ecce ego scio quia ámpliùs non vidébitis fáciem meam. *Act.* 20.

Ant. 8. G. Coarctor è duóbus : desidérium habens dissolvi, et esse cum Christo, multò magis mélius ; permanére autem in carne, necessárium propter vos. *Philipp.* 1.

Ant. 4. d. Juxtà est qui justíficat me ; ecce Dóminus Deus auxiliátor meus : quis est qui condemnet me? *Is.* 50.

Ant. 2. D. Opérui cínere carnem meam, ut detur locus voci meæ in cœlo ; quia ibi est testis meus, et cónscius meus in excelsis. *Job* 16.

Ant. 6. F. Ego ad Dóminum aspíciam, expectábo Deum salvatórem meum ; áudiet me Deus meus : edúcet me, vidébo justítam ejus. *Mich.* 7.

Capitulum. (2. *Cor.* 3.)

Nos omnes revelátâ fácie glóriam Dómini speculántes, in eamdem imáginem transformámur à claritáte in claritátem, tanquam à Dómini spíritu.

HYMNUS.

Perfusus ora lácrymis
Martínus astra súspicit :
Et in beáto pátriæ
Defixus obtútu gemit.

O mors, ait, quid támdiu
Differs levâre víncula?
Amóre Christi sáucium
Privâre vitâ munus est.

Quid tu mináci gútture
Draco cruente, sibilas?
Redi sub umbras tártari :
Me lucis aula dévocat.

Et vos flagrans quos cáritas
Mihi dat esse fílios,
Fletu molesto párcite
Tardâre patris gáudia.

Quod si tamen nostros adhuc
Tellus labóres éxigit,
Jam láuream prensans manu
Reddar libenter prælio.

Sic fortis et constans sibi
Martínus usque pérstitit,
Nec pro Deo timens mori,
Sed nec recúsans vívere.

Sit Trinitáti glória,
Sermónibus quam víndicans
Martínus et Miráculis
Adeptus est in præmium.
Amen.

℣. In justítia apparébo conspéctui tuo, Dómine : ℟. Satiábor, cùm apparúerit glória tua. *Ps.* 16.

Ad Magníficat, *Ant.* 3. a. Mórtuus est servus Dómini, jubente Dómino : et non surrexit ultrà prophéta in ómnibus signis atque portentis quæ misit Dóminus per eum, ut, fáceret in terra. *Deut.* 34.

Oratio, ut suprà ad Laudes.

Fit Commem. S. Verani, Episc. Ant. Elégit. ℣. Beátus, XXII.

ORATIO.

Da Ecclésiæ tuæ, miséricors Deus, ut mérita sancti Epíscopi Veráni pietátem tuam pro ipsa semper exórent, et fructum in nobis labórum ejus custódiant; Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritûs sancti Deus, per ómnia.

DIE XII.

SANCTI VERANI,

EPISCOPI.

Simplex.

LECTIO III.

Veranus, pago Gabalitáno ortus, præcepto Sigeberti regis, pétentibus pópulis, ordinátus est Epíscopus in urbe Cabéllica, cujus territórium priùs Anachoréta incolúerat, et virtútibus multis illustráverat. Post Sigeberti mortem, sedit in Concílio Matisconensi secundo cum Ragnémodo Epíscopo Parisiensi, Gunthramno rege; à quo mox cum Epíscopis Artémio Senonensi et Agræcio Tricassíno missus est ad Clotárium juniórem, ut de nece Prætextáti Rotomagensis Epíscopi inquirerétur. Idem paulò post è fonte sacro fílium suscépit Childeberti regis; cui Theodoríci nomen pósuit. Extat inter acta Conciliórum insignis ejusdem epístola de castitáte Sacerdótum. Obiit tértio Idus Septembris, post annum quingentésimum unde nonagésimum. Corpus ejus post aliquot sécula Gargógilum, quod est óppidum Diœcesis Aurelianensis ad Lígerim, delátum est. Inde extractæ relíquiæ, in Paróchiam sub sancti Veráni nómine constructam in fínibus agri Parisiensis prope Castra, translátæ sunt.

DIE XIII.

SANCTI DALMATII,

EPISCOPI.

Simplex.

Oratio, Deus, qui pópulis, XXVI.

LECTIO III.

Postquam ejectus è Ruthéno Beátus Quintiánus, Arvernórum, apud quos exulábat, post beáti Euphrásii decessum Epíscopus creátus fuisset: commúnibus vótis Dalmátius in ejus locum Ruthénæ suffectus est, ubi omnes óptimi pastóris partes explévit. Divínis contemplatiónibus, jejúniis, et vigíliis assíduè vacábat; ergà páuperes ádeò misércors, ut eos non solùm pecúniâ, sed et óperâ, et labóre, et consílio juváret. Eâ dénique prudéntiâ et sanctitátis laude munus Episcopále gessit, ut ómnibus admiratióni esset, atque ipsius

Amalárici Gothórum regis ánimum sibi máximè conciliáret. Miráculis ab eo éditis permótus Theodebertus Rex Francórum, in ipsíus Antístitis grátiam plúrima bona Ecclésiæ Ruthenensi cóntulit. Hanc cùm sexaginta quinque annis Dalmátius sanctíssimè gubernasset, felíciter obdormívit in Dómino, et honorífice Ruthénæ in Ecclésiâ sancti Amántii sepultus est, ac post óbitum miráculis váriis à Deo clarificári méruit; quale illud est quod refert Gregórius Turonensis, quo scílicet malédicus quidam cléricus sancti Præsulis nomen convíciis et obtrectatiónibus dilácerans, in médio convívio divínitùs perculsus, repentínâ morte, intériit.

DIE XV.

SANCTI DESIDERII,

EPISCOPI.

Semiduplex.

Omnia de Communi Pontíficum.

Oratio, Deus, fidélium, XXVI.

LECTIO II.

Desiderius Sálvio et Archenefréda paréntibus, óppido Obrege ad confínia Aquitániæ et Narbonensis Provínciæ natus, à Lothário Francórum Rege Thesauris Palátii præfícitur. Ipsum autem Dagobertus Lothárii successor, ad Massíliæ urbis et comitátûs Albigensis gubernácula suffécit. Cùm verò in civitátis Cadurcensis ínco las, qui Rústicum fratrem ejus trucidárant, idem Rex gráviter animadvertisset, Desidérius, cleri populíque suffrágiis et régio consensu, à sancto Sulpítio Biturícensi, Episcopus consecrátus est. Hâc dignitáte decorátus, virtútum splendóre clárior, pópulum suum spirituáli et temporáli assíduè refécit pábulo. Singulárem autem quam ínierat cum sanctis Elígio, Audoéno, Arnulpho et Paulo societátem, mútuis litteris cœléstem pietátem spirántibus semper fovit.

LECTIO III.

Ædificatam more antiquórum primáriam Basílicam exornávit et ditávit. In civitáte quam murórum ámbitu communíerat, et extrà, plures construxit Ecclésias, et monastéria sub régula sancti Columbáni et Benedicti. Parùm verò sibi esse dicébat domos Christo erígere, nisi ánimas, quæ vera Dei templa sunt, salvas fáceret. Anno tandem ætátis septuagésimo quinto, cùm è paterno prædio in território Albigensi sito, redíret, ad Dóminum migrávit, circa médium séptimi séculi. Corpus ejus Cadurcum illátum, inter geméntium páuperum

clamóres, in Basílicam Monastérii sancti Amántii à se cónditi, quæ ejus nómine fuit insignita, depósitum est: ibique Deus sanctitátis ejus mérita, multis illustrávit miráculis. Relíquiæ autem posterióribus séculis, ad majórem Ecclésiam translátæ sunt: tùm verò à Calvinistis, in fine séculi décimi sexti, ita dejectæ, ut ne mínima quidem earum pars superfúerit.

DIE XIX

SANCTI QUINTIANI,

EPISCOPI.

Simplex.

Oratio, Deus, qui pópulis, XXVI.

LECTIO III.

Quintianus natióne Afer, Faustique Episcopi nepos, virtútibus clarus, Ruthenensis Episcopus institútus et ordinátus, Pastorális múneris offícia sédulò explevit. Inter eum verò et cives orta est discórdia, eò quòd suspectus vidérétur de Ruthenâ à Gothis tunc occupátâ, Francórum ditióni mancipandâ; quapropter cum fidelíssimis ministris urbe egrédiens, Arvernam venit, ibique à sancto Euphrásio Episcopo honorificè susceptus est. Defuncto eódem Euphrásio, in locum ejus susceptus est Quintiánus; et quamvis in eo honóris gradu ómnibus, ob præcláras ánimi dotes et virtútes, máximè acceptus esset, à Próculo tamen ex ærário in Sacerdótem ordinato, multas injúrias passus est, quas plácido ánimo constanter tulit. Erat vir in Ecclesiásticis Scriptúris erudítus, in eleemosynis largiendis magníficus, in energúmenis curandis potens. Mitíssimus semper appáruit, et Theodórici regis in Arvernos aversum ánimum placávit. Labóribus pro Christo susceptis, senióque confectus, ídibus Novembris, anno Christi quingentésimo trigésimo sexto migrávit ad Dóminum. Ejus corpus in Ecclésiâ sancti Stéphani apud Arvernos sepultum, indè póstea ad Ecclésiam sancti Genésii fuit translátum: à quâ Canónici Ecclésiæ Ruthenensis relíquias áliquas hujus sancti Antístitis dono accepérunt.

DIE XXI.

IN PRÆSENTATIONE

B. MARIÆ.

Duplex-minus.

IN I. VESPERIS

Psalmi de Feria; et sic in toto Officio.

Ant. 5. C. Fíliæ Jerúsalem, nuntiáte Dilecto meo quia amóre lángueo. *Cant.* 5.

Ant. 6. F. Totus desiderábilis, talis est Dilectus

meus; et ipse est amícus meus. *Cant.* 5.

Ant. 2. D. Indica mihi, quem díligit ánima mea, ubi pascas. *Cant.* 1.

Ant. 4. d. Quis mihi det te, ut invéniam te? Apprehendam te, et me docébis. *Cant.* 8.

Ant. 3. c. Trahe me: post te currémus in odórem unguentórum tuórum. *Cant.* 1.

Capitulum. (*Is.* 56.)

Hæc dicit Dóminus: Qui elégerint quæ ego vólui, et tenúerint fœdus meum, dabo eis in domo mea, et in muris meis locum: nomen sempiternum dabo eis, quod non períbit.

℟. Omnis glória ejus fíliæ regis ab intùs; * Afferentur regi vírgines post eam in lætítia et exultatióne: † Adducentur in templum Regis. ℣. Unus de Angelis locútus est mecum, dicens: Veni, et ostendam tibi sponsam: *Afferentur. Glória. † Adducentur. *Ps.* 44. *Apoc.* 21.

HYMNUS.

Quam pulchrè gráditur fília príncipis,
Templi cùm próperat límina tangere!
Prælúdit melióri
Quàm mox ófferet hóstiam.
E matris grémio, núminis in sinum
Infans non dúbiis pássibus ádvolat;
Virgo núminis ara,
Aris víctima sístitur.
Sponso membra Deo móllia dévovet;
Cordis Virgínei dédicat íntima:
Verbo débita mater,
Verbo víscera cónsecrat.
Tecum cuncta Deo pródiga dùm voves,
Numen, Virgo, tui péctoris íncola,
Quanto fœnore pensat
Terræ quæ bona déspicis.
Quid nos illaqueant ímproba gáudia?
Cur nos jam pígeat víncula rúmpere?
Dux est Virgo sacerdos;
Fas sit quò próperat sequi.
Ergo nunc tua gens se tibi consécrat,
Ergo nostra manes pórtio tu, Deus,
Qui de Vírgine natus,
Per nos sæpè renásceris.
Sit supréma tibi glória, Trínitas;
Quo virgo téneram se vovet hóstiam,
Puri flamen amóris,
Fac nos jam tibi vívere.
Amen.

℣. Unam pétii à Dómino, hanc requíram; ℟. Ut inhábitem in domo Dómini. *Ps.* 26.

Ad Magníficat, *Ant.* J. Circúibam, quærens sapiéntiam, ut mihi illam assúmerem; et ádii Dóminum. *Sap.* 8

Oratio, ut infrà ad Laud.

Ad Complet. *Antiph. ut in*

officio B. M. V. in Sabbato. Hymnus, Virgo, 166, *hodie et cras.*

AD OFFIC. NOCTURNUM.

INVITATORIUM.

JESUM Maríæ fílium, * Veníte, adorémus. *Matth.* 1. *Ps.* 94. Veníte, 2.

HYMNUS.

INFANS pulsa recens matris ab úbere,
Abscondi tácitis quærit in átriis;
Templum Virgo futúra,
Templi crescit in ædibus.
IN blanda réquie, plena negótio,
Uni nota Deo vívere cógitat:
Hic pro lacte parentis
Sugit núminis úbera.
SIC auróra novi núntia lúminis,
Primo manè latet, núbibus óbsita;
Mox solem paritúra,
Plenum qui réferat diem.
SOL, in Virgíneo péctore, prævíis
Ardórem rádiis súscitat intimum:
Hoc fœcunda calóre
Virtus ínsita gérminat.
UT fert prima novis múnera fróndibus
Arbos, irrígui fontis in álveo;
Fructum Virgo datúra,
Sese flóribus índuit.
SIT suprema tibi glória, Trínitas;
Quo Virgo téneram se vovet hóstiam,
Puri flamen amóris
Fac nos jam tibi vívere. Amen.

IN I.º NOCTURNO.

Ant. 1. *f.* Præcépit mihi qui creávit me; et in habitatióne sancta coram ipso ministrávi. *Eccli.* 24.

Ant. 3. *á.* Quasi cypressus exaltáta sum in monte Sion: et quasi terebintus extendi ramos meos; et rami mei honóris et grátiæ. *Eccli.* 24.

Ant. 6. *C.* Quasi vitis fructificávi suavitátem odóris; et flores mei fructus honóris et honestátis. *Eccli.* 24.

℣. Ego sicut olíva fructífera in domo Dei: ℟. Sperávi in misericórdia Dei. *Ps.* 51.

Lectiones de Script. occur.

Post I Lect. ℟. En dilectus meus lóquitur mihi: * Surge, própera, amíca mea, columba mea, formósa mea; et veni. ℣. Ecce sto ad óstium, et pulso: si quis aperúerit mihi, intrábo ad illum. * Surge. *Cant.* 2. *Apoc.* 3.

Post II. Lect. ℟. Surgam, et quæram quem díligit ánima mea: * Donec aspíret dies, vadam ad montem myrrhæ, et ad collem thuris. ℣. Dicit mihi: Tempus prope est. Etiam vénio citò. * Donec. *Cant.* 3 *et* 4. *Apoc.* 22.

Post III Lect. ℟. Gaudens gaudébo in Dómino, et exultábit ánima mea in Deo meo; * Quia índuit me

vestimentis salútis, quasi sponsam ornátam monílibus suis. ℣. Magníficat ánima mea Dóminum, et exultávit spíritus meus in Deo salutári meo; * Quia. Gloria. * Quia. *Is.* 61. *Luc.* 1.

IN II.° NOCTURNO.

Ant. 5. C. Quàm pulchra es, amíca mea, quàm pulchra es! Oculi tui columbárum. *Cant.* 4.

Ant. 8. c. Ostende mihi fáciem tuam, sonet vox tua in áuribus meis; vox enim tua dulcis, et fácies tua decóra. *Cant.* 2.

Ant. 2. D. Favus distillans, lábia tua, mel et lac sub lingua tua, et odor vestimentórum tuórum sicut odor thuris. *Cant.* 4.

℣. *Myrrha, et gutta, et* cásia à vestimentis tuis: ℟. Ex quibus delectavérunt te fíliæ regum. *Ps.* 44.

LECTIO IV

Sermo S. Bernardi Abbátis.

(Homil. 2, de Laud. Virg matr. n. 1.)

Deo hujúsmodi decébat natívitas, quâ non nisi de Vírgine nascerétur: talis congruébat et Vírgini partus, ut non páreret nisi Deum. Proinde Factor hóminum, ut homo fíeret, nascitúrus de hómine, talem sibi ex ómnibus débuit dilígere, imò cóndere matrem, qualem et se decére sciébat, et sibi nóverat placitúram. Vóluit ítaque esse vírginem, de qua immaculáta immaculátus procéderet ómnium máculas purgatúrus: vóluit et húmilem, de qua mitis et húmilis corde prodíret, harum in se virtútum necessárium ómnibus saluberrimumque exemplum ostensúrus. Dedit ergo Vírgini partum, qui ei jam ante et virginitátis inspiráverat votum, et humilitátis prærogáverat méritum.

℟. Audi, fília; et inclína aurem tuam, et * Oblivíscere pópulum tuum, et domum patris tui: et concupíscet rex decórem tuum, quóniam ipse est Dóminus Deus tuus. ℣. Dóminus tecum, María: ne tímeas. * Oblivíscere. *Ps.* 44. *Luc.* 1.

LECTIO V.

(Homil. 3, n. 3.)

Merito autem concupívit Rex decórem Vírginis Fécerat enim quidquid longè ánteà præmónita fúerat à patre suo David, dicente sibi: Audi, fília, et vide; et inclína aurem tuam, et oblivíscere pópulum tuum, et domum patris tui: et si hoc féceris, concupíscet Rex decórem tuum. Audívit quippe, et vidit, non ut quidam qui audientes non áudiunt, et vidéntes non intélligunt: sed audívit et crédidit, vidit et intellexit; et inclinávit aurem suam ad obediéntiam, et cor suum

ad disciplínam : et oblíta est pópulum suum, et domum patris sui; quia nec pópulum suum augére prolis successióne, nec dómui patris sui relínquere curávit hærédem.

℟. Quòd relíqueris parentes tuos, reddet tibi Dóminus pro ópere tuo : et * Plenam mercédem recípies à Dómino Deo tuo, ad quem venisti, et sub cujus confugisti alas. ℣. Benedicta tu, et beáta quæ credidisti : * Plenam. *Ruth.* 2. *Luc.* 1.

LECTIO VI.

(N. 7.)

O VIRGO prudens! quis te dócuit Deo placére virginitátem? Ubi audíeras, Volo vos omnes esse, sicut et meipsum? et, Bonum est hómini, si sic permáneat secundùm meum consílium? De virgínibus, inquit, præceptum non hábeo, consílium autem do. Tu verò, non dicam præceptum, sed nec consílium, nec exemplum : nisi quod únctio docébat te de ómnibus; ac sermo Dei vivus et éfficax, antè tibi factus magister quàm fílius, priùs instrúxerit mentem, quàm indúerit carnem. Christo ergo dévoves te exhibére vírginem; et nescis quòd ipsi exhibéri te opórteat étiam matrem. Eligis in Israel esse contemptíbilis, et ut illi pláceas cui te probasti, maledictum incúrrere sterilitátis : et ecce maledíctio benedictióne commutátur, sterílitas fecunditáte recompensátur.

℟. Custódiet Dóminus Deus pactum tibi, * Et misericórdiam quam jurávit pátribus tuis; † Benedicetque frúctui ventris tui. ℣. Invenisti grátiam apud Deum, * Et. Glória Patri. † Benedicetque. *Deut.* 7. *Luc.* 1.

IN III.° NOCTURNO.

Ant. 3. a. Sub umbra illíus quem desideráveram, sedi; fructus ejus dulcis gúturi meo. *Cant.* 2.

Ant. 7. ç. Introduxit me Rex in cellário suo : ordinávit in me caritátem. *Cant.* 1. *et* 2.

Ant. 4. E. Ego dilecto meo, et dilectus meus mihi, qui páscitur inter lília. *Cant.* 6.

℣. Defécit caro mea et cor meum : ℟. Deus cordis mei, et pars mea Deus in æternum. *Ps.* 72.

LECTIO VII.

Léctio sancti Evangélii secundùm Lucam.

(Cap. 11.)

IN illo témpore; Loquente Jesu ad turbas, extollens vocem quædam múlier de turba, dixit illi : Beátus venter qui portávit. Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Epíscopi.

(De sancta Virg. Cap. 3 et 4.)

Beátior María percipiendo fidem Christi, quàm concipiendo carnem Christi. Nam et dicenti cuídam, Beátus venter qui te portávit, ipse respondit : imò beáti qui áudiunt verbum Dei, et custódiunt. Dénique frátribus ejus, id est, secundùm carnem cognátis, qui non in eum credidérunt, quid prófuit illa cognátio ? Sic et materna propínquitas nihil Maríæ profuisset, nisi felíciùs Christum corde quàm carne gestasset. Ipsa quoque virgínitas ejus ídeò grátior et accéptior, quia Christus priusquàm conciperétur, jam Deo dicátam de qua nascerétur, elégit. Hoc índicant verba quæ sibi fœtum annuntianti Angelo María réddidit. Quómodò, inquit, fiet istud, quóniam virum non cognosco ? quod profectò non díceret, nisi Deo Vírginem se ante vovísset.

℣. Dictum est à Dómino per Prophétam : Ecce Virgo in útero habébit, et páriet fílium : * Et vocábunt nomen ejus, Emmánuel, quod est interpretátum, Nobiscum Deus. ℣. Dícite fíliæ Sion : Ecce Salvátor tuus venit : * Et. *Matth.* 1. *Is.* 62.

LECTIO VIII.

(Cap. 5.)

Non est ergo cur Dei Vírgines contristentur, quòd étiam ipsæ, virginitáte servátà, matres carnis esse non possunt. Illum enim solùm virgínitas decenter párere posset, qui in sua nativitáte parem habére non posset. Verúmtamen ille uníus sanctæ Vírginis partus ómnium sanctárum Vírginum est decus. Et ipsæ cum María matres Christi sunt, si Patris ejus fáciunt voluntátem. Hinc enim et María laudabiliùs atque beatiùs Christi mater est, secundùm suprà memorátam ejus senténtiam : Quicumque facit voluntátem Patris mei qui in cœlis est, ipse mihi frater, et soror, et mater est.

℣. Dixit Deus : Benedícam ei, et ex illa dabo Fílium. * Et ait Deus : Páriet Fílium, et constítuam pactum meum illi in fœdus sempiternum. ℣. Dixit María ; Vírum non cognosco. * Et ait. *Gen.* 17. *Luc.* 1.

Si Festum Præsentationis inciderit in Dominicam, tunc Lectio nona erit de Homilia in Evangelium Dominicæ, et anticipabitur Vigilia sanctæ Cæciliæ, seu de eâ fiet Sabbato præcedenti, ubi Lectio III erit de Homilia in Evangelium dictæ Vigiliæ, cum responsorio Dicunt : *in Of-*

ficio autem Præsentationis ultimò dicetur Múlier.

De Vigiliâ S. Cæciliæ, nisi Dominica fuerit.

LECTIO IX.

Léctio sancti Evangélii secundùm Matthæum.

(Cap. 19.)

In illo témpore : Accessérunt ad Jesum Pharisæi, tentantes eum, et dicentes : Si licet hómini dimíttere uxórem suam, quàcumque ex causa. Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Epíscopi.

(Lib. de S. Virg. Cap. 29 et 30.)

Agnus gráditur itínere Virgináli. Vos ergo ite post eum : vírgines ejus, vidébit vos cétera multitúdo fidélium, quæ Agnum ad hoc sequi non potest. Vidébit, nec invidébit; et collætando vobis, quod in se non habet, habébit in vobis. Nam et illud Cánticum novum próprium vestrum dícere non póterit : audíre autem póterit, et delectári vestro tam excellenti bono. Agnus ille, quem vos quòcumque íerit sequímini, nec eos déseret qui eum quò vos non valent sequi. Omnipotentem Agnum lóquimur. Præsúmite ítaque, fídite, roborámini, permanéte, qui vovétis et rédditis Dómino Deo vestro vota perpétuæ continéntiæ, non propter præsens sæculum, sed propter regnum cœlórum. Vos étiam qui hoc nondùm vovístis, qui potestis cápere, cápite; perseveranter cúrrite, ut comprehendátis.

Si fiat de Vigilia.

℟. Dicunt Jesu discípuli ejus : Si ita est causa hóminis cum uxóre, non éxpedit núbere. Qui dixit illis : * Non omnes cápiunt verbum istud, sed quibus datum est. ℣. O quàm pulchra est casta generátio cum claritáte! * Non omnes. Glória Patri. * Non omnes. *Matth.* 19. *Sap.* c. 4.

Si fiat de Præsentatione.

℟. Múlier de turba dixit Jesu : Beátus venter qui te portávit, et úbera quæ suxísti. At ille dixit : Quinimó, * Beáti qui áudiunt verbum Dei, et custódiunt illud. ℣. Immortálitas est in cognatióne sapiéntiæ, et præcláritas in communicatióne sermónum ipsíus : * Beáti. Glória. * Beáti. *Luc.* 11. *Sap.* 8.

Te Deum.

℣. *Sacerd.* Immola Deo sacrifícium laudis, ℟. Et redde Altíssimo vota tua. *Ps.* 49.

AD LAUDES.

Ant. 5. a. Pars mea Dóminus, dixit ánima mea : bonus est ánimæ quærenti illum. *Thren.* 3.

Ant. 2. D. Quæsívi sapiéntiam palàm in oratióne mea :

ante templum postulábam pro illa. *Eccli.* 51.

Ant. 4. E. A juventúte mea investigábam eam : inclinávi modicè aurem meam, et excépi illam. *Eccli.* 51.

Ant. 7. d. Multam invéni.

Canticum, Lauda et lætáre, *ut in Officio parvo*, LXXXIII.

Ant. Multam invéni in me sapiéntiam, et multùm profeci in ea danti mihi sapiéntiam dabo glóriam. *Eccli.* 51.

Ant. 6. F. In voce laudis immolábo tibi : quæcumque vovi, reddam Dómino. *Jonæ.* 2.

Capitulum. (*Eccles.* 4.)

Custodi pedem tuum ingrédiens domum Dei, et appropinqua ut áudias.

HYMNUS.

Quis ore te puro satis,
Virgo, canat, Dei parens?
Adeste, puri Spíritus,
Vestri sit illud múneris.
Quis intret augustíssima
Mentis tuæ sacrária?
Dotes qui enarrans tuas
Perterritus non hæreat.
Dic, Virgo, quæ vis tráxerit
Patri coævum fílium
De Patris æterni sinu,
Mortális in matris sinum?
Ad hos honórum te gradus,
Non virginális te pudor,
Non extúlit tantùm fides,
Nec igne fervens cháritas;
Sed quæ sibi nunquàm placet,
Deo placens modéstia :
Quâ tu tibi fis vílior,
Hâc digna fis mater Dei.
Quam celsa, quæ se déprimens,
Altum tonantem déprimit!
In te, suî jam non memor,
Descendit è cœlo Deus.
Sit laus Patri, laus Fílio,
Par sit tibi laus, Spíritus,
Per quem sacrâ se Fílius
Infudit alvo Vírginis.
Amen.

℣. Dóminus abscondit me in tabernáculo suo : ℟. Protexit me in abscóndito tabernáculi sui. *Ps.* 26.

Ad Benedictus, *Ant.* 3. a. Dábitur illi fidei donum electum, et sors in templo Dei acceptíssima ; bonórum enim labórum gloriósus est fructus, et quæ non concidat radix sapiéntiæ. *Sap.* 3.

ORATIO.

Deus, qui beátam Maríam semper vírginem, Spíritûs sancti habitáculum, in templo præsentári voluisti : præsta, quæsumus, ut ejus intercessióne in templo glóriæ tuæ præsentári mereámur; Per Dóminum..... in unitáte ejusdem.

Pro Commem. Vigiliæ, Ant. et ℣. de Psalterio.

ORATIO.

Sanctæ Mártyris tuæ Cæciliæ, Dómine, supplicatiónibus tríbue nos fovéri : ut cu-

jus venerábilem solemnitátem prævenímus obséquio, ejus intercessiónibus commendémur; Per Dóminum.

Ad Horas, *in fine Hymnorum dicitur Doxologia.*

Qui natus es de Vírgine, Jesu, tibi sit glória, etc.

AD PRIMAM.

Ant. 5. a. Pars mea.

In ℟. *br.* ℣. Qui natus es * de María Vírgine. *Matth.* 1.

AD TERTIAM

Ant. 2. D. Quæsívi.

Capitulum. (*Sap.* 6.)

Cura disciplínæ diléctio est, et diléctio custódia legum illius est: custodítio autem legum consummátio incorruptiónis est: incorrúptio autem facit esse próximum Deo.

℟. *br.* Propter innocéntiam * Suscepisti me, Deus. Propter. ℣. Et confirmasti me in conspectu tuo * in æternum. * Suscepisti. Glória. Propter. *Ps.* 40.

℣. Adhæsit ánima mea post te, ℟. Me suscépit déxtera tua. *Ps.* 62.

AD SEXTAM.

Ant. 4. E. A Juventúte mea.

Capitulum. (*Eccli.* 17.)

Cognosce justítias et judícia Dei, et sta in sorte propositiónis et oratiónis altíssimi Dei. In partes vade séculi sancti, cum vivis et dántibus confessiónem Deo.

℟. *br.* Exaudi, Dómine, vocem deprecatiónis meæ, * Dum oro ad te. Exaudi. ℣ Dum extollo manus meas * ad templum sanctum tuum, * Dum. Glória. Exaudi. *Ps.* 27.

℣. Circumdábo altáre tuum, Dómine; ℟. Ut áudiam vocem laudis, et enarrem universa mirabília tua. *Ps.* 25.

AD NONAM.

Ant. 6. F. In voce.

Capitulum. (*Judith* 10.)

Deus patrum nostrórum det tibi grátiam, et omne consílium tui cordis suà virtúte corróboret; ut gloriétur super te Jerúsalem, et sit nomen tuum in número sanctórum et justórum.

℟. *br.* Apud te laus mea * In ecclésia magna. Apud te. ℣. Vota mea reddam * in conspectu timéntium eum, * In ecclésia. Glória. Apud te. *Ps.* 21.

℣. Innocentes et recti adhæsérunt mihi; ℟. Quia sustínui te. *Ps.* 24.

DIE XXII.

IN FESTO

SANCTÆ CÆCILIÆ,

VIRGINIS ET MARTYRIS,

ECCLESIÆ METROP. ET TOTIUS DIŒCESIS ALBIENSIS

PATRONÆ.

ANNUALE.

IN I. VESPERIS.

Psalmi de Feriâ.

Ant. 1. D. Dábitur illi donum electum, et sors in templo Dei acceptíssima. *Sap.* 3.

Ant. 3. a. Bonórum labórum gloriósus est fructus, et quæ non cóncidat radix sapiéntiæ. *Sap.* 13.

Ant. 6. F. Eris coróna glóriæ in manu Dómini; quia complácuit Dómino in te, et gaudébit super te Deus tuus. *Isaíæ* 62.

Ant. 2. D. Erit tibi ánima tua in salútem, quia in me habuisti fidúciam, ait Dóminus. *Jerem.* 39.

Ant. 4. E. Sponsábo te mihi in fide, et scies, quia ego Dóminus. *Oseæ* 2.

Capitulum. (*Philipp.* 1.)

MAGNIFICABITUR Christus in *córpore meo, sive per vitam, sive per mortem; mihi enim vívere Christus est, et mori lucrum.*

℣. Sponsábo te mihi in sempiternum, et * Sponsábo te ✝ In misericórdia, et miseratiónibus. ℣. Neque mors, neque vita, neque fortitúdo póterit nos separáre à caritáte. * Sponsábo te. Glória. ✝. In misericórdia. *Osee* 2. *Rom.* 8.

HYMNUS.

FUSO purpúrei sánguine Mártyres,
Et puro niveæ péctore Virgines,
Christi Cæcíliam dícite Virginem,
Christi dícite Mártyrem.
ILLI non satis est, magnánimâ fide
Et ridére deos, júdicis et minas;
Quæ dat Martyribus sola Deo frui,
Ardens accélerat necem.

Manat vulnéribus vírgíneus cruor,
Admotà trépidi syndone quem legunt,
Ut discant púgiles tincta cruóribus
Non horréscere fúnera.
O fumantis adhuc púrpura sánguinis!
Hàc indúta magis virgínitas nitet.
Non sic gemmíferis cándida vírgines
Ornant colla monílibus.
Fac nos, Christe, tuæ Vírginis æmulos,
Quâ pro te móritur, ritè sequi fidem:
Et dum vita manet, da tibi vívere,
Et cum mors véniet, mori.
Da te, summe Pater, tóllere láudibus.
Da te, Christe, sequi, láurea vírginum;
Per te, divus Amor, frigida péctora
Puris ígnibus árdeant.
Amen.

℣. Cantábo Dómino; ℟. Intellígam in via immaculáta. *Ps.* 100.

Ad Magníficat, *Ant.* J. Dóminus Deus tuus, ipse est ductor tuus, et non dimittet, nec derelinquet te. *Deuter. c.* 31.

Oratio, ut infrà ad Laudes.

Fit Commem. Præsentationis B. M. Virginis. Ant. Manus Dómini confortávit te; et ídeò eris benedicta in æternum. *Judith.* 15.

℣. Sanctificávit tabernáculum suum Altíssimus: ℟. Deus in médio ejus. *Ps.* 45.

Oratio, ut suprà, 565.

AD COMPLETORIUM.

Psalmi et Capit. de Feriâ.

Ant. 5. F. Ego dilecto meo, et ad me convérsio ejus. *Cantic.* 7.

Hymnus, Grates, 32, *cum Doxologia sequenti, quæ etiam dicitur per totam Octavam in Hymnis ejusdem metri.*

Sit laus Patri, laus Fílio,
Et par tibi laus Spíritus,
Qui corda pura Vírginum
Puris adúris ígnibus. Amen.

Ad Nunc dimittis, *Ant.* 4. f. Vox dilecti mei pulsantis. Aperi mihi, soror mea, immaculáta mea. *Cant.* 5.

AD OFFIC. NOCTURNUM.

INVITATORIUM.

Agnum, quem sequuntur Vírgines, *Veníte adorémus *Apoc.* 14.

Ps. 94. Veníte, 2.

HYMNUS.

Adeste, sponsæ Vírgines:
Hæc est furóris víctimæ
Simulque amóris hóstiæ
Sacráta solemnis dies.
Quæ córpori pœnæ nocent
Illas amans amplèctitur;
His nempe pœnis líbera
Mortále corpus éxuit.
Primis ab annis quam sibi
Amóre Christus júnxerat,
Illi fidem servat tenax,
Deo superba cónjuge.
Amat rosas et lília

Sponsus rubens et cándidus;
Martyr dedit sponso rosas,
Deditque virgo lília.

FAC, Christe, sic uti malis,
Et te, bono solo, frui;
Adversa quæ nos déprimunt,
Ad te magis nos érigant.

SIT laus Patri, laus Fílio,
Et par tibi laus, Spíritus,
Qui corda pura vírginum
Puris adúris ígnibus. Amen.

Psalmi de Dominica, et sic in toto Officio.

IN I.° NOCTURNO.

Ant. 4. E. Anima mea liquefacta est, ut dilectus meus locútus est. *Cantic.* 5.

Ant. 2. D. Fíliæ Jerúsalem, nuntiáte dilecto meo, quia amóre lángueo. *Cantic.* c. 5.

Ant. 1. D. Ecce tu pulcher es, dilecte mi, et decórus. *Cantic.* 1.

℣. Sitívit in te ánima mea: ℟. Quàm multipliciter tibi caro mea. *Ps.* 62.

LECTIO I.

De Epístola prima beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios.

(Cap. 7.)

DE Vírgínibus præceptum Dómini non hábeo: consílium autem do, tanquam misericórdiam consecútus à Dómino, ut sim fidélis. Exístimo ergo hoc bonum esse propter instantem necessitátem, quóniam bonum est hómini sic esse. Alligátus es uxóri? noli quærere solutiónem. Solutus es ab uxóre? noli quærere uxórem. Si autem accéperis uxórem, non peccásti. Et si núpserit virgo, non peccávit. Tribulatiónem tamen carnis habébunt hujúsmodi. Ego autem vobis parco. Hoc ítaque dico, Fratres; tempus breve est: réliquum est, ut et qui habent uxóres, tanquam non habentes sint: et qui flent, tanquàm non flentes: et qui gaudent, tanquàm non gaudentes: et qui emunt, tanquàm non possidentes: et qui utuntur hoc mundo, tanquàm non utantur: præterit enim figúra hujus mundi.

℟. Ingressus sum pactum tecum, ait Dóminus Deus, et facta es mihi. Voca me, * Pater meus dux virginitátis meæ tu es. ℣. Qui adhæret Dómino unus spíritus est. * Pater. Glória. * Pater. *Ezech.* 16 1. *Cor.* 6.

LECTIO II.

VOLO autem vos sine sollicitúdine esse. Qui sine uxóre est, sollícitus est quæ Dómini sunt, quómodò pláceat Deo; qui autem cum uxóre est, sollícitus est quæ sunt mundi, quómodò pláceat uxóri, et divísus est. Et mulíer innupta et virgo cógitat quæ Dómini sunt, ut sit sancta córpore et spíritu. Quæ autem nupta est, cógitat quæ sunt mundi, quómodò pláceat viro. Porrò hoc ad utilitátem vestram dico:

non ut láqueum vobis injíciam, sed ad id quod honestum est, et quod facultátem præbeat sine impedimento Dóminum obsecrandi.

℟. Fúlcite me lóribus, stipáte me malis, quia *Amóre lángueo. ℣. Quod nunc vivo in carne, in fide vivo fílii Dei qui dilexit me.*Amóre. Glória. * Amóre. *Cantic.* 2. *Galat.* 2.

LECTIO III.

Si quis autem turpem se vídéri exístimat super vírgine sua, quòd sit superadulta, et ita oportet fíeri: quod vult fáciat: non peccat, si nubat. Nam qui státuit in corde suo firmus, non habens necessitátem, potestátem autem habens suæ voluntátis, et hoc judicávit in corde suo, serváre vírginem suam, bene facit. Igitur et qui matrimónio jungit vírginem suam, bene facit: et qui non jungit, mélius facit. Múlier alligáta est legi, quanto témpore vir ejus vivit. Quòd si dormíerit vir ejus, liberáta est: cui vult nubat; tantùm in Dómino. Beátior autem erit si sic permánserit, secundùm meum consílium: puto autem quòd et ego spíritum Dei hábeam.

℟. Dilectus meus electus ex míllibus, totus desiderábilis; * Et † Ipse est amícus meus, Fíliæ Jerúsalem. ℣. Vivo jam non ego; vivit verò in me Christus. * Et. Glória. † Ipse. *Repet.* ℟. *usque ad* ℣. *Cantic.* 5. *Galat.* 2.

IN II.º NOCTURNO.

Ant. 4. E. Dómine, tu scis, quòd nunquam lætáta sit ancilla tua nisi in te, Dómine Deus. *Esther.* 14.

Ant. 3. a. Exultávit cor meum in Dómino, et exaltátum est cornu meum in Deo meo; quia lætáta sum in salutári tuo. 1. *Reg.* 2.

Ant. 7. d. Ego dilecto meo, et dilectus meus mihi, qui páscitur inter lília. *Cantic.* 6.

℣. Adhæsit ánima mea post te, Deus. ℟. Me suscépit déxtera tua. *Ps.* 62.

LECTIO IV.

Cæcilia in virginitátis propósito, et in fídei confessióne, Dei múnere sic roboráta est, inquit sanctus Gregórius Magnus in Sacramentário, ut nec ætatis lúbrico ab intentióne mutarétur, nec blandimentis carnálibus demulcerétur, nec sexûs fragilitáte deterrerétur, nec tormentórum immanitáte vincerétur; sed servando córporis ac mentis integritátem, cum virginitátis et martyrii palma æternam mererétur adipísci beatitúdinem.

℟. Adjuva me ancillam tuam, nullum áliud auxílium habéntem, nisi te, Dómine. * Nosti quia † Oderim glóriam iniquórum. ℣. Quæ

participátio justítiæ cum iniquitáte? * Nosti. Glória. † Oderim. *Esther.* 14. 2. *Cor.* 6.

LECTIO V.

EXTABAT Romæ à témpore Symmachi Papæ, versùs finem quinti séculi, Ecclésia nómine sanctæ Cæcíliæ dedicáta. Corpus ejus in cœmetério Prætextáti extra urbem viâ Appiâ, vel initio sepultum est, vel illuc translátum. Ibi anno vigésimo primo supra octingentésimum, à summo Pontífice Paschâli primo repertum est, cùm credebátur amissum, seu furto ablátum jubente Astálpho Longobardórum Rege, dum Romam obsidébat. Hæc refert Anastásius, qui étiam scribit córpora sanctórum Valeriáni, Tibúrtii, et Máximi, Urbáni quoque et Lúcii Pontíficum, unà cum sanctæ vírginis córpore inventa fuisse.

℣. Complácui in veritáte tuâ: * Non sedi cum concílio vanitátis; † Odívi Ecclésiam malignántium. ℣. Corrumpunt bonos mores collóquia prava. * Non sedi. Glória. † Odivi. *Psalm.* 25. 1. *Cor.* 15.

LECTIO VI.

CULTUS sanctæ Cæcíliæ semper fuit celebérrimus in universa Ecclésia occidentáli. Hæc est una è quátuor illústribus virgínibus martyrio coronátis, quarum nomen in Cánone Missæ antíquitùs insertum est. In ómnibus Martyrológiis latínis, incipiendo ab iis quæ sancti Hierónymi nomen præ se ferunt, memorantur étiam illæ quátuor vírgines, ut et in ómnibus Litániis vetéribus et novis. Notátur ejus festi offícium in antíquis Missálibus Ecclésiæ Románæ, in Sacramentário Gelásii, ubi Vigília ei assignátur; in Sacramentário sancti Gregórii, ubi légitur præfátio ipsi própria: in Sacramentário, quod sub nómine Calendárii éditum est: in Sacramentário véteris Litúrgiæ Gallicánæ, quo magnum ejus Festi Offícium continétur, quodque créditur sæculo sexto usque ad Cárolum magnum in Gálliis fuisse usitátum. Hâc ipsâ die cólitur quoque magnâ celebritáte ab Ecclésia Græca, neque ejus nomen Protestantes Angli è suo Calendário reformáto expungendum putárunt.

℣. Mundam servávi ánimam meam ab omni concupiscéntiâ. * Nunquam cum his qui in levitáte ámbulant partícipem me præbui. ℣. Grátias ago Deo, cui sérvio in consciéntiâ purâ. * Nunquam. Glória. * Nunquam. *Repet.* ℣. *usque ad* ℣. *Tob.* 3. 2. *Tim.* 1.

IN III.° NOCTURNO.

Ant. 8. G. Ne páveas ir-

ruentes tibi poténtias impiórum; Dóminus enim erit in látere tuo. *Prov.* 3.

Ant. 2. D. Scio tribulatiónem tuam, nihil tímeas. Esto fidélis usque ad mortem, et dabo tibi corónam vitæ. *Apoc.* 2.

Ant. 5. a. Cùm transíeris per aquas, tecum ero; cùm ambuláveris in igne, flamma non ardébit in te: ego dilexi te. *Is.* 43.

℣. Scápulis suis Deus obumbrábit tibi; ℟. Et sub pennis ejus sperábis. *Ps.* 90.

LECTIO VII.

Léctio sancti Evangélii secundùm Matthæum.

(Cap. 25.)

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc: Símile erit regnum cœlórum decem vírgínibus, quæ accipientes lámpades suas, exiérunt óbviam sponso et sponsæ. Et réliqua.

Homília sancti Joannis Chrysóstomi.

(Homil. 79, in Matth.)

Quam ob causam in persónâ vírginum hanc parábolam profert, nec qualemcumque persónam sine discrímine súbjicit? Magna quædam de virginitáte disserúerat, dicens: Sunt eunúchi, qui seipsos castravérunt propter regnum cœlórum: et, Qui potest cápere, cápiat. Nec ignorábat, de virginitáte magnam esse vulgò existimatiónem, quippe cùm sit ea res natúrâ sublímis: quod inde patet, quia neque in véteri Testamento à priscis illis sanctisque viris culta fuit, et in novo nullâ legis necessitáte jubétur: non enim id imperávit, sed fidélium voluntáti permísit. Unde et Paulus ait: De virgínibus autem præceptum Dómini non hábeo: et laudo quidem eum qui hoc sectátur institútum, nolentem autem non cogo, neque eam rem præceptum fácio.

℟. Confortáre; * Dóminus ipse erit tecum: noli timére, nec páveas. ℣. Confortáre in grátiâ, quæ est in Christo Jesu. * Dóminus. Glória. * Dóminus. *Deut.* 31. 2. *Tim.* 1.

LECTIO VIII.

Quoniam ígitur et magna res erat, ac de ea apud multos magna erat existimátio; ne quis eâ perfectâ se totum perfecisse putáret, ac cétera negligeret, hanc parábolam pósuit, ut osténderet virginitátem, quamvis cétera hábeat, si misericórdiæ bonis carúerit, cum fornicatóribus ejici. Ac méritò quidem inhumánum ac misericórdiâ carentem cum illis cóllocat. Fornicátor enim córporum; istæ verò pecuniárum cupiditáte vincuntur. Non est autem córporum et pecúniæ par cupíditas, sed ácrior

multò, atque veheméntior illa córporum est. Quantò ígitur cum imbecillióre luctantur, tantò minus vénià dignæ sunt, si vincantur. Idcircò étiam fátuas appellávit, quóniam majóri certámine superáto, in fácilióre totum perdidérunt.

℟. Scient quia ego dilexi te; quóniam * Servasti verbum patiéntiæ meæ, et ego servábo te ab horâ tentatiónis. ℣. Ego sum Dóminus Deus tuus, in umbra manûs meæ protexi te. * Servasti. Glória. * Servasti. *Apoc.* 3. *Is.* 51.

LECTIO IX.

LAMPADES autem hoc loco illud ipsum virginitátis donum appellat, et sanctimóniæ puritátem : óleum verò benignitátem, eleemósynam, impensum indigéntibus auxílium. Tardante autem sponso, dormitavérunt omnes, et dormiérunt. Non parvum témporis rursus spátium interjectum ostendit, ut discípulos regnum ipsíus mox futúrum expectantes, ab eâ opinióne dedúceret : id enim illi sperábant : quapropter crebro ab hujusmodi eos spe révocat. Ad hoc illud quoque indícat, somnum quamdam esse mortem. Dormiérunt, inquit; médiâ autem nocte clamor factus est : vel ut in eádem parábola persistat, vel rursus ostendit in nocte futúram esse resurrectiónem. Clamórem étiam Paulus commémorat dicens : In jussu, in voce Archangéli, in novíssima turba, descendet in cœlo.

℟. Quod in præsenti est momentáneum et leve tribulatiónis, supra modum in sublimitáte æternum glóriæ pondus operátur. * Quæ enim videntur, temporália sunt; quæ autem non vídentur, æterna sunt. ℣. Viríliter age et confortétur cor tuum. * Quæ enim. Glória. * Quæ enim. *Repet.* ℟. *usque ad* ℣. 2. *Cor.* 4. *Ps.* 26.

Te Deum.

℣. *Sacerd.* Quæ est expectátio mea, nonne Dóminus? ℟. Et substántia mea apud te est. *Ps.* 38.

AD LAUDES.

Ant. 7. d. Cùm à morte possem liberári, duros córporis sustíneo dolóres : secundùm ánimam verò libenter hæc pátior. 2. *Mach.* c. 6.

Ant. 8. G. Secundùm expectatiónem et spem meam, in nullo confundar. *Philip.* 1.

Ant. 1. a. Collaudábo te Deum salvatórem meum, quóniam adjútor et protector factus es mihi. *Eccli.* 51.

Ant. 2. D. Gáudeo.

CANTICUM.

(Isai. 61.)

Virgo Deo gratias agit pro donis sibi collatis.

GAUDENS gaudébo in Dómino, * et exultábit ánima mea in Deo meo

Quia índuit me vestimentis salútis : * et indumento justítiæ circúmdedit me.

Quasi sponsum decorátum corónâ, * et quasi sponsam ornátam monílibus suis.

Sicut enim terra profert germen suum, * et sicut hortus semen suum gérminat;

Sic Dóminus Deus germinábit justítiam, * et laudem coram universis géntibus.

Et dicitur per Octavam, quando fit de ea.

Ant. Gáudeo in passiónibus, et adímpleo ea quæ desunt passiónum Christi in carne mea. *Coloss.* 1.

Ant. 5. C. Bonum certámen certávi, cursum consummávi, fidem servávi; repósita est mihi coróna justítiæ. 2. *Tim.* 4.

Capitulum. (1. *Joan.* 4.)

Omne quod natum est ex Deo vincit mundum, et hæc est victória quæ vincit mundum fides nostra.

HYMNUS.

Ut vírgines decet pudor,
Sic est decens audácia;
Temnunt minas, rident neces,
Omnesque pœnas próvocant.

Exósa mortáles thoros
Hæc virgo se Christo litat,
Tormenta cedunt Mártyri,
Quæ nescit illis cédere.

Instar Columbæ déseret
Terras, procellis áltior;
Et quem sitit, quem déperit,
Sponsi volábit in sinum.

Felix nimis connúbium,
Quo veritáti júngimur!
Æterna sunt hæc fœdera,
Quæ nulla dissolvat dies.

Sit laus tibi, Rex vírginum;
Sit laus tibi, dux Martyrum,
Trahens amóre vírgines,
Ungens cruóre Mártyres.

Amen.

℣. Deo subjecta esto anima mea. ℟. Quóniam ab ipso patiéntia mea. *Ps.* 61.

Ad Benedictus, *Ant.* 3. E. Affuit illi Dóminus, et certámen forte dedit illi, ut vínceret et sciret quóniam ómnium poténtior est sapiéntia. *Sap.* 10.

ORATIO.

Deus, qui nos ánnuâ Beátæ Cæcíliæ Vírginis et Mártyris tuæ solemnitáte lætíficas : Da ut cujus natálitia cólimus, virtútem quoque passiónis imitémur; Per Dóminum nostrum Jesum Christum Filium tuum; Qui tecum vivit et regnat in unitáte, spíritûs sancti Deus; Per ómnia.

Ad Horas, *in fine Hymnorum*, *Doxologia :*

Sit laus Patri, laus Fílio,
Et par tibi laus, Spíritus,
Qui corda pura vírginum
Puris adúris ignibus.

Amen.

Psalmi de Dominicâ.

AD PRIMAM.

Ant. 7. d. Cùm à morte.

Canon proprius, ad calc.

AD TERTIAM.

Ant. 8. G. Secundùm expectatiónem.

Capitulum. (*Psal.* 30.)

EGO in Dómino sperávi: exultábo et lætábor in misericórdiâ tuâ; quóniam respexisti humilitátem meam, salvasti de necessitátibus ánimam meam.

℟. *br.* Dómine, liberasti me * Secundùm multitúdinem misericórdiæ nóminis tui, * Allelúia, allelúia. Dómine. ℣. Animam meam * de portis tribulatiónum. * Allelúia. Glória. Dómine. *Eccli.* 51.

℣. Factus es spes mea, Deus, ℟. Turris fortitúdinis à fácie inimíci. *Ps.* 60.

AD SEXTAM.

Ant. 1. a. Collaudábo.

Capitulum. (*Job.* 23.)

PROBAVIT me Deus quasi aurum quod per ignem transit: vestígia ejus secútus est pes meus; viam ejus custodívi, et non declinávi ex ea.

℟. *br.* Adjútor meus, * Tibi psallam, * Allelúia, Allelúia. Adjútor. ℣. Quia Deus * susceptor meus es. * Allelúia. Glória. Adjutor. *Ps.* 58.

℣. Tu, Dómine, glória mea, ℟. Et exaltans caput meum. *Ps.* 3.

AD NONAM.

Ant. 5. C. Bonum certamen.

Capitulum. (2. *Timoth.* 4.)

DOMINUS mihi ástitit et confortávit me, et salvum fáciet in regnum suum cœleste.

℟. *br.* Ego sum, ego sum * Quæ Dómino canam, * Allelúia, allel. Ego sum. ℣. Psallam * Dómino Deo Israel, * Allelúia. Glória. Patri. Ego sum. *Judic.* 5.

℣. Fortitúdo mea et laus mea Dóminus; ℟. Et factus est mihi in salútem. *Ps.* 117.

AD II. VESPERAS.

Psalmi de Dominica.

Ant. 5. C. Sub umbra illíus quem desideráveram sedi, et fructus ejus dulcis gútturi meo. *Cantic.* 2.

Ant. 3. E. Invocávi Dóminum patrem Dómini mei, ut non derelinquat me in die tribulatiónis meæ, et exaudíta est orátio mea. *Eccli.* 51.

Ant. 4. E. Dilatátum est os meum super inimícos meos; quia lætáta sum in salutári tuo, Dómine. 1. *Reg.* 1.

Ant. J. In ancilla sua adimplévit Dóminus misericórdiam suam. *Judith.* 13.

Ant. 6. F. Introduxit me rex in cellária sua, ordinávit in me caritátem. *Cantic.* 2.

Capitulum. (*Judith.* 13.)

NOMEN tuum Dóminus ita magnificávit, ut non recédat laus tua de ore hóminum, qui mémores fúerint virtútis Dómini in æternum.

Hymnus Fuso purpúrei, *ut in I. Vesperis.* 567.

℣. In voluntáte tuâ deduxisti me, Dómine, ℟. Et cum glóriâ suscepisti me. *Psal.* 72.

Ad Magníficat, *Ant.* 7. G. Réspice ad preces ejus, Dómine Deus, audi oratiónem quam orat coram te hódie, ut exáudias deprecatiónem pópuli tui Israel, quodcumque oráverint in loco isto. 3. *Reg.* 8.

Oratio, ut suprà ad Laudes.

Nulla fit Commemoratio.

AD COMPLETORIUM.

Psalmi et Capitulum de Dominicâ. Reliqua, ut heri.

DIEBUS INTRA OCTAV.

SANCTÆ CÆCILIÆ

VIRGINIS ET MARTYRIS.

Semiduplex.

Omnia, ut in die, præter ea quæ hic notantur.

Psalmi de Feriâ in toto Officio.

AD NOCT. *Tres Antiph.* ℣. et ℟℟℣. *ex Nocturno diei, secundum Feriam.*

Lectio I de Scriptura occurrente, è tribus fit una.

Lectio II et III, ut infra in quâlibet die.

AD LAUDES.

Ant. sola 2. D. Gáudeo in passiónibus, et adimpléo ea quæ desunt passiónum Christi in carne meâ. *Coloss.* c. 1.

AD VESPERAS.

Ant. sola. 3. E. Sub umbra, 575.

COMPLETOR. *ut suprà*, 568.

SABBATO

INTRA OCTAVAM.

IN VESP. *Psalmi de Sabbato, sub sola Ant.* Sub umbra, *supra. Capit.* (*omisso Responsorio.*) *Hymn. et Ant. ad* Magníficat, *ut in I. Vesp. cum Commem. Dom. occurrentis.*

DOMINICA

INTRA OCTAVAM.

Ut in die, exceptis quæ sequuntur.

Psalmi de Dominicâ in toto Officio.

AD OFFIC. NOCTURNUM.

Responsoria omnia, demptо ritu Annuali, ut in die Festi.

IN I. NOCT. *Lectiones de Scriptura occurrente.*

IN II.° NOCTURNO.

LECTIO IV.

Sermo sancti Ambrósii Epíscopi.

(Epist. class. 1. Epist. 38.)

MAGNA piæ Virginitátis li-

bertas, quæ septa agmínibus persecutórum, inter máxima perícula integritátis et vitæ nequáquam inclináta est. At non ille liber, qui servit avarítiæ; non potest enim possidére vas suum. Non ille liber, qui sérviens desidériis et voluptátibus, vago fluit erróre. Non ille liber, qui curvátur ámbitu; servit enim aliéno império. Sed ille liber, qui potest dícere: Omnia mihi licent, sed non ómnia mihi utília; ómnia mihi licent, sed ego sub nullíus redígar potestáte. Ille liber qui ait: Quid enim libertas nostra judicátur ab infidéli conscientia? libertas ígitur sapienti, non insipienti convenit. Insipientis in libertáte, ruína veheméntior est. Recidenda ígitur insipienti potestas, non adjicienda libertas est; sérvitus enim ei convenit. Vidébat se Paulus in captivitátem trahi à lege peccáti; et ídeò ut liberarétur, confúgit ad libertátis grátiam.

LECTIO V.

Non sunt ígitur líberi insipientes, quibus dícitur: Nolíte fíeri sicut equus et mulus, quibus non est intellectus: in fræno et chamo maxillas eórum constringe, qui non appropinquent tibi. Multa flagella peccatórum; quia multis flagellis opus est, ut eórum imprudéntia coerceátur. Deponámus tam gravem servitútis sárcinam, renuntiémus luxúriæ ac delíciis, quæ nos quibusdam adstringunt néxibus cupiditátum, et vínculis ligant. Nihil enim prosunt divítiæ stulto: et quicumque à puerítia déderit se deliciis, manébit in servitúte; ut vivens mórtuus sit. Recidátur ergo luxúries, delíciæ resecentur. Recísa enim vínea fructum affert, semiputáta frondescit; neglecta luxúriat. Ideóque scriptum est: Tanquam agricultúra homo imprúdens, et tanquam vínea homo egens sensu; si relíqueris eum, desertus erit. Colámus ergo corpus hoc nostrum, castigémus illud, redigámus in servitútem; non illud despiciámus.

LECTIO VI.

Si mórtuum fúerit corpus nostrum peccáto, non regnábit in eo culpa, et erunt membra nostra à peccáto líbera. Non obediámus ígitur cupiditátibus ejus, neque exhibeámus membra nostra arma iniquitátis peccáto. Si víderis mulíerem ad concupiscendam eam, membra tua arma peccáti sunt. Si locútus es ad sollicitandam eam, lingua tua et os tuum membra peccáti sunt. Si festinasti velocióribus pédibus ad effundendum innocéntium sánguinem, membra tua arma iniquitátis sunt. Contra, si vidisti egénum,

et induxisti in domum tuam, domum tuam, membra tua arma justítiæ sunt. Si erípuisti injúriam accipiéntem, vel eum qui ducebátur ad mortem, si scidisti chirógraphum debitóris, membra tua arma justítiæ sunt. Si confessus es Christum, arma enim intellectûs lábia sapiéntiæ, lábia tua membra justítiæ sunt. Qui potest dícere : Oculus eram cæcórum, pes claudórum, pater infirmórum, membra ejus membra justítiæ sunt. Ergo liberáti à peccáto, quasi prétio empti sánguinis Christi, non subjiciámur servitúti hóminum, vel passiónum.

IN III.° NOCTURNO.

LECTIO VII.

Léctio sancti Evangélii secundùm Matthæum.

(Cap. 25.)

In illo témpore; Dixit Jesus Discípulis suis parábolam hanc : Símile erit regnum cœlórum decem vírgínibus, quæ accipientes lámpades suas, exiérunt óbviam sponso et sponsæ. Et réliqua.

Homília sancti Hilárii Epíscopi.

(In Matth. Cap. 27.)

Lampades, animárum splendéntium, lumen est quæ sacramento Baptismi splenduérunt. Oleum, boni óperis est fructus. Vasa, humána sunt córpora, intrà quorum víscera thesaurus bonæ conscientiæ recondendus est. Vendentes, sunt hi qui misericórdiâ fidélium indigentes, reddunt ex se petíta commércia, indigéntiæ suæ scílicet satietáte boni óperis nostri conscientiam væneuntes. Núptiæ, immortalitátis assúmptio est, et inter corruptiónem atque incorruptiónem ex nova societáte conjúnctio. Mora sponsi, pœniténtiæ tempus est. Expectántium somnus, credéntium quies est, et in pœniténtiæ témpore, mors temporánea universórum. Nocte médiâ clamor cunctis ignorántibus, tubæ vox est Dómini præcedentis adventum, et universos ut óbviam sponso éxeant excitántis. Lámpadum assúmptio, animárum est réditus in córpora : earumque lux, conscientia boni óperis elúcens, quæ vásculis córporum continétur.

LECTIO VIII.

Prudentes vírgines, hæ sunt quæ opportúnum in corpóribus operandi tempus amplexæ, in primum se occursum adventûs Domínici præparáverint. Fátuæ autem, quæ dissolútæ ac negligentes, præséntium tantùm sollicitúdinem habúerint; et immémores promissórum Dei, in nullam spem resurrectiónis exténderint. Et quia prodíre óbviam fátuæ,

extinctis lampádibus, non possunt, deprecantur eas quæ prudentes erant, ut óleum mútuent. Quibus respondérunt, non posse se dare, quia non sit fortè quod ómnibus satis sit; aliénis scílicet opéribus ac méritis néminem adjuvandum, quia unicuíque lámpadi suæ émere óleum sit necesse. Quas hortantur ut rédeant ad emendum, si vel serò præceptis Dei obsequendo, cum lámpadum luce, sponsi dignæ efficiantur occursu. Quibus morántibus, sponsus ingressus est : atque unà cum eo in núptias, sapientes, quæ comparáto lámpadum lúmine operiebantur, intróeunt, id est, in cœlestem glóriam sub ipso statim adventu Domínicæ claritátis incédunt. Et quia jam pœniténtiæ nullum est tempus, fátuæ occurrunt, aperíri sibi áditum rogant; quibus respondétur à sponso quia Néscio vos : non enim in offício advenientis affúerant, neque ad vocem tubæ excitantis occúrrerant.

Lectio IX, de Homilia in Evang. Dominicæ occurr.

DIE XXIII.

DE OCTAVA.

LECTIO II.

Sermo sancti Maximi Epíscopi.

(In natale S. Agnetis.)

VENI jam, virgo ad thálamum quem quæsisti, ut sponsam te virgínitas immaculáta cómprobet Christi. Felix caterva vírginum, quibus stúdium est tuæ sequi confessiónis vestígia. Habébunt enim tecum corónam in cœlo, quæ tecum superavérunt inimícum in mundo. Nam sicut tibi vestígia Maríæ prosequenti partícipátio æternæ remuneratiónis appáruit; ita eis te imitántibus æterna crédimus gáudia non neganda. Itaque, ô spléndida Christo, pulchra Dei Fílio, et ómnibus Angelis atque Archángelis grata, ut nostrî meminisse dignéris, quibus précibus póssumus, exorámus, ut nobis ille tríbuat peccatórum indulgéntiam, qui tibi tuórum omnium labórum trádidit palmam.

De S. Clemente.

LECTIO III.

Ex libro sancti Irenæi Epíscopi et Mártyris, adversùs hæréses.

(Lib. 3, cap. 3.)

POST Anaclétum, tértio loco ab Apóstolis episcopátum sortítur Clemens, qui et vidit ipsos Apóstolos, et cóntulit cum eis, cùm adhuc insonantem prædicatiónem Apostolórum, et traditiónem ante óculos habéret. Non solus; adhuc enim multi supérerant tunc ab Apóstolis docti. Sub hoc

ígitur Clemente, dissensióne non módica inter eos qui Corinthi essent fratres, factâ, scripsit quæ est Romæ Ecclésia potentíssimas litteras Corínthiis, ad pacem eos cóngregans, et réparans fidem eórum, et annúntians quam in recenti ab Apóstolis recéperant traditiónem. Huic Clementi succédit Evaristus. [Obiit autem, juxta Hierónymum, tértio Trajáni anno; et nóminis ejus memóriam jam tum extructa Romæ ejus témpore Ecclésia usque hódie conservat.]

Ad Laudes, *pro Comm. S. Clementis. Ant.* In Evangélio labóro usque ad vínc̃la, quasi malè óperans; sed verbum Dei non est alligátum. 2. *Tim.* 2.

Oratio, Omnípotens, XIII.

Ad Vesperas, *fit Commem. S. Chrysogoni, Mart. Ant.* Ecce. ℣. In Deo, IX. *Oratio, ut infrà.*

DIE XXIV.

DE OCTAVA.

LECTIO II.

Ex libro sancti Augustíni Episcopi de sancta Virginitáte.

(Cap. 27.)

Pergite, Vírgines, pérgite perseveranter in finem. Laudáte Dóminum dúlcius, quem cogitátis ubérius. Speráte felícius, cui sérvitis instántius. Amáte ardéntius, cui placétis atténtius. Lumbis accinctis, et lucérnis ardéntibus, expectáte Dóminum quando véniat à núptiis. Vos afferétis ad núptias Agni Cánticum novum, quod cantábitis citháris vestris. Non utique tale, quale cantat universa terra, cui dícitur: Cantáte Dómino cánticum novum, cantáte Dómino, universa terra; sed tale, quale nemo póterit dícere nisi vos. Sic enim vos vidit in Apocalypsi quidam præ céteris dilectus Agno, qui discúmbere super pectus ejus sólitus erat, et bíberat et eructábat mirabília super Dei Verbo. Ipse vos vidit duodécies duódena millia sanctórum citharædórum illibátæ virginitátis in córpore, inviolátæ veritátis in corde: et quia sequímini Agnum quocumque íerit, scripsit ille de vobis.

De S. Chrysogono.

LECTIO III.

Chrysogonus post longa vínc̃la et cárceres Romæ pro Christi confessióne tolerátos, jubente Diocletiáno, Aquiléiam perductus, postquàm ejusdem nec blandítiis, nec minis à propósito deterréri pótuit, ad Aquas gradátas secúri percussus est. Corpus ejus projectum in mare, paulò post inventum, Zóilus présbyter sepelívit in ædibus suis. Vetus est Romæ títulus sancti

Chrysógoni, cujus méntio fit in concílio romano sub Symmacho, et à Gregório Magno in Epístolis. Hanc ædem Gregórius Papa tertius adornávit et munéribus auxit. Ejus autem nomen quod per Illyricum, et in Africa étiam célebre fuit, Cánoni Missæ quo tota jam Ecclésia Occidentális útitur à primis tempóribus insertum est.

Pro ejus Commem. Ant. Bonum. ℣. Adjútor, XII.

ORATIO.

Ad defensiánem fidélium, quæsumus, Dómine, déxteram tuæ majestátis extende, et ut perpétuâ pietátis tuæ protectióne muniantur, sancti mártyris tui Chrysógoni contínua pro his non desit intercéssio; Per Dóminum nostrum.

VESPERÆ *de sequenti.*

DIE XXV.

SANCTI ALANI,

EPISCOPI.

Duplex-majus.

IN I. VESPERIS.

Psalmi de Feria; et sic in toto Officio.

Ant. 1. D. In solitódine portávit te Dóminus Deus tuus, ut solet homo gestáre párvulum fílium suum. *Deut.* 1.

Ant. 2. D. Ero custos tuus quòcumque perréxeris, et redúcam te in terram hanc: nec dimittam nisi complévero universa quæ dixi. *Gen.* 28.

Ant. 3. a. In umbra manûs suæ protexit me, et pósuit me sicut sagittam electam; in pháretra sua abscondit me. *Is.* 49.

Ant. 4. f. Servávi te, et dedi te in fœdus pópuli, ut suscitáres terram, et possidéres hæreditátes dissipátas. *Is.* 49.

Ant. 5. C. Ad ómnia quæ mittam te, ibis: et universa quæcumque mandávero tibi, loquéris. *Jerem.* 1.

Capitulum. (*Sap.* 7.)

Optávi, et datus est mihi sensus; et invocávi, et venit in me spíritus sapiéntiæ: et præpósui illam regnis, et sédibus, et divítias nihil esse duxi in comparatióne illíus.

℣. Dóminus dedit mihi linguam erudítam, ut sciam sustentáre eum qui lapsus est, verbo: * Dóminus Deus apéruit mihi aurem; ego autem non contradíco, retrorsùm non ábii. ℣. Ego libentíssimè impendam, et superimpendar ipse pro animábus vestris. * Dóminus Deus. Glória Patri. * Dóminus Deus. *Is.* 50. 1. *Cor.* 12.

HYMNUS.

Cui Deus crescit, perítura vani
Cuncta decrescunt simuláera mundi,

More torrentis fugitívus illi
Præterit orbis.
Nil domûs splendor, nec
opes avítæ,
Blanda nec flexit júvenem
voluptas :
Quos fides monstrat, súperos Alánus
Ambit honóres.
Qui fugit longè, pátriâ
relictâ,
Séculi pompam malè blandientem,
Hic sacris Regis mónitis
et omnem
Imbuit aulam.
Te probant mundo manifesta signa,
Non potest tantùm latitáre
lumen :
Hæc erat tellus tibi destináta.
Prodi quid obstas ?
Christe, pastórum bonus
ipse pastor,
Qui greges pascis próprio
cruóre :
Fac ut æternæ súbeant ópima
Páscua vitæ. Amen.

℣. Deus, docuisti me à juventúte mea. ℟. Et usque nunc pronuntiábo mirabilia tua. *Ps.* 70.

Ad Magníficat, *Ant.* 5. C. Tempus áffuit, quo sol reúlsit, qui prius erat in núbilo, accensus est ignis magnus, ita ut omnes mirarentur. 2. *Mach.* 1.

Oratio, ut infrà ad Laudes.

Fit Commemoratio S. Cæciliæ. Ant. Réspice. ℣. In voluntáte, 576. *Orat.* Deus, 574.

Posteà S. Catharinæ, Virg. et Mart. Ant. Infirma. ℣. Deus, LVII. *Oratio*, Omnípotens, LXI.

[*Ubi fit ritu annuali*, Ad Completorium, *Psalmi et capitulum de Feriâ.*

Ant. 6. F. Qui statis in domo Dómini, in nóctibus extóllite manus vestras in sancta, et benedícite Dóminum. *Ps.* 133.

Ad Nunc dimittis, *Ant.* 7. G. Emitte lucem tuam, et veritátem tuam, ipsa me deduxérunt et adduxérunt in montem sanctum tuum, et in tabernácula tua. *Ps.* 42.]

AD OFFIC. NOCTURNUM.

INVITATORIUM.

Christum pastórem et epíscopum animárum, * Veníte adorémus. 1. *Petr.* 2.

Ps. 94. Veníte, 2.

HYMNUS.

Quam Deo gratus, procul à tumultu,
Qui sibi quandò vacat et saluti
Póntifex curas, sibi raptus ipsi,
Sústinet omnes.
Intrat hanc urbem ténebris sepultam;
Bélluas audit rábie frementes;
Cívitas omnis velut alta sylva
Hórrida dumis.
Numinum sternit simulácra vana,

Et novas aras tibi, Christe, ponit :
Bárbaras gentes docet, et salúbri
Abluit undà.
Tota gens, præsul, modò christiána,
Se tibi debet : fídei jacentis
Prisca cœlesti redivíva rore
Sémina surgant.
Christe, pastórum bonus ipse pastor,
Qui greges pascis próprio cruóre :
Fac ut æternæ súbeant opíma
Páscua vitæ. Amen.

IN 1.° NOCTURNO.

Ant. 3. a. Atténdite ad me, pópule meus, et tribus mea, me audíte; quia lex à me éxiet, et judícium meum in lucem populórum requiescet. *Is.* 51.

Ant. 5. c. Ipsi scitis intróitum nostrum ad vos, quia non inánis fuit; fidúciam habúimus in Deo nostro loqui ad vos Evangélium in multa sollicitúdine. 1. *Thess.* 2.

Ant. 6. F. Coram Deo in Christo lóquimur, ómnia autem propter ædificatiónem vestram. 2. *Cor.* 12.

℣. Glorificábo nomen tuum, Dómine, ℟. Quia misericórdia tua magna est super me. *Ps.* 85.

Tres Lectiones de Scripturâ occurrente.

[*Ubi fit ritu annuali, leguntur tres sequentes.*

LECTIO I.

De Isaía Prophéta

(Cap. 30.)

Populus Sion habitábit in Jerúsalem : plorans nequáquam plorábis, míserans miserébitur tuî : ad vocem clamóris tui statim ut audíerit, respondébit tibi..... Non fáciet avoláre à te ultrà doctórem tuum, et erunt óculi tui videntes præceptórem tuum. Et aures tuæ áudient verbum post tergum monentis : hæc est via, ambuláte in ea ; et non declinétis neque ad déxteram, neque ad *sinistram*. Et contaminábis láminas sculptílium argenti tui, et vestimentum conflátilis auri tui, et disperges ea.]

℣. Dixit Dóminus *illi* : lóquere et ne táceas : ego sum tecum, quóniam pópulus est mihi multus in hac civitáte. * Sedit autem ibi docens apud eos verbum Dei. ℣. Attulit sacerdos legem coram multitúdine virórum et mulíerum. * Sedit. *Act.* 18. *Esdr.* 8.

LECTIO II.

(Cap. 41.)

[Et tu, Israel, serve meus, Jacob, quem elégi, semen Abraham, amíci mei. Ne tímeas, quia ego tecum sum : ne declínes, quia ego Deus tuus; confortávi te, et auxiliátus sum tibi : et suscépit

te déxtera justi mei. Ecce confundentur et erubescent omnes qui pugnant adversùm te ; erunt quasi non sint et períbunt viri qui contradícunt tibi.... Ego pósui te quasi plaustrum tritúrans novum, habens rostra serrántia. Triturábis montes, et commínues; et colles quasi púlverem pones. Ventilábis eos et ventus tollet, et turbo disperget eos; et tu exultábis in Dómino, in sancto Israel lætáberis.]

℟. Compuncti sunt corde et dixérunt, quid faciémus? pœniténtiam, inquit, ágite; * Et baptizétur unusquisque vestrûm in nómine Jesu Christi, in remissiónem peccatórum. ℣. Abjícite Deos aliénos qui in médio vestrî sunt. * Et baptizétur. *Act.* 2. *Gen.* 35.

LECTIO III.

(Cap. 43 et 44.)

[Ecce ego fácio nova, et nunc orientur, útique cognoscétis ea : ponam in deserto viam, et in ínvio flúmina. Glorificábit me béstia agri, dracónes et struthiónes, quia dedi in deserto aquas, flúmina in ínvio, ut darem potum pópulo meo ; pópulum istum formávi mihi, laudem meam narrábit.... Effundam aquas super sitientem, et fluenta super áridam. Effundam spíritum meum super semen tuum, et benedictiónem meam super stirpem tuam. Et germinábunt inter herbas quasi sálices juxtà præterfluentes aquas.]

℟. Intendébant turbæ his quæ ab eo dicebantur, vidéntes signa quæ faciébat. * Cùm verò credidissent evangelizanti, † Baptizabantur viri ac mulíeres. ℣. Deserentes cæremónias patrum suórum quæ in multitúdine Deórum erant, unum Deum cœli coluérunt. * Cùm verò. Glória. † Baptizabantur *Act.* 8. *Judith* 2.

IN II.° NOCTURNO.

Ant. 7. c. Símilis illi non fuit ante eum, neque post eum surrexit símilis illi. 4. *Reg.* 23.

Ant. 8. c. Contrívit státuas, succédit lucos, atque combussit et commínuit in púlverem. 4. *Reg.* 23.

Ant. 6. F. Intónuit de cœlo Dóminus, et in sónitu magno auditam fecit voluntátem suam. *Eccli.* 46.

℣. Pósui adjutórium in potente. ℟. Exaltávi electum de plebe mea. *Ps.* 88.

LECTIO IV.

(Ex vita S. Alani, auctore Baldemundo coætaneo, etc.)

Alanus qui et Amandus nominátur, natus in território Nannetensi, sacris líteris à puerítiâ erudítus secessit in Ogiam ínsulam,

nunc Diœcésis Rupellensis, ibíque vitam cœnobíticam gessit : omni virtútum génere, sed obediéntiâ potíssimùm et humilitáte cláruit. Licèt sibi durus et asper, tamen morum comitáte et ánimi urbanitáte erga omnes fuit conspícuus. In edomando próprio córpore crudélis, in sublevandis aliórum misériis benignus. Anno ætátis quinto et trigésimo ejusdem Monastérii Abbas creátus, illud singulári *vigilántiâ gubernávit* annos quinque et viginti, nullâ omninò re prætermissâ, quæ ad regulàris disciplínæ integritátem pertinéret.

℟. Operátus est bonum, et rectum et verum coram Deo suo, in universa cultúra domûs Dómini, juxta legem, * Volens requírere Deum suum in toto corde suo, fecitque et prosperátus est. ℣. Plúrimam hóstiam óbtulit Deo, per quam testimónium consecútus est esse justus. * Volens requírere. 2. *Paral.* 31. *Hebr.* 11.

LECTIO V.

Turones pergens sancti Martíni sepulchrum veneratúrus, tonsis Capillis Clero adscriptus est. Bitúrigum, deindè Romam profectus, et posteà reversus in Gálliam, non ad certam Diœcésim gubernandam, sed ad prædicandam fidem géntibus nondùm Christiánis, Tréviris Epíscopus ordinátus est. Brabantínis, deindè Seleucis Evangélium annuntiávit. Ob increpátam vivendi licéntiam pulsus in exílium à rege Dagoberto, Vascónibus Dei verbum annuntiávit, ídolórum templa subvertit, et prodígiis doctrínam ejus confirmántibus, penè omnes illíus regiónis íncolas Christo mancipávit.

℟. Ego suscitávi eum ad *justítiam*, et omnes vias ejus dírigam : * Ipse ædificábit civitátem meam, et captivitátem meam dimittet. ℣. Vas electiónis est mihi iste, ut portet nomen meum coram géntibus. * Ipse. *Is.* 45. *Act.* 9.

LECTIO VI.

A rege revocátus, consentiente Epíscopo Noviomensi, Gándavis prædicávit fidem. Undè promovente Sigiberto, qui ab eo baptismum suscéperat, ad Trajectensem sedem assumptus est anno sexcentésimo quadragésimo nono. Ob Cleri mores depravátos, quibus reprimendis ímparem se existimábat, de deserenda sede cógitans, scripsit ad sanctum Martínum Papam, qui, missis Decrétis, quæ Concílium Lateranense contra Monothélitas nuper edíderat, eum ad perseveránti am hortátus est. Sed Romam

iterùm profectus, et liber à sede Trajectensi dimissus, várias prædicandi causà peragrávit regiónes. Et tandem Vaceri in Occitánia, ut ex vetusta traditióne constat, prædicatiónis et vitæ cursum in summa senectúte consummávit, undè Diœcésis Vaurensis ipsum ut Patrónum colit, et sub ejus invocatióne Ecclésiæ Cathedrális dedicáta est.

℣. Vidit principátum suum, quòd in parte suà doctor esset repósitus : qui fuit cum princípibus pópuli, et * Fecit justítias Dómini, et † Judícium suum cum Israel. ℣. Suscipiébat omnes prædicans regnum Dei, et docens quæ sunt de Dómino Jesu Christo cum fidúcia. * Fecit. Glória. † Judícium. *Deut.* 33. *Act.* 28.

IN III.° NOCTURNO.

Ant. 2. D. Quam desiderabília ómnia ópera ejus : et quis satiábitur videns glóriam ejus? *Eccli.* 42.

Ant. 4. f. Deus secundùm se vestívit illum virtúte, et dedit illi potestátem eórum quæ sunt super terram. *Eccli.* 17.

Ant. 1. D. Zelando zelum Dei, accépit testamentum sacerdótii. 1. *Mach.* 2.

℣. Annuntiávi justítiam tuam in Ecclésia magna. ℟. Ecce lábia mea non prohibébo, Dómine, tu scisti. *Ps.* 39.

LECTIO VII.

Léctio sancti Evangélii secundùm Marcum.

(Cap. 16.)

In illo témpore; Dixit Jesus Discípulis suis : Euntes in mundum universum, prædicáte Evangélium omni creatúræ. Et reliqua.

Homília sancti Joannis Chrysóstomi.

(Homil. 7, in cap. 21, Epist. 1 ad Cor. post medium.)

Non venisset in mentem Apostolórum prædicáre quæ prædicavérunt, nisi divinam grátiam essent adepti; et non solùm nihil tale gessissent, sed ne de eo quidem cepissent consílium. Age verò hódiè quoque hoc ipsum prosequámur oratióne, et ostendámus fieri non potuisse ut id instituérent et cogitárent, nisi Christum secum habuissent : non quóniam imbecílli adversùs fortes, nec quóniam pauci adversùs multos, nec quóniam páuperes adversùs dívites, nec rudes et ignari adversùs sapientes struébant áciem : sed quóniam magna quoque vis est præoccupátæ opiniónis. Scitis enim apud hómines nihil esse æque válidum atque tyránnidem veteris consuetúdinis.

℣. Confirmávit omnes húmiles pópuli, et legem exquisívit et ábstulit iníquum

et malum : * Sancta purificávit et multiplicávit vasa sanctórum. ℣. Potens in verbis et in opéribus, hic est qui accépit verba vitæ dare nobis. * Sancta purificávit et multiplicávit. 1. *Mach.* 14. *Act.* 7.

LECTIO VIII.

Oportebat enim eum qui credébat, statim publicári, expelli, à pátriâ exulâre, extrema mala pérpeti, ab ómnibus ódio habéri, commúnem esse hostem et suis et aliénis. Quámobrem étiamsi vocárent à novitáte ad consuetúdinem, sic quoque res esset difficilis. Cùm autem à consuetúdine vocárent ad novitátem et hæc adessent mala, cógita quantùm esset impedimentum. Porrò autem rursùs iis quoque quæ dicta sunt non lévius áliud ipsis proponebátur, difficilem reddens transmutatiónem. Nam cùm consuetúdine et perículis, hæc quoque præcepta erant gravióra, ea verò à quibus abducébant facília. A stupris enim et fornicatióne vocábant ad temperántiam, à vitæ amóre ad mortem, ab ebrietáte ad sobrietátem, à risu ad lácrymas et compunctiónem, ab avarítia et pura habendi cupiditáte ad paupertátem et suárum facultátum abdicatiónem, à securitáte et metûs privatióne ad perícula, et per ómnia extréma exigébant perfectiónem.

℟. Desiderantes vos, cúpide, * Volebámus trádere vobis non solùm Evangélium Dei, sed étiam ánimas nostras; quóniam caríssimi nobis facti estis. ℣. Os tuum sumus, et caro tua : tu eras qui educébas et introducébas Israel. * Volebámus trádere. 1. *Thess.* 2. 1. *Paral.* 11.

[*Ubi fit absque memoria sanctæ Catharinæ.*

LECTIO IX.

Quamobrem propter hoc ipsum quoque vel máximè admirári oportébat, quòd persuasissent homínibus bárbaris, ut talem fidem suscíperent, et de futúris magnam spem concíperent, et excusso prióri ónere peccatórum, magnâ ánimi alacritáte pro virtúte labóres suscíperent, et nullo quidem sensíbili inhiárent : rebus autem ómnibus corpóreis effecti superiórès, dona accíperent quæ versantur in intelligéntia : et Persa, et Sármata, et Maurus, et Indus scirent ánimæ expiatiónem, et Dei poténtiam et benignitátem ineffábilem, et fídei philosóphiam, et adventum sancti Spíritûs, et córporum resurrectiónem, et dógmata vitæ immortális. Hæc enim ómnia, et his plura barbarórum gentes initiántes pis-

catóres in baptísmate, fecérunt philosophári.]

De S. Catharina,

LECTIO IX.

CATHARINÆ seu Æcatharínes, vírginis et mártyris, memóriam singulári cultu jamprídem venerátur Orientális Ecclésia; ejusque corpus in Sina Arábiæ monte religiósè servátur. Paulus Latrensis nóbilis Anachoréta, qui médio século décimo óbiit, ejus festum diem summâ imprímis solemnitáte celebrábat. Sequenti século, Símeon in monte Sina mónachus, consuétam Richardi Normánniæ ducis eleemósynam quæsitúrus, Rotómagum venit; ac secum allátas beátæ Catharínæ relíquias in monastério supra montem urbi vicínum ædificáto depósuit. Inde cœpit beátæ mártyris cultus per Gállias propagári. Obiit Símeon anno millésimo tricésimo quinto, apud Tréviros reclúsus, et inter sanctos cólitur.

℣. Dóminus mihi ástitit, et confortávit me, ut per me prædicátio impleátur, et áudiant omnes gentes; * Et ✝ Salvum fáciet in regnum suum cœleste. ℣. Dedit Dóminus fortitúdinem, et usque in senectútem, permansit virtus; * Et salvum. Glória. ✝ Salvum faciet. 2. *Tim.* 4. *Eccli.* 46.

Te Deum.

℣. *Sacerd.* Protector noster, áspice Deus, ℟. Et réspice in fáciem Christi tui. *Ps.* 83.

AD LAUDES.

Ant. 7. c. De omni corde suo laudávit Dóminum, et dilexit Deum: dedit in celebratiónibus decus, ut laudárent nomen sanctum Dómini. *Eccli.* 47.

Ant. 1. f. Indútus est justítiâ ut loricâ, et gáleâ salútis in cápite ejus: indútus est vestimentis ultiónis, et opertus est quasi pállio zeli. *Is.* 59.

Ant. 4. D. Vocávi eum, adduxi eum, et directa est via ejus. *Is.* 48.

Ant. 6. F. Hic est qui fuit.

CANTICUM.

(Eccli. 51.)

DEDIT mihi Dóminus linguam mercédem meam: * et in ipsa laudábo eum.

Appropiáte ad me, indocti, * et congregáte vos in domum disciplínæ.

Quid ad adhuc retardátis? et quid dícitis in his? * ánimæ vestræ sítiunt vehementer.

Apérui os meum, et locútus sum: * comparáte vobis sine argento.

Et collum vestrum subjícite jugo, et suscípiat ánima vestra disciplínam: * in próximo est enim invenire eam.

Vidéte óculis vestris, quia

módicùm laborávi, * et invéni mihi multam réquiem.

Assúmite disciplínam in multò número argenti, * et copiósum aurum possidéte in ea.

Lætétur ánima vestra in misericórdia ejus, * et non confundémini in laude ipsíus.

Operámini opus vestrum ante tempus; * et dabit vobis mercédem vestram in *témpore suo.*

Ant. Hic est qui fuit in Ecclésia cum pátribus nostris, qui accépit verba vitæ dare nobis. *Act.* 7.

Ant. 3. a. *Ipse est directus divínitùs* in pœniténtiam gentis, et tulit abomi*natiónes* impietátis, et in diébus peccatórum corroborávit pietátem. *Eccli.* 49.

Capitulum. (*Eccli.* 48.)

Quis potest simíliter sic gloriári tibi? Qui ungis reges ad pœniténtiam, et prophétas facis successóres post te. Qui scriptus es in judíciis tempórum lenire iracúndiam Dómini, conciliáre cor patris ad Fílium, et restitúere tribus Jacob.

HYMNUS.

Regis edicto venerandus exul
Flándriæ partes abit in remótas:
Hîc novum fecit sibi pro relicto
Pastor ovíle.

ALB. AUTUMNALIS.

Exilî, præsul, tua pœna prodest,
Munus implébas, licét exulláres:
Te fides semper comitáta, semper
Te tua virtus.

Illa quam Félix peregrína tellus!
Quot bonos fructus tulit hoc colóno
Sese dediscens oleaster, ipse
Factus olíva.

Cedat ostensæ modò veritáti
Luce tam purâ tremefactus error:
Pœnitet regem, sua jussa damnat,
Et redit exul.

Christe pastórum bonus ipse pastor,
Qui greges pascis próprio cruóre:
Fac ut æternæ subeant opíma
Páscua vitæ. Amen.

℣. Pronuntiávi ómnia judícia oris tui. ℟. In via testimoniórum tuórum delectátus sum. *Ps.* 118.

Ad Benedictus, *Ant.* 8. G. In lege Dómini congregatiónem judicávit: et in fide sua probátus est prophéta, et cognítus est in verbis suis fidélis. *Eccli.* 46.

ORATIO.

Deus qui nos de ténebris in admirábile lumen tuum per beátum Alánum vocáre dignátus es; fac, quæsumus, hujus sancti pontificis labóribus in Christo génitos, in

Evangélio quod prædicávit, immóbiles permanére; Per eumdem.

Fit Commemoratio S. Cæciliæ. Ant. Affuit. ℣. Deo. *Oratio*, Deus, 574.

Posteà S. Catharinæ. Ant. Factus est. ℣. Hæréditas. *Oratio*, Omnípotens, LXI.

AD PRIMAM.

Ant. 7. c. De omni corde.

AD TERTIAM.

Ant. 1. f. Indútus est.

Capitulum. (*Eccli.* 45.)

FACTUM est illi testamentum æternum, sicut dies cœli, fungi sacerdótio, et habére laudem, et glorificáre pópulum suum in nómine ejus.

℟. *br.* Misericórdia tua subsequétur me * Omnibus diébus vitæ meæ. Misericórdia. ℣. Ut inhábitem * in domo Dómini. * Omnibus. Glória. Misericórdia.

℣. Lætábimur in salutári tuo, ℟. Et in nómine Dei nostri magnificábimur. *Ps.* 19.

AD SEXTAM.

Ant. 4. D. Vocávi eum.

Capitulum. (*Act.* 20.)

ATTENDITE vobis et universo gregi, in quo vos Spíritus sanctus pósuit Epíscopos régere Ecclésiam Dei quam acquisívit sánguine suo.

℟. *br.* Pavit eos * In innocéntia cordis sui. Pavit. ℣ Et in intellléctibus * mánuum suárum. * In innocéntia. Glória. Pavit. *Ps.* 77.

℣. Deduxit eos in viam rectam, ℟. Ut irent in civitátem habitatiónis *Ps.* 106.

AD NONAM.

Ant. 3. a. Ipse est directus.

Capitulum. (1. *Cor.* 2.)

CUM venissem ad vos, Fratres, veni non in sublimitáte sermónis, aut sapiéntiæ, annúntians vobis testimónium Christi; non enim judicávi me scire áliquid inter vos, nisi Jesum Christum, et hunc crucifixum.

℟. *br.* Veníte, fílii, * Audíte me. Veníte. ℣. Timórem Dómini * docébo vos. * Audíte me. Glória. Veníte.

℣. Intellígite, insipiéntes, in pópulo; ℟. Et stulti, aliquandò sápite. *Ps.* 93.

AD II. VESPERAS.

Ant. 4. E. Ambulávit in conspectu tuo, Dómine, servus tuus in veritáte et justítia et recto corde tecum. 3. *Reg.* 3.

Ant. 2. D. Jucundábitur in fíliis suis, et in die oratiónis suæ exaudiétur. *Eccli.* 3.

Ant. 3. a. Sermo meus non in persuasibílibus humánæ sapiéntiæ verbis; sed in ostensióne spíritûs et virtútis. 1. *Cor.* 2.

Ant. 2. A. Etsi áliis non

sum Apóstolus, sed tamen vobis sum : nam signáculum Apostolátûs mei vos estis in Dómino. 1. *Cor.* 9.

Ant. 5. C. Caríssimi, si qua virtus, si qua laus disciplínæ, hæc cogitáte : quæ et didicistis, et accepistis, et audistis, et vidistis in me, hæc ágite. *Philipp.* 4.

Capitulum. (*Philipp.* 1.)

TESTIS mihi est Deus, quómodò cúpiam omnes vos in viscéribus Jesu Christi. Et hoc oro, ut cáritas vestra magis ac magis abundet in sciéntia et in omni sensu, ut probétis potióra, ut sitis sincéri, et sine offensa in diem Christi.

HYMNUS.

QUIS sacros vultu jaculátus ignes
Fertur auráto super astra curru?
Mille virtútes comitantur, addunt
Seque triumpho.
PONTIFEX terris rápitur beandus;
Festa dum cœli fremit aula plausu,
Nos simul junctis celebrémus hymnis
Astra petentem.
SED quid audítur! gemit orba tellus,
Et suam nati repetunt parentem;
Páuperes lugent, lácrymisque turbant
Gáudia cœli.
QUÆ fuit vivo tibi cura, præsul,
Hanc, licet vectus super astra, serves,
Et tuam, nostræ bone tutor urbis,
Réspice gentem.
HÆC Deo cives posuére templa,
Quæ tuum dicent sine fine nomen;
Jure te civem vocat et patrónum,
Civis et hospes.
CHRISTE, Pastórum bonus ipse pastor,
Qui greges pascis próprio cruóre:
Fac ut æternæ súbeant opíma
Páscua vitæ. Amen.

℣. In justítia apparébo conspéctui tuo, Dómine, ℟. Satiábor cùm apparúerit glória tua. *Ps.* 16.

Ad Magníficat, *Ant.* 7. G. Mórtuus est servus Dómini, jubente Dómino, et non surréxit ultrà prophéta in ómnibus signis atque portentis quæ misit Dóminus per eum, ut fáceret in terra. *Deut.* 34.

Oratio, ut suprà ad Laudes.

Fit Commem. S. Cæciliæ Ant. Réspice. ℣. In voluntáte, 576. *Orat.* Deus, 574.

Postea S. Lini, Papæ et Martyris. Ant. Ecce Deus. ℣. In Deo, IX. *Oratio, ut infrà.*

[*Ubi fit Annuale, ad Completorium ut heri.*]

DIE XXVI.

DE OCTAVA.

Si Dominica I. Adventûs inciderit in diem 27 hujus mensis, hâc die 26 anticipatur Octava sanctæ Cæciliæ, et de eâ fit Officium à primis Vesperis, ut habetur infrà ad diem 29. Vesperæ autem erunt de Sabbato ante I. Dominicam Adventûs, cum Commemorat. Octavæ. Si autem seriùs contingat Dominica I Adventûs, fit ut sequitur.

LECTIO II.

Ex libro sancti Augustíni Epíscopi de Sancta Virginitáte.

(Cap. 54.)

Si núptias contempsistis filiórum hóminum, ex quibus gignerétis fílios hóminum toto corde amáte speciósum formâ præ fíliis hóminum. Vacat vobis, líberum est cor à conjugálibus vínculis. Inspícite pulchritúdinem amatóris vestri: cogitáte æquálem Patri, súbditum et matri; étiam in cœlis dominantem, et in terris servientem, creantem ómnia, creátum inter ómnia. Illud ipsum quod in eo derídent superbi, inspícite quàm pulchrum sit: internis lumínibus inspícite vúlnera pendentis, cicatríces resurgentis, sánguinem morientis, prétium credentis, commércium redimentis. Hæc quanti váleant cogitáte, hæc in statéra caritátis appéndite; et quidquid amóris in núptias vestras impendendum habebátis, illi repéndite. Toto vobis figátur in corde, qui pro vobis fixus est in cruce: totum téneat in ánimo vestro, quidquid noluistis occupári connúbio. Parùm vobis amáre non licet, propter quem non amastis et quod líceret.

De S. Lino.

LECTIO III.

Linus, cujus Paulus in his quæ sunt ad Timótheum Epístolis méminit, Eccléstam Románam, téstibus sancto Irenæo et Eusébio, secundus à Petro Póntifex rexit. Cujus jam ántea gregem cum Anacléto et Clemente Vicárius páverat, quóties Pastórem addicta múneri Apostólico itínera procul detinébant. Ipse vixit usque ad annum Vespasiáni décimum, Christi septuagésimum octávum. Quo quidem témporis spátio, ánimum páululùm Christiáni à Nerónis sævítiâ recéperant, dum suæ in Jesum perfídiæ pœnas Judæa gens, conjurátis Impérii Romani víribus obsessa, deléto Templo luébat. Vigébat autem in Lino fides illa sublímior, quam assídua fovet alitque orátio, et cujus eam vim esse docet ipse Christus, ut

montes movére possit, et quò velit transferre. Hanc móribus et dictis semper exprimébat dignus Apostolórum Successor, ádcò ut non solùm Dæmones ejecisse credátur, sed étiam mórtuos ad vitam revocasse. Secúri tandem percussus propter fídei constántiam, Mártyrum láuream adeptus est, Græcis páriter et Latínis ejus memóriam recoléntibus. Sepultus est in Vaticáno propè sepulcrum Príncipis Apostolórum; et primus ab Apóstolis in Cánone Missæ inscriptus, quotídie légitur.

Ad Laudes, *pro ejùs Commem. Ant.* Bonum. ℣. Adjútor, xii.

ORATIO.

Quæsumus, omnípotens Deus, ut nos virtúte sancti Spíritûs, et ad credendum dóciles, et ad confitendum fortes effícias; qui beáto Lino Pontífici, propter verbum tuum et testimónium Jesu, ánimam suam pónere tribuísti; Per eumdem Dóminum nostrum Jesum..... in unitáte ejusdem Spíritûs.

DIE XXVII.

DE OCTAVA.

Si Dominica I. Adventûs inciderit in diem 28, *hâc die anticipatur Octava, eodem modo quo notatum est ad diem* 26, *quando illa Dominica contingit die* 27.

LECTIO II.

Ex libro sancti Cypriáni Epíscopi et Mártyris, de Disciplina et hábitu Vírginum.

(Paulò post initium.)

Nunc nobis ad Vírgines sermo est, quarum quò sublímior glória est, major et cura est. Flos est illi Ecclesiástici gérminis, Decus atque ornamentum grátiæ spiritális, læta índoles, laudis et honóris opus íntegrum atque incorruptum, Dei imágo respondens ad sanctimóniam Dómini, illústrior pórtio gregis Christi. Gaudet per illas, atque in illis lárgiter floret Ecclésiæ matris gloriósa fœcúnditas: quantóque plùs copiósa virgínitas número suo addit, tantò plùs gáudium matris augescit.

LECTIO III.

Ad has lóquimur, has adhortámur affectióne pótiùs quàm potestáte: non quòd extremi et mínimi, et humilitátis nostræ ádmodùm cónscii, áliquid ad censúram licéntiæ vindicémus; sed quod ad sollicitúdinem magis cauti, plus de diáboli infestatióne timeámus. Neque inánis hæc cáutio est, et vana formído, quæ ad salútis viam cónsulit, quæ Domínica et vitália præcepta custódit; ut quæ se

Christo dicáverint et à carnáli concupiscéntia recedentes, tam carne, quàm mente se Deo vóverint, consumment opus suum magno præmio destinátum : nec ornári jam, aut placére cuíquam, nisi Dómino suo stúdeant; à quo et mercédem virginitátis expectant, dicente ipso ; Non omnes cápiunt verbum, sed illi quibus datum est.

DIE XXVIII.

DE OCTAVA.

[*Hâc die anticipatur Octava sanctæ Cæciliæ, quando Dominica prima Adventûs incidit in diem* 29 *; juxta ea quæ notata sunt ad duos dies præcedentes.*]

LECTIO II.

Ex libro sancti Gregórii Nysséni, de sancta Virginitáte.

(Cap. 13.)

VIRGINALIS vita illíus futúri ævi beatitúdinis imágo quædam esse vidétur, cùm multa signa illórum bonórum afferat, quæ ex spe nobis præpósita et paráta sunt. Ac veritátem eórum quæ dícimus, perspícere est oratióne examinanda. Primùm enim quidem qui peccáto prorsus móritur, Deo is porrò vivit, cùm nullum ampliùs fructum morti páriat, cùmque vitæ hujus quæ secundùm carnem trahúcitur, pro víribus suis consummatiónem perfécerit, beátam porrò spem atque adventum magni Dei expectat; nec ullum inter se Deique adventum per interjectas generatiónes constítuit intervallum. Deinde verò, quæ in resurrectióne máximè præcípua bona sunt, iis étiam in hâc vitâ frúitur. Si enim vita Angelórum símilis post resurrectiónem viris justis promíttitur, illud autem Angelórum natúræ próprium est, ut à núptiis sint aliéni, jam promissiónis præmia percípiunt quotquot inter splendóres sanctórum fulgent apud nos, nullisque vitæ sórdibus, eórum qui córpore carent, natúram puram et conversatiónem imitantur.

LECTIO III.

QUAMOBREM si harum cæterarumque hujúsmodi rerum virgínitas conciliátrix est, quæ sane orátio hujus múneris admiratiónem satis excitábit? Quæ réliqua ánimi bona ita magna atque ádeò perfecta videbuntur, ut comparatióne factâ perfectióni huic adæquáta sint. Sed si hujus múneris præstántia à nobis comperta est, illud sanè étiam quod séquitur, expedit ut intelligámus; quóniam non simplex est, ut alícui fortè vidébitur, hoc perfectum virginitátis officium ; neque in cór-

pore tantùm consistit, sed opinióne étiam ad ómnia pertingit ac pértinet, quæcumque recta ánimi officia sunt ac habentur. Nam virginitátis præsídio ánimus cum vero sponso conjunctus, non à corpóreis modò sórdibus ipse se removébit, sed inde étiam profectus, ad mundítiem cordis aggrediétur, ad ómniaque pari item securitáte ibit. Illud tamen pertimescendo, ne áliquo modo ad rei pravæ societátem, corde, plusquàm par est; inclináto, affectiónem áliquam ex eà parte adulterínam cápiat.

Vesperæ *de Sequenti : fit Commem. S. Saturnini, Episcopi et Martyris. Ant.* Ecce. ℣. In Deo, IX. *Oratio,* Deus qui per, 598.

DIE XXIX.

OCTAVA S. CÆCILIÆ,

VIRGINIS ET MARTYRIS.

Duplex-majus.

Omnia, demptò ritu Annuali, ut in die, exceptis quæ sequuntur. Psalmi de Feria in toto Officio.

In I. Noct. *Lectiones de Scriptura occurrente.*

IN II.° NOCTURNO.

LECTIO IV.

Sermo S. Gregórii Papæ.

(Homil. XI. in Matth. habitâ in die Natali S. Agnetis.)

Cœleste regnum negotiatóri hómini símile dícitur, qui bonas Margarítas quærit, sed unam pretiósam invénit, quam vidélicet inventam, ómnia vendens emit : quia qui cœlestis vitæ dulcédinem, in quantùm possibílitas admittit, perfectè cognóverit, ea quæ in terris amáverat, libenter cuncta derelinquit, in comparatióne ejus vilescunt ómnia, déserit hábita, congregáta dispergit, inardescit in cœléstibus ánimus, nil in terrénis libet, deforme conspícitur quidquid de terrénæ rei placébat spécie, quia sola pretiósæ Margarítæ cláritas fulget in mente. De cujus delectióne rectè per Salomónem dícitur : Fortis est ut mors diléctio : quia vidélicet sicut mors corpus intérimit, sic ab amóre rerum corporálium æternæ vitæ cáritas occídit. Nam quem perfectè absorbúerit, ad terréna foris desidéria velut insensíbilem reddet.

LECTIO V.

Nec enim sancta hæc cujus hódiè natalítia celebrámus, mori pro Deo potuisset in córpore, si priùs à terrénis desidériis mórtua fuisset in mente. Erectus namque in virtútis cúlmine ánimus tormenta despexit, præmia calcávit. Ante armátos reges ducta stetit, feriente robústior, judicante sublímior. Quid inter hæc nos barbáti

et débiles dícimus, qui ire ad regna cœléstia puellas per ferrum vidémus? quos ira súperat, supérbia inflat, ambítio perturbat, luxúria ínquinat. Qui si adipísci regna cœlórum, per bella persecutiónum non póssumus, hoc ipsum nobis turpe sit, quòd Deum nólumus saltem per pacem sequi. Ecce nulli nostrûm hoc témpore dicit Deus, Pro me mórere; sed illícita tantummodò in te desidéria occíde. Qui ergo in pace subígere carnis desidéria nólumus, quómodò in bello pro Dómino ipsam carnem darémus.

LECTIO VI.

Ecce quàm grata est vobis hodierna solémnitas, ita ut se non módicùm addícat, si cui ex hoc conventu vestro deesse contingat. Quid ergo in die illa actúrus est, qui à conspectu júdicis rápitur, qui tenebréscit à lúmine, cruciátur æternâ combustione? Audiat de regno quod amet, áudiat de supplício unusquisque quod tímeat: ut torpentem ánimum et terræ vehementer inhærentem, si amor ad regnum non trahit, vel timor minat. Ecce enim de gehennæ expressióne dícitur: Ibi erit fletus et stridor déntium. Sed quia præséntia gáudia sequuntur perpétua lamenta, hic, Fratres carísimi, vanam lætítiam fúgite, si illic flere formidátis. Nemo étenim potest et hic gaudére cum século, et illic regnáre cum Dómino. Temporális ítaque lætítiæ fluxa restríngite, carnis voluptátes edomáte; quidquid ánimo ex præsenti século arrídet, ex considerationé æterni ignis amarescat. Quidquid in mente puerîliter hilarescit, hoc disciplínæ juvenílis censura coérceat: ut dum spontè temporália fúgitis, æterna gáudia sine labóre capiátis, præstante Dómino nostro Jesu Christo.

IN III.° NOCTURNO.

LECTIO VII.

Léctio sancti Evangélii secundùm Matthæum.

(Cap. 25.)

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc: Símile erit regnum cœlórum decem Virgínibus; quæ accipientes lámpades suas, exiérunt óbviam sponso et sponsæ. Et réliqua.

Homília sancti Paulíni Epíscopi.

(Epist. 41, ad S. Amandum.)

Orate ut et vírgines, et fœcundæ sint ánimæ nostræ; sine sterilitáte vírgines, sine corruptióne fœcundæ. Hoc enim mystério et in lege maledictus est, qui semen in Israel non déderit: et in

Evangelio Virgo sápiens dícitur; quæ óleo procuráto vígili sollicitúdine, uncta face, sponsi expectat adventum, jamque venienti non extinguendum pingui fómite lumen accendit. Ergo mens nostra fértilis Deo sit, et vitæ fructus opéribus bonis pariat. Sit et spíritus Virgo, ut nullâ séculi corrumpátur illécebrâ, et ab omni labe vitiórum ínteger máneat. Stultæ enim Vírgines illæ mihi vidéntur ánimæ, quæ virtútibus stériles sunt; et illæ sapientes, quæ vítiis incorruptæ sunt. Dénique in utróque Vírginum génere quinque ponuntur, ut intelligátur, ad sensus hóminis integritátem aut corruptiónem referri: nam quinque sénsibus omnes prædíti sumus, per quos aut vitam recípimus aut mortem. De ipsis enim dolens Prophéta dicit, Mors introívit per fenestras vestras. Quas obstruámus timóre Dei, ut ad omnes istíus mundi formas et voces surdi simus et cæci.

LECTIO VIII.

Sepiamus aures nostras spinis contra linguam nequam et illecebrósa modulámina: avertámus óculos nostros, ne vídeant vanitátem: obstruámus et nares nostras, ne de corruptióne hujus séculi mortis odórem trahámus: neque per gustum íllicem gulæ morbus irrépat, et concupiscentiárum cibis continéntiæ robur enervet: neque móllibus vestimentis córpori blandiámur, nec cárneos tactus et amplexus illícitos delicátis male palpáta tegmínibus membra disquátiant. Ita fiet ut in unoquóque nostrûm ómnibus sénsibus castis, et óleo doctrínæ fidélis imbútis, Vírgines omnes quinque sapientes máneant, óleo in vasis suis repósito, expectatióne secúrâ quiescant, fácilè mox parandis fácibus occursúræ, cùm primo supervenientis sponsi tumultu fúerint excitátæ. Nam in tantis Ecclésiæ pópulis, in quibus non solùm vírgines, sed et maritátæ et víduæ diversis et móribus cernuntur et frúctibus; non árbitror álià ratióne quinque tantum vírgines fátuas et tótidem sapientes esse pósitas, nisi quòd utraque persóna in totíus pópuli universitáte diversa; númerus autem ratióne supradictâ sigillátim in ómnibus continétur, ut unusquisque in semetipso aut stultas, aut prudentes hábeat, pro qualitáte sénsuum suórum: in quibus próvidis sápiens, inértibus autem stulta virgínitas est.

[*Si anticipetur Octava.*

LECTIO IX.

Nam ídeò et fátuæ, sicut sapientes, in tanta suî dissimilitúdine símiliter vírgi-

nes appellantur, quia virgínibus secundùm carnem sterílitas infœcunda, secundùm spíritum fructuósa cástitas adest. Quare nec sapientes stérilem virginitátem habent, quia sapientes sunt; nec stultæ fructuósam, quia stultæ sunt. Quarum forma mihi vidétur esse sapiéntia hujus mundi, quæ stultítia est apud Deum; et sapiéntia carnis, quæ verè virgo stulta est, quia non est uncta atque subjecta legi et sapiéntiæ Dei: et lucerna ejus fácilè extínguitur, quia non habet óleum veritátis, vácua Spíritûs Sancti, quo óculus intérior illumináture, et impinguátur ánimæ caput, quod est fides nostra, cui óleum est Doctrínæ cœlestis infúsio. Itaque óleum peccatóris non impinguet caput nostrum, neque muscæ moritúræ extérminent óleum suavitátis: ut semper nobis caput Christus sit, nec unquam defíciat óleum cápiti nostro, quia unguentum exinanítum est nomen ejus: et tunc ómnibus perfectis sénsibus, érimus vírgines sapientes, si in nobis mánserit sapiéntia Dei, per quam facta est étiam in córpore fœcunda virgínitas.]

De sancto Saturnino.

LECTIO IX.

Saturninus à Románo Pontífice unà cum sexáliis Epíscopis missus in Gállias, et Tolósæ Póntifex constitútus anno consulátûs Décii et Grati, multos ab idólis ad Christum convertit: dæmónibus qui ibi colebantur ádeò terríbilis, ut frustrà sacrifíciis animálium evocáti, orácula réddere cessáverint. Tam inexpectáto siléntio commóti Gentíles, ímpetu facto, Saturnínum in Capitólium urbis traxérunt, comminánti durissimam mortem, nisi more pátrio diis sacra fáceret. Quod cùm renuisset, pedes ejus tauro alligárunt: qui sanctum Præsulem per declíves gradus Capitólii raptátum, collíso cápite, excusso cérebro, membrisque discerptis, interémit. Exánime corpus támdiu à tauro distractum est, quoad, rupto fune, acceptum et ligneo immissum féretro, mulíeres duæ in alta scrobe tumultuário condidérunt. Inventum est póstea ab Hilário Tolosáno; qui, effossà circùm humo, sacras véritus relíquias commovére, túmulum superimpósuit, et oratórium extruxit.

Ad Laudes, *pro Commem. S. Saturnini, Ant.* Bonum ℣. Adjútor, xii.

ORATIO.

Deus, qui per beátum Saturnínum, mártyrem tuum atque Pontíficem, infidéles pópulos de ténebris ad lucem veritátis veníre tribuísti: da nobis ejus intercessióne, in

fide stábiles, et à spe Evangélii quod prædicávit immóbiles permanére; Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum; qui tecum vivit et regnat.

VESPERÆ *de sequenti.*

DIE XXX.

SANCTI ANDREÆ,

APOSTOLI.

Duplex-majus.

Omnia de Communi Apostolorum, exceptis quæ sequuntur.

Ad Magníficat, *Ant.* 8. *G.* Invénit Andréas fratrem suum Simónem, et dicit ei: Invénimus Messíam; et adduxit eum ad Jesum. *Joan.* 1.

Oratio, ut infrà ad Laud.

Fit Commem. Octavæ S. Cæciliæ, Ant. Oratio et ℣. ut in II. Vesperis Festi.

IN I. NOCT. *Lectiones de Scriptura occurrente.*

IN II.° NOCTURNO.

LECTIO IV.

ANDREAS Bethsáidæ natus, qui est Galilææ vicus, frater Petri, discípulus Joannis Baptistæ, cùm eum de Christo dicentem audisset, Ecce Agnus Dei; secútus Jesum, fratrem quoque suum ad eumdem perduxit. Cùm póstea unà cum fratre piscarétur in mari Galilææ, ambo à prætereunte Christo vocáti illis verbis: Veníte post me, fáciam vos fíeri piscatóres hóminum; nullam interponentes moram, et relictis rétibus, secúti sunt eum. Post cujus resurrectiónem et ascensiónem, Andréas in Scythia prædicávit. Cùmque in Græciam pervenisset, multis ab idolórum cultu ad Christum colendum adductis, urbem Patras in Achàia, suà morte nobilitávit. Ejus relíquias Constántius Imperátor, ex voto Constantíni patris, anno vigésimo regni sui Constantinópolim transferri, et in augustíssimo Apostolórum templo collocári curávit; unde póstea decerpta pignora diversis locis quasi vitæ sémina dispersa sunt. Os è bráchio jam ante annum millésimum ducentésimum in Ecclésiam Parisiensem, ex Basílica sancti Stéphani véteris, in qua Concílium Parisiense sextum sub Ludovíco Pio Imperatóre celebrátum est, translátum fuisse scríbitur.

LECTIO V.

Sermo sancti Petri Chrysólogi.

(Serm. 133.)

BEATUS Andréas hódie moriendo pro Dómino, toto virtútis gradu Domínicis incumbit hærére vestígiis. Nec eum cursus fáciat dísparem fratri, quem natúra símilem, vocátio sócium, parem grátia ipsa perfécerat. Ad unam vocem Dómini, sicut ille,

patrem, pátriam, censum relíquit. Solum est quod témpore Domínicæ passiónis fugit; sed neque hoc impar, quia non est grávius fúgere quàm negáre. Sed æquávit fratres vénia, quos sic discréverat culpa. Nam crucem quam refúgerant, pósteà conjunctis víribus, ardenter invádunt; ut unde reátum súmpserant, inde conscénderent cœlum, inde præmium súmerent et corónam. Petrus namque crucem, arbórem conscendit Andréas; ut qui Christo compáti gestiébant, in semetipsis figúram, formamque ipsíus exprímerent passiónis, et redempti ligno consummarentur ad palmam. Sic Andréas noster, etsi cedit órdini, præmio tamen non cedit et labóri.

LECTIO VI.

Sermo sancti Bernardi Abbátis.

(Serm. 2, de S. Andrea, n. 1.)

Beati Andréæ Apóstoli solémnitas hódie celebrátur. Quam si piâ sollicitúdine perscrutémur, multa invenímus in ea, quæ ædíficent ánimas nostras. In ipso síquidem conversiónis suæ inítio, magnum nobis perfectæ obediéntiæ præstat exemplum, quod quidem Christiánis ómnibus necessárium. Sola enim est cáritas quæ obediéntiam gratam facit et acceptábilem Deo; hilarem quippe datórem dilígit Deus. Unde autem in Andréa jamjam moritúro tam spirituális mens fuit, tam fervens cáritas, ánimus tam robustus? Plane Spíritus erat qui adjuvábat infirmitátem ejus, per quem diffundebátur in corde ipsíus cáritas fortis ut mors, imò et fórtior morte. Cujus ô si et nos partícipes inveniámur! Et sicut beáto Andréæ crucem et mortem ipsam, sic nobis quoque labórem, et pœniténtiam nostram fáceret, non solùm non molestam, sed étiam desiderábilem atque omninò delectábilem esse.

IN III.° NOCTURNO.

LECTIO VII.

Léctio sancti Evangélii secundùm Matthæum.

(Cap. 4.)

In illo témpore; Ambulans Jesus juxta mare Galilææ, vidit duos fratres, Simónem qui vocátur Petrus, et Andréam fratrem ejus, mittentes rete in mare. Et réliqua.

Homília sancti Gregórii Papæ.

(5. in Ev. hab. in Bas. S. Andreæ, die nat. ejus, n. 1.)

Audistis, fratres caríssimi, quia ad unius jussiónis vocem Petrus et Andréas, relictis rétibus, secúti sunt

Redemptórem; et ad unum Dómini præceptum, hoc quod possidére videbantur, oblíti sunt. In cœlo jam sedet, qui de conversióne nos ádmonet: jam jugo fídei colla Géntium súbdidit, jam mundi glóriam stravit, jam ruínis ejus crebrescéntibus, districti sui judícii diem propínquantem denúntiat: et tamen superba mens nostra non vult hoc sponte desérere, quod quotídie perdit invíta. Quid ergo, fratres caríssimi, quid in ejus judício dictúri sumus, qui ab amóre præséntis séculi, nec præceptis flectimur, nec verbéribus emendámur?

LECTIO VIII.

(N. 2.)

Sed fortasse áliquis tácitis sibi cogitatiónibus dicat: Ad vocem Domínicam uterque iste piscátor quid aut quantùm dimísit, qui penè nihil hábuit? Sed hac in re, fratres caríssimi, affectum debémus pótius pensáre quàm censum. Multum relíquit, qui sibi nihil retínuit: multum relíquit, qui quantùmlibet parùm, totum deséruit. Certè nos et hábita cum amóre possidémus, et ea quæ mínime habémus, ex desidério quærímus. Multum ergo Petrus et Andréas, dimísit, quando uterque etiam desidéria habendi derelíquit.

ALE. AUTUMNALIS.

LECTIO IX.

(N. 4.)

Quia ergo, fratres caríssimi, beáti Andréæ Apóstoli natalítia celebrámus, debémus imitári quod cólimus. Ostendat nostræ obséquium devotiónis, immutátæ solémnitas mentis: despiciámus quæ terréna sunt: relictis temporálibus, mercémur æterna. Si autem necdum póssumus relínquere própria, saltem non concupiscámus aliéna. Si necdum mens nostra accénditur igne caritátis, in ambitióne sua hábeat frænum timóris; ut profectûs sui pássibus vegetáta, dum ab alienórum appetítu compéscitur, quandóque ad própria contemnenda perducátur, adjuvante Dómino nostro Jesu Christo.

Ad Benedictus, *Ant.* 3. a. Erant Petrus et Andréas piscatóres, et ait illis Jesus: Veníte post me, et fáciam vos fíeri piscatóres hóminum. At illi contínuò, relictis rétibus, secúti sunt eum. *Matth.* 4.

ORATIO.

Majestatem tuam, Dómine, suppliciter exorámus; ut sicut Ecclésiæ tuæ beátus Andréas Apóstolus éxtitit prædicator et rector, ita apud te sit pro nobis perpétuus intercessor; Per.

Ad Magnificat, *Ant.* 4. *D.*

Omnia detrimentum feci, ut Christum lucrifáciam, ad cognoscendum illum, et virtútem resurrectiónis ejus, et societátem passiónum illius, configurátus morti ejus. *Philipp.* 3.

Oratio, ut suprà ad Laud.

Fit Commem. sancti Eligii, Episcopi, Ant. Elégit. ℣. Beátus, XXII. *Oratio*, Deus, fidélium, XXVI.

Deinde de S. Ilero, Episc. Ant. Ego sum. ℣. Elégit. *Oratio*, Deus, qui pópulis, XXVI.

FESTA DECEMBRIS.

DIE I.

SANCTI ELIGII,

EPISCOPI.

Semiduplex.

LECTIO II.

ELIGIUS Lémovix, aurífaber indústrius, Parísios se cóntulit, ubi perítiæ suæ famâ *Clotário secundo innótuit.* Sanctióris vitæ desidério accénsus, ómnium ab adolescéntia delictórum exomológesim fecit coram Sacerdóte, et exinde in ópera pietátis omni stúdio incúbuit. Nam étiam cùm artem exercébat, subinde in sacros códices óculos intendébat; ita ut mens Deo vacáret, dum manus úsibus serviébant humánis. Quidquid arte suâ comparábat, id totum fovendis egénis et captívis, rerum étiam sibi necessariárum dispéndio, redimendis erogábat. Hinc tantus ad eum páuperum concursus, ut quæréntí domum Elígii diceré-tur: Ubi páuperum cœtum conspéxeris, illic et Elígium repéries. Intrà domum autem vacábat oratióni cum familiáribus, qui diu noctúque in ejus cámera canónicum cursum solémniter adimplébant. Non minùs acceptus Dagoberto quàm Clotário patri, et ab illo ad Aremoricórum regem, pacis componendæ causâ missus, reges ambos félici fœdere sociávit.

LECTIO III.

VARIA ejus hortátu et impensis extructa sunt templa et monastéria. Solemniacense in Lemovícibus cœnóbium cóndidit. Parísiis ædificávit monastérium vírginum, ad quarum córpora sepelienda Ecclésiam sancti Pauli extra civitátem construxit. Instaurávit in eódem monastério Basílicam sancti Martiális, quam ejus quoque ditávit relíquiis. Plúrima diversis tempóribus auro,

argento et gemmis ornávit sepulcra Sanctórum. Mausoléum imprímis Mártyris Dionysii miro artifício decorávit. De Ecclésiæ disciplína sollícitus, simoniácam labem quæ altas in Gállia rádices égerat, extirpávit. Tandem ad Noviomensem Episcopátum assumptus, non modò salúti gregis sibi commissi invigilávit, sed et Flandros et Frísios, aliosque ad Septentriónem pópulos, non sine magno labóre ac vitæ discrímine, ad Christum adduxit. Sedit in Conílio Cabilonensi sub Clovéo secundo. Multa prælárè scripsit, ejécit dæmones, futúra divínitùs prædixit, aliisque miráculis illustris óbiit septuagenárius, desinente die últimâ Novembris, anno sexcentésimo quinquagésimo nono, horâ primâ noctis, et Noviómi sepultus est. ¶ Eódem die celebrátur memória sancti Ileri seu Iseri Gabalórum Epíscopi, cujus mentio fit in actis sanctæ Enímiæ vírginis, quæ ab eo consecráta est abbatissa. Sedébat anno sexcentésimo vigésimo octávo Sanctum hunc præsulem peculiári cultu venerátur Mimatensis Ecclésia.

Ad Laudes, *pro Commemoratione S. Ileri Episcopi. Ant.* Sacerdótes. ℣. Salvum, xxviii. *Oratio*, Deus, qui, xxvi.

COMMUNE SANCTORUM.

PARS AUTUMNALIS.

COMMUNE APOSTOLORUM.

(*In hoc Communi, et in celeris, ad primas Vesp. semper dicuntur Psalmi de Feria.*)

IN I. VESPERIS.

Ant. 1. D. Vocávit Jesus discípulos suos, et elégit duódecim ex ipsis, quos et Apóstolos nominávit. *Luc.* 6.

Ant. 3. a. Vocávit ad se quos vóluit; et dedit illis potestátem curandi infirmitátes, et ejiciendi dæmónia. *Marc.* 3.

Ant. 4. E. Hos misit Jesus, præcípiens eis : Ite ad oves quæ periérunt domûs Israel. *Matth.* 10.

Ant. 5. C. Euntes prædicáte, dicentes : Quia appropinquávit regnum cælórum *Matth.* 10.

Ant. 7. d. Egressi autem, circuíbant per castella, evangelizantes, et curantes ubíque. *Luc.* 9.

Capitulum. (*Hebr.* 2.)

Cum inítium accepisset salus enarrári per Dóminum, ab eis qui audiérunt in nos confirmáta est, contestante Deo signis et portentis, et váriis virtútibus, et Spíritûs sancti distributiónibus secundùm suam voluntátem.

℟. Ecce dedi vobis potestátem super ómnem virtútem inimíci : * Verúmtamen in hoc nolíte gaudére : † Gaudéte quòd nómina vestra scripta sunt in cœlis. ℣. Dabo vos in nomen, et in laudem ómnibus pópulis : * Verúmtamen. Glória. † Gaudéte. *Luc.* 10. *Soph.* 3.

HYMNUS.

Lætare, cœlum; pláusibus
Tellus resultet æmulis :
Apostolórum glóriam
Solemnis instaurat dies.

Vos, ceu tubis sonántibus,
Christum per orbem spárgitis :
Vos illa sacris vátibus
Prædicta mundi lúmina.

Qui, dante Christo, pánditis,
Qui cláuditis cœli fores,
Nos críminum tenácibus
Vinclis ligátos sólvite.

Potente qui nutu graves
Morbos fugátis córporum,
Desiderátam póscite
Ægris medélam móribus;

Sublimis ut cùm vénerit,
Vobis simul sedéntibus,
Ad déxterum Judex latus
Nos inter agnos cóllocet.

Uni sit et trino Deo

Suprema laus, summum decus,
De nocte qui nos ad suæ
Lumen vocávit glóriæ.
Amen.

℣. Dóminus dabit verbum evangelizántibus, ℟. Virtúte multâ. *Ps.* 67.

Ad Magníficat, *Ant.* 1. f. Prædicábant ut pœniténtiam ágerent : et dæmónia multa ejiciébant; et ungébant óleo multo ægros, et sanábant. *Marc.* 6.

Oratio, ut in Proprio.

[*In Solemnibus-majoribus et supra, ad Completor.* (*in quo semper dicuntur Ps. feriales*) *Ant.* 1. a. Vos estis lux mundi : lúceat lux vestra coram homínibus. *Matth.* 5.

Ad Nunc dimittis, *Ant.* 3. E. Vox speculatórum Sion : parávit Dóminus bráchium sanctum suum in óculis ómnium géntium. *Is.* 52.

Et dicuntur post I et II Vesperas, etiam diebus intrà Octav. quandò fit de eâ; et sic in omni alio Communi.]

AD OFFIC. NOCTURNUM.

INVITATORIUM.

Christum, Apostolórum Magístrum et Dóminum, * Veníte, adorémus. *Joan.* 13. *Ps.* 94. Veníte, 2.

HYMNUS.

Supréme, quales, Arbiter,
Tibi ministros éligis,
Tuas opes qui vílibus
Vasis amas commíttere!
Hæc nempe plena lúmine
Tu vasa frangi præcipis :
Lux inde magna rúmpitur,
Ceu, nube scissâ, fúlgura.
Totum per orbem núntii,
Nubes velut, citi volant :
Verbo graves, Verbo Deo,
Tonant, coruscant, pérpluunt.
Christum sonant : versæ ruunt
Arces superbæ dæmonum.
Circùm tubis clangéntibus,
Sic versa quondam mœnia.
Fac, Christe, cœlestes tubæ
Somno graves nos éxcitent :
Accensa de te lúmina
Pellant tenébras méntium.
Uni sit et trino Deo
Supréma laus, summum decus,
De nocte qui nos ad suæ
Lumen vocávit glóriæ.
Amen.

[*In Annualibus et Solemnibus-majoribus, ad Officium Noct. itemque ad II. Vesperas, Psalmi sunt Proprii, prout designantur in Proprio Ecclesiarum; vel, si nulli sunt ejusmodi, sumuntur de Dominica : ad Laudes verò, ad Horas, et ad Completorium, dicuntur de Dominica; et sic in omni alio Communi.*

In Solemnibus-minoribus et infra, Psalmi in toto Officio semper sunt de Feria.]

IN 1.° NOCTURNO.

Ant. 1. g. Convocátis Jesus duódecim Apóstolis, cœpit illos míttere binos præ-

dicáre regnum Dei. *Luc.* 9. *Marc* 6.

Ant. 2. D. Præcípiens, dicébat eis : Infírmos curáte, mórtuos suscitáte, dæmones ejícite : gratis accepístis, gratis date. *Matth.* 10.

Ant. 3. c. Nolíte possidére aurum, neque argentum, neque pecúniam in zonis vestris : dignus enim est operárius cibo suo. *Matth.* 10.

℣. Custodiébant testimónia ejus, ℟. Et præceptum quod dedit illis. *Ps.* 98.

Pater noster. *Benedictiones habentur post Psalterium.*

Tres primæ Lectiones de Scriptura occurrente.

[*In Annualibus et Solemnibus-majoribus, Lectiones sunt propriæ ; et sic in omni alio Communi.*]

℟. I. Ecce ego mitto vos sicut oves in médio lupórum : * Estóte ergo prudentes sicut serpentes, et símplices sicut columbæ. ℣. Ex ore Dómini prudéntia ; et próteget gradientes simplíciter : * Estóte. *Matth.* 10. *Prov.* 2.

℟. II. Tradémini à parentibus, et cognátis, et amícis ; et morte afficient ex vobis, et capíllus de cápite vestro non períbit : * In patiéntia vestra possidébitis ánimas vestras. ℣. Nolíte timére oppróbrium hóminum, et blasphémias córum ne metuátis ; ego, ego ipse consolábor vos : * In patiéntia. *Luc.* 21. *Is.* 51.

℟. III. Cùm tradent vos, nolíte cogitáre quómodo, aut quid loquámini : * Non enim vos estis qui loquímini, sed Spíritus Patris vestri qui lóquitur in vobis. ℣. Spíritus meus erit in médio vestrûm, nolíte timére : * Non. Glória. * Non. *Matth.* 10. *Agg.* 2.

IN II.° NOCTURNO.

Ant. 4. E. In quamcumque domum intravéritis, dícite : Pax huic dómui ; et si ibi fúerit fílius pacis, requiéscet super illum pax vestra. *Luc.* 10.

Ant. 5. a. Qui vos audit, me audit ; et qui vos spernit, me spernit : qui autem me spernit, spernit eum qui misit me. *Luc.* 10.

Ant. 6. F. Quod dico vobis in ténebris, dícite in lúmine ; et quod in aure audítis, prædicáte super tecta. *Matth.* 10.

℣. Annuntiáte inter gentes glóriam Dómini, ℟. In ómnibus pópulis mirabília ejus. *Ps.* 95.

Pater noster. *Benedictiones habentur post Psalterium.*

Tres Lectiones, ut in Proprio Sanctorum.

℟. IV. Vos estis qui permansístis mecum in tentatiónibus meis : * Et ego dispóno vobis sicut dispósuit mihi Pater meus regnum. ℣. Dispósui testamentum eléctis meis : * Et ego dispóno vobis. *Luc.* 22. *Ps.* 88.

℟. V. Jam non dicam vos servos : vos autem dixi amícos ; * Quia ómnia quæcumque audívi à Patre meo, nota feci vobis. ℣. Antíqua ne intueámini : ecce ego fácio nova, et nunc orientur : útique cognoscétis ea ; * Quia. *Joan.* 15. *Is.* 43.

℟. VI. Elégi vos, et pósui vos, ut eátis, et fructum afferátis, et fructus vester máneat ; * Ut quodcumque petiéritis Patrem in nómine meo, det vobis. ℣. Quod salvátum fúerit de domo Juda, fáciet fructum : zelus Dómini exercítuum fáciet istud ; * Ut. Glória Patri. * Ut. *Joan.* 15. *Is.* 37.

IN III.° NOCTURNO.

Ant. 8. G. Príncipes géntium dominantur eórum ; et qui majóres sunt, potestátem exercent in eos : non ita erit inter vos. *Matth.* 20.

Ant. 7. d. Quicumque volúerit inter vos major fíeri, sit vester minister : sicut Fílius hóminis non venit ministrári, sed ministráre. *Matth.* 20.

Ant. 3. à. Cùm fecéritis ómnia quæ præcepta sunt vobis, dícite : Servi inútiles sumus ; quod debúimus fácere, fécimus. *Luc.* 17.

℣. Non nobis, Dómine, non nobis, sed nómini tuo da glóriam ℟. Super misericórdia tua et veritáte tua. *Ps.* 113.

Pater noster. *Benedictiones habentur post Psalterium Evangelium et Homilia, ut in Proprio Sanctorum.*

℟. VII. Mementóte sermónis mei quem ego dixi vobis : * Non est servus major dómino suo : si me persecúti sunt, et vos persequentur. ℣. Locúti sunt adversùm me linguà dolósà, et sermónibus ódii circumdedérunt me : * Non est. *Joan.* 15. *Ps.* 108.

℟. VIII. De mundo non estis, sed ego elégi vos de mundo ; proptérea odit vos mundus : sed * Confídite, ego vici mundum. ℣. Non derelinquet Dóminus sanctos suos ; éruet eos à peccatóribus, et salvábit eos : * Confídite. *Joan.* 15. *Ps.* 36.

℟. IX. Pater sancte, serva eos in nómine tuo quos dedisti mihi. Sicut tu me misisti in mundum, ego misi eos in mundum ; et * Pro eis ego sanctífico meipsum, ut sint et ipsi sanctificáti in veritáte. ℣. Sanctificábunt Sanctum Jacob, et Deum Israel prædicábunt : * Pro. Glória. * Pro. *Joan.* 17. *Is.* 29.

Te Deum.

℣. *Sacerd.* Confitémini Dómino, et invocáte nomen ejus : ℟. Annuntiáte inter gentes ópera ejus. *Ps.* 104.

AD LAUDES.

Ant. 8. G. Jesus locútus est úndecim discípulis, dicens : Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra ;

euntes ergo, docéte omnes gentes. *Matth.* 28.

Ant. 6. F. Prædicáte Evangélium omni creatúræ, baptizantes eos, docentes serváre ómnia quæcumque mandávi vobis. *Marc.* 16. *Matth.* 28.

Ant. 2. D. Quorum remiséritis peccáta, remittuntur eis; et quorum retinuéritis, retenta sunt. *Joan.* 20.

[*In Semidupl., et suprà,*

Ant. 4. D. Accipiétis.

CANTICUM.

(Isai. 66.)

Missio Apostolorum, gentium conversio, Sacerdotium novæ legis.

PONAM in eis signum, * et mittam ex eis, qui salváti fúerint, ad Gentes in mare;

In Africam, et Lydiam tendentes sagittam; * in Itáliam, et Græciam, ad Insulas longè;

Ad eos, qui non audiérunt de me, * et non vidérunt glóriam meam.

Et annuntiábunt glóriam meam Géntibus, * et addúcent omnes fratres vestros de cunctis Géntibus donum Dómino, ad montem sanctum meum Jerúsalem.

Quómodò si inferant fílii Israel munus in vase mundo, * in domum Dómini.

Et assúmam ex eis in Sacerdótes, et Levítas, * dicit Dóminus.

Quia sicut cœli novi, et terra nova, quæ ego fácio stare coram me, dicit Dóminus; * sic stabit semen vestrum et nomen vestrum.]

Ant. Accipiétis virtútem supervenientis Spíritûs sancti in vos; et éritis mihi testes usque ad últimum terræ. *Act.* 1.

Ant. 1. a. Ecce ego vobiscum sum ómnibus diébus usque ad consummatiónem séculi. *Matth.* 28.

Capitulum. (*Ephes.* 4.)

CHRISTUS dedit quosdam quidem Apóstolos, quosdam autem Prophétas, álios verò Evangelistas, álios autem Pastóres, et Doctóres, ad consummatiónem sanctórum in opus ministérii, in ædificatiónem córporis Christi.

HYMNUS.

CŒLESTIS aulæ Príncipes,
Sacri duces exércitûs,
Bisséna mundi lúmina,
Olim futúri júdices:
MERSIS gravi calígine,
Per vos dies renáscitur:
Quos vanus error lúserat,
Illustrat alma véritas.
NON vi, nec armis míli-
tum,
Fandi nec ullis ártibus;
Verbo sed irrísæ Crucis,
Christo rebelles súbditis.
QUIBUS gemébat súbdi-
tus,
Rumpuntur orbis víncula:
Jam gaudet, excusso jugo,
Liber Dei sub légibus.
VULGATA terris ómnibus

A

Per vos Dei mystéria:
Sic vestra terris ómnibus
Præclára facta pérsonant.
Uni sit et trino Deo
Supréma laus, summum decus,
De nocte qui nos ad suæ
Lumen vocávit glóriæ.
Amen.

℣. Príncipes populórum congregáti sunt ℟. Cum Deo Abraham. *Ps.* 46.

Ad Benedictus, *Ant.* 1. D. Vos qui secúti estis me, in regeneratióne cùm séderit Fílius hóminis in sede majestátis suæ, sedébitis et vos judicantes duódecim tribus Israel. *Matth.* 19.

Oratio, ut in Proprio.

Ad Horas, *Antiph. de Laudibus, quartâ prætermissâ; quod semper observatur, nisi aliter notetur.*

AD PRIMAM.

Ant. 8. *G.* Jesus.

Cetera, ut in Psalterio.

AD TERTIAM.

Ant. 6. F. Prædicáte.

Capitulum. (2. *Cor.* 2.)

Deo grátias, qui semper triumphat nos in Christo Jesu, et odórem notítiæ suæ manifestat per nos in omni loco.

℟. *br.* In omnem terram * Exívit sonus eórum. In omnem ℣. Et in fines orbis terræ * verba eórum. * Exívit sonus eórum. Glória Patri. In omnem.

[*In Solemnibus-minoribus et supra, ac per Octav. Annualium* (*nisi aliter notetur*) *in* ℟℟℟. *brevibus additur* * Allelúia, allelúia. *Isque ritus servatur in quolibet Communi.*]

℣. Non sunt loquélæ neque sermónes, ℟. Quorum non audiantur voces eórum. *Ps.* 18.

Oratio, ut in Proprio.

AD SEXTAM.

Ant. 2. D. Quorum.

Capitulum. (2. *Cor.* 5.)

Posuit in nobis Deus verbum reconciliatiónis. Pro Christo ergo legatióne fúngimur, tanquam Deo exhortante per nos. Obsecrámus pro Christo, reconciliámini Deo.

℟. *br.* Dóminus excelsus * Subjécit pópulos nobis. Dóminus. ℣. Elégit nobis * hæreditátem suam: * Subjécit pópulos nobis. Glória Patri et Fílio. Dóminus. *Ps.* 46.

℣. Nimis honorificáti sunt amíci tui, Deus: ℟. Nimis confortátus est principátus eórum. *Ps.* 138.

AD NONAM.

Ant. 1. a. Ecce.

Capitulum. (2. *Thess.* 2.)

State, et tenéte traditiónes quas didicístis sive per sermónem, sive per epístolam nostram. Ipse autem Dómi-

nus noster Jesus Christus, et Deus, et Pater noster, qui dilexit nos; et dedit consolatiónem æternam, et spem bonam in grátia, exhortétur corda vestra, et confirmet in omni ópere et sermóne bono.

℟. *br.* Confitébimur tibi, Deus : * Invocábimus nomen tuum. Confitébimur. ℣. Narrábimus * mirabília tua : * Invocábimus. Glória Patri. Confitébimur. *Ps.* 74.

℣. In generatiónem et generatiónem ℟. Annuntiábimus laudem tuam. *Ps.* 78.

AD II. VESPERAS.

Ant. 6. F. Injecérunt manus in Apóstolos, et posuérunt eos in custódia. *Act.* 5.

Ant. 2. D. Cæsis denuntiavérunt ne omnínò loquerentur in nómine Jesu. *Act.* 5.

Ant. 4. E. Ibant gaudentes à conspectu concílii, quóniam digni hábiti sunt pro nómine Jesu contuméliam pati. *Act.* 5.

Ant. 1. g. Loquebantur verbum Dei cum fidúcia; et virtúte magnà reddébant testimónium resurrectiónis Jesu Christi. *Act.* 4.

Ant. 3. a. Tradidérunt ánimas suas pro nómine Dómini nostri Jesu Christi. *Act.* 15.

Capitulum. (1. *Cor.* 4.)

Deus nos Apóstolos novíssimos ostendit, tanquam morti destinátos; quia spectáculum facti sumus mundo, et ángelis, et homínibus.

HYMNUS.

Quem misit in terras Deus,
Ut morte nos servet suà,
Amóris hic fidos sui
Vos éligit vicarios.

Occisus Agnus à lupis,
Vos misit agnos ad lupos:
Mores ferínos éxuunt,
Agni repentè de lupis.

Quæ victimárum cædibus
Tellus madébat ímpiis,
Vestris eam sudóribus,
Vestro piastis sánguine.

Hoc rore facta pínguior,
Quot illa fructus prótulit!
Quæ, quanta surrexit seges!
Et ista nos seges sumus.

Quam si bonus respéxeris,
Qui das rigátis créscere;
Frumenta nos cœléstibus
Matúra condes hórreis.

Uni sit et trino Deo
Supréma laus, summum decus,
De nocte qui nos ad suæ
Lumen vocávit glóriæ.
Amen.

℣. Pro pátribus tuis nati sunt tibi fílii : ℟. Constítues eos príncipes super omnem terram. *Ps.* 44.

Ad Magníficat, *Ant.* 5. C. In fundamentis civitátis sanctæ Jerúsalem nómina duódecim Apostolórum Agni : et lucerna ejus est Agnus. *Apoc.* 21.

Oratio, ut in Proprio.

COMMUNE UNIUS MARTYRIS.

IN I. VESPERIS.

Ant. 8. G Fortitúdo símplicis via Dómini : justus in æternum non commovébitur. *Prov.* 10.

Ant. 4. E. Qui timet Dóminum, nihil trepidábit, et non pavébit; quóniam ipse est spes ejus. *Eccli.* 34.

Ant. 3. a. Qui audit Sapiéntiam, permanébit confídens; quóniam in tentatióne ámbulat cum eo, et in primis éligit eum. *Eccli.* 4.

Ant. 6. C. Timórem, et metum, et probatiónem indúcet super illum, donec credat ánimæ illíus; et firmábit illum. *Eccli.* 4.

Ant. 1. D. In tentatióne Deus illum conservábit, et liberábit à malis; et non illidétur quasi in procella navis. *Eccli.* 33.

Capitulum. (*Josue* 1.)

Ecce præcípio tibi : Confortáre, et esto robustus. Noli metúere, et noli timére; quóniam tecum est Dóminus Deus tuus.

In Duplicibus, et supra :

℣. Cepérunt me inimíci mei gratis : dixi, Périi; vocem meam, Dómine, audísti : * Dixísti, Ne tímeas : † Judicásti causam ánimæ meæ, Redemptor vitæ meæ. ℣. Ego non solùm alligári, sed et mori parátus sum propter nomen Dómini Jesu : * Dixísti. Glória Patri. † Judicásti causam. *Thren.* 3. *Act.* 21.

HYMNUS.

Ex quo, salus mortálium,
Fluxit sacer Dei cruor;
Homo redemptus æmulum
Deo litávit sánguinem.

Non jam crucis Christi pudet :
Quin surgit ingens glória
Deum fatéri mórtuum,
Pro mórtuo mori Deo.

Hoc iste plenus Spíritu
Ridet minas, ridet neces;
Tuàque fretus déxterâ,
Tibi, Redemptor, mílitat.

Parata spectans præmia,
Secúrus ad pœnas volat :
Sic pugnat, ut speret mori,
Et morte mortem víncere.

Unus tot armátas manus
Stupente lassat júdice;
Et tortus ipsis qui cadit
Torquéntibus fit fórtior.

Da, Christe, tanti mílitis
Æquáre facta fórtia :
Da sustinére pro tuo,
Quodcumque durum, nómine.

Æterne tu Verbi Pater,
Æterne Fili, par Patri,
Et par utrique Spíritus,
Tibi, Deus, sit glória.
Amen.

℣. In Deo sperávi, ℟. Non timébo quid fáciat mihi caro. *Ps.* 55.

Ad Magníficat, *Ant.* 8. G. Ecce Deus salvátor meus, fiduciáliter agam, et non timébo; quia fortitúdo mea et laus mea Dóminus, et factus est mihi in salútem. *Is.* 12.

Oratio, ut infrà ad Laudes, nisi sit propria.

[*In Solemnibus-majoribus et supra, ad Completorium: Ant.* 3. à. Qui séquitur me, non ámbulat in ténebris; sed habébit lumen vitæ, dicit Dóminus. *Joan.* 8.

Ad Nunc dimittis, *Ant.* 6. C. Ego ad Dóminum aspíciam: expectábo Deum salvatórem meum. *Mich.* 7.]

AD OFFIC. NOCTURNUM.

INVITATORIUM.

Deum patiéntiæ et solátii, * Veníte, adorémus. *Rom.* 15. *Ps.* 94. Veníte, 2.

HYMNUS.

Felix morte tuâ, qui cruciátibus
Cœlo difficilem rúmpere amas viam,
Et signáre cruóre
Quam Christo déderas fidem!
Pœnis victa quibus defíceret fides,
Tu pœnas ávidà mente præóccupas:
Cui non súfficit una,
Ambis innúmeras neces.
Te pro lege sua magnánimum mori,
Te Christus púgilem spectat ab æthere:
Ne succúmbere possis,
Tecum prælia sústinet.
Et nos delícias, vana per ótia,
Gens infída Deo, quærimus ánxii:
Quid torpémus? inertes
Sanguis Mártyris éxcitat.
Semper máxima laus ingénito Patri:
Semper laus génito máxima Fílio:
Sacri nexus amóris,
Sit laus par tibi, Spíritus.
Amen.

IN I.° NOCTURNO.

Ant. 1. a. Omnis qui te colit, Dómine, vita ejus, si in probatióne fúerit, coronábitur. *Tob.* 3.

Ant. 8. G. Hæc est grátia, si propter Dei conscientiam sústinet quis tristítias, pátiens injustè. 1. *Petr.* 2.

Ant. 6. F. Qui sustinúerit in finem, hic salvus erit *Marc.* 13.

℣. Cepérunt ánimam meam; irruérunt in me fortes: ℟. Neque iníquitas mea, neque peccátum meum, Dómine. *Ps.* 58.

Lectiones de Scriptura occurrente.

℟. I. Probávit me Dóminus quasi aurum quod per ignem transit: * Vestígia ejus secútus est pes meus; viam ejus custodívi, et non

declinávi ex ea. ℣. Omnia detrimentum feci ad cognoscendum Christum, et societátem passiónum illíus, configurátus morti ejus : * Vestígia. *Job* 23. *Philipp.* 3.

℟. II. Certámen forte dedit illi Dóminus, * Ut vínceret, et sciret quóniam ómnium poténtior est Sapiéntia. ℣. Confortátus est fide, dans glóriam Deo, * Ut vínceret. *Sap.* 10. *Rom.* 4.

℟. III. Custodívit illum Dóminus ab inimícis : * Descendit cum illo in fóveam, et † In vínculis non derelíquit illum. ℣. Erat Deus cum eo, et erípuit eum ex ómnibus tribulatiónibus ejus : * Descendit. Glória. † In vínculis. *Sap.* 10. *Act.* 7.

IN II.° NOCTURNO.

Ant. 1. f. Etsi in præsenti témpore supplíciis hóminum erípiar, manum Omnipotentis nec vivus, nec defunctus effúgiam ; quamobrem fórtiter vitâ excedendo, exemplum forte relinquam. 2. *Mach.* 6.

Ant. 7. *d.* Prompto ánimo pro gravíssimis ac sanctíssimis légibus honestâ morte perfungar. 2. *Mach.* 6.

Ant. 8. c. E cœlo membra ista possídeo ; sed propter Dei leges hæc ipsa despício, quóniam ab ipso me ea receptúrum spero. 2. *Mach.* 7.

℣. Fortitúdinem meam ad te custódiam ; ℟. Quia Deus susceptor meus es. *Ps.* 58.

Lectiones, ut in Proprio.

℟. IV. Factus es mihi adjútor, Dómine, et liberasti me * A rugiéntibus præparátis ad escam, de mánibus quæréntium ánimam meam, et de portis tribulatiónum quæ circumdedérunt me. ℣. Dóminus mihi ástitit, et confortávit me ; et liberátus sum de ore leónis, * A rugiéntibus. *Eccli.* 51. 2. *Tim.* 4.

℟. V. Dómine, qui habes sanctam sciéntiam, manifeste tu scis quia cùm à morte possem liberári, * Duros córporis sustíneo dolóres ; secundùm ánimam verò, propter timórem tuum libenter hæc pátior. ℣. Gáudeo in passiónibus, et adímpleo ea quæ desunt passiónum Christi in carne mea : * Duros córporis. 2. *Mach.* 6. *Coloss.* 1.

℟. VI. Liberávit me Dóminus ab omni ópere malo ; * Et salvum fáciet in regnum suum cœleste. ℣. In die tribulatiónis exultábo in Deo Jesu meo : super excelsa dedúcet me victor ; * Et salvum. Glória. * Et. 2. *Tim.* 4. *Habac.* 3.

IN III.° NOCTURNO.

Ant. 5. a. Scio ópera tua, et labórem, et patiéntiam tuam ; et quia sustinuisti propter nomen meum, et non defecisti. *Apoc.* 2.

Ant. 4. d. Scient omnes quia ego dilexi te ; quóniam

servasti verbum patiéntiæ meæ, et ego servábo te ab hora tentatiónis. *Apoc.* 3.

Ant. 3. c. Qui vícerit, et custodíerit usque in finem ópera mea, dabo illi potestátem super gentes, sicut et ego accépi à Patre meo. *Apoc.* 2.

℣. In die tribulatiónis éruam te, ℟. Et honorificábis me. *Ps.* 49.

Evangelium et Homilia, ut in Proprio.

℟. VII. Qui volúerit ánimam suam salvam fácere, perdet eam; * Qui autem perdíderit ánimam suam propter me et Evangélium, salvam fáciet eam. ℣. Erit tibi ánima tua in salútem, quia in me habuisti fidúciam, ait Dóminus. * Qui. *Marc.* 8. *Jerem.* 39.

℟. VIII. Esto fidélis usque ad mortem, et dabo tibi corónam vitæ: * Qui vícerit, non lædétur à morte secunda. ℣. Usque ad mortem certa pro justítia, et Deus expugnábit pro te inimícos tuos: * Qui. *Apoc.* 2. *Eccli.* 4.

℟. IX. Qui vícerit, fáciam illum columnam in templo Dei mei; * Et foràs non egrediétur ámpliùs: et † Scribam super eum nomen Dei mei, et nomen civitátis novæ Jerúsalem. ℣. Plantábo eum, et non turbábitur ámpliùs; nec addent fílii iniquitátis, ut afflígant eum sicut priùs, * Et foras. Glória. † Scribam. *Apoc.* 3. 2. *Reg.* 7.

Te Deum.

℣. *Sacerd.* Cantábo, Dómine, fortitúdinem tuam: ℟. Et exultábo mane misericórdiam tuam. *Ps.* 58.

AD LAUDES.

Ant. 3. à. Dóminus mecum est, quasi bellátor fortis: idcircò qui persequuntur me, cadent, et infirmi erunt. *Jerem.* 20.

Ant. 1. f. Circumdedérunt me úndique, et non erat qui adjuváret: memorátus sum misericórdiæ tuæ, Dómine, quóniam éruis sustinentes te. *Eccli.* 51.

Ant. 2. D. Bonus Dóminus, et confortans in die tribulatiónis, et sciens sperantes in se. *Nahum* 1.

[*In Semidupl.*, *et suprà*,

Ant. 4. A. Cantáte.

CANTICUM.

(Eccli. 51.)

Martyr Deum laudat, et gratias agit pro victoria reportata.

Confitebor tibi, Dómine, rex, * et collaudábo te Deum salvatórem meum.

Confitébor nómini tuo; * quóniam adjútor et protector factus es mihi,

Et liberasti corpus meum à perditióne, à láqueo linguæ iníquæ, et à lábiis operántium mendácium; * et in conspectu astántium factus es mihi adjútor.

Et liberasti me secundùm multitúdinem misericórdiæ nóminis tui, * à rugiéntibus, præparátis ad escam,

De mánibus quæréntium ánimam meam, * et de portis tribulatiónum, quæ circumdedérunt me.]

Ant. Cantáte Dómino, laudáte Dóminum; quia liberávit ánimam páuperis de manu malórum. *Jer.* 20.

Ant. 7. d. Eripuisti me de témpore iníquo; propteréa confitébor, et laudem dicam tibi, et benedícam nómini Dómini. *Eccli.* 51.

Capitulum. (*Apoc.* 3.)

Qui vícerit, vestiétur vestimentis albis; et non delébo nomen ejus de libro vitæ: et confitébor nomen ejus coram Patre meo, et coram Angelis ejus.

HYMNUS.

Jam non te lácerant carnífícum manus,
Inter qui récubas Cœlítuum choros:
Nunc pro cárcere cæco
Fulgentes hábitas domos.
Non jam vincla manus, non cóhibent pedes;
Tu liber súperûm regna perámbulas:
Quot plagis laniátus,
Cœlo tot rádiis nites.
Nec te dira fames, nec sitis ámpliùs,
Nec probrosa premit te modò núditas:
Nunc te lúmine puro
Pascit Christus et índuit.
Sic tu Martyribus dexter ades, Deus,
Ut quos mors périmit, glória víndicet;
Confundisque tyrannum,
Dum quos déprimit, élevas.
Semper máxima laus ingénito Patri:
Semper laus génito máxima Fílio:
Sacri nexus amóris,
Sit laus par tibi, Spíritus.
Amen.

℣. Adjútor meus, tibi psallam; ℟. Quia Deus susceptor meus es. *Ps.* 58.

Ad Benedictus, *Ant.* 1. D. Bonum certámen certávi, cursum consummávi, fidem servávi: in réliquo repósita est mihi coróna justítiæ. 2. *Tim.* 4.

ORATIO.

Adesto, Dómine, supplicatiónibus nostris, ut qui beáti Mártyris tui *N.* natalítiis gloriámur, nec minis injuste persequéntium, nec ullis perturbémur adversis; Per Dóminum nostrum Jesum Christum.

ALIA ORATIO.

Da nobis, quæsumus, Dómine, intercedente beáto *N.* Mártyre tuo, in tua fide et sinceritáte constántiam; ut in caritáte divína firmáti, nullis tentatiónibus ab ejus integritáte divellámur; Per Dóminum.

Si sit Pontifex,

ORATIO.

OMNIPOTENS sempiterne Deus, qui in ómnium Sanctórum tuórum es virtúte mirábilis : da nobis in festivitáte beáti *N.* cum gratiárum actióne lætári, qui Fílii tui Martyr et Póntifex, quod ministério gessit, testimónio comprobávit; et quod prædicávit ore, confirmávit exemplo; Per eumdem Dóminum.

ALIA ORATIO.

DEUS, cujus grátia beátum *N.* Pontíficem tuum in Sacerdótium elégit, doctrínâ ad prædicandum erúdiit, poténtia ad perseverandum confirmávit : da nobis ex ejus imitatióne pópulum christiánum et instrúere vivendi exemplo, et confirmáre patiendo; Per Dóminum nostrum.

Si sit Sacerdos tantùm,

ORATIO.

DEUS, à quo constántiam fides, et virtútem sumit infírmitas : quæsumus, ut beáti *N.* Sacerdótis et Mártyris tui exemplo et précibus, quidquid in persecutiónibus sævum est, quidquid in morte terríbile, fácias nos tui nóminis confessióne superáre; Per.

AD PRIMAM.

Ant. 3. à. Dóminus.

AD TERTIAM.

Ant. 1. f. Circumdedérunt me.

Capitulum. (*Is.* 41.)

ERUNT quasi non sint, et véluti consúmptio, hómines bellantes adversùm te; quia ego Dóminus Deus tuus apprehendens manum tuam, dicensque tibi : Ne tímeas, ego adjúvi te.

℟. *br.* In Deo salutáre meum, * Et glória mea. In Deo. ℣. Deus auxílii mei, * et spes mea in Deo est, * Et glória mea. Glória Patri. In Deo. *Ps.* 61.

℣. Deus meus adjútor meus, et sperábo in eum : ℟. Protector meus, et cornu salútis meæ. *Ps.* 17.

AD SEXTAM.

Ant. 2. D. Bonus Dóminus.

Capitulum. (2. *Tim.* 1.)

PATIOR, sed non confundor : *scio enim cui crédidi*; et certus sum quia potens est depósitum meum serváre in illum diem.

℟. *br.* Si consistant adversùm me castra, * Non timébit cor meum. Si. ℣. Si exurgat adversùm me prælium, * in hoc ego sperábo : * Non timébit cor meum. Glória Patri. Si. *Ps.* 26.

℣. Dóminus mihi adjútor, ℟. Non timébo quid fáciat mihi homo. *Ps.* 117.

AD NONAM.

Ant. 7. d. Eripuisti me.

Capitulum. (*Tob.* 3.)

POST tempestátem tranquillum facis, Dómine; et post lacrymatiónem et fletum, exultatiónem infundis. Sit nomen tuum, Deus Israel, benedictum in sécula.

℟. *br.* Factus es, Dómine, * Susceptor meus. Factus es. ℣. Et refúgium meum * in die tribulatiónis, * Susceptor. Glória Patri. Factus. *Ps.* 58.

℣. Tu, Dómine, adjuvisti me, ℟. Et consolátus es me. *Ps.* 85.

AD II. VESPERAS.

Ant. 8. G. Propter opus Christi usque ad mortem accessit, tradens ánimam suam. *Philipp.* 2.

Ant. 3. a. Patienter sústinens, destinávit non admíttere illícita propter vitæ amórem. 2. *Mach.* 6.

Ant. 7. a. Divítias æstimans impropérium Christi, aspiciébat in remuneratiónem. *Hebr.* 11.

Ant. 5. C. Gloriosíssimam mortem magis quàm odíbilem vitam complectens, voluntárie præíbat ad supplícium. 2. *Mach.* 6.

Ant. 1. D. Hoc modo vitâ decessit, universæ genti memóriam mortis suæ ad exemplum virtútis et fortitúdinis derelinquens. 2. *Mach.* 6.

Capitulum. (*Jac.* 1.)

BEATUS vir qui suffert tentatiónem; quóniam cùm probátus fúerit, accípiet corónam vitæ, quam repromísit Deus diligéntibus se.

Hymnus, Ex quo, salus, *ut in I. Vesperis*, VIII.

℣. Posuisti, Dómine, in cápite ejus corónam ℟. de lápide pretióso. *Ps.* 20.

Ad Magníficat, *Ant.* 4. *D.* Justum non derelíquit Deus, donec afferret illi poténtiam adversùs eos qui eum deprimébant; et dedit illi claritátem æternam. *Sapient.* 10.

Oratio, ut suprà ad Laud.

COMMUNE PLURIUM MARTYRUM.

IN I. VESPERIS.

Ant. 2. D. Venit hora, ut omnis qui intérficit vos, arbitrétur obséquium se præstáre Deo. *Joan.* 16.

Ant. 3. c. Injícient vobis manus suas, et persequentur, trahentes ad reges et præsides propter nomen meum. *Luc.* 21.

Ant. 4. *D.* Tradet autem frater fratrem in mortem; et insurgent fílii in paren-

tes, et morte eos afficient. *Matth.* 10.

Ant. 1. D. Eritis ódio ómnibus propter nomen meum; qui autem perseveráverit usque in finem, hic salvus erit. *Matth.* 10.

Ant. 8. G. Dabo vobis os et sapiéntiam, cui non póterunt *resístere* et contradícere omnes adversárii vestri. *Luc.* 21.

Capitulum. (1. *Petr.* 4.)

Si exprobrámini in nómine Christi, beáti éritis; quóniam quod est honóris, glóriæ, et virtútis Dei, et qui est ejus Spíritus, super vos requiescit.

In Duplicibus, et supra:

℟. In nullo terreámini ab adversáriis; * Quia vobis donátum est pro Christo, non solùm ut in eum credátis, sed ut étiam pro illo patiámini. ℣. Confortámini, et non dissolvantur manus vestræ: erit enim merces óperi vestro; * Quia. Glória. * Quia. *Philipp.* 1. 2. *Paral.* 15.

HYMNUS.

Christi Martyribus débita nos decet,
Virtútis mémores, prómere cántica;
Quos nec blandítiis, nec pótuit minis
Fallax víncere séculum.
Cœlestis Pátriæ mens inhians bonis,
Mundi spernit opes flúxaque gáudia:
Vitæ quin étiam, præ Dómini lucro,
Jactúram fácilem putant.
Non vultus métuunt carnificum truces:
Fœtas supplíciis despíciunt manus:
Enses, flagra, rotas, ómnia pérpeti
Victrix edócuit fides.
O incredíbilem vim patiéntiæ!
Non, artus láceros qui crúciat dolor,
Extorquet gémitum, non querimóniam
Agnis mítibus élicit.
Ergo nunc própior, Christe, tibi sedet
Palmis turba nitens usque viréntibus,
Victorumque gerens præmia, nóbiles
Multo sánguine láureas.
Sit laus summa Patri, summaque Fílio:
Sit par, sancte, tibi glória, Spíritus,
Cujus præsídio prælia sústinent,
Contemptà nece, Mártyres.
Amen.

℣. Viríliter ágite, et confortétur cor vestrum, ℟. Omnes qui sperátis in Dómino. *Ps.* 30.

Ad Magníficat, *Ant.* 8. G. Cùm vos óderint hómines, et exprobráverint propter Fílium hóminis, gaudéte et exultáte: ecce enim merces vestra multa est in cœlo. *Luc.* 6.

Oratio, ut infrà ad Laud.

[*In Solemnibus-majoribus et supra, ad Completorium :* *Ant.* 2. A. Complebuntur dies luctûs tui, Sion : non óccidet ultrà sol tuus : pópulus tuus omnes justi. *Is.* 60.

Ad Nunc dimittis, *Ant.* 3. E. Sérvient Deo servi ejus, et vidébunt fáciem ejus ; et nomen ejus in fróntibus eórum. *Apoc.* 22.]

AD OFFIC. NOCTURNUM.

INVITATORIUM.

DOMINUM legítimè certantes coronantem, * Veníte, adorémus. 2. *Tim.* 2.

Ps. 94. Veníte, 2.

HYMNUS.

FORTES cadendo Mártyres,
Quos empta fuso sánguine
Cœlestis ornat púrpura,
Junctis canámus vócibus.

ACTI procellis ómnibus,
Sui cruóris flúmine
Vehuntur, et Christo duce,
Portus beátos óccupant.

SÆVIT tyrannus, állicit ;
Temnunt minas, temnunt preces,
Deum minantem dum timent,
Deum munerantem díligunt.

QUEM lictor insánus sitit,
Quem cæcus effundit furor,
Amor sacerdos pródigum
Christo cruórem cónsecrat.

ET ille mixtus sánguini
Quem fudit in ligno Deus,
Fundéntibus placábilem
Oráre non cessat Deum.

IMPLÉRE vos omnes decet
Passo Deo quod défuit :
Per tot neces læso Patri
Fit plena Christus hóstia.

ÆTERNE tu Verbi Pater
Æterne Fili par Patri,
Et par utríque Spíritus,
Tibi, Deus, sit glória.
Amen.

IN I.° NOCTURNO.

Ant. 3. c. Convenérunt adversùm nos, ut nos disperdant : quómodò potérimus subsístere, nisi tu, Deus, ádjuves nos ? 1. *Mach.* 3.

Ant. 5. a. Séquimur te in toto corde, et timémus te, et quærimus fáciem tuam : érue nos, et da glóriam nómini tuo, Dómine. *Dan.* 3.

Ant. 8. G. Omnes qui ostendunt servis tuis mala, confundantur in omnipoténtia tua ; et sciant quia tu es Dóminus Deus solus. *Dan.* 3.

℣. Da nobis auxílium de tribulatióne, ℟. Quia vana salus hóminis. *Ps.* 59.

Lectiones de Scriptura occurrente.

℟. I. Nos stulti propter Christum, maledícimur, et benedícimus : * Persecutiónem pátimur, et sustinémus : blasphemámur, et obsecrámus. ℣. Propter te, Dómine, mortificámur totâ die ; æstimáti sumus sicut oves occisiónis : * Persec -

tiónem pátimur. 1. *Cor.* 4. *Ps.* 43.

℟. II. Quis nos separábit à caritáte Christi? Tribulátio? an angústia? an fames? an persecútio? an gládius? * Neque mors, neque vita póterit nos separáre à caritáte Dei. ℣. Hæc ómnia venérunt super nos, nec oblíti sumus te, Dómine; * Neque mors. *Rom.* 8. *Ps.* 43.

℟. III. Deus omnis grátiæ, qui vocávit nos in æternam suam glóriam in Christo Jesu, * Módicùm passos ipse perfíciet: ipsi glória et impérium † In sécula seculórum. ℣. Rex mundi defunctos nos pro suis légibus in æternæ vitæ resurrectióne suscitábit: * Módicùm. Glória Patri. † In sécula. 1. *Petr.* 5. 2. *Mach.* 7.

IN II.° NOCTURNO.

Ant. 7. b. In mortem trádimur propter Jesum, ut et vita Jesu manifestétur in carne nostra mortáli. 2. *Cor.* 4.

Ant. 3. b. Paráti sumus mori, magis quàm pátrias Dei leges prævaricári. 2. *Mach.* 7.

Ant. 6. F. Propítius sit nobis Deus: non est nobis útile relínquere legem et justítias Dei, ut eámus álterâ viâ. 1. *Mach.* 2.

℣. In Deo faciémus virtútem; ℟. Et ipse ad níhilum dedúcet tribulantes nos. *Ps.* 59.

Lectiones, ut in Proprio.

℟. IV. Absit à nobis, ut relinquámus Dóminum, et serviámus diis aliénis: * Dómino Deo nostro serviémus, et obedientes érimus præceptis ejus. ℣. Et si sunt qui dicantur dii, sive in cœlo, sive in terra; nobis tamen unus Deus: * Dómino. *Josue* 24. 1. *Cor.* 8.

℟. V. Dóminus Deus aspíciet veritátem, et consolábitur in nobis. * Pótius est ab homínibus morti datos spem expectáre à Deo, íterùm ab ipso resuscitandos ℣. Sicut abundant passiónes Christi in nobis, ita et per Christum abundat consolátio nostra: * Pótius est. 2. *Mach.* 7. 2. *Cor.* 1.

℟. VI. Exhibeámus nosmetipsos sicut Dei ministros, in multa patiéntia, in tribulatiónibus, * In necessitátibus, in angústiis, in plagis, in carcéribus. ℣. Omnes qui placuérunt Deo, per multas tribulatiónes transiérunt fidéles. * In. Glória Patri. * In. 2. *Cor.* 6. *Judith* 8.

IN III.° NOCTURNO.

Ant. 7. ç. Ruent in gládio, et in flamma, et in captivitáte; ut conflentur, et dealbentur usque ad tempus præfinítum. *Dan.* 11.

Ant. 4. A. Distenti sunt, non suscipientes redemptiónem, ut meliórem invenírent resurrectiónem *Hebr.* 11.

Ant. 8. c. Ecce quómodò computáti sunt inter fílios Dei, et inter sanctos sors illórum est! *Sap.* 5.

℣. Salus justórum à Dómino; ℟. Et protector eórum in témpore tribulatiónis. *Ps.* 36.

Evangelium et Homilia, ut in Proprio.

℟. VII. Ludíbria et vérbera experti ínsuper et víncula et cárceres, * Lapidáti sunt, secti sunt, tentáti sunt, in occisióne gládii mórtui sunt. ℣. Tradidérunt córpora sua, ne servírent, et ne adorárent omnem deum, excepto Deo suo: * Lapidáti sunt. *Hebr.* 11. *Dan.* 3.

℟. VIII. Vicérunt propter sánguinem Agni, et propter verbum testimónii sui, et non dilexérunt ánimas suas usque ad mortem: * Propteréa lætámini, cœli, et qui habitátis in eis. ℣. Módico dolóre sustentáto, sub testamento ætérnæ vitæ effecti sunt: * Propteréa. *Apoc.* 12. 2. *Mach.* 7.

℟. IX. Antíquus diérum judícium dedit sanctis Excelsi; * Et † Regnum obtinuérunt sancti. ℣. Per fidem operáti sunt justítiam, adepti sunt repromissiónes; * Et regnum. Glória Patri. † Regnum. *Dan.* 7. *Hebr.* 11.

Te Deum.

℣. *Sacerd.* Salvasti nos, Dómine, de affligéntibus nos; ℟. Et in nómine tuo confitébimur in séculum. *Ps.* 43.

AD LAUDES.

Ant. 8. G. Datum est béstiæ bellum fácere cum sanctis, et víncere eos. *Apoc.* 13.

Ant. 7. *d.* Elegérunt magis mori, et noluérunt infrángere legem Dei sanctam; et trucidáti sunt. 1. *Mach.* 1.

Ant. 1. f. Si coram homínibus tormenta passi sunt, spes illórum immortalitáte plena est. *Sap.* 3.

[*In Semidupl., et suprà,*

Ant. 2. D. In paucis.

CANTICUM.

(Apoc. 7.)

Martyrum gloria et felicitas

Hi, qui amiciti sunt stolis albis, qui sunt? * et unde venérunt?

Hi sunt qui venérunt de tribulatióne magna, * et lavérunt stolas suas, et dealbavérunt eas in sánguine Agni.

Ideò sunt ante thronum Dei, * et sérviunt ei die ac nocte in templo ejus:

Et qui sedet in throno, * habitábit super illos.

Non esúrient, neque sítient ámpliùs; * nec cadet super illos sol, neque ullus æstus.

Quóniam Agnus, qui in médio throni est, reget illos; * et dedúcet eos ad vitæ fontes aquárum:

Et absterget Deus omnem

lácrymam * ab óculis eórum.

Ant. In paucis vexáti, in multis bene disponentur; quóniam Deus tentávit eos, et invénit illos dignos se. *Sap.* 3.

Ant. 7. d. Tanquam aurum in fornáce probávit illos, et quasi holocausti hóstiam accépit illos; et in témpore erit respectus illórum. *Sap.* 3.

Capitulum. (*Jac.* 1.)

OMNE gáudium existimáte, fratres mei, cùm in tentatiónes várias incidéritis: scientes quòd probátio fídei vestræ patiéntiam operátur; patiéntia autem opus perfectum habet.

HYMNUS.

QUAM, Christe, signasti viam
Primus, profúso sánguine,
Per hanc tui te fórtiter
Ducem sequuntur mílites.
Fossus manus, fossus pedes,
Ovans ad astra trânsvolas;
Et membra trunci Mártyres
Addunt triumpho se tuo.
OMNES in ostro spléndidi
Tuum tribúnal ámbiunt:
Accepta monstrant vúlnera,
Et per tot ora súpplicant.
AUDÍRE si nos réspuis,
Quos críminum moles gravat,
Audi tuos, qui sánguinem
Fudêre pro te, Mártyres.
FAC, si tyrannus déficit,
Ne blandiendo mólliùs
Frangat voluptas péctora,
Ipsis tyrannis sævior.
ÆTERNE tu Verbi Pater,
Æterne Fili par Patri,
Et par utríque Spíritus,
Tibi, Deus, sit glória. Amen.

℣. Multæ tribulatiónes justórum; ℟. Et de ómnibus his liberábit eos Dóminus. *Ps.* 33.

Ad Benedictus, *Ant.* J. Beáti qui persecutiónem patiuntur propter justítiam; quóniam ipsórum est regnum cœlórum. *Matth.* 5.

ORATIO.

DEUS, invisíbilis fortitúdo certántium, adesto, quæsumus, nobis supplicántibus; ut qui hodiernâ die sanctórum Mártyrum tuórum *N.* et *N.* gloriósum triumphum recólimus, eórum méritis et précibus contra spirituália nequítiæ muniámur; Per Dóminum nostrum Jesum Christum.

ALIA ORATIO.

OMNÍPOTENS sempiterne Deus, qui in sanctórum tuórum córdibus flammam tuæ dilectiónis accendis: da méntibus nostris eamdem fídei caritatisque virtútem; ut Mártyrum tuórum *N.* et sociórum, quorum gaudémus victóriis, proficiámus exemplis; Per.

AD PRIMAM.

Ant. 8. G. Datum est béstiæ.

AD TERTIAM.

Ant. 7. *d.* Elegérunt.

Capitulum. (*Sap.* 3.)

JUSTORUM ánimæ in manu Dei sunt, et non tanget illos tormentum mortis. Visi sunt óculis insipiéntium mori, et æstimáta est afflíctio éxitus illórum; et quod à nobis est iter, extermínium: illi autem sunt in pace.

℟. *br.* Custódit Dóminus * Ánimas sanctórum suórum. Custódit. ℣. De manu peccatóris * liberábit * Animas sanctórum suórum. Glória Patri. Custódit. *Ps.* 96.

℣. Dóminus loquétur pacem in plebem suam, ℟. Et super sanctos suos. *Ps.* 84.

AD SEXTAM.

Ant. 1. f. Si coram homínibus.

Capitulum. (2. *Cor.* 4.)

QUOD in præsenti est momentáneum et leve tribulatiónis nostræ, supra modum in sublimitáte æternum glóriæ pondus operátur in nobis, non contemplántibus nobis quæ videntur, sed quæ non videntur. Quæ enim videntur, temporália sunt; quæ autem non videntur, æterna sunt.

℟. *br.* Probasti nos, Deus, * Et eduxisti nos in refrigérium. Probasti. ℣. Igne nos examinasti * sicut examinátur argentum, * Et eduxisti. Glória Patri. Probasti. *Ps.* 65.

℣. Lætáti sumus pro diébus quibus nos humiliasti, ℟. Annis quibus vídimus mala. *Ps.* 89.

AD NONAM.

Ant. 7. d. Tanquam aurum.

Capitulum. (*Isaiæ* 9.)

LÆTABUNTUR coram te, sicut qui lætantur in messe, sicut exultant victóres captà prædà, quando dividunt spólia.

℟. *br.* Qui séminant in lácrymis, * In exultatióne metent. Qui. ℣. Euntes ibant et flebant, * mittentes sémina sua; * In exultatióne metent. Glória Patri. Qui séminant.

℣. Venientes vénient cum exultatióne, ℟. Portantes manípulos suos. *Ps.* 125.

AD II. VESPERAS.

Ant. 2. D. Vidi ánimas interfectórum propter verbum Dei, et propter testimónium quod habebant. *Apoc.* 6.

Ant. 4. *D.* Stabant ante thronum in conspectu Agni; et palmæ in mánibus eórum. *Apoc.* 7.

Ant. 8. G. Venérunt de tribulatióne magna, et lavérunt stolas suas, et dealbavérunt eas in sánguine Agni. *Apoc.* 7.

Ant. 1. D. Ante thronum Dei sunt, et sérviunt ei die ac nocte in templo ejus; et qui sedet in throno, habitábit super illos. *Apoc.* 7.

Ant. 3. a. Non esúrient, neque sítient ámpliùs; nec cadet super illos sol, neque ullus æstus. *Apoc.* 7.

Capitulum. (*Apoc.* 21.)

ABSTERGET Deus omnem lácrymam ab óculis eórum; et mors ultrà non erit; neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultrà, quia prima abiérunt.

Hymnus, Christi Martyribus, *ut in I. Vesperis*, XV.

℣. In æternum exultábunt, ℟. Et habitábis in eis. *Ps.* 5.

Ad Magníficat, *Ant.* 8. *G.* Datæ sunt illis síngulæ stolæ albæ; et dictum est illis ut requiéscerent, donec compleantur conservi eórum, qui interficiendi sunt sicut et illi. *Apoc.* 6.

Oratio, ut suprà ad Laud.

COMMUNE PONTIFICUM.

IN I. VESPERIS.

Ant. 3. a. Suscitábo mihi sacerdótem fidélem, qui juxta cor meum et ánimam meam fáciet. 1. *Reg.* 2.

Ant. 8. *G.* Elégi eum ex ómnibus mihi in sacerdótem, ut ascénderet ad altáre meum, et adoléret mihi incensum. 1. *Reg.* 2.

Ant. 2. D. Ædificábo ei *domum* fidélem; et ambulábit coram Christo meo cunctis diébus. 1. *Reg.* 2.

Ant. 5. C. Erit ipsi pactum sacerdótii sempiternum, quia zelátus est pro Deo suo, et expiávit scelus filiórum Israel. *Num.* 25.

Ant. 1. f. Quemcumque elégerit Dóminus, ipse erit sanctus. *Num.* 16.

Capitulum. (*Hebr.* 5.)

NEC quisquam sumit sibi honórem, sed qui vocátur à Deo, tanquam Aáron. Sic et Christus non semetipsum clarificávit ut póntifex fíeret, sed qui locútus est ad eum: Fílius meus es tu, ego hódie génui te; quemádmodùm et in álio loco dicit: Tu es sacerdos in æternum secundùm órdinem Melchísedech.

In Duplicibus, et supra:

℟. Locútus es sanctis tuis, Dómine, et dixisti: Invéni servum meum, * Oleo sancto meo unxi eum: † Manus mea auxiliábitur ei. ℣. Huic Deus testimónium pérhibens, dixit: Invéni virum secundùm cor meum: * Oleo

sancto meo unxi eum. Glória Patri. † Manus mea. *Ps.* 88. *Act.* 13.

HYMNUS.

CHRISTE, Pastórum caput atque princeps,
Præsulis festam veneráta lucem,
Débitis supplex tua templa votis
Turba frequentat.
ILLE non vano ténuit tremendam
Spíritu sedem, próprio nec ausu:
Sed sacrum jussus, Dómino vocante,
Sumpsit honórem.
STRÉNUUM bello púgilem superni
Chrísmatis pleno tuus unxit intùs
Spíritus cornu, posuitque sanctam
Páscere gentem.
FIT gregis pastor, pater atque forma:
Lætus impendit sua, seque; servus
Omnium, curis gravis, omnibusque
Omnia factus.
PRO reis orat, réficit gementes,
Erigit lapsos, tenebrasque pellit;
Fit potens verbo, docet alta, pravum
Cónterit hostem.
FAC ut illíus précibus juvémur,
Christe; fac Patrem, pariterque tecum
Spíritum jugi celebrémus hymno
Omne per ævum.
Amen.

℣. Beátus quem elegisti et assumpsisti: ℟. Inhabitábit in átriis tuis. *Ps.* 64.

Ad Magníficat, *Ant.* 4. f. Elégit ipsum Dóminus ab omni vivente offerre sacrifícium Deo, incensum et bonum odórem pro pópulo suo. *Eccli.* 45.

Oratio, ut infrà ad Laudes.

[*In Solemnibus-maj. et supra, ad Complet. Ant.* 3. à. Die noctuque fugiébat somnus ab óculis meis pro grégibus tuis, Dómine. *Gen.* 31.

Ad Nunc dimittis, *Ant.* 7. G. Cùm vénerit Dóminus, et pulsáverit, beáti servi quos invénerit vigilantes. *Luc.* 12.]

AD OFFIC. NOCTURNUM.

INVITATORIUM.

CHRISTUM Pastórum príncipem, * Veníte, adorémus. 1. *Petr.* 5

Ps. 94. Veníte, 2.

HYMNUS.

CHRISTE, decréto Patris institútus
Póntifex summo, tibi, qui fidéles
Quos legis, formas pópulis regendis
Ipse ministros:
HUNC juvat festo celebráre cantu,

Qui licèt magnis méritis abundans,
Flens et invítus, duce te, tremendum
Sumpsit honórem.
NÓVERAT quantis páteat periclis
Ille, qui summos ápices adeptus,
Omnium curas, sibi raptus uni,
Sústinet omnes.
FECERAT fervens amor inquiétum:
Quò gregis cari pia cura poscit,
Advolat promptus: mora non cuntem
Ulla retardat.
Dux iter, vitâ præeunte, monstrat;
Cómprobat factis sua dicta magnis;
Et domum sanctam bene olente Christi
Implet odóre.
LUX erat cæco, cólumen labanti,
Una spes lapso, mísero levámen,
Próvidus cunctis pater, omnibusque
Omnia factus.
CHRISTE, Pastórum bonus ipse Pastor,
Qui greges pascis próprio cruóre,
Fac ut ætérnæ súbeant ópima
Páscua vitæ. Amen.

IN I.° NOCTURNO.

Ant. 2. D. Vocávit eum Dóminus, et ait: Vidi afflictiónem pópuli mei: veni, et mittam te, ut edúcas pópulum meum. *Exod.* 3.

Ant. 1. g. Dixit ad Deum: Quis sum ego, ut vadam et edúcam fílios Israel? Qui dixit ei: Ego ero tecum. *Exod.* 3.

Ant. 8. G. Vade in hac fortitúdine tua, et liberábis Israel: scito quòd míserim te. *Judic.* 6.

℣. Pósui adjutórium in potente, ℟. Et exaltávi electum de plebe mea. *Ps.* 88.

Lectiones de Script. occurr.

℟. I. Rectórem te posuérunt? noli extolli: * Esto in illis quasi unus ex ipsis; curam illórum habe. ℣. Si quis vult primus esse, erit ómnium novíssimus, et ómnium minister: * Esto. *Eccli.* 32. *Marc.* 9.

℟. II. Speculatórem dedi te dómui Israel: * Audiens ergo ex ore meo sermónem, annuntiábis eis ex me. ℣. In mente habe quáliter accéperis, et audíeris, et serva: * Audiens. *Ezech.* 33. *Apoc.* 3.

℟. III. Accéde ad altáre, et ímmola pro peccáto tuo: * Offer holocaustum, et † Deprecáre pro te et pro pópulo. ℣. Debet Póntifex quemádmodùm pro pópulo, ita étiam et pro semetipso offerre pro peccátis: * Offer. Glória Patri. † Deprecáre. *Levit.* 9. *Hebr.* 5.

IN II.° NOCTURNO.

Ant. 5. a. In lege Dómini congregatiónem judicávit,

et in fide sua probátus est prophéta; et cógnitus est in verbis suis fidélis. *Eccli.* 46.

Ant. 3. à. Dedit illis legem, ne obliviscerentur præcepta Dómini, et ut non exerrárent méntibus; et hortabátur ne legem amovérent à corde suo. 2. *Mach.* 2.

Ant. 8. c. Apériet os suum, et in oratióne confitébitur Dómino; et ipse dírigat consílium ejus et disciplínam. *Eccli.* 39.

℣. Invocábant Dóminum sacerdótes ejus: ℟. Ipse exaudiébat eos, et loquebátur ad eos. *Ps.* 98.

Lectiones, ut in Proprio.

℟. IV. Audívit eum Dóminus et vocem ipsíus, et dedit illi præcepta, et legem vitæ et disciplínæ, * Docére Jacob testamentum suum, et judícia sua Israel. ℣. Hic est qui fuit in Ecclésia cum pátribus nostris, qui accépit verba vitæ dare nobis, * Docére. *Eccli.* 45. *Act.* 7.

℟. V. Pactum meum fuit cum eo vitæ et pacis; et dedi ei timórem, et tímuit me: * Lex veritátis fuit in ore ejus; et iníquitas non est inventa in lábiis ejus. ℣. Fidélis erat in tota domo ejus tanquam fámulus, in testimónium eórum quæ dicenda erant: * Lex. *Malach.* 2. *Hebr.* 3.

℟. VI. In pace et in æquitáte ambulávit, et multos avertit ab iniquitáte: * Lábia enim sacerdótis custódient sciéntiam, et legem requírent ex ore ejus; † Quia ángelus Dómini exercítuum est. ℣. Oportet Epíscopum amplecti eum, qui secundùm doctrínam est, fidélem sermónem; ut potens sit exhortári in doctrína sana: * Lábia. Glória Patri. † Quia. *Malach.* 2. *Tit.* 1.

IN III.° NOCTURNO.

Ant. 4. A. In omni ópere dedit confessiónem Sancto et Excelso in verbo glóriæ. *Eccli.* 47.

Ant. 7. *d.* Erogávit pecúnias multas: justítiam et fidem conservávit genti suæ; et exquisívit omni modo exaltáre pópulum suum. 1. *Mach.* 14.

Ant. 1. *a.* Non recédet memória ejus, et nomen ejus requirétur à generatióne in generatiónem. *Eccli.* c. 39.

℣. Justítia ejus manet in séculum séculi: ℟. Cornu ejus exaltábitur in glória. *Ps.* 111.

Evangelium et Homilia, ut in Proprio.

℟. VII. Quis est fidélis servus et prudens, quem constítuit dóminus suus super famíliam suam, ut det illis cibum in témpore? * Beátus ille servus, quem cùm vénerit dóminus ejus, invénerit sic facientem. ℣. A Dómino suo præpósitus ómnibus, gubernábat créditam sibi

domum: * Beátus. *Matth.* 24. *Genes.* 39.

℟. VIII. Dóminus supra ómnia quæ póssidet, constítuet illum: * Omni autem cui multùm datum est, multùm quærétur ab eo; et cui commendavérunt multum, plus petent ab eo. ℣. In manu Dei potestas terræ, et útilem rectórem suscitábit in tempus super illam: * Omni. *Luc.* 12. *Eccli.* 10.

℟. IX. Euge, serve bone et fidélis; quia super pauca fuisti fidélis, super multa te constítuam: * Intra in gáudium dómini tui. ℣. Super pópulum meum constítui te: sapiéntia et sciéntia data sunt tibi; et glóriam dabo tibi: * Intra. Glória. * Intra. *Matth.* 25. 2. *Paral.* 1.

Te Deum.

℣. *Sacerd.* Domus Aáron, benedícite Dómino: ℟. Domus Levi, benedícite Dómino. *Ps.* 134.

AD LAUDES.

Ant. 7 a. Qui intrat per óstium, pastor est óvium: huic ostiárius áperit; et oves vocem ejus áudiunt. *Joan.* c. 10.

Ant. 2. D. Próprias oves vocat nominátim, et edúcit eas, et ante eas vadit. *Joan.* 10.

Ant. 7. d. Oves illum sequuntur, quia sciunt vocem ejus; aliénum autem non sequuntur, sed fúgiunt ab eo. *Joan.* 10.

[*In Semidupl., et suprà,*

Ant. 6. F. Si perdíderit.

CANTICUM.

(Eccli. 50.)

Pontificis encomium.

Sacerdos magnus, in ascensu altáris sancti, * glóriam dedit sanctitátis amictum.

In accipiendo autem partes de manu Sacerdótum, * et ipse stans juxta aram.

Et circa illum coróna fratrum: * quasi plantátio cedri in monte Líbano,

Sic circa illum stetérunt quasi rami palmæ, * et omnes fílii Aaron in glória sua.

Oblátio autem Dómini in mánibus ipsórum, * coram omni synagóga Israel:

Et consummatióne fungens in ara, * amplificáre oblatiónem excelsi Regis.

Porrexit manum suam in libatióne, * et libávit de sánguine uvæ.

Effúdit in fundamento altáris odórem divínum * excelso Príncipi.]

Ant. Si perdíderit unam ex illis, vadit ad illam, donec invéniat eam; et cùm invénerit, impónit in húmeros suos gaudens. *Luc.* 15.

Ant. 8. G. Fur venit ut perdat; mercenárius videt lupum, et fugit: bonus pastor animam suam dat pro óvibus suis. *Joan.* 10.

Capitulum. (1. *Petr.* 5.)

Pascite qui in vobis est gregem Dei, providentes non coactè, sed spontáneè secundùm Deum; neque turpis lucri grátiâ, sed voluntáriè; neque ut dominantes in Cleris, sed forma facti gregis ex ánimo.

HYMNUS.

Jesu, Sacerdótum decus,
In hac die, quâ glóriâ
Sanctum corónas Præsulem,
Votis adesto súpplicum.
Sui probátus præmium
Amóris, et pignus tui,
A Patre tráditos tibi
Accépit agnos páscere.
Hos novit, et præit vocans
In tuta quemque páscua,
Victumque præbet : áudiunt,
Sequuntur, et vivunt oves.
Quam sentit errantem jugis,
Hanc nocte quærit ac die;
Et gaudet inventam suo
Portans ovíli réddere.
Arcet frementes béstias,
Lupi retundit ímpetus,
Dolosque fallit, vel mori
Caro parátus pro grege.
Offert frequentem víctimam
Cum plebe Pastor ínnocens;
Secumque devótum gregem
Pius Sacerdos ímmolat.
Supreme Christe Póntifex,
Jugis tibi sit glória
Cum Patre, cumque Spíritu,
In sempiterna sécula.
Amen.

℣. Elégit Dóminus servum suum, ℟. Páscere hæreditátem suam. *Ps.* 77.

Ad Benedictus, *Ant.* 1. D. Ego sum óstium : per me si quis introíerit, salvábitur; et ingrediétur, et egrediétur, et páscua invéniet. *Joan.* 10.

ORATIO.

Deus, qui pópulis tuis indulgéntia cónsulis, et amóre domináris; quique illis regendis vicários caritátis tuæ præficis ministros : da, quæsumus, intercedente beáto *N.* Pontífice, Spíritum sapiéntiæ, quibus præesse dedisti Ecclesiæ tuæ; ut de profectu sanctárum óvium fiant gáudia æterna pastórum; Per... in unitáte ejusdem Spíritûs.

ALIA ORATIO.

Deus, fidélium lumen et Pastor animárum, qui beátum *N.* Epíscopum in Eccléśia posuisti, ut oves tuas verbo pásceret, et informáret exemplo : da nobis ejus intercessióne, et fidem servâre quam verbo dócuit, et viam sequi quam exemplo monstrávit; Per Dóminum.

AD PRIMAM.

Ant. 7. a. Qui intrat per óstium.

AD TERTIAM.

Ant. 2. D. Próprias oves.

Capitulum. (*Prov.* 27.)

DILIGENTER agnosce vultum pécoris tui, tuosque greges considéra; non enim habébis júgiter potestátem; sed coróna tribuétur in generatiónem et generatiónem.

℟. *br.* Deus protector meus, * In ipso sperávi. Deus. ℣. Qui subdit * pópulum meum sub me, * In ipso. Glória Patri. Deus. *Ps.* 143.

℣. Nisi Dóminus custodíerit civitátem, ℟. Frustrà vígilat qui custódit eam. *Ps.* 126.

AD SEXTAM.

Ant. 7. d. Oves.

Capitulum. (*Jerem.* 3.)

INTRODUCAM vos in Sion, et dabo vobis Pastóres juxta cor meum; et pascent vos sciéntiâ et doctrínâ.

℟. *br.* Deduxit eos * In viam rectam. Deduxit. ℣. Ut irent * in civitátem habitatiónis, * In viam. Glória Patri. Deduxit. *Ps.* 106.

℣. Abstulit sicut oves pópulum suum, ℟. Et deduxit eos in spe. *Ps.* 77.

AD NONAM.

Ant. 8. G. Fur venit.

Capitulum. (*Act.* 20.)

ATTÉNDITE vobis, et universo gregi in quo vos Spíritus sanctus pósuit Episcopos régere Ecclésiam Dei, quam acquisívit sánguine suo.

℟. *br.* Pavit eos * In innocéntia cordis sui. Pavit eos. ℣. Et in intellectibus manuum suárum * deduxit eos, * In innocéntia. Glória. Pavit eos. *Ps.* 77.

℣. Nos pópulus tuus et oves páscuæ tuæ, ℟. Confitébimur tibi in séculum. *Ps.* 78.

AD II. VESPERAS.

Ant. 3. a. Ecclésiæ factus sum ego minister secundùm dispensatiónem Dei, quæ data est mihi in vos, ut ímpleam verbum Dei. *Col.* c. 1.

Ant. 4. E. Scitis quómodò nihil subtráxerim utílium, quóminùs annuntiárem vobis, et docérem vos públice, et per domos. *Act.* 20.

Ant. 1. D. Mundus sum à sánguine ómniam; non enim subterfúgi quóminùs annuntiárem omne consílium Dei vobis. *Act.* 20.

Ant. 8. G. Nihil véreor, nec fácio ánimam meam pretiosiórem quàm me, dúmmodò consummem cursum meum, et ministérium verbi quod accépi à Domino Jesu. *Act.* 20.

Ant. 7. c. Absit à me hoc peccátum in Dóminum, ut cessem oráre pro vobis; et docébo vos viam bonam et rectam. 1. *Reg.* 12.

Capitulum. (*Act.* 20.)

Nocte et die non cessávi, cum lácrymis monens unumquemque vestrûm : et nunc commendo vos Deo, et verbo grátiæ ipsíus, qui potens est ædificáre, et dare hæreditátem in sanctificátis ómnibus.

Hymnus, Christe, Pastórum, *ut in I. Vesperis*, XXII.

℣. Salvum fecit Dóminus Christum suum : ℟. Exáudiet illum de cœlo sancto suo. *Ps.* 19.

Ad Magníficat, *Ant.* 5. C. Sacerdótes tui induantur salútem : Dómine Deus, ne avérteris fáciem Christi tui: memento misericordiárum servi tui. 2. *Paral.* 6.

Oratio, ut suprà ad Laudes.

COMMUNE DOCTORUM.

IN I. VESPERIS.

Ant. 4. E. A Deo profecta est sapiéntia : et in ore fidéli *abundábit*; et Dominátor dabit eam illi. *Eccli.* 15.

Ant. 5. C. Denudábit absconsa sua illi, et thesaurizábit super illum sciéntiam et intellectum justítiæ. *Eccli.* 4.

Ant. 8. G. Firmábitur in illo, et non flectétur; et continébit illum, et non confundétur; et exaltábit illum apud próximos suos. *Eccli.* 15.

Ant. 3. a. In médio Ecclésiæ apériet os ejus, et adimplébit illum Spíritu sapiéntiæ et intellectûs. *Eccli.* 15.

Ant. 1. D. Stolâ glóriæ véstiet illum; et nómine ætérno hæreditábit illum. *Eccli.* 15.

Capitulum. (*Eccli.* 51.)

Animam meam direxi ad Sapiéntiam, et in agnitióne invéni eam : possédi cum ipsa cor ab inítio; propter hoc non derelinquar.

In Duplicibus, et supra:

℟. Dóminus dat sapiéntiam sapiéntibus, et sciéntiam intelligéntibus disciplínam : * Ipse revélat profunda et abscóndita, et † Lux cum eo est. ℣. Spíritus ómnia scrutátur, étiam profunda Dei : * Ipse. Glória. † Lux. *Dan.* 2. 1. *Cor.* 2.

HYMNUS.

O qui perpétuus nos mónitor doces,
Vox ætérna Patris, Christe, vicários
Doctóres, pátrias cùm rémeas domos,
Nobis quàm bene súppetis!
Hi semper vígilant, ne quid adúlterum
Corrumpat fídei virgíneum decus :

Lædi vel léviter non pátitur fides,
His custódibus íntegra.
Infames ábolent relíquias deûm :
Erróres áhigunt, crímina dédocent :
Christo restítuunt, quos malè crédulos
Mendax lúserat hæresis.
Patrum canítiem, tot venerábiles
Rugas objíciunt, unde nitet fides :
Quæ sunt prisca, docent ; quæ nova, súbruunt :
Servant depósitum Dei.
Sit supréma tibi glória, Véritas,
Quæ per scripta Patrum quando foris sonas,
Nullo vocis egens, corda doces, sono,
Et te méntibus ínseris.
Amen.

℣. Beátus homo quem tu erudíeris, Dómine; ℟. Et de lege tua docúeris eum. *Ps.* 93.

Ad Magníficat, *Ant.* 7. G. Beátus qui excógitat vias sapiéntiæ in corde suo, vadens post illam quasi investigátor : protegétur sub tégmine illíus à fervóre, et in glória ejus requiescet. *Eccli.* 14.

Oratio, ut infrà ad Laudes.

[*In Solemnibus-majoribus et suprà, ad Completorium : Ant.* 3. *à.* Dedit illi Dóminus in præceptis suis potestátem docére Jacob testimónia, et in lege sua lucem dare Israel. *Eccli.* 45.

Ad Nunc dimittis, *Ant.* 6. C. Qui vigiláverit propter sapiéntiam, citò secúrus erit ; quóniam dignos se ipsa circuit quærens, et in viis ostendit se illis hiláriter. *Sap.* 6.]

AD OFFIC. NOCTURNUM.

INVITATORIUM.

Fontem sapiéntiæ Dóminum, * Veníte, adorémus. *Eccli.* 1.

Ps. 94. Veníte, 2.

HYMNUS.

Jam nunc, quæ númeras tot tibi víndices,
Effer sidéreum, Relígio, caput :
Quot sunt mota tibi prælia, nóbiles
Tot nectis tibi láureas.
Cum per mille neces impíetas furit,
Oppónis válido péctore Mártyres :
Cùm per mille dolos décipit hæresis,
Doctóres tibi súscitas.
Quando sparsa lues úndique críminum,
Hi gliscens vítium prótinus ámputant :
Quando plúrima nox méntibus íncubat,
Hi plenum révehunt diem.
Firmant instábiles, et dúbios regunt :
Monstrant tuta procul líttora náufragis :

Nobis, qui vehimur cæca per æquora,
Lucent perpétuæ faces.
Quæ dixêre tuis cónsona sénsibus,
Nostris illa, Deus, córdibus ímprimas:
Quos terris cólimus, quos séquimur duces,
Fac nos móribus ássequi.
Sit supréma tibi glória, Véritas,
Quæ per scripta Patrum, quando foris sonas,
Nullo vocis egens, corda doces, sono,
Et te méntibus ínseris.
Amen.

IN I.° NOCTURNO.

Ant. 3. a. Sapiéntia non est multis manifesta; quibus autem cógnita est, pérmanet usque ad conspectum Dei. *Eccli.* 6.

Ant. 4. E. Os prudentis quæritur in ecclésia, et verba illíus cogitábunt in córdibus suis. *Eccli.* 21.

Ant. 5. a. Sciéntia sapientis tanquam inundátio abundábit, et consílium illíus sicut fons vitæ pérmanet. *Eccli.* 21.

℣. Os justi meditábitur sapiéntiam, ℟. Et lingua ejus loquétur judícium. *Ps.* 36.

Lectiones de Scriptura occurrente.

℟. I. Sápiens apériet os suum in oratióne; * Si enim Dóminus magnus volúerit, Spíritu intelligéntiæ replébit illum. ℣. Si quis vestrûm índiget sapiéntiâ, póstulet à Deo qui dat ómnibus affluenter; * Si. *Eccli.* 39. *Jac.* 1.

℟. II. Ipse tanquam imbres mittet elóquia sapiéntiæ suæ; * Ipse palàm fáciet disciplínam doctrínæ suæ, et in lege testamenti Dómini gloriábitur. ℣. Multos filiórum Israel convertet ad Dóminum Deum ipsórum: * Ipse. *Eccli.* 39. *Luc.* 1.

℟. III. Omnis scriba doctus in regno cœlórum, * Símilis est hómini pàtrifamíliâs qui ✝ Profert de thesauro suo nova et vétera. ℣. In corde prudentis requiescit sapiéntia, et indoctos quosque erúdiet: * Símilis. Glória. ✝ Profert. *Matth.* 13. *Prov.* 14.

IN II.° NOCTURNO.

Ant. 7. ç. Ecce dedi verba mea in ore tuo; ecce constítui te ut evellas, et déstruas, et disperdas, et ædífices, et plantes. *Jerem.* 1.

Ant. 8. G. Ne retíneas verbum in témpore salútis: in lingua enim sapiéntia dignóscitur; et sensus, et sciéntia, et doctrína in verbo sensáti. *Eccli.* 4.

Ant. 2. D. Depósitum custódi, devítans profánas vocum novitátes, et oppositiónes falsi nóminis sciéntiæ. 1. *Tim.* 6.

℣. Deus, docuisti me à

juventúte mea : ℟. Pronuntiábo mirabília tua. *Ps.* 70.

Lectiones, ut in Proprio.

℟. IV. Qui habet sermónem meum, loquátur sermónem meum verè. * Numquid non verba mea sunt quasi ignis, et quasi málleus cónterens petram? ℣. Si quis volúerit voluntátem fácere ejus qui misit me, cognoscet de doctrína, utrùm ex Deo sit. * Numquid non. *Jerem.* 23. *Joan.* 7.

℟. V. Ponam verba mea in ore ejus, loqueturque ómnia quæ præcépero illi :* Qui autem verba ejus audíre nolúerit, ego ultor existam. ℣. Qui à semetipso lóquitur, glóriam própriam quærit : qui quærit glóriam ejus qui misit eum, hic verax est;* Qui. *Deut.* 18. *Joan.* 7.

℟. VI. Dabo te, dicit Dóminus, in murum æreum, fortem :* Et bellábunt adversùm te, et † Non prævaléhunt; quia ego tecum sum. ℣. Exurgent viri loquentes perversa, ut abdúcant discípulos post se : * Et bellábunt. Glória Patri. † Non. *Jerem.* 15. *Act.* 20.

IN III.° NOCTURNO.

Ant. 4. f. Propósui sapiéntiam addúcere mihi ad convivendum ; sciens quóniam mecum communicábit de bonis. *Sap.* 8.

Ant. 7. d. Quæsívi sapiéntiam palàm in oratióne mea ; et efflóruit tanquam præcox uva. *Eccli.* 51.

Ant. 1. f. Inventi sunt sermónes tui, Dómine ; et comédi eos : et factum est mihi verbum tuum in lætítiam cordis mei. *Jerem.* 15.

℣. Scrutábor legem tuam, Dómine ; ℟. Et custódiam illam in toto corde meo. *Ps.* 118.

Evangelium et Homilia, ut in Proprio.

℟. VII. Super salútem et spéciem dilexi sapiéntiam ; * Et propósui pro luce habére illam : venérunt autem mihi ómnia bona páriter cum illa. ℣. Quæ desursum est sapiéntia, pudíca est, pacífica, plena misericórdiâ et frúctibus bonis ; * Et propósui pro luce. *Sap.* 7. *Jac.* 3.

℟. VIII. Optávi, et datus est mihi sensus ; et invocávi, et venit in me Spíritus sapiéntiæ : et præpósui illam regnis et sédibus, * Et divítias nihil esse duxi in comparatióne illíus. ℣. Exístimo ómnia detrimentum esse propter eminentem sciéntiam Jesu Christi Dómini mei ; * Et divítias nihil esse. *Sap.* 7. *Philip.* 3.

℟. IX. Sapiéntia bonórum ómnium mater est ; quam sine fictióne dídici, et sine invídia commúnico : infínitus enim thesaurus est ; * Quo qui usi sunt, † Partí-

cipes facti sunt amicítiæ Dei. ℣. Bonus homo de bono thesauro cordis sui profert bonum; * Quo qui usi sunt. Glória Patri. † Partícipes. *Sap.* 7. *Luc.* 6.

Te Deum.

℣. *Sacerd.* Os meum annuntiábit justítiam tuam, ℟. Totâ die salutáre tuum. *Ps.* 70.

AD LAUDES.

Ant. 2. D. Dóminus dedit mihi linguam erudítam, ut sciam sustentáre eum qui lassus est, verbo. *Is.* 50.

Ant. 6. F. Sermo meus non in persuasibílibus humánæ sapiéntiæ verbis; sed in ostensióne *Spiritûs*, et virtútis. 1. *Cor.* 2.

Ant. 3. c. Auxílio adjútus Dei sto, testíficans minóri atque majóri, nihil extra dicens quàm ea quæ Prophétæ locúti sunt. *Act.* 26.

[*In Semidupl., et suprà.*

Ant. 4. f. Non judicávi.

CANTICUM.

(Eccli. 15.)

Fons et præmium doctrinæ.

Cibabit illum (Deus) pane vitæ et intellectûs; * et aquâ sapiéntiæ salutáris potábit illum.

Et firmábitur in illo, et non flectétur; * et continébit illum, et non confundétur.

Et exaltábit illum apud próximos suos, * et in médio Ecclésiæ apériet os ejus;

Et adimplébit illum spíritu sapiéntiæ et intellectûs * et stola glóriæ véstiet illum.

Jucunditátem et exultatiónem thesaurizábit super illum; * et nómine æterno hæreditábit illum.]

Ant. Non judicávi me scire áliquid inter vos, nisi Jesum Christum, et hunc crucifixum. 1. *Cor.* 2.

Ant. 5. a. Si nóverim mystéria ómnia, et omnem sciéntiam; caritátem autem non habúero, nihil sum. 1. *Cor.* 13.

Capitulum. (*Sap.* 7.)

Mihi dedit Deus dícere ex senténtia, et præsúmere digna horum quæ mihi dantur; quóniam ipse sapiéntiæ dux est, et sapiéntium emendátor: in manu enim illíus et nos, et sermónes nostri, et omnis sapiéntia, et óperum sciéntia et disciplína.

HYMNUS.

Vos succensa Deo spléndida lúmina:
Vos sal, nos hómines quo sápimus Deum;
Ævum, puri ánimo, móribus íntegri,
Quo cóndimur in álterum.
Per vos Rellígio, tútaque véritas,

Per vos virgíneis fulget honóribus :
Per vos Christus amat páncere dívites
Thesauros sapiéntiæ.
Vestris unda fluit pura canálibus ;
Christi floret ager ; munda nitet seges :
Lac aptum púeris, et sólidum viris
Cauti suffícitis cibum.
Hi sunt, summe Deus, qui tibi mílitant ;
Hi sunt, qui stábiles ædíficant dómos :
Unâ docta cohors arma tenet manu,
Muros cónstruit álterâ.
Vicistis stygias vos quibus hæreses,
Hæc nos accípimus tela supérstites :
His pugnámus adhuc, nec dúbio éxitu ;
His armis quoque víncimus.
Sit supréma tibi glória, Véritas,
Quæ per scripta Patrum, quando foris sonas,
Nullo vocis egens, corda doces, sono,
Et te méntibus ínseris.
Amen.

℣. Annuntiávi justítiam tuam in ecclésia magna, ℟. Ecce lábia mea non prohibébo : Dómine, tu scisti. *Ps.* 39.

Ad Benedictus, *Ant.* J. Sapiéntia et fortitúdo Dómini sunt : tibi, Deus, confíteor, teque laudo ; quia sapiéntiam et fortitúdinem dedisti mihi. *Dan. c.* 11.

ORATIO.

Omnipotens, æterne Deus, qui Ecclésiæ tuæ fílios, sicut non cessas erudíre, ita non désinis adjuváre : da fidélibus tuis intercessióne béati *N.* quem eis æternæ salútis ministrum tribuisti, ut, te miserante, sciéntiam recta faciendi, et virtútem cápiant exequendi ; Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum.

ALIA ORATIO.

Excita, Dómine, in Ecclésia tua Spíritum, quo beátus *N.* servívit ; ut eódem nos replente, studeámus amáre quod amávit, et ópere exercére quod dócuit ; Per... in unitáte ejusdem Spíritûs.

AD PRIMAM.

Ant. 2. D. Dóminus.

AD TERTIAM.

Ant. 6. F. Sermo meus.

Capitulum. (1. *Cor.* 12.)

Unicuíque datur manifestátio Spíritûs ad utilitátem : álii quidem per Spíritum datur sermo sapiéntiæ : álii autem sermo sciéntiæ secundùm eumdem Spíritum.

℟. *br.* Da mihi intellectum, * Et scrutábor legem

tuam. Da mihi. ℣. Státue servo tuo * elóquium tuum, Dómine, * Et. Glória Patri. Da mihi. *Ps.* 118.

℣. Os meum loquétur sapiéntiam, ℟. Et meditátio cordis mei prudéntiam. *Ps.* 48.

AD SEXTAM.

Ant. 3. c. Auxílio.

Capitulum. (1. *Tim.* 6.)

Si quis áliter docet, et non acquiescit sanis sermónibus Dómini nostri Jesu Christi, et ei quæ secundùm pietátem est doctrínæ, superbus est, nihil sciens.

℟. *br.* Viam veritátis elégi, * Judícia tua non sum oblítus. Viam. ℣. Adhæsi * testimóniis tuis, Dómine, * Judícia. Glória Patri. Viam.

℣. A judíciis tuis non declinávi; ℟. Quia tu legem posuisti mihi. *Ps.* 118.

AD NONAM.

Ant. 5. a. Si nóverim.

Capitulum. (1. *Tim.* 1.)

Finis præcepti est cáritas de corde puro, et conscientiâ bonâ, et fide non fictâ: à quibus quidam aberrantes, conversi sunt in vaniló-quium, volentes esse legis doctóres, non intelligentes neque quæ loquuntur, neque de quibus affirmant.

℟. *br.* Veritátem tuam * Et salutáre tuum dixi. Veritátem. ℣. Non abscondi misericórdiam tuam, * et veritátem tuam; * Et salutáre. Glória Patri. Veritátem. *Ps.* 39.

℣. Pronuntiávi ómnia judícia oris tui: ℟. In via testimoniórum tuórum delectátus sum. *Ps.* 118.

AD II. VESPERAS.

Ant. 1. f. Fuit gratus Deo, erudítus omni sapiéntiâ; et erat potens in verbis et in opéribus suis. *Act.* 7.

Ant. 5. C. Juxta manum Dei sui bonam super se, parávit cor suum, ut investigáret legem Dómini, et fáceret, et docéret. 1. *Esdr.* 7.

Ant. 8. c. Postquàm se ámpliùs dedit ad diligéntiam lectiónis legis et Prophetárum, vóluit et ipse scríbere quæ ad doctrínam et sapiéntiam pértinent. *Prolog. Eccli.*

Ant. 3. a. Cùm esset sapientíssimus, dócuit pópulum: quæsívit verba utília, et conscripsit sermónes rectíssimos ac veritáte plenos. *Eccles.* 12.

Ant. 4. E. Sapiéntiam ejus enarrábunt gentes; et laudem ejus enuntiábit Eccléia. *Eccli.* 39.

Capitulum. (*Prov.* 3.)

Beatus homo qui invénit sapiéntiam, et qui áffluit prudéntiâ: mélior est acquisítio ejus negotiatióne argenti et auri primi; et puríssimi fructus ejus: pre-

tiósior est cunctis ópibus; et ómnia quæ désiderantur, huic non valent comparári.

Hymnus, O qui perpétuus, *ut in I. Vesperis*, XXVIII.

℣. Beátus vir qui dispónet sermónes suos in judício : ℟. In ætérnum non commovébitur. *Ps.* 111.

Ad Magníficat, *Ant.* 6. F. Qui docti fúerint, fulgébunt quasi splendor firmamenti; et qui ad justítiam erúdiunt multos, quasi stellæ in perpétuas ætérnitátes. *Dan.* c. 12.

Oratio, *ut suprà ad Laudes.*

COMMUNE PRESBYTERORUM.

IN I. VESPERIS.

Ant. 7. a. Locútus est Dóminus : Sanctificábor in iis qui appropinquant mihi : et in conspectu omnis pópuli glorificábor. *Levit.* 10.

Ant. 3. a. Ingredientur tabernáculum fœderis, ut sérviant mihi pro Israel, et orent pro eis, ne sit in pópulo plaga. *Num.* 18.

Ant. 4. *D.* Holocausta eórum, et víctimæ eórum placébunt mihi super altári meo. *Is.* 56.

Ant. 5. C. Invocábunt nomen meum super fílios Israel, et ego benedícam eis. *Num.* 6.

Ant. 1. *g.* Inebriábo ánimam Sacerdótum pinguédine, et pópulus meus bonis meis adimplébitur. *Jer.* 31.

Capitulum. (*Num.* 16.)

NOTUM fáciet Dóminus qui ad se pertíneant, et sanctos applicábit sibi; et quos elégerit, appropinquábunt ei. [*In Duplicibus, et suprà,*

℟. Sacerdótes sancti erunt Deo suo, et non pólluent nomen ejus. * Qui habúerit máculam, non ófferet panes Deo suo, nec accédet ad ministérium. ℣. Sóbrii sint, pudíci, prudentes, sani in fide, in dilectióne, in patiéntia. * Qui. Gloria. * Qui. *Levit.* 21. *Tit.* 2.]

HYMNUS.

CESSANT figúræ, non litat ímpares
Impar Sacerdos ámpliùs hóstias :
Jam Póntifex fit Numen ipsum;
Seque sibi Deus agnus offert.
VITAM cruentus qui semel óbtulit,
Se non cruentum júgiter ímmolat :
Mactátus aris, et renascens,
Perpétuò moriendo vivit.
AD grande munus nos Deus érigit,

Quos intus ungit sacrificos sibi,
Pondus cadúci sustinémus
Angelícis húmeris tremendum.
O QUAM stupendæ quas ágimus vices!
Quem prona cœli cúria súspicit,
Sacras ad aras imperantes
Nos dóciles Deus ipse sentit.
CHRISTUM, Sacerdos, cœlitùs évocas:
Per te creátur, qui creat ómnia:
Immotus orbem qui gubernat,
Se tibi dat fácilem movéri.
NON impotenti, críminis árbiter,
Verbo, resolvis férrea víncula:
Quas fers magistrâ voce, Numen
Ecce sibi putat esse leges.
LAUS summa Patri, súmmaque Fílio,
Qui se Parenti cónsecrat hóstiam:
Sacro ministri quo dicantur
Chrísmate, laus tibi, Flamen almum.
Amen.

℣. Stabit in loco sancto Dómini, ℟. Innocens mánibus et mundo corde. *Ps.* 23.

Ad Magníficat, *Ant.* 8. G. Quasi thus ardens in igne, in ascensu altáris sancti glóriam dedit sanctitátis amictum. *Eccli.* 50.

Oratio, ut infra ad Laudes.

[*In Solemnibus-majoribus et suprà, ad Completorium: Ant.* 6. C. Flebam super eo qui afflictus erat, et compatiebátur ánima mea páuperi. *Job* 30.

Ad Nunc dimittis, *Ant.* 1. D. Nocte et die non cessávi cum lácrymis monens unumquemque. *Act.* 20.]

AD OFFIC. NOCTURNUM.

INVITATORIUM.

SACERDOTEM in æternum Jesum Christum, * Veníte, adorémus. *Heb.* 6.
Ps. 94. Veníte, 2.

HYMNUS.

JAM satis fluxit cruor hostiárum,
Prístinæ cessent holocausta legis:
Christe, quos formas, melióra libant
Sacra ministri.
ELICIT flammas Elias ab alto,
Mysta nunc major jubet, et potenti
Obsequens verbo Deus astat aris,
Hóstia factus.
PINGUE libámen, novus et Sacerdos,
Orbe jam toto Deus immolátur:
Se manu nostrâ litat incruento
Fúnere Christus
TALE nil priscis Pátribus tribútum,
Angelis nusquam data par potestas:

Se manu nostrâ Deus ipse cunctis
Præbet in escam.
Christe, fac semper tua sacra puro
Corde tractémus, manibusque puris;
Cáritas aptos tua nos tremendis
Applicet aris.
Lúminis splendor, Patris una proles,
Christe, te pronus venerétur orbis,
Qui Sacerdótes par Amóris almi
Flamen inungis. Amen.

IN I.° NOCTURNO.

Ant. 3. à. Hæc dicit Dóminus: Élegi enm mihi in Sacerdótem, ut ascénderet ad altâre meum. 1. *Reg.* 2.

Ant. 1. g. Implévi eum Spíritu Dei, sapiéntiâ et intelligéntiâ, et sciéntiâ in omni ópere. *Exod.* 31.

Ant. 7. d. Juxta cor meum et ánimam meam fáciet; et ambulábit coram Christo meo cunctis diébus. 1. *Reg.* 2.

℣. Servábo illi misericórdiam meam, ℟. Et testamentum meum fidéle ipsi. *Ps.* 88.

Lectiones de Scriptura occurrente.

℟. I. Dóminum elegisti, ut sit tibi Deus, et ámbules in viis ejus, et custódias cæremónias illíus, et * Dóminus elégit te, ut sis ei, et fáciat te in laudem, et nomen, et glóriam suam. ℣. Noli negligere gratiam quæ in te est, quæ data est tibi, cum impositione mánuum. * Dóminus. *Deut.* 26. 1. *Tim.* 4.

℟. II. Quia sanctus es Dómino Deo tuo, te elégit Dóminus. * Et scies quia Dóminus Deus tuus, ipse est Deus fortis et fidélis, custódiens pactum et misericórdiam diligéntibus se. ℣. Vígila, in ómnibus labóra, opus fac Evangelistæ, ministérium tuum imple. * Et scies. *Deut.* 7. 2. *Tim.* 4.

℟. III. Prædica verbum, ínsta opportúnè, importúnè: * Argue, óbsecra, íncrepa in omni patiéntia, et doctrína. ℣. Discurre, festína, súscita amícum tuum: ne déderis somnum óculis tuis. * Argue. Glória. * Argue. 2. *Tim.* 4. *Prov.* 6.

IN II.° NOCTURNO.

Ant. 5. C. De sacerdótibus non interíbit vir à fácie mea, qui ófferat holocautómata, et incendat sacrifícium. *Jerem.* 33.

Ant. 2. D. Exorábit pro peccátis, et continébit se ab illis, et in oratióne diérum exaudiétur. *Eccli.* 4.

Ant. 8. c. Rogante pro eis Sacerdóte, propítius erit eis Dóminus. *Levit.* 4.

℣. Exáudiet illum de cœlo sancto suo: ℟. In potentátibus salus déxteræ ejus. *Ps.* 19.

Lectiones ut in Proprio Sanctorum.

℟. IV. Oblátio justi impínguat altáre, * Et odor suavitátis est in conspectu Altíssimi. ℣. Multùm enim valet deprecátio justi assídua, * Et odor. *Eccli.* 35. *Jac.* 5.

℟. V. Accédens ad altáre, * Immolávit holocausti victimam pro peccáto pópuli, et extendens manus ad pópulum, benedixit ei. ℣. Fidélis dispensátor et prudens, quem constítuit Dóminus supra famíliam suam, * Immolávit. *Levit.* 9. *Luc.* 12.

℟. VI. Obtulit holocaustum Dómino : et * Clamávit ad Dóminum pro Israel, et † Exaudívit eum Dóminus. ℣. Plúrimam hóstiam óbtulit, per quam testimónium consecútus est esse justus, testimónium perhibente munéribus ejus Deo. * Clamávit. Glória † Exaudívit. 1. *Reg.* 7. *Hebr.* 11.

IN III.° NOCTURNO.

Ant. 4. A. Zelo zelátus sum pro Dómino Deo exercítuum, quia dereliquérunt pactum tuum fílii Israel. 3. *Reg.* 19.

Ant. 7. ç. Quis infirmátur, et ego non infirmor? quis scandalizátur, et ego non uror? 2. *Cor.* 11.

Ant. 1. f. Annuntiábant ut pœniténtiam ágerent, et converterentur ad Deum, digna pœniténtiæ opera facientes. *Act.* 25.

℣. Vidi prævaricantes, et tabescébam; ℟. Quia elóquia tua non custodiérunt. *Ps.* 118.

Evangelium et Homilia ut in Proprio.

℟. VII. Operátus est bónum, et rectum, et verum coram Dómino Deo suo, * In universa cultúra domûs Dómini juxta legem et cæremónias. ℣. Fidélis erat in tota domo Dei tanquam fámulus. * In. 2. *Par.* 31. *Heb.* 3.

℟. VIII. Mónita salútis dabat eis, et consolabátur eos : * Esurientes alébat, nudisque vestimenta præbébat, et mórtuis sepultúram sollícitus exhibébat. ℣. In opéribus bonis testimónium habens, tribulatiónem patiéntibus subministrávit, omne opus bonum subsecútus est. * Esurientes. *Tob.* 1. 1. *Tim.* 5.

℟. IX. Avertit iram meam à fíliis Israel; * Quia zelo meo commótus est contra eos, ut non ipse delérem fílios Israel in zelo meo : † Ecce do ei pacem fœderis mei. ℣. Justítiæ quæ per fidem est, hæres est institútus. * Quia. Glória Patri. † Ecce. *Num.* 25. *Heb.* 11.

Te Deum.

℣. *Sacerd.* Benedícite, Sacerdótes Dómini, Dómino; ℟. Laudáte et superexaltáte eum in sécula. *Dan.* 3.

AD LAUDES.

Ant. 7. a. Vir Dei es tu, et verbum Dómini in ore tuo verum est. 3. *Reg.* 17.

Ant. 2. D. Ecce docuisti multos : et manus lassas roborasti : vacillantes confirmavérunt sermónes tui. *Job* 4.

Ant. 6. F. Scriptus es in judíciis témporum leníre iracúndiam Dómini. *Eccli.* 48.

[*In Semidupl.* , *et suprà* ,

Ant. 7. d. Tu assecútus es.

CANTICUM.

(Malach. c. 2.)

Sacerdotis et Sacerdotii laudes celebrantur.

PACTUM meum fuit cum eo, vitæ et pacis : * et dedi ei timórem, et tímuit me, et à facie nóminis mei pavébat.

Lex veritátis fuit in ore ejus ; * et iníquitas non est inventa in lábiis ejus.

In pace et in æquitáte ambulávit mecum, * et multos avertit ab iniquitáte.

Lábia enim Sacerdótis custódient sciéntiam ; et legem requírent ex ore ejus ; * quia ángelus Dómini exercítuum est.]

Ant. Tu assecútus es doctrínam, fidem, longanimitátem, dilectiónem, patientiam. 2. *Tim.* 3.

Ant. 8. G. Beátus ille servus, quem, cùm vénerit Dóminus ejus, invénerit sic facientem : super ómnia bona sua constituet eum. *Mat.* 24.

Capitulum. (1. *Tim.* 5.)

QUI bene præsunt Presbyteri, dúplici honóre digni habeantur ; máxime qui labórant in verbo et doctrína.

HYMNUS.

O SACERDOTUM veneranda jura !
Ceu vices Christi téneant, salútis
Arbitri, claudunt reserantque nobis
Atria cœli.

OMNE pendentes scelus in statéra,
Cùm reum solvunt, Deus ipse solvit :
Cùm ligant sontem, Deus ipse sontis
Víncula nectit.

QUAM manus morbis ádhibent perítas !
Cùm secant, semper pia dextra cædit ;
Cùm fovent, semper pia lenit ungens
Súlnera dextra.

VERBA dum promunt, pópulus fidélis
Excipit vocem, cúpidus docéri ;
Nempe divínæ sacra verba legis
Mente recondunt.

IRRUENS prompti cohibére fulmen,
Stant ab adverso, Dóminumque placant,
Víndices in nos quóties ab alto
Dépluit iras.

Dum Sacerdótes tua sacra tractant,
Christe, fac sacris quibus applicasti,
Cónsonent mores, populíque fiat
Forma Sacerdos.
Luminis splendor, Patris una proles,
Christe, te pronus venerátur orbis,
Qui Sacerdótes per Amóris almi
Flamen inungis. Amen.

℣. Sacerdótes ejus índuam salutári; ℟. Et sancti ejus exultatióne exultábunt. *Ps.* 131.

Ad Benedictus, *Ant.* 1. D. Euge, serve bone et fidélis; quia super pauca fuisti fidélis, super multa te constítuam; intra in gáudium dómini tui. *Matth.* 25.

ORATIO.

Domine Deus omnípotens, qui fámulum tuum *N.* ut sacerdótio tibi fungerétur, à pópulo segregasti: ejus nos intercessióne à peccatóribus ségrega; ut, secundùm vocatiónem nostram, gens sancta, et regále sacerdótium coram te efficiámur; Per.

ALIA ORATIO.

Deus, qui in Ecclésiæ tuæ decus et subsídium, beátum *N.* verendo sacerdótii ministério decorasti: præsta ut, per quem pópulus tuus Evangélii verbum, et Dominici córporis sacramentum suscépit, ejus patrocínio dignos utriusque fructus percípiat; Per eumdem.

AD PRIMAM.

Ant. 7. a. Vir Dei.

AD TERTIAM.

Ant. 2. D. Ecce.

Capitulum. (1. *Tim.* 4.)

Attende tibi, et doctrínæ: insta in illis; hoc enim fáciens, et teipsum salvum fácies, et eos qui te áudiunt.

℟. *br.* Os meum annuntiábit * Justítiam tuam, Dómine. Os. ℣. Pronuntiábo * mirabília tua, * Justítiam. Glória. Os meum. *Ps.* 70.

℣. Ecce lábia mea non prohibébo, ℟. Dómine, tu scisti. *Ps.* 39.

AD SEXTAM.

Ant. 6. F. Scriptus es.

Capitulum. (1. *Tim.* 1.)

Gratias ago ei, qui me confortávit, Christo Jesu Dómino nostro, quia fidélem me existimávit, ponens in ministério.

℟. *br.* Tribuat tibi * Secundùm cor tuum. Tribuat. ℣. Impleat Dóminus * omnes petitiónes tuas, * Secundùm. Glória. Tribuat.

℣. Memor sit omnis sacrifícii tui; ℟. Et holocaustum tuum pingue fiat. *Ps.* 19.

AD NONAM.

Ant. 8. G. Beátus.

Capitulum. (1. *Tim.* 3.)

Qui bene ministráverint, gradum bonum sibi acquírent, et multam fidúciam in fide, quæ est in Christo Jesu.

℟. *br.* Hic accípiet* Benedictiónem à Dómino. Hic. ℣. Et misericórdiam à Deo salutári suo; * Benedictiónem. Glória. Hic. *Ps.* 13.

℣. Beátus quem elegísti, et assumpsísti; ℟. Inhabitábit in átriis tuis. *Ps.* 64.

AD II. VESPERAS.

Ant. 3. a. Fdélis servus et prudens, quem constítuit Dóminus super famíliam suam. *Matth.* 24.

Ant. 4. E. De omni corde suo laudávit Dóminum: et dedit in celebratiónibus decus. *Eccli.* 47.

Ant. 1. D. Obtulit holocausta super altáre; odoratusque est Dóminus odórem suavitátis. *Gen.* 8.

Ant. 6. F. Confirmávit omnes húmiles pópuli sui, et legem exquisívit, et ábstulit omnem iníquum et malum: sancta glorificávit. 1. *Mach.* 14.

Ant. 7. *d.* Cógnitus est in verbis suis fidélis: et invocávit Dóminum omnipotentem, in oppugnando hostes circumstantes úndique, in oblatióne Agni invioláti. *Eccli.* 46.

Capitulum. (*Eccli.* 44.)

Beatificavit illum Deus, in glóriâ, et circumcinxit eum zonâ glóriæ, et índuit eum stolam glóriæ, et coronávit eum in vasis virtútis.

Hymnus, Cessant figúræ, *In I. Vesperis*, XXXV.

℣. Dómine, dilexi decórem domûs tuæ: ℟. Et locum habitatiónis glóriæ tuæ. *Ps.* 25.

Ad Magníficat, *Ant.* 5. C. Ubi sum ego, illic et minister meus erit. Si quis mihi ministráverit, honorificábit eum Pater meus. *Joan.* 12.

Oratio ut supra ad Laud.

COMMUNE SS. ABBATUM, MONACHORUM, COENOBITARUM, ET ANACHORETARUM.

IN I. VESPERIS.

Ant. 2. D. Quid prodest hómini, si mundum universum lucrétur, ánimæ verò suæ detrimentum patiátur? *Matth.* 16.

Ant. 8. c. Si vis perfectus esse, vade, vende quæ habes, et da paupéribus; et habébis thesaurum in cœlo. *Matth.* 19.

Ant. 6. F. Nemo est qui relíquerit domum, aut agros propter me, qui non accípiat cénties tantùm in témpore hoc, et in século futúro vitam æternam. *Marc.* c. 10.

Ant. 3. b. Salva ánimam tuam: noli respícere post tergum; salvum te fac, ne péreas. *Genes.* 19.

Ant. 7. c. Séquere me, et dimitte mórtuos sepelíre mórtuos suos. *Matth.* 8.

Capitulum. (2. *Cor.* 6.)

EXÍTE de médio eórum, et separámini, dicit Dóminus, et immundum ne tetigéritis: et ego recípiam vos; et ero vobis in patrem, et vos éritis mihi in fílios.

In Duplicibus, et supra:

℟. Susceptor meus es tu, Dómine, et in verbum tuum supersperávi: * Declináte à me, maligni, et † Scrutábor mandáta Dei mei. ℣. Magister, sequar te quócumque íeris. * Declináte à me. Glória Patri. † Scrutábor. *Ps.* 118. *Matth.* 8.

HYMNUS.

FELÍCES némorum púgimus íncolas,
Certo consílio quos Deus ábdidit,
Ne contágio secli
Mores læderet íntegros.
UT te possídeant, quem sítiunt Deum,
Urbes, regna, suos, se quoque déserunt:
Totus víluit orbis,
Dum cœléstia cógitant.
NUDI, prompti, álacres, líberi ab ómnibus,
Ad luctam púgiles ócius ádvolant:
Ut vastum mare tranent,
Prudentes onus éxuunt.
ÆTERNAS ut opes, cértaque gáudia
Secúri rápiant, ómnia lúdicra

Sano péctore temnunt,
Confísi melióribus.
ILLIS summa fuit glória,
déspici;
Illis divítiæ, paupériem pati;
Illis summa voluptas,
Longo supplício mori.
FAC nos, summe Deus,
quæ pátimur mala,
In pœnam scélerum ferre libéntiùs;
Et, tellúre relictâ,
Immortália quærere.
ÆTERNUS sit honos ingénito Patri;
Sit par unígenæ glória Fílio:
Sacri nexus amóris,
Laus compar tibi, Spíritus.
Amen.

Si sit Abbas, ℣. Potens in terra erit semen ejus: ℟. Generátio rectórum benedicétur. *Ps.* 111.

Ad Magníficat, *Ant.* 8. G. Egrédere de cognatióne tua, et de domo patris tui; et veni in terram quam monstrábo tibi: faciamque te in gentem magnam, et benedícam tibi. *Genes.* 12.

Oratio, ut infrà ad Laudes.

Si non sit Abbas, ℣. In umbra alárum tuárum sperábo, ℟. Donec tránseat iníquitas. *Ps.* 56.

Ad Magníficat, *Ant.* 4. *D.* Reliquisti parentes tuos: plenam mercédem recípias à Dómino Deo, ad quem venisti, et sub cujus confugisti alas. *Ruth* 2.

Oratio, ut infrà ad Laud.

[*In Solemnibus-majoribus et supra, ad Completorium: Ant.* 4. c. Qui hábitant in deserto, secúri dórmient in sáltibus: et ponam eos in circúitu collis mei benedictiónem. *Ezech.* 34.

Ad Nunc dimittis, *Ant.* 2. A. Habitábit in solitúdine judícium; et erit opus justítiæ pax, et cultus justítiæ siléntium, et secúritas usque in sempiternum. *Is.* 32.]

AD OFFIC. NOCTURNUM.

INVITATORIUM.

REMUNERATOREM inquiréntibus se, Deum, * Veníte, adorémus. *Hebr.* 11.

Ps. 94. Veníte, 2.

Hymnus, Felíces, *ut suprà.*

IN I.° NOCTURNO.

Ant. 1. g. Omnis ex vobis qui non renúntiat ómnibus quæ póssidet, non potest meus esse discípulus. *Luc.* 14.

Ant. 7. ç. Véndite quæ possidétis, et date eleemósynam: fácite vobis thesaurum non deficientem in cœlis. *Luc.* 12.

Ant. 8. G. Nolíte quærere quid manducétis, aut quid bibátis: quærite primùm regnum Dei, et justítiam ejus; et hæc ómnia adjicientur vobis. *Luc.* 12.

℣. Non est inópia timéntibus Dóminum: ℟. Dívites eguérunt et esuriérunt. *Ps.* 33.

Lectiones de Scriptura occurrente.

℟. I. Fúgite de médio Babylónis, et salvet unusquisque ánimam suam; * Quóniam tempus ultiónis est à Dómino. ℣. Exíte de illa, pópulus meus, ut ne partícipes sitis delictórum ejus, et de plagis ejus non accipiátis; * Quóniam. *Jerem.* 51. *Apoc.* 18.

℟. II. Vade, pópule meus, intra in cubícula tua, abscóndere módicùm, * Donec pertránseat indignátio. ℣. Veníte seorsum in desértum locum, et requiéscite, * Donec. *Is.* 26. *Marc.* 6.

℟. III. Exeámus ad Jesum extra castra, impropérium ejus portantes; * Non enim habémus hìc manentem civitátem, sed futúram inquírimus. ℣. Peregríni sumus coram te, Deus: dies nostri quasi umbra super terram; * Non. Glória Patri. * Non. *Hebr.* 13. 1. *Paral.* 29.

IN II.° NOCTURNO.

Ant. 3. c. Ecce nos relíquimus ómnia, et secúti sumus te. *Matth.* 19.

Ant. 7. c. Esurímus, et sitímus, et nudi sumus, et laborámus operantes mánibus nostris. 1. *Cor.* 4.

Ant. 2. D. Non defícimus: sed licèt is qui foris est, noster homo corrumpátur; tamen ís qui intùs est, renovátur de die in diem. 2. *Cor.* 4.

℣. Rédimit Dóminus de intéritu vitam tuam: ℟. Renovábitur ut áquilæ juventus tua. *Ps.* 102.

Lectiones, ut in Proprio.

℟. IV. Omnis qui in agóne contendit, ab ómnibus se ábstinet: * Ego ígitur sic curro, non quasi in incértum: sic pugno, non quasi áerem vérberans; sed castígo corpus meum, et in servitútem rédigo. ℣. A juventúte mea investigábam sapiéntiam: colluctáta est ánima mea in illa, et in faciendo eam confirmátus sum: * Ego. 1. *Cor.* 9. *Eccli.* 51.

℟. V. Non secundùm carnem ambulámus, sed secundùm spíritum; quóniam sapiéntia carnis inimica est Deo: * Qui autem in carne sunt, Deo placére non possunt. ℣. Excelsus Deus et hábitans cum contríto et húmili spíritu; ut vivíficet spíritum humílium, et vivíficet cor contritórum: * Qui. *Rom.* 8. *Is.* 57.

℟. VI. Quæ mihi fuérunt lucra, hæc arbitrátus sum propter Christum detrimenta; * Ut invéniar in illo habens justítiam quæ ex fide est, configurátus morti ejus. ℣. Elégi abjectus esse in domo Dei mei, magis quàm habitáre in tabernáculis peccatórum; * Ut. Glória. * Ut. *Philipp.* 3. *Ps.* 83.

IN III.° NOCTURNO.

Ant. 4. E. Omnes erant perseverantes unanímiter in oratióne. *Act.* 1.

Ant. 5. F. Possessiónes et substántias vendébant, et dividébant illa ómnibus, prout cuíque opus erat. *Act.* 11.

Ant. 6. C. Plorábant, et jejunábant, et orábant in conspectu Dómini. *Baruch* 1.

℣. Flévimus, cùm recordarémur Sion: ℟. Quómodò cantábimus in terra aliéna? *Ps.* 136.

Evangelium et Homilia, ut in Proprio.

℟. VII. Sapiéntia direxit ópera eórum: * Iter fecérunt per deserta quæ non habitabantur; et in locis desertis fixérunt casas. ℣. Circuiérunt in péllibus caprínis, egentes, angustiáti, afflicti; quibus dignus non erat mundus: in solitudínibus errantes, et in cavernis terræ. * Iter. *Sap.* 11. *Hebr.* 11.

℟. VIII. Multitúdinis erat cor unum, et ánima una: nec quisquam áliquid suum esse dicébat; sed * Erant illis ómnia commúnia. ℣. Ecce quàm bonum et quàm jucundum habitáre fratres in unum! * Erant. *Act.* 4. *Ps.* 132.

℟. IX. Pars Dómini pópulus ejus: invénit eum in terra deserta, circumduxit, et docuit, atque portávit in húmeris suis; * Et constítuit super excelsam terram. ℣. Confitentes quia peregríni et hóspites sunt super terram, pátriam meliórem ápetunt: ídeò parávit illis civitátem; * Et. Glória. * Et. *Deut.* 32. *Hebr.* 11.

Te Deum.

℣. *Sacerd.* Benedícite, sancti, et húmiles corde, Dómino: ℟. Laudáte, et superexaltáte eum in sécula. *Dan.* 3.

AD LAUDES.

Ant. 7. d. Perféctio tua, Dómine, et doctrína tua viro sancto tuo, qui dixit patri suo et matri suæ: Néscio vos; et frátribus suis: Ignóro vos. *Deut.* 33.

Ant. 1. g. Non sedi in concílio ludéntium; solus sedébam, quóniam comminatióne replesti me. *Jer.* 15.

Ant. 3. b. Exui me stolâ pacis, índui autem me sacco obsecratiónis; et venit mihi gáudium à Sancto. *Baruch* 4.

[*In Semidupl., et suprà,*

Ant. 4. a. Mihi.

CANTICUM.

(Thren. 3.)

Quærentium Deum beatitudo.

Pars mea Dóminus, dixit ánima mea; * propterèa expectábo eum.

Bonus est Dóminus sperántibus in eum, * ánimæ quærenti illum.

Bonum est præstolári cum siléntio * salutáre Dei.

Bonum est viro, * cùm portáverit jugum ab adolescéntiâ suâ.

Sedébit solitárius, et tacébit, * quia levávit super se.

Ponet in púlvere os suum, * si fortè sit spes.

Ant. Mihi mundus crucifixus est, et ego mundo. *Gal.* 6.

Ant. 8. *G.* In voce laudis immolábo tibi: quæcumque vovi, reddam pro salúte Dómino. *Jonæ* 2.

Capitulum. (*Isaiæ* 51.)

CONSOLABITUR Dóminus Sion, et consolábitur omnes ruínas ejus; et ponet desértum ejus quasi delícias, et solitúdinem ejus quasi hortum Dómini. Gáudium et lætítia inveniétur in ea, gratiárum áctio, et vox laudis.

Pro S. Abbate, Monacho, et Cœnobita.

HYMNUS.

O PULCHRAS ácies, cástraque fórtia,
Quæ spes, una fides, unus amor regit!
Omnes lege sub una,
Uno sub duce mílitant.
HEU! quantis rápiunt astra labóribus!
Pulsant perpétuis quéstibus æthera;
Per jejúnia longa
Vires córporis átterunt.
VOTIS unánimes, vi quoque flétuum
Instant, et sócias ingéminant preces,
Et concórdibus armis
Vim cœlo simul ínferunt.
HÆC vis grata Deo; sic amat óptimus
Vinci per lácrymas, per gémitus, Pater:
Sic duris reserátur
Cœlum conditiónibus.
FERVENT quando die cuncta tumúltibus,
Altum turba silet; cétera dum tacent,
Hi per cántica rumpunt
Noctis longa siléntia.
EXERCET vígiles continuus labor;
Incumbunt óperi non resídes manus;
Tellus culta colónis
Victum suppéditat suis.
QUIN regína suî mens quoque súbditur,
Rectorisque studet nútibus óbsequi:
Nil servat sibi juris,
Capto libérior jugo.
ÆTERNUS sit honos ingénito Patri:
Sit par unígenæ glória Fílio:
Sacri nexus amóris,
Laus compar tibi, Spíritus.
Amen.

Pro S. Anachoreta et Solitario,

HYMNUS.

QUID tu, relictis úrbibus,
Mortálium consórtia
Timens fugis? quid tu vides,
Solusque tecum cógitas?
MENTIS volátu líbero,
Percurris æternas domos;
Et quæ negas mortálibus,
Transfers Deo commércia.
PRÆSENS choris cœléstibus,
Sacro quiétus ótio,
Totus tuendo Númini,
Totus colendo tu vacas.

QUAM pura, qui te díligunt,
O Christe, líbant gáudia!
Te propter antris ábditos
Sinu recondis in tuo.

ÆTERNE tu Verbi Pater,
Æterne Fili par Patri,
Et par utríque Spíritus,
Tibi, Deus, sit glória.
Amen.

Si sit Abbas, ℣. Veníte, fílii, audíte me: ℟. Timórem Dómini docébo vos. *Ps.* 33.

Ad Benedictus, *Ant.* 1. *D.* Ecce ego et púeri mei, quos dedit mihi Dóminus in signum et in portentum Israel à Dómino exercítuum, qui hábitat in monte Sion. *Is.* 8.

ORATIO.

DEUS, cujus múnere beátus *N.* Abbas Christum páuperem sequi, et húmilem corde usque in finem perseverávit imitári: da cunctis sémitam mandatórum tuórum ingressis, ut nec retrò respíciant, nec in via hæreant; sed ad te sine offensióne currentes, vitam æternam apprehendant; Per eumdem.

ALIA ORATIO.

DA nobis, quæsumus, Deus noster, beáti Abbátis *N.* intercessiónibus sublevári; ut per quem servis tuis perfectiónis evangélicæ documenta donasti, per eum nobis subsídia perpétuæ salútis impendas; Per.

Si non sit Abbas, ℣. Clamávi ad te, Dómine, dixi: Tu es spes mea, ℟. Pórtio mea in terra vivéntium. *Ps.* 141.

Ad Benedictus, *Ant.* 5. C. Pars mea Dóminus, dixit ánima mea. Bonus est Dóminus ánimæ quærenti illum. Bonum est præstolári cum siléntio salutáre Dei. *Thren.* 3.

ORATIO.

OMNÍPOTENS, sempiterne Deus, terréna pro te calcántium merces magna nimis: da nobis exemplo et intercessióne beáti *N.* cujus hódie tránsitum celebrámus, temporália ómnia despícere, et ad æterna, totà mentis intentióne festináre; Per Dóminum.

ALIA ORATIO.

QUÆRÉNTIUM te, Dómine, Salvátor et custos, qui beáto *N.* ne párticeps esset coinquinatiónis, renuntiáre sæculo, et sub alas tuas confúgere tribuisti: ejus intercessióne, da pópulo tuo diabólica vitáre contágia, et te solum Dóminum purâ mente sectári; Qui vivis.

AD PRIMAM.

Ant. 7. d. Perféctio.

AD TERTIAM.

Ant. 1. *g.* Non sedi.

Capitulum. (1. *Joan.* 2.)

SI QUIS díligit mundum, non est cáritas Patris in eo; quóniam omne quod est in

mundo, concupiscéntia carnis est, et concupiscéntia oculórum, et supérbia vitæ, quæ non est ex Patre, sed ex mundo est. Et mundus transit, et concupiscéntia ejus: qui autem facit voluntátem Dei, manet in æternum.

℟. *br.* Elongávi fúgiens: * Mansi in solitúdine. Elongávi. ℣. Quóniam vidi iniquitátem * et contradictiónem in civitáte, * Mansi. Glória Patri. Elongávi fúgiens. *Ps.* 54.

℣. Confíge timóre tuo carnes meas; ℟. A judíciis enim tuis tímui. *Ps.* 118.

AD SEXTAM.

Ant. 3. b. Exui me.

Capitulum. (*Hebr.* 12.)

Omnis disciplína in præsenti quidem vidétur non esse gáudii, sed mœróris; póstea autem fructum pacatíssimum exercitátis per eam reddet justítiæ.

℟. *br.* Propter verba labiórum tuórum * Ego custodívi vias duras. Propter. ℣. Pérfice gressus meos * in sémitis tuis. * Ego. Glória Patri. Propter. *Ps.* 16.

℣. Induébar cilício: ℟. Humiliábam in jejúnio ánimam meam. *Ps.* 34.

AD NONAM.

Ant. 8. *G.* In voce laudis.

Capitulum. (*Eccli.* 51.)

Vidéte óculis vestris quia módicum laborávi, et invéni mihi multam réquiem. Assúmite disciplínam in multo número argenti, et copiósum aurum possidéte in ea. Lætétur ánima vestra in misericórdia ejus; et non confundémini in laude ipsíus.

℟. *br.* Sépties in die * Laudem dixi tibi. Sépties in die. ℣. Super judícia * justítiæ tuæ, * Laudem. Glória Patri. Sépties.

℣. Cantábiles mihi erant justificatiónes tuæ, ℟. In loco peregrinatiónis meæ. *Ps.* 118.

AD II. VESPERAS.

Ant. 2. D. Sumus húmiles in universa terra, Dómine: sed in ánimo contríto et spíritu humilitátis suscipiámur; quóniam non est confúsio confidéntibus in te. *Dan.* 3.

Ant. 8. G. Non derelínquimur, semper mortificatiónem Jesu in córpore nostro circumferentes; ut et vita Jesu manifestétur in carne nostra mortáli. 2. *Cor.* 4.

Ant. 6. F. Quasi morientes, et ecce vivimus; quasi tristes, semper autem gaudentes; tanquam nihil habentes, et ómnia possidentes. 2. *Cor.* 6.

Ant. 7. d. Omnes unánimes, compatientes, fraternitátis amatóres, misericórdes, modesti, húmiles. 1. *Petr.* 3.

Ant. 4. *D.* Teneámus spei nostræ confessiónem indeclinábilem, (fidélis enim est qui repromísit) et consideremus ínvicem in provocatiónem caritátis et bonórum óperum. *Hebr.* 10.

Capitulum. (*Deut.* 7.)

Dominus Deus ipse est fortis et fidélis, custódiens pactum et misericórdiam diligéntibus se, et his qui custódiunt præcepta ejus in mille generatiónes.

Hymnus, Felíces, XLII.

Si sit Abbas, ℣. Justus ut palma florébit, ℟. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur. *Ps.* 91.

Ad Magníficat, *Ant.* 1. D. Atténdite ad patrem vestrum, qui sequímini quod justum est, et quæritis Dóminum; quia unum vocávi eum, et benedixi ei, et multiplicávi eum. *Is.* 51.

Oratio, ut suprà ad Laud.

Si non sit Abbas, ℣. Plantáti in domo Dómini, florébunt; ℟. Ut annúntient quóniam rectus Dóminus. *Ps.* 91.

Ad Magníficat, *Ant.* 3. E. Scimus quóniam, si terréstris domus nostra dissolvátur, ædificatiónem ex Deo habémus æternam in cœlis: nam et in hoc ingemíscimus, habitatiónem nostram quæ de cœlo est, superíndui cupientes. 2. *Cor.* 5.

Oratio, ut suprà ad Laudes.

COMMUNE JUSTORUM.

IN I. VESPERIS.

Ant. 7. a. Dicébat Jesus ad omnes: Si quis vult post me veníre, ábneget semetipsum, et tollat crucem suam quotídie, et sequátur me. *Luc.* 9.

Ant. 2. D. Dico vobis: Nisi abundáverit justítia vestra plusquàm Scribárum et Pharisæórum, non intrábitis in regnum cœlórum. *Matth.* 5.

Ant. 6. *C.* Nisi conversi fuéritis, et efficiámini sicut párvuli, non intrábitis in regnum cœlórum. *Matth. c.* 18.

Ant. 8. G. Non omnis qui dicit mihi: Dómine, Dómine, intrábit in regnum cœlórum; sed qui facit voluntátem Patris mei qui in cœlis est, ipse intrábit in regnum cœlórum. *Matth.* 7.

Ant. 4. *D.* Conténdite intráre per angustam portam; quia multi, dico vobis, quærent intráre, et non póterunt. *Luc.* 13.

Capitulum. (*Eccli.* 2.)

Qui timétis Dóminum, cré-

dite illi; et non evacuábitur merces vestra. Qui timétis Dóminum, speráte in illum; et in oblectatiónem véniet vobis misericórdia. Qui timétis Dóminum, dilígite illum; et illuminabuntur corda vestra.

In Duplicibus, et supra:

℟. Qui timent Dóminum, non erunt incredíbiles verbo illíus; et * Qui díligunt illum, conservábunt viam illíus. ℣. Plenitúdo legis est diléctio. * Qui. Glória. * Qui. *Eccli.* 2. *Rom.* 13.

HYMNUS.

Summi pusillus grex Patris,
Timóre mentem sólvite;
Sui paternus vos amor
Vult esse regni cómpotes.

En regnat inter Cœlites,
Qui vixit olim século
Ignótus, exósus sibi,
Qui pauper, et sciens pati.

Angusta pœniténtiæ
Ingressus, et viam crucis,
Per dura Christum prælia,
Per damna non timet sequi.

Carnem terit jejúniis;
Linguam domat siléntio;
In páuperum, parcus sibi,
Abscondit et spargit sinu.

Sapóre verbi páscitur;
Totóque legem péctore
Scrutátus, orat pérvigil;
Mens celsa versátur polo.

Hac surgit ad cœlum viâ:
Et nos eâdem da, Pater,
Da, Nate, da cum Spíritu,
Ad te veníre sémitâ.

Amen.

℣. Sperent in te qui novérunt nomen tuum; ℟. Quóniam non dereliquisti quærentes te, Dómine. *Ps.* 9.

Ad Magníficat, *Ant.* J. Qui confídunt in Dómino, intélligent veritátem: et fidéles in dilectióne acquiescent illi; quóniam donum et pax est electis ejus. *Sap.* c. 3.

Oratio, ut infrà ad Laudes.

[*In Solemnibus-majoribus et supra, ad Completorium: Ant.* 2. A. Vigiláte, et estóte paráti; quia quâ nescítis horâ Fílius hóminis ventúrus est. *Matth.* 24.

Ad Nunc dimittis, *Ant.* 6. C. Oculus non vidit, Deus, absque te, quæ præparasti expectántibus te. *Is.* 64.]

AD OFFIC. NOCTURNUM.

INVITATORIUM.

Diligentem justos Dóminum, * Veníte, adorémus. *Ps.* 145.

Ps. 94. Veníte, 2.

HYMNUS.

Non parta solo sánguine
Ornat beátos púrpura:
Sunt incruenta, quæ suos
Habent triumphos, prælia.

Non iste flammas, non cruces,
Non sensit uncos péctines;
Crudélis et durus sibi
Se morte lentâ cónficit.

Si lictor illi défuit,
Si vincla, fustes, úngulæ;
Paráta pro Christo mori
Hoc supplet omne cáritas.

Corpus subégit cástitas,
Et líberam mentem fides;
Amor supernis ígnibus
Totam litávit hóstiam.

Venis apertis ómnibus,
Qui vellet ultro erúmpere,
Fraudátus optátâ viâ,
It fusus in fletum cruor.

Da, Christe, sic nos vívere,
Discámus ut semper mori:
Da, post brevis vitæ dies,
Vitæ perennis gáudia.

Æterne tu Verbi Pater,
Æterne Fili par Patri,
Et par utríque Spíritus,
Tibi, Deus, sit glória.
Amen.

IN I.° NOCTURNO.

Ant. 1. a. Qui vult vitam dilígere, et dies vidére bonos, declínet à malo, et fáciat bonum. 1. *Petr.* 3.

Ant. 4. *D.* Cùm ingressus fúeris sémitas æquitátis, non arctabuntur gressus tui; et currens, non habébis offendículum. *Prov.* 4.

Ant. 7. d. Inhabitábis cum justítia, et próteget te in sempiternum; et in die agnitiónis invénies firmamentum. *Eccli.* 27.

℣. In nómine tuo exultábunt justi, Dómine, ℟. Et in justítia tua exaltabuntur. *Ps.* 88.

Lect. de Scriptura occurrente.

℟. I. Tóllite jugum meum super vos, et díscite à me quia mitis sum et húmilis corde: * Et inveniétis réquiem animábus vestris; jugum enim meum suáve est, et onus meum leve. ℣. Interrogáte quæ sit via bona, et ambuláte in ea: * Et inveniétis. *Matth.* 11. *Jerem.* c. 6.

℟. II. Nihil dúlcius, quàm respícere in mandátis Dómini. * Glória magna est sequi Dóminum. ℣. Si quis mihi ministrat, me sequátur; et ubi sum ego, illic et minister meus erit. * Glória magna. *Eccli.* 23. *Joan.* 12.

℟. III. Omnis qui venit ad me, et audit sermónes meos, et facit eos, ostendam vobis cui símilis sit: * Símilis est hómini ædificanti domum, qui † Fodit in altum, et pósuit fundamentum super petram. ℣. Beátus homo, cui donátum est habére timórem Dei: qui tenet illum, cui assimilábitur? * Símilis est. Glória. † Fodit. *Luc.* 6. *Eccli.* 25.

IN II.° NOCTURNO.

Ant. 8. *G.* Turris fortíssima nomen Dómini: ad ipsum currit justus, et exaltábitur. *Prov.* 18.

Ant. 6. F. Deridétur justi simplícitas: lampas contempta apud cogitatiónes dívitum, paráta ad tempus statútum. *Job* 12.

Ant. 5. a. Benedíctio Dei in mercédem justi festínat; et in hora velóci processus illíus fructíficat. *Eccli.* 11.

℣. Gloriabuntur in te

omnes qui díligunt nomen tuum, ℟. Quóniam tu benedíces justo. *Ps.* 5.

Lectiones, ut in Proprio.

℟. IV. Quàm magnus qui invénit sapiéntiam et sciéntiam! sed * Non est super timentem Dóminum. ℣. Mundémus nos ab omni inquinamento carnis et spíritûs, perficientes sanctificatiónem in timóre Dei: * Non est. *Eccli.* 25. 2. *Cor.* 7.

℟. V. Si quis emundáverit se, * Erit vas in honórem sanctificátum, et útile Dómino, ad omne opus bonum parátum. ℣. Sápiens cor *abstinébit se* à peccátis, et in opéribus justítiæ successus habébit: * Erit vas. 2. *Tim.* 2. *Eccli.* 3.

℟. VI. Beátus qui inventus est sine mácula, et qui post aurum non ábiit, nec sperávit in pecúnia et thesauris: * Qui probátus est in illo, et perfectus est, † Erit illi glória æterna. ℣. Probátio vestræ fídei multò pretiósior auro: * Qui. Glória. † Erit. *Eccli.* 31. 1. *Petr.* 1.

IN III. • NOCTURNO.

Ant. 8. *G.* Qui sperant in Dómino, mutábunt fortitúdinem; current, et non laborábunt; ambulábunt, et non defícient. *Is.* 40.

Ant. 2. D. Tenébit justus viam suam, et mundis mánibus addet fortitúdinem. *Job* 17.

Ant. 3. a. Qui fidúciam habet meî, hæreditábit terram, et possidébit montem sanctum meum. *Is.* 57.

℣. Beátus vir cujus est nomen Dómini spes ejus; ℟. Et non respexit in vanitátes et insánias falsas. *Ps.* 39.

Evangelium et Homilia, ut in Proprio.

℟. VII. Sint lumbi vestri præcincti, et lucernæ ardentes in mánibus vestris: * Et vos símiles homínibus expectántibus dóminum suum; ut, cùm vénerit, confestim apériant ei. ℣. Qui vigiláverint ad illum, justítias quasi lumen accendent: * Et vos. *Luc.* 12. *Eccli.* 32.

℟. VIII. Ego in justítia apparébo conspéctui tuo, Dómine: * Satiábor, cùm apparúerit glória tua. ℣. Nunc cognosco ex parte; tunc autem cognoscam sicut et cógnitus sum. * Satiábor. *Ps.* 16. 1. *Cor.* 13.

℟. IX. Sapiéntia justum deduxit per vias rectas, et ostendit illi regnum Dei; et * Dedit illi sciéntiam sanctórum: † Honestávit illum in labóribus, et complévit labóres illíus. ℣. Regnum Dei justítia est, et pax in Spíritu sancto: qui in hoc servit Christo, placet Deo. * Dedit. Glória. † Honestávit. *Sap.* 10. *Rom.* 14.

Te Deum.

℣. *Sacerd.* Benedícite, servi Dómini, Dómino: ℟. Lau-

dáte et superexaltáte eum in sécula. *Dan.* 3.

AD LAUDES.

Ant. 1. f. Ante Dóminum qui elégit me, vílior fiam plusquàm factus sum; et ero húmilis in óculis meis. 2. *Reg.* 6.

Ant. 8. c. Semper quasi tumentes super me fluctus timui Deum, et pondus ejus ferre non pótui. *Job* 31.

Ant. 4. d. A mandátis labiórum ejus non recessi, et in sinu meo abscondi verba oris ejus. *Job* 23.

[*In Semidupl., et suprà,*

Ant. 5. a. Ambulávit.

CANTICUM.

(Prov. 10 et 11.)

Justorum beatitudo.

Benenictio Domini super caput justi : * os autem impiórum óperit iníquitas.

Memória justi cum láudibus : * et nomen impiórum putrescet.

Opus justi ad vitam; * fructus autem ímpii ad peccátum.

Argentum electum, lingua justi; * cor autem impiórum pro níhilo.

Quasi tempestas tránsiens non erit ímpius : * justus autem quasi fundamentum sempiternum.

Timor Dómini appónet dies : * et anni impiórum breviabuntur.

Expectátio justórum lætítia : * spes autem impiórum períbit.

Non próderunt divítiæ in die ultiónis : * justítia autem liberábit à morte.

Justítia simplícis díriget viam ejus : * et in impietáte sua córruet ímpius.

Justítia rectórum liberábit eos : * et in insídiis suis capientur iníqui.]

Ant. Ambulávit pes meus iter rectum : zelátus sum bonum; et non confundar. *Eccli.* 51.

Ant. 3. à. Donec súperest hálitus in me, non loquentur lábia mea iniquitátem, nec lingua mea meditábitur mendácium. *Job* 27.

Capitulum. (2. *Cor.* 1.)

Glória nostra hæc est, testimónium conscientiæ nostræ, quòd in simplicitáte cordis et sinceritáte Dei, et non in sapiéntia carnáli, sed in grátia Dei conversáti sumus in hoc mundo.

HYMNUS.

Qui te, Deus, sub íntimo
Amans recépit péctore,
Non ille terras ámplius
Suspírat, oblítus suî.

Quid ergo gaudes néctere
Tristes moras amántibus?
Terris retardas éxules,
Cives polo quos déstinas.

Hinc fervet in dies amor;
In vota toti dífluunt:
Ad astra festinántibus
Fit pœna vita lóngior.

Vix iste tardi córporis

Pondus molestum sústinet;
Præ mortis óccupat diem,
Ardens Deo se júngere.

Æterne tu Verbi pater,
Æterne Fili, par Patri,
Et par utríque Spíritus,
Tibi, Deus, sit glória.
Amen.

℣. Proba me, Deus, et vide si via iniquitátis in me est; ℟. Et deduc me in via æterna. *Ps.* 138.

Ad Benedictus, *Ant.* 1. D. Qui facit veritátem, venit ad lucem, ut manifestentur ópera ejus; quia in Deo sunt facta. *Joan.* 3.

ORATIO.

Fac, quæsumus, Dómine Deus noster, intercedente beáto *N.* pópulum tuum in tua dilectióne ambuláre; quia perpétua est et plena felícitas, si bonórum ómnium serviámus auctóri; Per.

AD PRIMAM.

Ant. 1 f. Ante Dóminum

AD TERTIAM.

Ant. 8. c. Semper.

Capitulum. (*Philip.* 2.)

Cum metu et tremóre vestram salútem operámini; Deus est enim qui operátur in vobis et velle et perfícere, pro bona voluntáte.

℟. *br.* Convertantur mihi * Timentes te, Dómine. Convertantur. ℣. Et qui novérunt * testimónia tua, * Timentes te, Dómine. Glória. Convertantur mihi.

℣. Particeps ego sum ómnium timéntium te, ℟. Et custodiéntium mandáta tua *Ps.* 118.

AD SEXTAM.

Ant. 4. d. A mandátis.

Capitulum. (*Jac.* 1.)

Qui perspéxerit in legem perfectam libertátis, et permánserit in ea, non auditor obliviósus factus, sed factor óperis; hic beátus in facto suo erit.

℟. *br.* Lucerna pédibus meis * Verbum tuum, Dómine. Lucerna pédibus meis. ℣. Et lumen * sémitis meis, * Verbum. Glória. Lucerna.

℣. Servávi mandáta tua et testimónia tua; ℟. Quia omnes viæ meæ in conspectu tuo. *Ps.* 118.

AD NONAM.

Ant. 3. *à.* Donec súperest.

Capitulum. (*Eccli.* 15.)

Justitia longè abest à supérbia et dolo: viri mendáces non erunt illíus mémores; et viri veráces invenientur in illa, et successum habébunt usque ad inspectiónem Dei.

℟. *br.* Justítia tua, Dómine, * Justítia in æternum. Justítia. ℣. Et lex tua, * véritas. * Justítia. Glória Patri. Justítia tua.

℣. Ne áuferas de ore meo

verbum veritátis usquequáque; ℟. Quia in judíciis tuis supersperávi. *Ps.* 118.

AD II. VESPERAS.

Ant. 6. F. Ecce vére Israelíta, in quo dolus non est. *Joan.* 1.

Ant. 4. f. Erat vir símplex, et rectus, ac timens Deum, et recédens à malo. *Job* 1.

Ant. 1. D. Custodívit ánimam suam, et memor fuit Dómini in toto corde suo. *Tob.* 1.

Ant. 3. a. Non prætériit de universis mandátis, nec unum quidem verbum quod jússerat Dóminus. *Josue* 11.

Ant. 5. C. Immóbilis in Dei timóre permansit, agens grátias Deo ómnibus diébus vitæ suæ. *Tob.* 2.

Capitulum. (*Galat.* 6.)

FRATRES, quæ semináverit homo, hæc et metet. Quóniam qui séminat in carne sua, de carne et metet corruptiónem: qui autem séminat in spíritu, de spíritu metet vitam æternam.

Hymnus, Summi pusillus grex, *ut in I. Vesperis, suprà p.* L.

℣. Innocens mánibus et mundo corde: ℟. Hic accípiet benedictiónem à Dómino. *Ps.* 23.

Ad Magníficat, *Ant.* 7. G. Tu fecísti, Dómine, cum servo tuo misericórdiam magnam, sicut ambulávit in conspectu tuo in veritáte, et justítia, et recto corde tecum. 3. *Reg.* 3.

Oratio, ut suprà ad Laud

COMMUNE VIRGINUM.

IN I. VESPERIS.

Ant. 3. a. Quid Dómini bonum est, et quid pulchrum ejus, nisi frumentum electórum, et vinum gérminans vírgines? *Zach.* 9.

Ant. 6. F. Laudábunt, et cónfluent ad bona Dómini; et ultrà non esúrient: tunc lætábitur virgo in choro. *Jerem.* 31.

Ant. 5. a. Non dicat: Ecce ego lignum áridum; quia hæc dicit Dóminus: Qui tenúerint fœdus meum, dabo eis in domo mea locum. *Is.* 56.

Ant. 1. D. Dabo eis nomen mélius à fíliis et filiábus: nomen sempitérnum dabo eis, quod non períbit. *Is.* 56.

Ant. 7. a. Non omnes cápiunt verbum istud, sed quibus datum est. *Matth.* 19.

Capitulum. (1. *Cor.* 7.)

UNUSQUISQUE próprium do-

num habet ex Deo : álius quidem sic, álius verò sic. Dico autem non nuptis, et víduis : Bonum est illis, si sic permáneant.

In Duplicibus, et supra ;

℟. Nescítis quóniam córpora vestra membra sunt Christi? membra vestra templum sunt Spíritûs sancti qui in vobis est. * Glorificáte, et † Portáte Deum in córpore vestro. ℣. Ponam tabernáculum meum in médio vestrî : ambulábo inter vos, et ero Deus vester. * Glorificáte. Glória Patri. † Portáte. 1. *Cor.* 6. *Levit.* 26.

Si sit Martyr,

HYMNUS.

Festis læta sonent æthera cántibus:
Nunc aptáte tubas, súmite tympana,
Cœtus Angélici ; dícite Vírginem,
Christi dícite Mártyrem.
Vestris illa fuit débita cœtibus,
Quæ mortális adhuc, nóbilis æmula
Ut vos exprímeret, dedídicit genus,
Virgo córporis ímmemor.
Sed quid cogis, amor? fórtiter ámbiit
Sponso virgíneum fúndere sánguinem :
Oblíti méminit tunc bene córporis,
Præcláræ sítiens necis.
Sic quâ parte minor, vos superéminet,
Immortále genus, quæ pótuit mori,
Et per damna sui córporis, íntegram
Testári Dómino fidem.
Patri máxima laus, máxima Filio,
Amborumque sacro máxima Flámini,
Per quem magnánimæ prælia sústinent,
Spreto fúnere, Vírgines.
Amen.

℣. Deus præcinxit me virtúte, ℟. Et posuit immaculátam viam meam. *Ps.* 17.

Ad Magníficat, *Ant.* 4. E. Infirma mundi elégit Deus, ut confundat fórtia ; ut non gloriétur omnis caro in conspectu ejus. 1. *Cor.* 1.

Oratio, ut infrà ad Laudes.

Si non sit Martyr,

HYMNUS.

Vos ô virginei cum cítharis chori,
Agni delíciæ, pars gregis óptima,
Sponsum virgíneo progénitum sinu
Puris tóllite láudibus.
Hæc est sacra dies, óbvia quâ suo
Cum plena rútilans lámpade júngitur
Sponso, stansque throno próxima cóncinit
Virgo cántica Vírgini.
Solo digna Deo cónjuge, réspuit
Mortáles thálamos ; ut semel óbligat

Sese fida suo, quem bene déperit,
Ultro se Deus óbligat.
PURUM ne máculent pectus ímagines,
In se tota sui córporis ímmemor
Mens sese récipit; nil óculi vident,
Surdis nil sonat áuribus.
ÆGRO vix sua sunt pábula córpori,
Ardet mille modis ante diem mori:
Quidquid mors rápiet, jam sibi præripit;
Unus fit Deus ómnia.
FAC, ô Christe, tuæ Vírginis æmulos
Hâc nos ire tibi, quâ gráditur viâ:
Qui gens sancta sumus, móribus íntegris
Fac soli tibi vívere.
DA te, summe Pater, tóllere láudibus:
Da te, Christe, sequi, láurea Vírginum:
Fac incensa tuis, Spíritus, árdeant
Flammis frígida péctora.
Amen.

℣. Audi, fília, et vide, et inclína aurem tuam: ℟. Oblivíscere pópulum tuum, et domum patris tui. *Ps.* 44.

Ad Magníficat, *Ant.* 8. G. Complácuit Dómino in te: et gaudébit super te Deus tuus. *Is.* 62.

Oratio, ut infrà ad Laudes.

[*In Solemnibus-majoribus et supra, ad Completorium:* *Ant.* 2. A. Ego dilecto meo; et ad me convérsio ejus. *Cant.* 7.

Ad Nunc dimittis, *Ant.* 3. E. Vox dilecti mei pulsantis: Aperi mihi, soror mea, immaculáta mea. *Cant* c. 5.]

AD OFFIC. NOCTURNUM.

INVITATORIUM.

AGNUM quem sequuntur Vírgines, * Veníte, adorémus. *Apoc.* 14.

Ps. 94. Veníte, 2.

Si sit Martyr,

HYMNUS.

VIRGINUM robur, Deus, atque custos:
Sexus imbellis, médios per enses,
Dum faves, quas non súperat viríli
Péctore mortes!
PRO tuis aris animósa Virgo
Molle dat pœnis laceráre corpus;
Non suos sentit, memor ô! tuórum,
Christe, dolórum.
NON graves plagæ, válidi nec ictus
Integram possunt violáre mentem;
Quin sacri crescit magis obstinátus
Ardor amóris.
SPONSA dilecto placitúra Sponso,
Déspicit ruptum laniáta corpus:

Est suus truncis honor et venustas
Est sua membris.
OMNIS à Recto fluit ille splendor:
Christe, sic olim, cruce tensus altà,
Obsequens Patri, láceros placébas
Hórridus artus.
SUMMA laus Patri, genitóque Verbo;
Et tibi compar, utriusque Nexus:
Fac tibi semper placeámus uni
Móribus æquis.
Amen.

Si non sit Martyr,

HYMNUS.

CŒLESTIS aula pánditur:
En Sponsus; omnes óbviæ
Exíte sponso vírgini,
Exíte, sponsæ Vírgines.
HÆC nuptiális est dies,
Quæ, longa post suspíria,
Dat ómnibus, dat síngulis
Jam pléniùs frui Deo.
QUÆ casta vobis gáudia,
Quos afflet ignes, dícite:
Ab ore cujus púrior
Torrens voluptas éfluit?
HUNC propter unum víluit
Superba regum púrpura:
Dotáta quæ sponso Deo,
Quid Virgo terris ámbiat?
O VIRGINALES núptiæ,
Per quas caro fit spíritus!
O dulce vinclum, júngitur
Quo mens Deo, menti Deus!
SIT laus Patri, laus Fílio;
Sit par tibi laus, Spíritus,
Divína qui perénnibus
Firmas sigillis fœdera.
Amen.

IN I.° NOCTURNO.

Ant. 2. D. Oleum effúsum nomen tuum; ideò adolescéntulæ dilexérunt te. *Cant.* 1.

Ant. 3. c. Trahe me: post te currémus in odórem unguentórum tuórum. *Cant.* 1.

Ant. 5. a. Exultábimus et lætábimur in te; recti díligunt te. *Cant.* 1.

℣. Deus meus, impollúta via ejus: ℟. Protector est ómnium sperántium in se. *Ps.* 17.

Lectiones de Scriptura occurrente.

℟. I. Súscipe me, Dómine, secundùm elóquium tuum, et vivam: * Non confundas me ab expectatióne mea. ℣. Ut Deo vivam, in fide vivo Fílii Dei qui dilexit me: * Non. *Ps.* 118. *Galat.* 2.

℟. II. Lex tua, Dómine, meditátio mea est: * Fiat cor meum immaculátum in justificatiónibus tuis, ut non confundar. ℣. Secundùm expectatiónem et spem meam, magnificábitur Christus in córpore meo: * Fiat. *Ps.* 118. *Philipp.* 1.

℟. III. Ecce qui elongant se à te, Dómine, períbunt: * Mihi adhærére Deo bonum est, pónere in Dómino Deo spem meam. ℣. Qui adhæret Dómino, unus spíritus est:

* Mihi. Glória Patri. * Mihi. *Ps.* 72. 1. *Cor.* 6.

IN II.º NOCTURNO.

Ant. 8. *G.* In caritáte perpétua dilexi te; ídeò attraxi te, míserans. *Jerem.* c. 31.

Ant. 4. f. Ingressus sum pactum tecum, et facta es mihi. *Ezech.* 16.

Ant. 7. b. Cave nequando obliviscáris pacti Dómini Dei tui, quod pépigit tecum; quia Dóminus Deus tuus, Deus æmulator. *Deut.* 4.

℣. Concupiscet rex decórem tuum; ℟. Quóniam ipse est Dóminus Deus tuus. *Ps.* 44.

Lectiones, ut in Proprio.

℟. IV. Sponsábo te mihi in sempiternum: * Et sponsábo te in justítia, et judício, et in misericórdia, et in miseratiónibus. ℣. Sectáre justítiam, pietátem, fidem, caritátem, patiéntiam, mansuetúdinem: * Et sponsábo. *Os.* 2. 1. *Tim.* 6.

℟. V. Scient quia ego dilexi te: * Tene quod habes, ut nemo accípiat corónam tuam. ℣. Dedi corónam decóris in cápite tuo: et profecísti in regnum; quia perfecta eras in decóre meo: * Tene. *Apoc.* 3. *Ezech.* c. 16.

℟. VI. Pone me ut signáculum super cor tuum, ut signáculum super brachium tuum; * Quia † Fortis est ut mors diléctio. ℣. Neque instántia, neque fortitúdo, neque creatúra ália póterit separáre à caritáte Dei; * Quia fortis est ut. Glória Patri. † Fortis est. *Cant.* 8. *Rom.* 8.

IN III.º NOCTURNO.

Ant. 6. F. Grátia cum ómnibus qui díligunt Dóminum nostrum Jesum Christum in incorruptióne. *Ephes.* 6.

Ant 3. *à.* Incorrúptio facit esse próximum Deo. *Sap.* 6.

Ant. 1. a. Omnis ponderátio non est digna continéntis ánimæ. *Eccli.* 26.

℣. Beáti immaculáti in via, ℟. Qui ámbulant in lege Dómini. *Ps.* 118.

Evangelium et Homilia, ut in Proprio.

℟. VII. O quàm pulchra est casta generátio cum claritáte! * Immortális est enim memória illíus; quóniam et apud Deum nota est, et apud hómines. ℣. Relígio munda apud Deum et Patrem hæc est, Immaculátum se custodíre ab hoc século; * Immortális. *Sap.* 4. *Jac.* 1.

℟. VIII. Felix est stérilis; * Et incoinquináta habébit fructum in respectióne anímarum sanctárum. ℣. Deus reddet iis qui secundùm patiéntiam boni óperis incorruptiónem quærunt, vitam ætérnam; * Et. *Sap.* 3. *Rom.* 2.

℟. IX. Dábitur illi sors in templo Dei acceptíssima; * Bonórum enim labórum glo-

riósus est fructus, et quæ non cóncidat radix sapiéntiæ. ℣. Beáti mundo corde, quóniam ipsi Deum vidébunt; * Bonórum. Glória. * Bonórum. *Sap.* 3. *Matt.* 5.

Te Deum.

℣. *Sacerd.* Cantábo tibi, Dómine: ℟. Psallam, et intélligam in via immaculáta. *Ps.* 100.

AD LAUDES.

Ant. 1. g. Dilectus meus descendit in hortum suum ad aréolam arómatum, ut lília cólligat. *Cant.* 6.

Ant. 5. a. Invéni quem díligit ánima mea: ténui eum, nec dimittam. *Cant. c.* 3.

Ant. 2. D. Ego dilecto meo, et dilectus meus mihi, qui páscitur inter lília. *Cant.* 6.

[*In Semidupl. et suprà.*

Ant. 6. C. Dilectus meus.

CANTICUM.

(Cant. 8.)

Virginis in Deum ardens et fortis amor.

Pone me ut signáculum super cor tuum, * ut signáculum super bráchium tuum:

Quia fortis est ut mors diléctio, dura sicut infernus æmulátio: * lámpades ejus, lámpades ignis atque flammárum.

Aquæ multæ non potuérunt extínguere caritátem, * nec flúmina óbruent illam:

Si déderit homo omnem substántiam domûs suæ pro dilectióne, * quasi nihil despíciet eam.

Ant. Dilectus meus ordinávit in me caritátem: fulcíte me flóribus, stipáte me malis. *Cant.* 2.]

Ant. 3. a. Sub umbra illíus quem desideráveram, sedi; et fructus ejus dulcis gútturi meo. *Cant.* 2.

Capitulum. (*Sap.* 8.)

Ut scivi quóniam áliter non possem esse céntinens, nisi Deus det; et hoc ipsum erat sapiéntiæ, scire cujus esset hoc donum.

Si sit Martyr,

HYMNUS

Quid sacram, Virgo, generósa Martyr,
Ambiunt frontem dúplices corónæ?
Nempe non unum gémino reportas
Hoste triumphum.

Mollior fregit neque te voluptas:
Impotens flexit neque te tyrannus;
Tu graves pœnas, pariterque blandos
Vincis amores.

Lilius Sponsus récubat, rosisque;
Tu, tuo semper bene fida Sponso,
Et rosas martyr, simul et dedisti
Lília virgo.

Summa laus Patri, genitóque Verbo;

Et tibi compar, utriusque
Nexus:
Fac tibi semper placeámus
uni
Móribus æquis. Amen.

℣. Hæréditas immaculatórum in æternum erit: ℟. Non confundentur in témpore malo. *Ps.* 36.

Ad Benedictus, *Ant.* 5. C. Factus est Dóminus firmamentum meum; liberávit me, quia complácui ei: secundùm mundítiam manuum meárum reddet mihi. 2. *Reg.* 22.

ORATIO.

Deus, qui inter cétera potentiæ tuæ mirácula, étiam in sexu frágili victóriam martyrii contulisti: concéde propítius, ut qui beátæ *N.* Vírginis et Mártyris tuæ natalítia cólimus, per ejus ad te exempla gradiámur; Per.

ALIA ORATIO.

Omnipotens sempiterne Deus, cujus múnere beáta *N.* virginitátis et martyrii palmam adepta est: da nobis ejus précibus, ita córporis ac mentis serváre puritátem, ut nec blandítiis carnis, nec malórum acerbitáte vincámur; Per.

Si non sit Martyr,

HYMNUS.

Non vana dilectum gregem
Pavére mundi gáudia,
Nec pura fallax péctora
Imágo lusit séculi.

Sed hæc tuárum própria
Sunt, Christe, sponsárum
bona,
Te semper, et tecum tuis
In te potíri gáudiis.

Casus vicissim tu tibi
In córdibus thorum struis;
Interque flammas íntimo
Amans quiescis in sinu.

Hic unus est sponsis amor,
Unusque tecum spíritus;
Beasque sponsus síngulas,
In teque transformas, Deus.

Te deprecámur súpplices,
Nostris ut addas sénsibus,
Nescíre prorsus ómnia
Corruptiónis vúlnera.

Sit laus Patri, laus Fílio;
Sit par tibi laus, Spíritus,
Divína qui perénnibus
Firmas sigillis fœdera.
Amen.

℣. Sitívit in te ánima mea: ℟. Quàm multipliciter tibi caro mea! *Ps.* 62.

Ad Benedictus, *Ant.* 7. G. Exultábit ánima mea in Deo meo; quia índuit me vestimentis salútis, quasi sponsam ornátam monílibus suis. *Is.* 61.

ORATIO.

Deus, qui habitáculum tuum in corde pudíco constituisti: concéde, ut qui fidélis sponsæ tuæ *N.* puritátem húmili venerámur obséquio, piæ conversatiónis sequámur exemplo; Per.

ALIA ORATIO.

Fideles tuos, quæsumus, Dómine, intercedente beátâ

N. Vírgine tuâ, córpore et mente purífica; ut tuâ inspiratióne compuncti, nóxias delectatiónes vitáre præváleant; atque ut eárum non capiantur illécebris, tuâ semper suavitáte pascantur; Per.

AD PRIMAM.

Ant. 1. g. Dilectus meus.

AD TERTIAM.

Ant. 5. a. Invéni.

Capitulum. (1. *Cor.* 7.)

De virgínibus præceptum Dómini non hábeo; consílium autem do, tanquam misericórdiam consecútus à Dómino, ut sim fidélis.

℟. *br.* Lætétur mons Sion: * Exúltent fíliæ Judæ. Lætétur. ℣. Propter judícia tua,* Dómine, * Exúltent fíliæ Judæ. Glória Patri. Lætétur. *Ps.* 47.

℣. Audívit, et lætáta est Sion; ℟. Et exultavérunt fíliæ Judæ. *Ps.* 96.

AD SEXTAM.

Ant. 2. D. Ego.

Capitulum. (1. *Cor.* 7.)

Mulier innupta, et virgo cógitat quæ Dómini sunt, ut sit sancta córpore et spíritu: quæ autem nupta est, cógitat quæ sunt mundi, quómodo pláceat viro.

℟. *br.* Quid mihi est in cœlo? * Et à te quid vólui super terram? Quid. ℣. Deus cordis mei, * et pars mea Deus in æternum: * Et. Glória Patri. Quid. *Ps.* 72.

℣. Concupíscit, et déficit ánima mea in átria Dómini: ℟. Cor meum et caro mea exultavérunt in Deum vivum. *Ps.* 83.

AD NONAM.

Ant. 3. a. Sub umbra.

Capitulum. (2. *Cor.* 11.)

Æmulor vos Dei æmulatióne; despondi enim vos uni viro vírginem castam exhibére Christo.

℟. *br.* Afferentur Regi vírgines * In lætítia et exultatióne. Afferentur Regi vírgines. ℣. Adducentur * in templum Regis, * In lætítia. Glória. Afferentur.

℣. Delectavérunt te fíliæ regum, ℟. In hónore tuo. *Ps.* 44.

AD II. VESPERAS.

Ant. 4. *D.* Vírgines accipientes lámpades suas, exiérunt óbviam sponso et sponsæ. *Matth.* 25.

Ant. 3. a. Prudentes accepérunt óleum in vasis suis cum lampádibus, et ornavérunt lámpades suas. *Matth.* c. 25.

Ant. 7. d. Médiâ nocte clamor factus est: Ecce sponsus venit, exíte óbviam ei. *Matth.* 25.

Ant. 2. D. Venit sponsus, et quæ parátæ erant, intravérunt cum eo ad núptias. *Matth.* 25.

Ant. 1. D. Vírgines se-

quuntur Agnum quócumque ierit : sine mácula enim *sunt ante thronum Dei. Apoc.* 14.

Capitulum. (*Apoc.* 19.)

Regnavit Dóminus Deus noster omnípotens : gaudeámus, et exultémus, et demus glóriam ei ; quia venérunt núptiæ Agni, et uxor ejus præparávit se.

Si sit Martyr, *Hymnus*, Festis læta sonent, *ut in primis Vesperis*, LVI.

℣. Confessio et pulchritúdo in conspectu Dei : ℟. Sanctimónia et magnificéntia in sanctificatióne ejus. *Ps.* 95.

Ad Magníficat, *Ant.* 8. *G.* Casta generátio in perpétuum coronáta triumphat, incoinquinatórum certáminum præmium vincens. *Sap.* 4.

Oratio, ut suprà ad Laud.

Si non sit Martyr,

HYMNUS

O virgo, pectus cui sacrum,
Amóris expers ímprobi,
Intùs suis ardóribus
Sanctus perussit Spíritus!

Non te voluptas dúlcibus
Fallax venénis mólliit,
Solas amantem pérsequi
Cœlestis Agni núptias.

Sic ille natus Vírgine
Suo decóre céperat,
Ut ejus ardens ígnibus
Mundána cuncta témneres.

Beáta cui nunc, Cœlitùm
Inter canéntium choros,
Cœlo licet perénnibus
Sponsi potíri gáudiis.

Æterne sponse Vírginum,
Jesu, tibi sit glória
Cum Patre, cumque Spíritu,
In sempiterna sécula.
Amen.

℣. Vírgines laudent nomen Dómini ; ℟. Quia exaltátum est nomen ejus solíus. *Ps.* 148.

Ad Magníficat, *Ant.* 1. f. In resurrectióne neque nubent, neque nubentur ; sed erunt sicut Angeli Dei in cœlo. *Matth.* 22.

Oratio, ut suprà ad Laudes.

COMMUNE SANCTARUM MULIERUM.

IN I. VESPERIS.

Ant. 6. F. Dómine, qui habes ómnium sciéntiam, tu scis quòd nunquam lætáta sit ancilla tua nisi in te, Dómine Deus. *Esther.* 14.

Ant. 2. D. Ad te, Dómine, óculos meos dírigo : tu scis quia mundam servávi ánimam meam ab omni concupiscéntia. *Tob.* 3.

Ant. 8. c. Nunquam cum ludéntibus míscui me; neque cum his qui in levitáte ámbulant, partícipem me præbui. *Tob.* 3.

Ant. 3. a. Dómine Pater, omne desidérium averte à me, et ánimæ irreverenti et infrunítæ ne tradas me. *Eccli.* 23.

Ant. 5. C. Adjuva me ancillam tuam, nullum áliud auxílium habentem, nisi te, Dómine, qui nosti quia óderim glóriam iniquórum. *Esther.* 14.

Capitulum. (*Ephes.* 5.)

RELINQUET homo patrem, et matrem suam, et adhærébit uxóri suæ; et erunt duo in carne una. Sacramentum hoc magnum est; ego autem dico in Christo et in Ecclésia. Verúmtamen et vos sínguli unusquisque uxórem suam sicut seipsum díligat; uxor autem tímeat virum suum.

In Duplicibus, et supra:

℟. Virum, Dómine, cum timóre tuo, non cum libídine mea consensi suscípere: * Sit nomen tuum, Deus Israel, benedictum in sécula. ℣. Non vocávit nos Deus in immundítiam, sed in sanctificatiónem: * Sit. Glória Patri. * Sit. *Tob.* 3. 1. *Thess.* c. 4. *

HYMNUS.

AD núptias Agni Pater
Matres et innuptas vocat:
O te beátam, cui thorus
Interque sponsas sors datur!

LEX nuptiárum cáritas;
Dos magna, paupertas, tibi,
Calcáre falláces opes,
Cadúca corde spérnere.

TE multus oblectat labor,
Fusæque jejúnam preces:
Te pœnitentem lácrymæ,
Te cura páuperum juvat.

QUACUMQUE confixam sibi,
Per probra sponsam, per cruces
Trahit Magister; et sequi
Despecta gaudes, et pati.

BEATA quæ sponso Deo
Castis adhæret vínculis:
Sic corpus unum póssumus,
Sic unus esse spíritus.

Hoc præstet almo cum Patre,
Natóque nobis, Spíritus,
Qui trinus ac unus Deus
Regnat per omne séculum.
Amen.

Si sit Martyr, ℣. Factus es spes mea, Dómine: ℟. Turris fortitúdinis à fácie inimici. *Ps.* 60.

Ad Magníficat, *Ant.* 4. *D.* Deus cœlórum, exaudi me deprecantem, et de tua misericórdia præsumentem; ut gentes agnoscant quia tu es Deus, et non est álius præter te. *Judith.* 9.

Oratio, ut infrà ad Laudes.

Si non sit Martyr, ℣. Averte óculos meos, ne vídeant vanitátem: ℟. In via tua vivífica me. *Ps.* 118.

Ad Magníficat, *Ant.* 1. A. Exultávit cor meum in Dó-

mino, et dilatátum est os meum, quia lætátum in salutári tuo. 1. *Reg.* 2.

Orátio, ut *infra ad Laudes.*

[*In Solemnibus-majoribus et supra, ad Completorium: Ant.* 2. A. Gustávit, et vidit quia bona est negotiátio ejus: non extinguétur in nocte lucerna ejus. *Prov.* 31.

Ad Nunc dimittis, *Ant.* 1. D. Indue te decóre sempiternæ glóriæ; Deus enim ostendet splendórem suum in te. *Baruch* 5.]

AD OFFIC. NOCTURNUM.

INVITATORIUM.

Deum in quo sperant sanctæ mulíeres, * Veníte, adorémus. 1. *Petr.* 3.

Ps. 94. Veníte, 2.

HYMNUS.

Adeste, sanctæ Cónjuges:
En illa fortis Fémina,
Ornáta quæ virtútibus
Inter triumphat Cœlites.

Blandos ut hostes vínceret,
Hanc fortitúdo véstiit:
Ut prosit intuéntibus,
Cœlestis ornávit decor.

Non vana pompa séculi
Sensus fefellit, nec malis
Gliscens voluptas ártibus
Viríle pectus mólliit.

Non illa luxu véstium,
Non crine torto splénduit:
Cultu nitens sed símplice,
Puris placébat móribus.

Se sub serénis vúltibus
Austéra virtus ócculit:
Timet vidéri, ne suum,
Dum prodit, amittat decus.

Pascenda cœlesti cibo,
Sacris studébat lítteris;
Templo frequens, sed sédula
Redíbat ad curam domûs.

Æterne tu Verbi Pater,
Æterne Fili par Patri,
Et par utríque, Spíritus,
Tibi, Deus, sit glória. Amen.

IN I.° NOCTURNO.

Ant. 1. a. Inítium sapiéntiæ timor Dómini, et cum electis féminis gráditur. *Eccli.* 1.

Ant. 2. D. Sápiens múlier ædíficat domum: múlier gratiósa invéniet glóriam. *Prov.* 14.

Ant. 3. *à.* Pars bona, múlier bona: in parte timéntium Deum dábitur. *Eccli.* 26.

℣. Lex Dei ejus in corde ipsíus: ℟. Et non supplantabuntur gressus ejus. *Ps.* 36.

Lectiones de Scriptura occurrente.

℟. I. Mulíerem fortem quis invéniet? Procul et de últimis fínibus prétium ejus. * Confídit in ea cor viri sui: reddet ei bonum, et non malum, ómnibus diébus vitæ suæ. ℣. Vir imágo et glória Dei est: múlier autem glória viri est. * Confídit in ea. *Prov.* 31. 1. *Cor.* 11.

℟. II. Grátia mulíeris sédulæ delectábit virum suum: * Disciplína illíus datum Dei est. ℣. Quæ fílios aut nepo-

tes habet, discat domum suam régere; hoc enim acceptum est coram Deo. * Disciplína illíus. *Eccli.* 26. 1. *Tim.* 5.

℟. III. Grátia super grátiam, mulier sancta et pudoráta: * Fundamenta æterna supra petram sólidam, mandáta Dei in corde mulíeris sanctæ. ℣. Venérunt flúmina, et flavérunt venti; et irruérunt in domum, et non cécidit; fundáta enim erat super petram. * Fundamenta. Glória Patri. * Fundamenta. *Eccli.* 26. *Matth.* 7.

IN II.° NOCTURNO.

Ant. 4. E. Deprecabátur Dóminum, dicens: Dómine mi, qui rex noster es solus, ádjuva me, cujus præter te nullus est auxiliátor álius. *Esther* 14.

Ant. 5. a. Ostende quóniam non derelinquis præsumentes de te; et præsumentes de se, et de sua virtúte glóriantes, humílias. *Judith* 6.

Ant. 6. F. In consílium eórum non véniat ánima mea, et in cœtu illórum non sit glória mea. *Genes.* 49.

℣. Non habitábit in médio domûs meæ, qui facit supérbiam: ℟. Qui lóquitur iníqua, non direxit in conspectu oculórum meórum. *Ps.* 100.

Lectiones, ut in Proprio.

℟. IV. Misericórdia tua, Dómine, ante óculos meos est, et * Complácui in veritáte tua: non sedi cum concílio vanitátis. ℣. Quæ partícipátio justítiæ cum iniquitáte? * Complácui in veritáte. *Ps.* 25. 2. *Cor.* 6.

℟. V. Dilexi, Dómine, mandáta tua super aurum et topázion; * Propterèa ad ómnia mandáta tua dirigébar: omnem viam iníquam ódio hábui. ℣. Non in abundántia cujusquam, vita ejus est ex his quæ póssidet. * Propterèa. *Ps.* 118. *Luc.* 12.

℟. VI. Ego in Dómino sperávi: * Exultábo et lætábor in misericórdia tua; † Quóniam respexisti humilitátem meam, salvasti de necessitátibus ánimam meam. ℣. Ubi Spíritus Dómini, ibi libertas. * Exultábo. Glória Patri. † Quóniam. *Ps.* 30. 2. *Cor.* 3.

IN III.° NOCTURNO.

Ant. 7. d. Tu glória Jerúsalem, tu lætítia Israel, tu honorificéntia pópuli nostri. *Judith* 15.

Ant. 8. G. Benedicta es à Dómino; scit enim omnis pópulus mulíerem te esse virtútis. *Ruth* 3.

Ant. 5. C. Gaudébit super te Dóminus in lætítia, silébit in dilectióne sua, exultábit super te in laude. *Soph.* 3.

℣. Benedícat te Dóminus ex Sion; ℟. Et vídeas bona Jerúsalem ómnibus diébus vitæ tuæ. *Ps.* 127.

Evangelium et Homilia, ut in Proprio.

℟. VII. Multæ fíliæ congregavérunt divítias, tu supergressa es universas. * Fallax grátia, et vana est pulchritúdo: múlier timens Dóminum ipsa laudábitur. ℣. In incorruptibilitáte modesti spíritûs, qui est in conspectu Dei lócuples, sanctæ mulíeres ornábant se. * Fallax grátia. *Prov.* 31. 1. *Petr.* 3.

℟. VIII. Fecisti viríliter, et confortátum est cor tuum, eo quòd castitátem amáveris: * Ideò et manus Dómini confortávit te, et ídeò eris benedicta in æternum. ℣. O múlier, magna est fides tua: * Ideò. *Judith.* 15. *Matth.* 15.

℟. IX. Omnia quæ locúta es, vera sunt; et non est in sermónibus tuis ulla reprehénsio: * Nunc ergo ✝ Ora pro nobis, quóniam múlier sancta es, et timens Deum. ℣. Fides tua te salvam fecit. * Nunc. Glória. ✝ Ora. *Judith.* 8. *Luc.* 7.

Te Deum.

℣. *Sacerd.* Glorificábo nomen tuum in æternum, ℟. Quia misericórdia tua magna est super me. *Ps.* 85.

AD LAUDES.

Ant. 1. a. Sicut sol óriens mundo in altíssimis Dei, sic *mulíeris* bonæ spécies in ornamentum domûs ejus. *Eccli.* 26.

Ant. 2. D. Múlier fortis oblectat virum suum; et annos vitæ illíus in pace implébit. *Eccli.* 26.

Ant. 3. c. Múlier sensáta, et tácita: non est immutátio erudítæ ánimæ. *Eccl.* 26.

[*In Semidupl. et suprà,*

Ant. 4. d. Os suum.

CANTICUM.

(Judith. 8. 10. 13 et 15.)

Mulier casta, fortis ac timens Deum benedicitur et extollitur.

ERAT hæc in ómnibus famosíssima, * quóniam timébat Dóminum valdè, nec erat qui loquerétur de illa verbum malum.

Et lavit corpus suum et unxit se myro óptimo, * et impósuit mitram super caput suum,

Et índuit se vestimentis jucunditátis suæ, * et ómnibus ornamentis suis ornávit se.

Cui étiam Dóminus contulit splendórem: * quóniam omnis ista compositio, non ex libídine, sed ex virtúte pendébat:

Et ídeò Dóminus hanc in illam pulchritúdinem ampliávit, * ut incomparábili decóre ómnium óculis apparéret.

Benedixérunt eam omnes, unâ voce, dicentes: * tu glória Jerúsalem, tu lætítia Israel, tu honorificéntia pópuli nostri.

Quia fecisti viríliter et

confortátum est cor tuum, eo quòd castitátem amáveris : * ídeo et manus Dómini confortávit te, et ídeo eris benedicta in æternum.

Ant. Os suum apéruit sapiéntiæ, et lex cleméntiæ in lingua ejus. *Prov.* 31.

Ant. 5. a. Non discedébat de templo, jejúniis et obsecratiónibus sérviens nocte ac die. *Luc.* 2.

Capitulum. (1. *Petr.* 3.)

Mulieres súbditæ sint viris suis; ut et si qui non credunt verbo, per mulíerum conversatiónem sine verbo lucrífiant, considerantes in timóre castam conversatiónem vestram.

HYMNUS.

Ardet Deo quæ Fémina
Latére frustra cógitat :
Quot índigos hæc súblevat,
Tot próditur præcónibus.
Prodesse quærit ómnibus,
Curis honestis ánxia ;
Patróna custos vírginum,
Secunda mater órphanis.
Pannis latentem vilibus
Christum fovébat hóspitem :
Quas dura subtraxit sibi,
Opes refundit pródiga.
Pacem domi, pacem foris
Alto colit siléntio :
Lites amat compónere,
Ut una mens sit ómnibus.
Æterne tu Verbi Pater,
Æterne Fili par Patri,
Et par utríque Spíritus
Tibi, Deus, sit glória. Amen.

Si sit Martyr, ℣. Adhæsit ánima mea post te, Deus meus : ℟. Me suscépit déxtera tua. *Ps.* 62.

Ad Benedictus, *Ant.* J. Invocávi Dóminum Patrem Dómini mei; ut non derelinquat me in die tribulatiónis meæ; et exaudíta est orátio mea. *Eccli.* 51.

ORATIO.

Deus, cujus grátiâ virtus in infirmitáte perfícitur : largíre nobis beátæ *N.* Mártyris tuæ passiónem recoléntibus, ut quæ à te accépit ut vínceret, à te quoque vincendi grátiam nobis obtíneat ; Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum.

Si non sit Martyr, ℣. Humiliábam ánimam meam, ℟. Et orátio mea in sinu meo convertétur. *Ps.* 34.

Ad Benedictus, *Ant.* 6. F. Orátio humiliantis se nubes penetrábit; et non discédet, donec Altíssimus aspíciat. *Eccli.* 35.

ORATIO.

Tuorum corda fidélium, Deus miserátor, illustra : et beátæ *N.* précibus ac méritis, fac nos terréna despícere, et amáre cœléstia ; Per.

Si sit Vidua,

ORATIO

Deus, in quem sperat omnis ánima, quæ longè à te

éxulans in terris se verè víduam sentit ac desolátam : tríbue nobis, quæsumus, ut exemplo beátæ N. nocte ac die obsecratiónibus et oratiónibus instantes, cœléstium consolatiónum mereámur esse partícipes; Per.

AD PRIMAM.

Ant. 1. a. Sicut sol.

AD TERTIAM.

Ant. 2. D. Múlier fortis.

Capitulum. (*Ephes.* 5.)

MULIERES viris suis súbditæ sint, sicut Dómino; quóniam vir caput est mulíeris, sicut Christus caput est Ecclésiæ; ipse salvátor córporis ejus.

℟. *br.* Doce me fácere voluntátem tuam, * Quia Deus meus es tu. Doce me. ℣. Spíritus tuus bonus * dedúcet me, * Quia. Glória Patri. Doce me. *Ps.* 142.

℣. Ab omni via mala prohíbui pedes meos; ℟. Ut custódiam verba tua. *Ps.* 118.

AD SEXTAM.

Ant. 3. c. Múlier.

Capitulum. (1. *Tim.* 2.)

MULIER in siléntio discat cum omni subjectióne. Docére autem mulíeri non permitto, neque dominári in virum, sed esse in siléntio.

℟. *br.* Custódiam vias meas, * Ut non delinquam in lingua mea. Custódiam. ℣. Pósui ori meo * custódiam, * Ut non. Glória Patri. Custódiam. *Ps.* 38.

℣. Apud me orátio Deo vitæ meæ : ℟. Dicam Deo : Susceptor meus es. *Ps.* 41.

AD NONAM.

Ant. 5. a. Non discedébat.

Capitulum. (1. *Tim.* 2.)

VOLO oráre mulíeres in hábitu ornáto, cum verecúndia et sobrietáte ornantes se, et non in tortis crínibus, aut auro, aut margarítis, vel veste pretiósâ; sed quod decet mulíeres, promittentes pietátem per ópera bona.

℟. *br.* Expectávi Dóminum, * Et intendit mihi. Expectávi. ℣. Et exaudívit * preces meas, * Et intendit. Glória. Expectávi. *Ps.* 39.

℣. Veníte, et vidéte ópera Dei, ℟. Qui pósuit ánimam meam ad vitam. *Ps.* 65.

AD II. VESPERAS.

Ant. 2. D. In ancilla sua adimplévit Dóminus misericórdiam suam. *Judith* 13.

Ant. 4. E. Erat hæc in ómnibus famosíssima, quóniam timébat Dóminum valde; nec erat qui loquerétur de illa verbum malum. *Judith* 8.

Ant. 7. ç. Considerávit sémitas domûs suæ, et panem otiósa non comédit. *Prov.* 31.

Ant. 1. D. Fílios educávit, hospítio recépit, sanctórum pedes lavit, tribulatiónem

patiéntibus subministrávit, omne opus bonum subsecúta est. 1. *Tim.* 5.

Ant. 6. F. Surrexérunt fílii ejus, et beatíssimam prædicavérunt : vir ejus, et laudávit eam. *Prov.* 31.

Capitulum. (1. *Tim.* 2.)

MULIER salvábitur per filiórum generatiónem, si permánserit in fide, et dilectióne, et sanctificatióne cum sobrietáte.

HYMNUS.

O JAM beáta, quæ suo
Tandem solúta córpore,
Vinclis perennióribus
Uni Deo conjúngitur!

PER quos gradus cœlum petit,
Hàc ire vos omnes docet,
Junctæ jugáli vínculo,
Et vos solútæ Cónjuges.

INSIGNIS et nos Feminæ
Sequi decet vestígia,
Magnum vel ipsis quæ fuit
Virtútis exemplum viris.

QUEIS arsit illa, fac, Deus,
Flagrémus et nos ígnibus;
Eoque, quo te vis coli,
Amóre fac mens te colat.

ÆTERNE tu Verbi Pater,
Æterne Fili par Patri,
Et par utríque, Spíritus,
Tibi, Deus, sit gloria. Amen.

Si sit Martyr, ℣. Vídeant qui odérunt me, et confundantur; ℟. Quóniam, tu Domine, adjuvisti me. *Ps.* 85

Ad Magníficat, *Ant.* 3. a. Confitébor nómini tuo, Dómine; quóniam adjútor et protector factus es mihi, et liberasti corpus meum à perditióne. *Eccli.* 51.

Oratio, ut supra ad Laud.

Si non sit Martyr, ℣. Anima mea Dómino vivet; ℟. Et semen meum sérviet ipsi. *Ps.* 21.

Ad Magníficat, *Ant.* 5. C. Fortitúdo et decor indumentum ejus : date ei de fructu mánuum suárum; et laudent eam in portis ópera ejus. *Prov.* 31.

Oratio ut suprà ad Laud.

OFFICIUM B. MARIÆ IN SABBATO.

SIMPLEX.

(*Quandò feriâ sextâ occurrit Festum semiduplex aut suprà, nisi sit de ipsâ beatâ Mariâ, fit in Vesperis commemoratio de eâ; et ad Completorium dicitur hymnus de Psalterio cum Doxologia de Beatâ.*)

IN VESP. *feriæ VI præced.*

Capitulum (*Genes.* 3.)

AIT Dóminus Deus ad serpentem : Inimicítias ponam inter te et mulíerem, et semen tuum et semen illíus : ipsa cónteret caput tuum.

HYMNUS.

DAVIDIS sóboles, glória Vírginum,
Christi Virgo parens, te pósuit Deus,
Partu Virgíneo quæ malè súbdoli
Anguis contéreres caput.
REBUS princípium qui dedit ómnibus,
A te princípium sumpsit homo Deus;
Cunctis prospíciens qui tríbuit cibos,
Pastus lacte fuit tuo.
PER te, quod múlier perdíderat vetus,
Humáno géneri rédditur áuctiùs:
Tu clausas míseris, heu nimium diu!
Cœlórum réseras fores.
QUI lucis pater est, glória sit Patri;
Cujus Virgo parens, glória Fílio;
Quo fœcunda, tibi, nexus amábilis,
Sit par glória, Spíritus. Am.

℣. Deus operátus est salútem in medio terræ: ℟. Tu confregisti cápita dracónis. *Ps.* 73.

Ad Magníficat, *Ant.* 1. f. Benedictus Dóminus qui te direxit in vúlnera cápitis príncipis inimicórum nostrórum. *Judith* 13.

Or. Concéde, *infr. ad Laud. Fiunt Suffragia.*

AD COMPLETORIUM.

Ant. 8. C. Ne tímeas, María, invenisti enim grátiam apud Deum. *Luc.* 1.

Hymnus, Virgo Dei génitrix, *ut in Psalterio.*

Ad Nunc dimíttis, *Ant.* 5. a. Non occídet ultrà sol tuus et luna tua non minuétur; quia erit tibi Dóminus in lucem sempiternam. *Isai.* 60.

AD NOCTURNUM.

INVITATORIUM.

JESUM de María natum,* Veníte, adorémus. *Matt.* 1. *Ps.* 94. Venite, 2.

HYMNUS.

O QUAM glorificâ luce coruscas,
Stirpis Davídicæ régia proles;
Sublímis résidens, virgo María,
Supra Cœligenas ætheris omnes!
Tu cum virgíneo mater honóre
Cœlórum Dómino péctoris aulam
Sacris viscéribus casta dedísti:
Humános Deus hinc índuit artus.
QUEM cunctus vénerans orbis adórat,
Cui nunc ritè genu fléctitur omne,
A quo, te précibus subveniente,
Æterni pétimus gáudia regni
DIVINÆ Sóboli, qui dare matrem
In terris vóluit, glória Patri:

Cujus Virgo parens, glória
Nato:
Quo fœcunda, tibi glória,
Flamen. Amen.

Psalmi de Sabbato, sub tribus Antiphonis sequentibus.

Ant. 1. a. Ave, grátiâ plena; Dóminus tecum: benedicta tu in muliéribus. *Luc.* 1.

Ant. 8. c. Ecce concípies in útero, et páries fílium, et vocábis nomen ejus Jesum. *Luc.* 1.

Ant. 2. D. Quod nascétur ex te Sanctum, vocábitur Fílius Dei. *Luc.* 1.

℣. Descendet sicut plúvia in vellus; ℟. Et replébitur majestáte ejus omnis terra. *Ps.* 71.

Pater noster, etc. *Absol.* Deus memínerit, 169.

Benedictiones de B. M. V. ut ordinantur post Psalter.

Lect. duæ priores de Script. occurr.; è tribus fiunt duæ.

Post I. Lect. ℟. Benedícam ei, et ex illa dabo fílium cui benedictúrus sum: * Constítuam pactum meum illi in fœdus sempiternum. ℣. Hic erit magnus, et Fílius Altíssimi vocábitur; et regnábit in domo Jacob in æternum. * Constítuam. *Genes.* 17. *Luc.* 1.

Post II. Lect. ℟. Quod in ea natum est, de Spíritu sancto est: páriet autem fílium; * Ipse salvum fáciet pópulum suum à peccátis eórum. ℣. Benedictiónem ómnium géntium dedit illi Dóminus. * Ipse. *Mat.* 1. *Eccli.* 44.

Pro tertia Lectione legitur una è sequentibus, secundùm diversitatem mensium.

Post III. Lect. ℟. Deus ex sémine David * Secundùm promissiónem eduxit Israel salvatórem Jesum. ℣. Jurávit Dóminus David veritátem: De fructu ventris tui ponam super sedem tuam. * Secundùm. Glória. * Secundùm. *Act.* 13. *Ps.* 131.

Te Deum.

℣. *Sacerd.* Confiteantur tibi pópuli, Deus: ℟. Terra dedit fructum suum. *Ps.* 66.

AD LAUDES.

Psal. de Sabbato, sub sola Ant. 4. A. Benedicta tu inter mulíeres, et benedictus fructus ventris tui. *Luc.* 1.

Capitulum. (*Jerem.* 32.)

Creavit Dóminus novum super terram: Fémina circúmdabit virum.

HYMNUS.

Nunc auróra, novæ núntia lucis,
Tristes orbe procul díssipat umbras.
O quàm lucídior, nocte sepultis
Portans ipsa diem, Virgo, refulges!
O quæ nunc hábitas lúcida regna,
Mittas inde tuæ múnera lucis:
Te si terra dedit munus olympo,
Quæ non dona memor reddet olympus?

Inter perpétuos Núminis haustus,
O Regina, tibi sánguine junctum
Ne dedisce genus : nostra fuisti,
Summi facta parens, Virgo, Tonantis.
Divinæ Sóboli qui dare matrem
In terris vóluit, glória Patri:
Cujus Virgo parens, glória Nato:
Quo fœcunda, tibi glória, Flamen. Amen.

℣. Recordátus est Dóminus misericórdiæ suæ, ℟. Et veritátis suæ dómui Israel. *Ps.* 97.

Ad Benedictus, *Ant.* 3. à. Beáta quæ credidisti; quóniam perficientur ea quæ dicta sunt tibi à Dómino. *Luc.* 1.

ORATIO.

Concede nos fámulos tuos, quæsumus, Dómine Deus, perpétuâ mentis et córporis sanitáte gaudére; et gloriósâ beátæ Maríæ semper Vírginis intercessióne, à præsenti liberári tristítiâ, et æternâ pérfrui lætítiâ; Per Dómin.

Fiunt Suffragia.

Ad Horas, *Doxologia:*

Qui natus es de Vírgine,
Jesu, tibi sit glória
Cum Patre, cumque Spíritu,
In sempiterna sécula. Amen.

Psalmi de Sabbato

AD PRIMAM.

Ant. 2. D. Filius Dei factus est ei ex sémine David secundùm carnem. *Rom.* 1.

In ℟. *br.* ℣. Qui natus es * de María vírgine. *Matth.* 1.

AD TERTIAM.

Ant. 4. d. De María natus est Jesus, qui vocátur Christus. *Matth.* 1.

Capitulum. (*Is.* 7.)

Dabit Dóminus ipse vobis signum: Ecce Virgo concípiet, et páriet fílium; et vocábitur nomen ejus, Emmánuel.

℟. *br.* Deus in médio ejus; * Non commovébitur. Deus. ℣. Adjuvábit eam * mane dilúculo: * Non commovébitur. Glória. Deus. *Ps.* 45.

℣. Elégit eam Dóminus ℟. In habitatiónem sibi. *Ps.* 131.

AD SEXTAM.

Ant. 7. d. Péperit fílium másculum, qui rectúrus erat omnes gentes. *Apoc.* 12.

Capitulum. (*Mich.* 5.)

Egredietur qui sit dominátor in Israel, et egressus ejus ab inítio, à diébus æternitátis. Propter hoc dabit eos usque ad tempus in quo paritúriens páriet; et relíquiæ fratrum ejus convertentur ad fílios Israel.

℟. *br.* Homo * Natus est in ea. Homo. ℣. Et ipse fundávit eam * Altíssimus. * Natus est. Glória. Homo. *Ps.* 86.

℣. Ipse tanquam sponsus ℟. Procédens de thálamo suo. *Ps.* 18.

AD NONAM.

Ant. 1. *g.* Beátus venter

qui te portávit, et úbera quæ suxísti. *Luc.* 11.

Capitulum. (*Galat.* 4.)

Ubi venit plenitúdo témporis, misit Deus Fílium suum, factum ex muliére, factum sub lege; ut eos qui sub lege erant redímeret, ut adoptiónem filiórum recipeámus.

℣. *br.* Misericórdia et véritas * Obviavérunt sibi. Misericórdia. ℣. Justítia et pax * osculátæ sunt, * Obviavérunt. Glória. Misericórdia. ℣. Véritas de terra orta est, ℣. Et justítia de cœlo prospexit. *Ps.* 84.

Lectiones *sequentes dicuntur singulis mensibus in Officio beatæ Mariæ in Sabbato.*

MENSE SEPTEMBRI.

LECTIO III.

Sermo sancti Leónis Papæ.

(De Nativ. Domini.)

Humano usu et consuetúdine quod crédimus caret, sed divínâ potestáte subnixum est, quòd virgo concéperit, virgo pepérerit, virgo permánserit. Non hîc cogitétur parentis condítio, sed nascentis arbítrium; qui sic homo natus est, ut volébat et póterat. Si veritátem quæris humánæ natúræ, cognósce matériam: si ratiónem scrutáris oríginis, virtútem confitére divínam. Venit enim Dóminus Jesus Christus contágia nostra auferre, non pérpeti; nec succúmbere vítiis, sed medéri. Venit ut omnem languórem corruptiónis, et universa vúlnera sordéntium curáret animárum: propter quod opórtuit ut novo nascerétur órdine, qui novam impollútæ sinceritátis grátiam humánis corpóribus inferébat.

MENSE OCTOBRI.

LECTIO III.

Ex Epístola sancti Ambrósii Episc. ad Syrícium Papam.

(Epist. Lib. 1. Ep. 7.)

Devii à via veritátis produntur dícere: Virgo concépit, sed non virgo generávit. Pótuit ergo virgo concípere, non pótuit virgo generáre; cùm semper conceptus præcédat, partus sequátur? Sed si doctrínis non créditur sacerdótum, credátur orâculis Christi, credátur mónitis Angelórum dicéntium: Quia non est impossíbile Deo omne verbum; credátur Symbolo Apostolórum, quod Ecclésia Romána intemerátum semper custódit et servat. Audívit María vocem Angeli: et quæ antè díxerat; Quómodò fiet istud? non de fide generatiónis intérrogans; respondit pósteà: Ecce ancilla Dómini, contingat mihi secundùm verbum tuum. Hæc est virgo quæ in útero concépit, virgoque péperit fílium. Sic enim scriptum est: Ecce virgo in útero accípiet, et

páriet fílium. Non enim conceptúram tantúmmodò vírginem, sed et paritúram vírginem dixit. Quæ autem est illa porta Sanctuárii, porta illa extérior ad orientem, quæ manet clausa; et, nemo inquit, pertransíbit per eam nisi solus Deus Israel? Nonne hæc porta María est, per quam in hunc mundum Redemptor intrávit?

MENSE NOVEMBRI.

LECTIO III.

De expositióne sancti Basílii Episcopi in Isaíam Prophétam.

(In Cap. 8.)

Accessi ad Prophetissam, et in útero accépit et péperit fílium. Quid est, Accessi ad prophetissam? Hoc est, Appropinquávi spíritu et prænotióne futurórum; et perspexi ejus conceptiónem è longinquo, óculis in prophetíæ grátiam attentis. Péperit fílium, de quo dixit Dóminus: Vocábis nomen ejus, Velóciter détrahe spólia, citò prædáre. Quòd María prophetissa fúerit, ad quam proximè per cognitiónem accessit Isaías, nemo contradíxerit, qui sit memor verbórum Maríæ, quæ prophéticè elocúta est. Quid enim ait? Magníficat ánima mea Dóminum, et exultávit spíritus meus in Deo salutári meo; quia respexit humilitátem ancillæ suæ: ecce enim ex hoc beátam me dicent omnes generatiónes. Quòd si ánimum accommodáveris universis ejus verbis, non dubitábis dícere eam fuisse prophetissam, quòd Dómini Spíritus in eam supervénerit, et virtus Altíssimi obumbráverit ei.

MENSE DECEMBRI.

LECTIO III.

Ex Diálogo sancti Justíni Mártyris cum Tryphóne.

Si non è vírgine iste de quo Isaías dicébat, nascitúrus erat, de quo Spíritus sanctus exclamábat: Ecce Dóminus dabit signum, Ecce virgo in útero concípiet et páriet fílium; si perinde atque álii omnes primogéniti, iste quoque ex concúbitu gignendus erat, quodnam signum non cunctis primogénitis commúne fácere se dixit? Enim verò quod verè signum est, et humáno géneri credíbile futúrum erat, hoc est, ut ex vírgináli útero primogénitus creatúrarum ómnium caro factus verè puer fíeret; óccupans id per prophéticum spíritum, álio atque álio modo pronuntiávit, ut cùm factum esset virtúte et consílio rerum universárum conditóris, factum esse agnoscerétur, haud áliter quàm ex uno látere Adæ Eva éxtitit, atque ália animántia ómnia verbo Dei ortum suum cepére.

OFFICIUM PARVUM BEATÆ MARIÆ.

Non dicitur quoties fit Officium Semiduplex, aut supra, nec intra Octavas, nec quando Officium diei est de Beata.

Singulæ Horæ hujus Officii dicuntur hoc modo : Officium Nocturnum, Laudes et Vesperæ dicuntur intra Suffragia. Prima, post Primam diei, ante Officium Capituli : Tertia, post Benedicámus *Tertiæ; et sic de ceteris Horis.*

AD OFFIC. NOCTURNUM.

INVITATORIUM.

JESUM de María natum, * Veníte, adorémus. *Matth.* 1. *Ps.* 94. Veníte, 2.

HYMNUS.

O QUAM glorificâ luce coruscas,
Stirpis Davídicæ régia proles;
Sublímis résidens, virgo María,
Supra Cœlígenas ætheris omnes!
Tu cum virgíneo mater honóre
Cœlórum Dómino péctoris aulam
Sacris viscéribus casta dedisti:
Humános Deus hinc índuit artus.
QUEM cunctus vénerans orbis adórat
Cui nunc rité genu fléctitur omne;
A quo, te précibus subveniente,
Æterni pétimus gáudia regni.
DIVINÆ Sóboli qui dare matrem
In terris vóluit, glória Patri:
Cujus Virgo parens, glória Nato:
Quo fœcunda, tibi glória, Flamen. Amen.

In Festis beatæ Mariæ dicuntur in Nocturnis novem sequentes Psalmi, cum Antiphonis propriis.

In Officio autem parvo dicuntur tantùm tres Psalmi, secundùm ordinem Feriarum, ut infrà notatur.

IN I.° NOCTURNO.

Feriá II et V.

Ant. sola 1. a. Ave.

PSALMUS 8.

DOMINE Dóminus noster, * quàm admirábile est nomen tuum in universa terra!

Quóniam elevâta est magnificéntia tua * super cœlos.

Ex ore infántium et lacténtium perfecisti laudem propter inimícos tuos, * ut déstruas inimícum et ultórem.

Quóniam vidébo cœlos tuos, ópera digitórum tuórum; * lunam et stellas quæ tu fundasti.

Quid est homo, quòd memor es ejus? * aut fílius hóminis, quóniam vísitas eum?

Minuisti eum paulò minùs ab Angelis, glória et honóre coronasti eum, * et constituisti eum super ópera mánuum tuárum.

Omnia subjecisti sub pédibus ejus, * oves et boves universas, ínsuper et pécora campi;

Vólucres cœli, * et pisces maris qui perámbulant sémitas maris.

Dómine Dóminus noster, * quàm admirábile est nomen tuum in universa terra!

PSALMUS 18.

Cœli enarrant glóriam Dei, * et ópera mánuum ejus annúntiat firmamentum.

Dies diéi eructat verbum, * et nox nocti indicat sciéntiam.

Non sunt loquélæ, neque sermónes, * quorum non audiantur voces eórum.

In omnem terram exívit sonus eórum, et in fines orbis terræ verba eórum: * in sole pósuit tabernáculum suum;

Et ipse tanquam sponsus procédens de thálamo suo, * exultávit ut gigas ad currendam viam.

A summo cœlo egréssio ejus, et occursus ejus usque ad summum ejus: * nec est qui se abscondat à calóre ejus.

Lex Dómini immaculáta, convertens ánimas: * testimónium Dómini fidéle, sapiéntiam præstans párvulis.

Justítiæ Dómini rectæ, lætificantes corda: * præceptum Dómini lúcidum, illúminans óculos.

Timor Dómini sanctus, pérmanens in séculum séculi: * judícia Dómini vera, justificáta in semetipsa.

Desiderabília super aurum et lápidem pretiósum multum, * et dulcióra super mel et favum.

Etenim servus tuus custódit ea: * in custodiendis illis retribútio multa.

Delicta quis intélligit? * ab occultis meis munda me, et ab aliénis parce servo tuo.

Si meî non fúerint domináti, * tunc immaculátus ero, et emundábor à delicto máximo.

Et erunt ut compláceant clóquia oris mei, * et meditátio cordis mei in conspectu tuo semper.

Dómine, adjútor meus, * et redemptor meus.

PSALMUS 44.

Eructavit cor meum verbum bonum: * dico ego ópera mea regi.

Lingua mea * cálamus scribæ velóciter scribentis.

Speciósus formâ præ fíliis hóminum: diffúsa est grátia

in lábiis tuis; * proptéreà benedixit te Deus in æternum.

Accíngere gládio tuo super femur tuum, * Potentíssime.

Spécie tuâ et pulchritúdine tuâ intende, * prósperè procéde,

Et regna propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam; * et dedúcet te mirabíliter déxtera tua.

Sagittæ tuæ acútæ, pópuli sub te cadent, * in corda inimicórum regis.

Sedes tua, Deus, in séculum séculi: * virga dilectiónis, virga regni tui.

Dilexísti justítiam, et odísti iniquitátem; * proptéreà unxit te Deus, Deus tuus, óleo lætítiæ, præ consórtibus tuis.

Myrrha, et gutta, et cásia à vestimentis tuis, à dómibus ebúrneis; * ex quibus delectavérunt te fíliæ regum in honóre tuo.

Astitit regína à dextris tuis in vestítu deauráto, * circúmdata varietáte.

Audi, fília, et vide, et inclína aurem tuam; * et oblíviscere pópulum tuum, et domum patris tui:

Et concupíscet rex decórem tuum, * quóniam ipse est Dóminus Deus tuus; et adorábunt eum.

Et fíliæ Tyri in munéribus: * vultum tuum deprecabúntur omnes dívites plebis.

Omnis glória ejus fíliæ regis ab intùs: * in fímbriis áureis, circumamicta varietátibus.

Adducéntur regi vírgines post eam: * próximæ ejus afferéntur tibi.

Afferéntur in lætítia et exultatióne; * adducéntur in templum regis.

Pro pátribus tuis nati sunt tibi fílii: * constítues eos príncipes super omnem terram.

Mémores erunt nóminis tui * in omni generatióne et generatiónem.

Proptéreà pópuli confitebúntur tibi in æternum, * et in séculum séculi.

Ant. Ave, grátiâ plena; Dóminus tecum: benedicta tu in muliéribus. *Luc.* 1.

℣. Audi, fília, et vide, et inclína aurem tuam; ℟. Et concupíscet rex decórem tuum. *Ps.* 44.

Pater noster, *etc.*

Lectiones infrà.

IN II.° NOCTURNO.

Feriâ III et VI.

Ant. sola 8. c. Ecce.

PSALMUS 45.

Deus noster refúgium et virtus: * adjútor in tribulatiónibus quæ invenérunt nos nimis.

Proptéreà non timébimus, dum turbábitur terra, * et transferéntur montes in cor maris.

Sonuérunt et turbátæ sunt

aquæ eórum; * conturbáti sunt montes in fortitúdine ejus.

Flúminis ímpetus lætíficat civitátem Dei: * sanctificávit tabernáculum suum Altíssimus.

Deus in médio ejus; non commovébitur: * adjuvábit eam Deus mane dilúculo.

Conturbátæ sunt gentes, et inclináta sunt regna: * dedit vocem suam; mota est terra.

Dóminus virtútum nobiscum, * susceptor noster Deus Jacob.

Veníte, et vidéte ópera Dómini, quæ pósuit prodígia super terram, * áuferens bella usque ad finem terræ.

Arcum cónteret, et confringet arma, * et scuta combúret igni.

Vacáte, et vidéte quóniam ego sum Deus: * exaltábor in géntibus, et exaltábor in terra.

Dóminus virtútum nobiscum, * susceptor noster Deus Jacob.

PSALMUS 71.

Deus, judícium tuum regi da, * et justítiam tuam fílio regis:

Judicáre pópulum tuum in justítia, * et páuperes tuos in judício.

Suscípiant montes pacem pópulo: * et colles justítiam.

Judicábit páuperes pópuli, et salvos fáciet fílios páuperum, * et humiliábit calumniatórem.

Et permanébit cum sole et ante lunam, * in generatióne et generatiónem.

Descendet sicut plúvia in vellus, * et sicut stillicídia stillántia super terram.

Orietur in diébus ejus justítia, et abundántia pacis, * donec auferátur luna.

Et dominábitur à mari usque ad mare, * et à flúmine usque ad términos orbis terrárum.

Coram illo prócident Æthiópes, * et inimíci ejus terram lingent.

Reges Tharsis et ínsulæ múnera offerent; * reges Arabum et Saba dona addúcent.

Et adorábunt eum omnes reges terræ: * omnes gentes sérvient ei;

Quia liberábit páuperem à potente, * et páuperem cui non erat adjútor.

Parcet páuperi et ínopi; * et ánimas páuperum salvas fáciet.

Ex usúris et iniquitáte rédimet ánimas eórum; * et honorábile nomen eórum coram illo.

Et vivet, et dábitur ei de auro Arábiæ, et adorábunt de ipso semper: * totâ die benedícent ei.

Et erit firmamentum in terra in summis móntium, superextollétur super Líbanum fructus ejus; * et florébunt de civitáte sicut fœnum terræ.

Sit nomen ejus benedictum in sécula : * ante solem pérmanet nomen ejus.

Et benedicentur in ipso omnes tribus terræ : * omnes gentes magnificábunt eum.

Benedictus Dóminus Deus Israel, * qui facit mirabília solus.

Et benedictum nomen majestátis ejus in æternum ; * et replébitur majestáte ejus omnis terra : Fiat, fiat.

PSALMUS 84.

Benedixisti, Dómine, terram tuam, * avertisti captivitátem Jacob.

Remisisti iniquitátem plebis tuæ : * operuisti ómnia peccáta eorum.

Mitigasti omnem iram tuam, * avertisti ab ira indignatiónis tuæ.

Converte nos, Deus salutáris noster ; * et averte iram tuam à nobis.

Numquid in æternum irascéris nobis ? * aut extendes iram tuam à generatióne in generatiónem ?

Deus, tu conversus vivificábis nos ; * et plebs tua lætábitur in te.

Ostende nobis, Dómine, misericórdiam tuam, * et salutáre tuum da nobis.

Audiam quid loquátur in me Dóminus Deus ; * quóniam loquétur pacem in plebem suam,

Et super sanctos suos, * et in eos qui convertuntur ad cor.

Verúmtamen prope timentes eum salutáre ipsíus, * ut inhábitet glória in terra nostra.

Misericórdia et véritas obviavérunt sibi : * justítia et pax osculátæ sunt.

Véritas de terra orta est, * et justítia de cœlo prospexit.

Etenim Dóminus dabit benignitátem ; * et terra nostra dabit fructum suum.

Justítia ante eum ambulábit, * et ponet in via gressus suos.

Ant. Ecce concípies in útero, et páries fílium ; et vocábis nomen ejus Jesum. *Luc.* 1.

℣. Sanctificávit tabernáculum suum Altíssimus : ℟. Deus in médio ejus. *Ps.* 45.

Pater noster, *etc.*

Lectiones infrà.

IN III.° NOCTURNO.

Feria IV et Sabbato.

Ant. sola 2. D. Quod nascétur.

PSALMUS 86.

Fundamenta ejus in móntibus sanctis : * díligit Dóminus portas Sion super ómnia tabernácula Jacob.

Gloriósa dicta sunt de te, * cívitas Dei.

Memor ero Rahab et Babylónis, * sciéntium me.

Ecce alienígenæ, et Tyrus, et pópulus Æthíopum ; * hi fuerunt illic.

Numquid Sion dicet : Homo, et homo natus est in ea ; *

et ipse fundávit eam Altíssimus?

Dóminus narrábit in scriptúris populórum et príncipum, * horum qui fuérunt in ea.

Sicut lætántium ómnium* habitátio est in te.

PSALMUS 96.

Dominus regnávit, exultet terra, * lætentur ínsulæ multæ.

Nubes et calígo in circúitu ejus : * justítia et judícium corréctio sedis ejus.

Ignis ante ipsum præcédet, * et inflammábit in circúitu inimícos ejus.

Illuxérunt fúlgura ejus orbi terræ : * vidit, et commóta est terra.

Montes sicut cera fluxérunt à fácie Dómini; * à fácie Dómini omnis terra.

Annuntiavérunt cœli justítiam ejus; * et vidérunt omnes pópuli glóriam ejus.

Confundantur omnes qui adórant sculptília, * et qui glorianturin simulácris suis.

Adoráte eum, * omnes Angeli ejus.

Audívit, et lætáta est Sion : * et exultavérunt fíliæ Judæ propter judícia tua, Dómine;

Quóniam tu Dóminus altíssimus super omnem terram : * nimis exaltátus es super omnes deos.

Qui dilígitis Dóminum, odíte malum : * custódit Dóminus ánimas sanctórum suórum; de manu peccatóris liberábit eos.

Lux orta est justo, * et rectis corde lætítia.

Lætámini, justi, in Dómino, * et confitémini memóriæ sanctificatiónis ejus.

PSALMUS 97.

Cantate Dómino cánticum novum, * quia mirabília fecit.

Salvávit sibi déxtera ejus, * et bráchium sanctum ejus.

Notum fecit Dóminus salutáre suum; * in conspectu géntium revelávit justítiam suam.

Recordátus est misericórdiæ suæ, * et veritátis suæ dómui Israel.

Vidérunt omnes términi terræ * salutáre Dei nostri.

Jubiláte Deo, omnis terra : * cantáte, et exultáte, et psállite.

PsálliteDómino in cíthara, * in cíthara et voce psalmi,

In tubis ductílibus et voce tubæ córneæ : * jubiláte in conspectu regis Dómini.

Moveátur mare, et plenitúdo ejus; * orbis terrárum, et qui hábitant in eo.

Flúmina plaudent manu, simul montes exultábunt à conspectu Dómini, * quóniam venit judicáre terram.

Judicábit orbem terrárum in justítia, * et pópulos in æquitáte.

Ant. Quod nascétur ex te Sanctum, vocábitur Filius Dei. *Luc.* 1.

℣. Descendet sicut plúvia in vellus : ℟. Et replébitur majestáte ejus omnis terra. *Ps.* 71.

Pater noster, *etc.*

ABSOLUTIO.

(2. Mach. 1.)

DEUS memínerit testamenti sui quod locútus est, et exáudiat oratiónes nostras.

℟. Amen.

Bened. de B. M. Virg. post Psalterium, 174.

LECTIO I.

(Isaiæ 7.)

ADJECIT Dóminus loqui ad Achaz, dicens : Pete tibi signum à Dómino Deo tuo in profundum inferni, sive in excelsum suprà. Et dixit Achaz : Non petam, et non tentábo Dóminum. Et dixit : Audíte ergo, domus David : Numquid parum vobis est molestos esse homínibus ; quia molesti estis et Deo meo? Propter hoc dabit Dóminus ipse vobis signum : Ecce Virgo concípiet, et páriet fílium ; et vocábitur nomen ejus, Emmánuel. Tu autem.

℟. Benedícam ei, et ex illa, LXXII.

LECTIO II.

(Galat. 4.)

QUANTO témpore hæres párvulus est, nihil differt à servo, cùm sit dóminus ómnium ; sed sub tutóribus et actóribus est, usque ad præfinítum tempus à patre : ita et nos, cùm essémus párvuli, sub elementis mundi erámus servientes. At ubi venit plenitúdo témporis, misit Deus Fílium suum, factum ex muliere, factum sub lege ; ut eos qui sub lege erant redímeret, ut adoptiónem filiórum reciperémus. Tu autem.

℟. Quod in ea natum est, LXXII.

LECTIO III.

(Apoc. 11 et 12.)

APERTUM est templum Dei in cœlo, et visa est arca testamenti ejus in templo ejus : et facta sunt fúlgura, et voces, et terræ motus, et grando magna. Et signum magnum appáruit in cœlo : Múlier amicta sole, et luna sub pédibus ejus, et in cápite ejus coróna stellárum duódecim. Tu autem.

℟. Deus ex sémine, LXXII.

Non dicitur Te Deum.

℣. *Sacerd.* Confiteántur tibi pópuli, Deus : ℟. Terra dedit fructum suum. *Ps.* 66.

Si Laudes non sequantur, dicitur hic Oratio, Concéde, *ut infrà ad Sextam*, LXXXV.

AD LAUDES.

℣. Deus, in adjutórium. *Ant. sola* 4. a. Benedicta tu.

PSALMUS 66.

DEUS misereátur nostrî, et benedícat nobis : * illúminet vultum suum super

nos, et misereátur nostrî;

Ut cognoscámus in terra viam tuam, * in ómnibus géntibus salutáre tuum.

Confiteantur tibi pópuli, Deus, * confiteantur tibi pópuli omnes.

Lætentur et exultent gentes, quóniam júdicas pópulos in æquitáte, * et gentes in terra dírigis.

Confiteantur tibi pópuli, Deus, confiteantur tibi pópuli omnes: * terra dedit fructum suum.

Benedícat nos Deus, Deus noster, benedícat nos Deus; * et métuant eum omnes fines terræ.

PSALMUS 92.

Dominus regnávit, decórem indútus est: * indútus est Dóminus fortitúdinem, et præcinxit se.

Etenim firmávit orbem terræ, * qui non commovébitur.

Paráta sedes tua ex tunc: * à sæculo tu es.

Elevavérunt flúmina, Dómine: * elevavérunt flúmina vocem suam.

Elevavérunt flúmina fluctus suos, * à vócibus aquárum multárum.

Mirábiles elatiónes maris: * mirábilis in altis Dóminus.

Testimónia tua credibília facta sunt nimis: * domum tuam decet sanctitúdo, Dómine, in longitúdinem diérum.

PSALMUS 99.

Jubilate Deo, omnis terra: * servíte Dómino in lætítia.

Introíte in conspectu ejus, * in exultatióne.

Scitóte quóniam Dóminus ipse est Deus: * ipse fecit nos, et non ipsi nos.

Pópulus ejus, et oves páscuæ ejus, introíte portas ejus in confessióne, átria ejus in hymnis: * confitémini illi.

Laudáte nomen ejus, * quóniam suavis est Dóminus.

In æternum misericórdia ejus, * et usque in generatiónem et generatiónem véritas ejus.

CANTICUM.

(Zach. 2.)

Lauda et lætáre, fília Sion; * quia ecce ego vénio, et habitábo in médio tuî, ait Dóminus.

Et applicabuntur gentes multæ ad Dóminum in die illa, * et erunt mihi in pópulum, et habitábo in médio tuî.

Et scies quia Dóminus exercítuum * misit me ad te.

Et possidébit Dóminus Judam partem suam in terra sanctificáta; * et éliget adhuc Jerúsalem.

Síleat omnis caro à fácie Dómini, * quia consurrexit de habitáculo sancto suo.

PSALMUS 150.

LAUDATE Dóminum in sanctis ejus : * laudáte eum in firmamento virtútis ejus.

Laudáte eum in virtútibus ejus : * laudáte eum secundùm multitúdinem magnitúdinis ejus.

Laudáte eum in sono tubæ : * laudáte eum in psaltério et cíthara.

Laudáte eum in tympano et choro : * laudáte eum in chordis et órgano.

Laudáte eum in cymbalis benesonántibus ; laudáte eum in cymbalis jubilatiónis : * omnis spíritus laudet Dóminum.

Ant. Benedicta tu inter mulíeres, et benedictus fructus ventris tui. *Luc.* 1.

Capitulum. (*Jerem.* 32.)

CREAVIT Dóminus novum super terram : Fémina circúmdabit virum.

Hymnus, Nunc auróra, LXXII.

℣. Recordátus est Dóminus misericórdiæ suæ, ℟. Et veritátis suæ dómui Israel. *Ps.* 97.

Ad Benedictus, *Ant.* 3. à. Beáta quæ credidisti ; quóniam perficientur ea quæ dicta sunt tibi a Dómino. *Luc.* 1.

ORATIO.

DEUS, qui de beátæ Maríæ vírginis útero Verbum tuum, Angelo nuntiante, carnem suscípere voluisti : præsta supplícibus tuis, ut qui verè eam genitrícem Dei crédimus, ejus apud te intercessiónibus adjuvémur ; Per eumdem Dóminum nostrum.

Fiunt Suffragia.

AD PRIMAM.

HYMNUS.

MEMENTO, de Deo Deus, Quòd matre natus Vírgine, Nostrî misertus, pérditi Mundi redemptor véneris.

Et nos, Dei Virgo parens, Vultu benigno réspice : Placábilem tuâ prece Fac esse nobis Fílium.

Qui natus es de Vírgine, Jesu, tibi sit glória Cum Patre, cumque Spíritu, In sempiterna sécula. Amen.

Psalm. Deus, in nómine, 118; Cantáte.... omnis terra, 46; Laudáte Dóminum, 143; *sub Antiphon.* 2. D. Fílius Dei factus est ei ex sémine David secundùm carnem. *Rom.* 1.

Capitulum. (*Isaiæ* 11.)

EGREDIÉTUR virga de radíce Jesse, et flos de radíce ejus ascendet, et requiescet super eum Spíritus Dómini.

℟. *br.* Semen ejus * In æternum manébit. Semen. ℣. Et thronus ejus sicut sol * in conspectu meo, * In. Glória Patri. Semen. *Ps.* 88.

℣. Dominábitur à mari usque ad mare, ℟. Et usque

ad términos orbis terrárum. *Ps.* 71.

ORATIO.

PROTEGE, Dómine, fámulos tuos subsídiis pacis; et beátæ Maríæ semper vírginis patrocíniis confidentes, a cunctis hóstibus et perículis redde secúros; Per Dóminum nostrum Jesum Christum.

AD TERTIAM.

Hymnus, Memento, de Deo Deus, LXXIV.

Psalm. Ad Dóminum, 71; Levávi, 51: Lætátus sum, 71; *sub Antiph.* 4. d. De María natus est Jesus, qui vocátur Christus. *Matth.* 1.

Capitulum. (*Isaiæ* 7.)

DABIT Dóminus ipse vobis signum : Ecce Virgo concípiet, et páriet fílium; et vocábitur nomen ejus, Emmánuel.

℟. *br.* Deus in médio ejus; * Non commovébitur. Deus. ℣. Adjuvábit eam * mane dilúculo : * Non commovébitur. Glória. Deus. *Ps.* 45.

℣. Elégit eam Dóminus ℟. In habitatiónem sibi. *Ps.* 131.

ORATIO.

DEUS, qui salútis æternæ, beátæ Maríæ virginitáte fœcundà, humáno géneri præmia præstitísti : tríbue, quæsumus, ut ipsam pro nobis intercédere sentiámus, per quam meruímus auctórem vitæ suscípere Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum; Qui.

AD SEXTAM.

Hymn., Memento, LXXXIV.

Ps. Ad te levávi, 91; Nisi quia, 51; Qui confídunt, 91; *sub Antiph.* 7. d. Péperit fílium masculum, qui rectúrus erat omnes gentes *Apoc.* 12

Capitulum. (*Mich.* 5.)

EGRÆDIETUR qui sit dominátor in Israel; et egréssus ejus ab inítio, à diébus æternitátis. Propter hoc dabit eos usque ad tempus in quo partúriens páriet; et relíquiæ fratrum ejus convertentur ab fílios Israel.

℟. *br.* Homo * Natus est in ea. Homo. ℣. Et ipse fundávit eam * Altíssimus : * Natus est. Glória. Homo. *Ps.* 86.

℣. Ipse tanquam sponsus ℟. Procédens de thálamo suo. *Ps.* 18.

ORATIO.

CONCEDE, miséricors Deus, fragilitáti nostræ præsídium ut qui sanctæ Dei Genitrícis memóriam ágimus, intercessiónis ejus auxílio, à nostris iniquitátibus resurgámus; Per eumdem.

AD NONAM.

Hymn., Memento, LXXXIV

Ps. In convertendo, 52;

Nisi Dóminus, 91; Beáti omnes, 151; *sub Antiph.* 1. *g.* Beátus venter qui te portávit, et úbera quæ suxisti. *Luc.* 11.

Capitulum. (*Galat.* 4.)

Ubi venit plenitúdo témporis, misit Deus Fílium suum, factum ex muliére, factum sub lege; ut eos qui sub lege erant redímeret, ut adoptiónem filiórum recipeámus.

℟. *br.* Misericórdia et véritas * Obviavérunt sibi. Misericórdia. ℣. Justítia et pax * osculátæ sunt, * Obviavérunt sibi. Glória Patri. Misericórdia.

℣. Véritas de terra orta est, ℟. Et justítia de cœlo prospexit. *Ps.* 84.

ORATIO.

Famulórum tuórum, quæsumus, Dómine, delictis ignósce; ut qui tibi placére de áctibus nostris non valémus, Genitrícis Fílii tui Dómini nostri intercessióne salvémur; Per eumdem.

AD VESPERAS.

℣. Deus, in adjutórium, *etc.*

Ant. sola 3. c. In me ancillà.

PSALMUS 109.

Dixit Dóminus Dómino meo: * Sede à dextris meis.

Donec ponam inimícos tuos * scabellum pedum tuórum.

Virgam virtútis tuæ emittet Dóminus ex Sion: * domináre in médio inimicórum tuórum.

Tecum princípium in die virtútis tuæ in splendóribus sanctórum: * ex útero ante lucíferum génui te.

Jurávit Dóminus, et non pœnitébit eum: * Tu es Sacerdos in æternum secundùm órdinem Melchísedech.

Dóminus à dextris tuis: * confrégit in die iræ suæ reges.

Judicábit in natiónibus; implébit ruínas; * conquassábit cápita in terra multórum.

De torrente in via bibet; * propterèa exaltábit caput.

PSALMUS 112.

Laudate, púeri, Dóminum: * laudáte nomen Dómini.

Sit nomen Dómini benedictum, * ex hoc nunc, et usque in séculum.

A solis ortu usque ad occásum, * laudábile nomen Dómini.

Excelsus super omnes gentes Dóminus, * et super cœlos glória ejus.

Quis sicut Dóminus Deus noster, qui in altis hábitat, * et humília réspicit in cœlo et in terra?

Súscitans à terra ínopem, * et de stércore érigens páuperem;

Ut cóllocet eum cum prin-

cipibus, * cum princípibus pópuli sui.

Qui habitáre facit stérilem in domo, * matrem filiórum lætantem.

PSALMUS 121.

Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi: * In domum Dómini íbimus.

Stantes erant pedes nostri * in átriis tuis, Jerúsalem,

Jerúsalem quæ ædificátur ut cívitas, * cujus participátio ejus in idipsum.

Illuc enim ascendérunt tribus, tribus Dómini: * testimónium Israel, ad confitendum nómini Dómini.

Quia illic sedérunt sedes in judício, * sedes super domum David.

Rogáte quæ ad pacem sunt Jerúsalem: * et abundántia diligéntibus te.

Fiat pax in virtúte tua, * et abundántia in túrribus tuis.

Propter fratres meos et próximos meos, * loquébar pacem de te.

Propter domum Dómini Dei nostri, * quæsívi bona tibi.

PSALMUS 126.

Nisi Dóminus ædificáverit domum, * in vanum laboravérunt qui ædíficant eam.

Nisi Dóminus custódierit cívitátem, * frustrà vígilat qui custódit eam.

Vanum est vobis ante lucem súrgere: * súrgite, postquàm sedéritis, qui manducátis panem dolóris, cùm déderit dilectis suis somnum.

Ecce hæréditas Dómini, fílii; * merces, fructus ventris.

Sicut sagittæ in manu potentis, * ita fílii excussórum.

Beátus vir qui implévit desidérium suum ex ipsis; * non confundétur, cùm loquétur inimícis suis in porta.

PSALMUS 147.

Lauda, Jerúsalem, Dóminum: * lauda Deum tuum, Sion;

Quóniam confortávit seras portárum tuárum, * benedixit fíliis tuis in te.

Qui pósuit fines tuos pacem, * et ádipe frumenti sátiat te;

Qui emittit elóquium suum terræ, * velóciter currit sermo ejus;

Qui dat nivem sicut lanam, * nébulam sicut cinerem spargit;

Mittit crystallum suam sicut buccellas: * ante fáciem frígoris ejus quis sustinébit?

Emittet verbum suum, et liquefáciet ea: * flabit spíritus ejus, et fluent aquæ.

Qui annúntiat verbum suum Jacob, * justítias et judícia sua Israel.

Non fecit táliter omni na-

tióni : * et judícia sua non manifestávit eis.

Ant. In me ancillà suâ adimplévit Dóminus misericórdiam suam quam promísit dómui Israel. *Judith* 13.

Capitulum. (*Eccli.* 24.)

Qui créavit me, requiévit in tabernáculo meo : et dixit mihi : In Jacob inhábita, et in Israel hæreditáre, et in electis meis mitte radíces. Et sic in Sion firmáta sum.

HYMNUS.

Ave, maris stella,
Dei mater alma,
Atque semper virgo,
Felix cœli porta.
Sumens illud ave
Gabriélis ore,
Funda nos in pace,
Mutans Evæ nomen.
Solve vincla reis,
Profer lumen cæcis;
Mala nostra pelle,
Bona cuncta posce.
Monstra te esse matrem,
Sumat per te preces
Qui pro nobis natus,
Tulit esse tuus.
Virgo singuláris,
Inter omnes mitis,
Nos culpis solútos,
Mites fac et castos.
Vitam præsta puram,
Iter para tutum;
Ut vidéntes Jesum,
Semper collætémur.
Sit laus Deo Patri,
Summo Christo decus,
Spirítui sancto;
Tribus honor unus Amen.

℣. Anima mea exultábit in Dómino : ℟. Et delectábitur super salutári suo. *Ps.* 34.

Ad Magníficat, *Ant.* 8. *G.* Beátam me dicent omnes generatiónes; quia fecit mihi magna qui potens est, et sanctum nomen ejus. *Luc.* 1.

ORATIO.

Cordibus nostris, quæsumus, Dómine, grátiam tuam benignus infunde; et intercedente sanctíssimâ Dei genitríce Maríâ, córpora nostra castitáte, et mentes nostras humilitáte et caritáte sanctífica; Per eumdem.

Fiunt Suffragia.

AD COMPLETORIUM.

℣. Converte nos. ℣. Deus, in adjutórium.

Ps. Sæpè expugnavérunt, 129; De profundis, 92; Dómine, non est exaltátum, 92, *sub Antiph.* 5. a. In omni gente quæ audíerit nomen tuum, magnificábitur super te Deus Israel. *Judith* 13.

HYMNUS.

Virgo, Dei génitrix, quem
totus non capit orbis,
In tua se clausit víscera,
factus homo.
Hinc méritò dicent te sécula cuncta beátam :
Hinc pópuli matrem te dominamque colunt.
Suscipe, quos pia plebs
tibi péndere certat, honóres :

Annue, sollícitâ quam prece poscit, opem.
Glória magna Patri: compar sit glória Nato:
Ambórum tibi par, Spíritus alme, decus. Amen.

Capitulum. (*Judith* 13.)

Nomen tuum Dóminus ita magnificávit, ut non recédat laus tua de ore hóminum, qui mémores fúerint virtútis Dómini in æternum.

℟. *br.* Vultum tuum * Deprecabuntur. Vultum. ℣. Omnes dívites * plebis * Deprecabuntur. Glória Patri. Vultum.

℣. Mémores erunt nóminis tui ℟. In omni generatióne et generatiónem. *Ps.* 44.

Ad Nunc dimittis, *Ant.* 4. E. Memoráre diérum humilitátis tuæ; et invoca Dóminum, et lóquere Regi pro nobis, et líbera nos de morte. *Esther* 15.

ORATIO.

Beatæ et gloriósæ semperque vírginis Maríæ, quæsumus, Dómine, intercéssio gloriósa nos prótegat, et ad vitam perdúcat æternam; Per Dóminum.

PROSA DE BEATA

AD DEVOTIONEM.

Inviolata, íntegra et casta es, María:
Quæ es effecta fúlgida cœli porta.
O mater alma Christi caríssima,
Súscipe pia laudum præcónia.
Nostra ut pura péctora sint et córpora,
Te nunc flágitant devóta corda et ora.
Tua per precáta dulcísona,
Nobis concédas véniam per sécula.
O benigna! O benigna! O benigna!
Quæ sola inviolâta permansisti.
℣. Véritas de terra orta est. ℟. Et justítia de cœlo prospexit. *Ps.* 84.

ORATIO.

Famulórum tuórum, quæsumus, Dómine, delictis ignósce; ut qui tibi placére de áctibus nostris non valémus, Genitrícis Fílii tui Dómini nostri intercessióne salvémur; Per eumdem.

PSALMI POENITENTIALES.

PSALMUS 6.

DOMINE, ne in furóre tuo árguas me, * neque in ira tua corrípias me.

Miserére meî, Dómine, quóniam infirmus sum: * sana me, Dómine, quóniam conturbáta sunt ossa mea.

Et ánima mea turbáta est valde; * sed tu, Dómine, úsquequò?

Convértere, Dómine, et éripe ánimam meam: * salvum me fac propter misericórdiam tuam;

Quóniam non est in morte, qui memor sit tuî: * in inferno autem quis confitébitur tibi?

Laborávi in gémitu meo, lavábo per síngulas noctes lectum meum, * lácrymis meis stratum meum rigábo.

Turbátus est à furóre óculus meus; * inveterávi inter omnes inimícos meos.

Discédite à me, omnes qui operámini iniquitátem; * quóniam exaudívit Dóminus vocem fletûs mei.

Exaudívit Dóminus deprecatiónem meam: * Dóminus oratiónem meam suscépit.

Erubescant et conturbentur vehementer omnes inimíci mei: * convertantur et erubescant valde velóciter.

PSALMUS 31.

BEATI quorum remissæ sunt iniquitátes, * et quorum tecta sunt peccáta.

Beátus vir cui non imputávit Dóminus peccátum; * nec est in spíritu ejus dolus.

Quóniam tácui, inveteravérunt ossa mea, * dum clamárem totâ die.

Quóniam die ac nocte graváta est super me manus tua: * conversus sum in ærumna mea, dum confígitur spina.

Delictum meum cógnitum tibi feci, * et injustítiam meam non abscondi.

Dixi: Confitébor adversùm me injustítiam meam Dómino; * et tu remisisti impietátem peccáti mei.

Pro hac orábit ad te omnis sanctus * in témpore opportúno.

Verúmtamen in dilúvio aquárum multárum, * ad eum non approximábunt.

Tu es refúgium meum à tribulatióne quæ circúmdedit me: * exultátio mea, érue me à circumdántibus me.

Intellectum tibi dabo, et ínstruam te in via hac quâ

gradiéris : * firmábo super te óculos meos.

Nolíte fíeri sicut equus et mulus, * quibus non est intellectus.

In camo et fræno maxillas eórum constringe, * qui non appróximant ad te.

Multa flagella peccatóris; * sperantem autem in Dómino misericórdia circúmdabit.

Lætámini in Dómino, et exultáte, justi; * et gloriámini, omnes recti corde.

PSALMUS 37.

Domine, ne in furóre tuo árguas me, * neque in ira tua corrípias me;

Quóniam sagittæ tuæ infixæ sunt mihi, * et confirmasti super me manum tuam.

Non est sánitas in carne mea à fácie iræ tuæ : * non est pax óssibus meis à fácie peccatórum meórum.

Quóniam iniquitátes meæ supergressæ sunt caput meum : * et sicut onus grave gravátæ sunt super me.

Putruérunt et corruptæ sunt cicatríces meæ, * à fácie insipiéntiæ meæ.

Miser factus sum et curvátus sum usque in finem : * totâ die contristátus ingrediébar.

Quóniam lumbi mei impléti sunt illusiónibus; * et non est sánitas in carne mea.

Afflictus sum et humiliátus sum nimis : * rugiébam à gémitu cordis mei.

Dómine, ante te omne desidérium meum; * et gémitus meus à te non est abscónditus.

Cor meum conturbátum est, derelíquit me virtus mea; * et lumen oculórum meórum, et ipsum non est mecum.

Amíci mei et próximi mei * adversùm me appropinquavérunt et stetérunt.

Et qui juxta me erant, de longe stetérunt; * et vim faciébant qui quærébant ánimam meam.

Et qui inquiréhant mala mihi, locúti sunt vanitátes, * et dolos totâ die meditabantur.

Ego autem tanquam surdus non audiébam, * et sicut mutus non apériens os suum.

Et factus sum sicut homo non áudiens, * et non habens in ore suo redargutiónes.

Quóniam in te, Dómine, sperávi : * tu exáudies me, Dómine Deus meus.

Quia dixi : Nequando supergáudeant mihi inimíci mei; * et, dum commoventur pedes mei; super me magna locúti sunt.

Quóniam ego in flagella parátus sum; * et dolor meus in conspectu meo semper.

Quóniam iniquitátem meam annuntiábo; * et cogitábo pro peccáto meo.

Inimíci autem mei vivunt, et confirmáti sunt super me, * et multiplicáti sunt qui odérunt me iníque.

Qui retríbuunt mala pro bonis, detrahébant mihi; * quóniam sequébar bonitátem.

Ne derelínquas me, Dómine Deus meus; * ne discésseris à me.

Intende in adjutórium meum, * Dómine Deus salútis meæ.

PSALMUS 50.

Miserere meî, Deus, * secundùm magnam misericórdiam tuam.

Et secundùm multitúdinem miseratiónum tuárum * dele iniquitátem meam.

Ampliùs lava me ab iniquitáte mea, * et à peccáto meo munda me;

Quóniam iniquitátem meam ego cognosco, * et peccátum meum contra me est semper.

Tibi soli peccávi, et malum coram te feci; * ut justificéris in sermónibus tuis, et vincas cùm judicáris.

Ecce enim in iniquitátibus conceptus sum, * et in peccátis concépit me mater mea.

Ecce enim veritátem dilexisti: * incerta et occulta sapiéntiæ tuæ manifestasti mihi.

Asperges me hyssópo, et mundábor: * lavábis me, et super nivem dealbábor.

Audítui meo dabis gáudium et lætítiam; * et exultábunt ossa humiliáta.

Averte fáciem tuam à peccátis meis, * et omnes iniquitátes meas dele.

Cor mundum crea in me, Deus; * et spíritum rectum ínnova in viscéribus meis.

Ne projícias me à fácie tua; * et Spíritum sanctum tuum ne áuferas à me.

Redde mihi lætítiam salutáris tui; * et spíritu principáli confirma me.

Docébo iníquos vias tuas; * et ímpii ad te convertentur.

Líbera me de sanguínibus, Deus, Deus salútis meæ; * et exultábit lingua mea justítiam tuam.

Dómine, lábia mea apéries; * et os meum annuciábit laudem tuam.

Quóniam si voluisses sacrifícium, dedissem útique; * holocaustis non delectáberis.

Sacrifícium Deo spíritus contribulátus: * cor contrítum et humiliátum, Deus, non despícies.

Benignè fac, Dómine, in bona voluntáte tua Sion, * ut ædificentur muri Jerúsalem.

Tunc acceptábis sacrifícium justítiæ, oblatiónes et holocausta; * tunc impónent super altáre tuum vítulos.

PSALMUS 101.

Domine, exaudi oratiónem meam; * et clamor meus ad te véniat.

Non avertas fáciem tuam à me: * in quacumque die tríbulor, inclína ad me aurem tuam.

In quacumque die invocávero te, * velóciter exaudi me;

Quia defecérunt sicut fumus dies mei, * et ossa mea sicut crémium aruérunt.

Percussus sum ut fœnum, et áruit cor meum; * quia oblítus sum comédere panem meum.

A voce gémitûs mei * adhæsit os meum carni meæ.

Símilis factus sum pelicáno solitúdinis: * factus sum sicut nyctícorax in domicílio.

Vigilávi, * et factus sum sicut passer solitárius in tecto.

Totâ die exprobrábant mihi inimíci mei, * et qui laudábant me, adversùm me jurábant.

Quia cinerem tanquam panem manducábam; * et potum meum cum fletu miscébam,

A fácie iræ et indignatiónis tuæ; * quia élevans allisisti me.

Dies mei sicut umbra declinavérunt; * et ego sicut fœnum árui.

Tu autem, Dómine, in æternum pérmanes; * et memoriále tuum in generatiónem et generatiónem.

Tu exurgens miseréberis Sion, * quia tempus miserendi ejus, quia venit tempus;

Quóniam placuérunt servis tuis lápides ejus, * et terræ ejus miserebuntur.

Et timébunt gentes nomen tuum, Dómine, * et omnes reges terræ glóriam tuam;

Quia ædificávit Dóminus Sion, * et vidébitur in glória sua.

Respexit in oratiónem humílium, * et non sprevit precem eórum.

Scribantur hæc in generatióne áltera: * et pópulus qui creábitur, laudábit Dóminum;

Quia prospexit de excelso sancto suo: * Dóminus de cœlo in terram aspexit;

Ut audíret gémitus compeditórum, * ut sólveret fílios interemptórum;

Ut annúntient in Sion nomen Dómini, * et laudem ejus in Jerúsalem,

In conveniendo pópulos in unum, et reges, * ut sérviant Dómino.

Respondit ei in via virtútis suæ: * Paucitátem diérum meórum núntia mihi.

Ne révoces me in dimídio diérum meórum: * in generatiónem et generatiónem anni tui.

Inítio tu, Dómine, terram fundasti: * et ópera mánuum tuárum sunt cœli.

Ipsi períbunt; * tu autem pérmanes:

Et omnes sicut vestimentum veterascent; * et sicut opertórium mutábis eos, et mutabuntur.

Tu autem idem ipse es, * et anni tui non defícient.

Fílii servórum tuórum ha-

bitábunt ; * et semen córum in séculum dirigétur.

PSALMUS 129.

De profundis clamávi ad te, Dómine : * Dómine, exaudi vocem meam.

Fiant aures tuæ intendentes * in vocem deprecatiónis meæ.

Si iniquitátes observáveris, Dómine ; * Dómine, quis sustinébit ?

Quia apud te propitiátio est, * et propter legem tuam sustínui te, Dómine.

Sustínuit ánima mea in verbo ejus, * sperávit ánima mea in Dómino.

A custódia matutína usque ad noctem * speret Israel in Dómino ;

Quia apud Dóminum misericórdia, * et copiósa apud eum redémptio ;

Et ipse rédimet Israel * ex ómnibus iniquitátibus ejus.

PSALMUS 142.

Domine, exaudi oratiónem meam : * áuribus pércipe obsecratiónem meam in veritáte tua ; exaudi me in tua justítia.

Et non intres in judícium cum servo tuo ; * quia non justificábitur in conspectu tuo omnis vivens.

Quia persecútus est inimícus ánimam meam : * humiliávit in terra vitam meam.

Collocávit me in obscúris sicut mórtuos séculi ; * et anxiátus est super me spíritus meus : in me turbátum est cor meum.

Memor fui diérum antiquórum : meditátus sum in ómnibus opéribus tuis ; * in factis mánuum tuárum meditábar.

Expandi manus meas ad te : * ánima mea sicut terra sine aqua tibi.

Velóciter exaudi me, Dómine ; * defécit spíritus meus.

Non avertas fáciem tuam à me ; * et símilis ero descendéntibus in lacum.

Audítam fac mihi mane misericórdiam tuam ; * quia in te sperávi.

Notam fac mihi viam in qua ámbulem ; * quia ad te levávi ánimam meam.

Eripe me de inimícis meis, Dómine ; ad te confúgi : * doce me fácere voluntátem tuam, quia Deus meus es tu.

Spíritus tuus bonus dedúcet me in terram rectam : * propter nomen tuum, Dómine, vivificábis me in æquitáte tua.

Edúces de tribulatióne ánimam meam ; * et in misericórdia tua disperdes inimícos meos.

Et perdes omnes qui tríbulant ánimam meam ; * quóniam ego servus tuus sum.

Ant. Dómine, memor esto meî, et ne vindictam sumas de peccátis meis, neque reminiscáris delicta mea, vel parentum meórum. *Tob.* 3.

LITANIÆ.

Kyrie, eléison. Christe, eléison. Kyrie, eléison.
Christe, audi nos. Christe, exaudi nos.
Pater de cœlis, Deus, Miserére nobis.
Fili redemptor mundi, Deus, miserére nobis.
Spíritus sancte, Deus, miserére nobis.
Sancta Trínitas, unus Deus, miserére nobis.
Sancta María, ora pro nobis.
Sancta Dei Génitrix, ora.
Sancta Virgo vírginum, ora.
Sancte Míchael, ora.
Sancte Gábriel, ora.
Sancte Ráphael, ora.
Omnes sancti Angeli et Archángeli, oráte pro nobis.
Omnes sancti beatórum Spirítuum órdines, oráte.
Sancte Joannes Baptista, ora pro nobis.
Omnes sancti Patriarchæ et Prophétæ, oráte.
Sancte Petre, ora.
Sancte Paule, ora.
Sancte Andréa, ora.
Sancte Jacóbe (*Zeb.*), ora.
Sancte Joannes, ora.
Sancte Thoma, ora.
Sancte Jacóbe, ora.
Sancte Philippe, ora.
Sancte Bartholomæe, ora.
Sancte Matthæe, ora.
Sancte Simon, ora.
Sancte Thaddæe, ora.
Sancte Matthía, ora.
Sancte Bárnaba, ora.
Sancte Luca, ora.
Sancte Marce, ora.
Omnes sancti Apóstoli et Evangelistæ, oráte.
Omnes sancti Discípuli Dómini, oráte.
Omnes sancti Innocentes, oráte pro nobis.
Sancte Stéphane, ora.
Sancte Clemens, ora.
Sancte Fabiáne, ora.
Sancte Laurenti, ora.
Sancte Vincenti, ora.
Sancte Irenæe cum sóciis tuis, ora pro nobis.
Sancte Dionysi cum sóciis tuis, ora pro nobis.
Sancti Joannes et Paule, oráte pro nobis.
Sancti Cosma et Damiáne, oráte pro nobis.
Sancti Gervási et Protási, oráte pro nobis.
Sancte Sebastiáne, ora.
Sancte Amarande, ora.
Sancte Priváte, ora.
Omnes sancti Mártyres, oráte pro nobis.
Sancte Sylvester, ora.
Sancte Grégori, ora.
Sancte Ambrósi, ora.
Sancte Augustíne, ora.
Sancte Hierónyme, ora.
Sancte Hilári, ora.
Sancte Martíne, ora.
Sancte Cæsári, ora.
Sancte Remígi, ora.
Sancte Nicoláe, ora.
Sancte Clare, ora.
Sancte Diogeniáne, ora.
Sancte Salvi, ora.
Sancte Germane, ora.
Omnes sancti Pontífices et Confessóres, oráte.
Omnes sancti Doctóres, oráte pro nobis.

Sancte Antóni, ora pro nobis.
Sancte Benedicte, ora.
Sancte Maure, ora.
Sancte Bernarde, ora.
Sancte Domínice, ora.
Sancte Francisce, ora.
Sancte Ludovíce, ora.
Sancte Roche, ora.
Omnes sancti Sacerdótes et Levítæ, oráte.
Omnes sancti Mónachi et Eremítæ, oráte.
Sancta Anna, ora.
Sancta María Magdaléne, ora pro nobis.
Sancta Thecla, ora.
Sanctæ Perpétua et Felícitas, oráte pro nobis.
Sancta Agatha, ora.
Sancta Lúcia, ora.
Sancta Agnes, ora.
Sancta Cæcília, ora.
Sancta Catharína, ora.
Sancta Anastásia, ora.
Sancta Caríssima ora.
Sancta Martiána, ora.
Sancta Genovéfa, ora.
Sancta Clotildis, ora.
Sancta Bathildis, ora.
Sancta María Ægyptia, ora.
Sancta Sigolena, ora.
Omnes sanctæ Vírgines et Víduæ, oráte.
Omnes Sancti et Sanctæ Dei, intercédite pro nobis.
Propítius esto, Parce nobis, Dómine.
Propítius esto, Exaudi nos, Dómine.
Ab omni malo, Líbera nos, Dómine.
Ab omni peccáto, líbera.
Ab ira tua, líbera.
Ab subitanea et improvísa morte, líbera.
Ab insídiis diáboli, líbera.
Ab immundis cogitatiónibus, líbera.
A spíritu fornicatiónis, líbera nos, Dómine.
Ab ira, et ódio, et omni mala voluntáte, líbera.
A fúlgure et tempestáte, líbera nos, Dómine.
A morte perpétua, líbera.
Per mystérium sanctæ Incarnatiónis tuæ, líbera.
Per adventum tuum, líbera.
Per nativitátem tuam, líbera nos, Dómine.
Per baptismum et sanctum jejúnium tuum, líbera.
Per crucem et passiónem tuam, líbera.
Per mortem et sepultúram, tuam, líbera.
Per sanctam Resurrectiónem tuam, libera.
Per admirábilem Ascensiónem tuam, líbera.
Per adventum Spíritûs sancti paracléti, líbera.
In die judícii, líbera.
Peccatóres, Te rogámus, audi nos.
Ut ad veram pœniténtiam nos perdúcere dignéris, te.
Ut remissiónem peccatórum nostrórum nobis dones, te.
Ut compunctiónem cordis, fontemque lacrymárum nobis dones, te.
Ut fidem, spem et caritátem nobis dones, te.
Ut Ecclésiam tuam sanctam régere et conserváre dignéris, te.

Ut Domnum Apostólicum, et omnes gradus Ecclésiæ in sancta religióne conserváre dignéris, te.

Ut Antístitem nostrum, et omnes congregatiónes illi commissas, in tuo sancto obséquio conserváre dignéris, te rogámus, audi nos.

Ut Regem nostrum custodíre dignéris, te.

Ut inimícos sanctæ Ecclésiæ humiliáre dignéris, te.

Ut Régibus et Princípibus Christiánis pacem et veram concórdiam donáre dignéris, te.

Ut cuncto pópulo Christiáno pacem et unitátem largíri dignéris, te.

Ut nosmetipsos in tuo sancto servítio confortáre et conserváre dignéris, te.

Ut mentes nostras ad cœléstia desidéria érigas, te.

Ut ómnibus benefactóribus nostris sempiterna bona retribúas, te.

Ut ánimas nostras, fratrum, propinquórum, et benefactórum nostrórum, ab æterna damnatióne erípias, te.

Ut fructus terræ dare et conserváre dignéris, te.

Ut ómnibus fidélibus defunctis réquiem æternam donáre dignéris, te.

Ut nos exaudíre dignéris, te rogámus, audi nos.

Fili Dei, te rogámus, audi nos.

Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi, Parce nobis, Dómine.

Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi, Exaudi nos, Dómine.

Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi, Miserére nobis.

Kyrie, eléison. Christe, eléison. Kyrie, eléison. Pater noster, *usque ad* ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem; ℟. Sed líbera nos à malo.

℣. Dómine, non secundùm peccáta nostra fácias nobis: ℟. Neque secundùm iniquitátes nostras retríbuas nobis. *Ps.* 102.

℣. Esto nobis, Dómine, turris fortitúdinis, ℟. A fácie inimíci. *Ps.* 60.

℣. Orémus pro summo Pontífice nostro *N.* ℟. Notam fáciat fíliis hóminum glóriam magnificéntiæ regni tui. *Ps.* 144.

℣. Pro Antístite nostro *N.* ℟. Dóminus conservet eum, et vivíficet eum. *Ps.* 40.

℣. Pro Rege nostro *N.* ℟. Dómine, salvum fac Regem; et exaudi nos in die quâ invocavérimus te. *Ps.* 19.

℣. Pro benefactóribus nostris. ℟. Deus omnem grátiam abundáre fáciat in illis, et áugeat incrementa frugum justítiæ illórum. 2. *Cor.* c. 9.

℣. Pro cunctis fidélibus defunctis. ℟. Edúcat eos Dóminus in lucem, et vídeant justítiam ejus. *Mich.* 7.

℣. Pro infirmis, afflictis, captívis, et peregrínis. ℟. Líbera eos, Deus, ex ómnibus tribulatiónibus suis. *Ps.* 24.

℣. Pro frátribus nostris absséntibus. ℟. Benéfac, Dómine, bonis et rectis corde. *Ps.* 124.

℣. Memor esto congregatiónis tuæ, ℟. Quam possedísti ab inítio. *Ps.* 73.

Ps. Deus, in adjutórium, 10.

℣. Dómine, exaudi oratiónem meam;

℟. Et clamor meus ad te véniat. *Ps.* 101.

℣. Dóminus * vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus.

Deus, cui próprium est miseréri semper, et párcere: súscipe deprecatiónem nostram; ut nos, et omnes fámulos tuos, quos delictórum caténa constríngit, miseratio tuæ pietátis clementer absólvat.

Exaudi, quæsumus, Dómine, súpplicum preces, et confiténtium tibi parce peccátis; ut páriter nobis indulgéntiam tribuas benignus et pacem.

Ineffabilem nobis, Dómine, misericórdiam tuam clementer ostende; ut simul nos et à peccátis ómnibus éxuas, et à pœnis quas pro his meremur, erípias.

Deus, qui culpas delinquéntium districtè feriendo pércutis, fletus quoque lugéntium non recúsas: quæsumus, ut qui pondus tuæ animadversiónis cognóvimus, pietátis tuæ grátiam sentiámus.

Deus ómnium fidélium Pastor et Rector, fámulum tuum *N.* quem Pastórem Ecclésiæ tuæ præesse voluísti, propítius réspice; da ei, quæsumus, verbo et exemplo, quibus præest proficere, ut ad vitam una cum grege sibi crédito, pervéniat sempitérnam.

Omnipotens, sempiterne Deus, miserére fámulo tuo Pontífici nostro *N.* et dírige eum secundùm tuam cleméntiam in viam salútis æternæ; ut, te donante, tibi plácita cúpiat, et totâ virtúte perfíciat.

Quæsumus, omnípotens Deus, ut fámulus tuus Rex noster *N.* qui tuâ miseratióne suscépit regni gubernácula, virtútum étiam ómnium percípiat incrementa; quibus decenter ornátus, vitiórum monstra devitáre, hostes superáre, et ad te, qui via, véritas, et vita es, gratiósus váleat pervenire.

Deus, à quo sancta desidéria, recta consília et justa sunt ópera: da servis tuis illam, quam mundus dare non potest, pacem; ut et

corda nostra mandátis tuis dédita, et, hóstium sublátâ formídine, témpora sint tuâ protectióne tranquilla.

URE igne sancti Spíritûs renes nostros, et cor nostrum, Dómine; ut tibi casto córpore serviámus, et mundo corde placeámus.

ACTIONES nostras, quæsumus, Dómine, aspirando præveni, et adjuvando proséquere; ut cuncta nostra orátio et operátio à te semper incípiat, et per te cœpta finiátur.

FIDELIUM, Deus, ómnium cónditor et redemptor, animábus famulórum famularumque tuárum remissiónem cunctórum tríbue peccatórum; ut indulgéntiam quam semper optavérunt, piis supplicatiónibus consequantur.

OMNIPOTENS, sempiterne Deus, qui vivórum domináris simul et mortuórum, omniumque miseréris, quos tuos fide et ópere futúros esse prænoscis: te súpplices exorámus, ut pro quibus effúndere preces decrévimus, quosque vel præsens séculum adhuc in carne rétinet, vel futúrum jam exútos córpore suscépit, intercedéntibus ómnibus Sanctis tuis, pietátis tuæ clementiâ, ómnium delictórum suórum véniam consequantur; Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

ORDO COMMENDATIONIS ANIMÆ ANTE DECESSUM.

Primùm dicuntur Litaniæ breves in hunc modum.

KYRIE, eléison. Christe, eléison. Kyrie, eléison.
Sancta María, Ora pro eo (*vel* ea).
Omnes sancti Angeli, oráte.
Sancte Abel, ora.
Omnis chorus Justórum, ora pro eo (*vel* ea).
Sancte Abraham, ora.
Sancte Joannes Baptista, ora pro eo (*vel* ea).
Omnes sancti Patriarchæ et prophétæ, oráte.
Sancte Petre, ora.
Sancte Paule, ora.
Sancte Andréa, ora.
Sancte Joannes, ora.
Omnes sancti Apóstoli et Evangelistæ, oráte.
Omnes sancti Discípuli Dómini, oráte.
Omnes sancti Innocentes, oráte pro eo (*vel* ea.)
Sancte Stéphane, ora.
Sancte Laurenti, ora.

Sancte Clare, ora.
Omnes sancti Martyres, oráte pro eo (*vel* eâ).
Sancte Sylvester, ora.
Sancte Augustíne, ora.
Sancte Benedicte, ora.
Sancte Francisce, ora.
Omnes sancti Confessóres, oráte pro ea (*vel* ea).
Sancta María Magdaléne, ora pro eo (*vel* ea).
Sancta Thecla, ora.
Sancta Lúcia, ora.
Sancta Cæcília, ora.
Omnes sanctæ Vírgines, oráte pro eo (*vel* ea).
Omnes Sancti et Sanctæ Dei, intercédite pro eo (*vel* ea).
Propítius esto, Parce ei, Dómine.
Propítius esto, Adjuva eum, (*vel* eam,) Dómine.
Propítius esto, Líbera eum, (*vel* eam,) Dómine.
Ab ira tua, líbera.
A mala morte, líbera.
A potestáte diáboli, líbera.
A pœnis inferni, líbera.
Per nativitátem tuam, líbera eum, (*vel* eam,) Dómine.
Per crucem et passiónem tuam, líbera.
Per mortem et sepultúram tuam, líbera.
Per gloriósam Resurrectiónem tuam, líbera.
Per admirábilem Ascensiónem tuam, líbera.
Per grátiam Spíritûs sancti paracléti, líbera.
In die judícii, líbera.
Peccatóres, te rogámus, audi nos.
Ut ei parcas, te rogámus.

Kyrie, eléison. Christe eléison. Kyrié, eléison.

Deínde, cùm in agone sui exítûs anxiatur anima, dicitur:

Proficiscere, ánima christiána, de hoc mundo, In nómine Dei Patris omnipotentis, qui te creávit: In nómine Jesu Christi Fílii Dei vivi, qui pro te passus est: In nómine Spíritûs sancti, qui in te effúsus est. Egredienti de córpore áditus tibi páteat ad Sion montem, civitátem Dei viventis, Jerúsalem cœlestem, et multórum míllium Angelórum frequéntiam, et Ecclésiam primitivórum qui conscripti sunt in cœlis. Exurgat Deus, et dissipentur omnes potestátes tenebrárum; fúgiant cuncta spirituália nequítiæ in cœléstibus, et ovem pretióso Christi sánguine redemptam violáre non áudeant. Líberet te à cruciátu Christus, qui pro te crucifixus est. Líberet te ab æterna morte Christus, qui pro te mori dignátus est. Ovem suam te bonus pastor agnoscat, atque in electórum suórum grege constítuat. Redemptórem tuum fácie ad fáciem vídeas; et præsens semper assistens manifestíssimam beátis óculis aspícias veritátem in sécula seculórum. ℟. Amen.

Commendamus tibi, Dómine, ánimam fámuli tui *vel*] fámulæ tuæ] *N.*; precamurque

te, Dómine Jesu Christe, Salvátor mundi, ut propter quam ad terram misericórditer descendisti, eam in pace suscípias, et in sinu Abrahæ per manus sanctórum Angelórum collocáre dignéris. Agnosce, Dómine Jesu, creatúram tuam, per te renátam ex aqua et Spíritu sancto, consecrátam signo crucis tuæ, nutrítam córpore et sánguine tuo, et in Eccléstæ tuæ sinu verbo veritátis instructam. Ne péreat prétium quod pro ejus æterna redemptióne persolvisti. Delicta juventútis ejus et ignorántias clementer indulge. Ne memíneris iniquitátum ejus antiquárum, quas suscitávit furor mali desidérii : sed memento miserationum tuárum, et glóriæ nóminis tui. Licèt enim peccáverit, tamen in te sperávit et crédidit, teque Deum et Salvatórem suum unà cum Patre et Spíritu sancto fidéliter adorávit.

℟. Amen.

Ps. 3. Dómine, quid multiplicáti sunt, 4.

Kyrie, eléison. Christe, eléison. Kyrie, eléison.

Pater. ℣. Et ne nos, *etc.* ℟. Sed líbera nos à malo.

℣. Salvum me fac, Deus; ℟. Quóniam intravérunt aquæ usque ad ánimam meam. *Ps.* 68.

℣. In multitúdine misericórdiæ tuæ exaudi me: ℟. In veritáte salútis tuæ. *Ps.* 68.

℣. Eripe me de luto, ut non infígar : ℟. Líbera me ab iis qui oderunt me, et de profundis aquárum. *Ps.* 68.

℣. Non me demergat tempestas aquæ, neque absórbeat me profundum : ℟. Neque úrgeat super me púteus os suum. *Ps.* 68.

℣. Exurge in adjutórium mihi : ℟. Dic ánimæ meæ, Salus tua ego sum. *Ps.* 34.

℣. Fac mecum signum in bonum, ut vídeant qui odérunt me, et confundantur; ℟. Quóniam tu, Dómine, adjuvisti me, et consolátus es me. *Ps.* 85.

Orémus.

Unigenite et dilecte Fili Dei vivi, qui pro redemptióne mundi voluisti in præsépio nasci, à Judæis reprobári, à Juda proditóre ósculo tradi, vínculis alligári, sicut agnus ad víctimam duci, flagellis et cólaphis cædi, sputis fœdári, spinis coronári, cruci affígi, cum sceleratis deputári, et inter acerbíssimos dolóres expiráre : quæsumus ut per has sanctíssimas pœnas tuas, et per crucem ac mortem tuam, liberáre digneris fámulum tuum *N.* [*vel* fámulam tuam *N.*] à pœnis inferni, et perdúcere quò perduxisti latrónem tecum crucifixum; Qui cum Patre et Spíritu sancto vivis et regnas Deus.

℟. Amen.

Posteà legitur de Passione Domini nostri Jesu Christi. Ex Matth. Marc. Luc.

ASSUMIT Jesus Petrum, et Jacóbum, et Joannem secum; et cœpit pavére, et tædére, contristári, et mœstus esse. Tunc ait illis: Tristis est ánima mea usque ad mortem; sustinéte hic, et vigiláte mecum. Et progressus pusillùm, pósitis génibus, orábat dicens: Pater, si vis, transfer cálicem istum à me: verúmtamen non mea voluntas, sed tua fiat. Appáruit autem illi Angelus de cœlo, confortans eum. Et prócidit super terram in fáciem suam, orans; et factus in agónia, prolíxiùs orábat, ut, si fíeri posset, transíret ab eo hora. Et dixit: Abba, Pater, si possíbile est, tránseat à me calix iste: ómnia tibi possibília sunt; transfer cálicem hunc à me: sed non quod ego volo, sed quod tu. Et factus est sudor ejus, sicut guttæ sánguinis decurrentis in terram.

Ps. 69. Deus in adjutórium meum, 10.

℣. Exaudi, Deus, oratiónem meam, et ne despéxeris deprecatiónem meam: ℟. Intende mihi, et exaudi me. *Ps.* 54.

℣. Cor meum conturbátum est in me: ℟. Et formído mortis cécidit super me. *Ps.* 54.

℣. Timor et tremor venérunt super me: ℟. Et contexérunt me ténebræ. *Ps.* 54.

℣. Ego autem in te sperávi, Dómine; ℟. Dixi: Deus meus es tu; in mánibus tuis sortes meæ. *Ps.* 30.

℣. Illúmina óculos meos, ne unquam obdórmiam in morte; ℟. Nequando dicat inimícus meus: Præválui adversùs eum. *Ps.* 12.

℣. Custódi ánimam meam, et érue me: ℟. Non erubéscam; quóniam sperávi in te. *Ps.* 24.

Orémus.

DOMINE Jesu Christe, cleméntiam tuam humíliter implorámus, per illam ánimæ tuæ tristítiam usque ad mortem, et per agóniam quam, instante passióne, pertulisti, quando factus est sudor tuus sicut guttæ sánguinis decurrentis in terram: succurre * fámulo tuo, [*vel* fámulæ tuæ] in agóne mortis * constitúto [*vel* constitútæ]: tuére * eum [*vel* eam] in hac hora contra diabólicos incursus: líbera * eum [*vel* eam] à mortis imminentis terróribus; et de peccatórum suórum consciéntia formidantem, fac * eum [*vel* eam] de misericórdiæ tuæ immensa largitáte * secúrum [*vel* secúram]: Qui vivis et regnas Deus. ℟. Amen.

Ps. 141. Voce meâ ad Dóminum,... voce meâ ad Dóminum deprecátus sum, 72.

℣. Vide, Dómine, humilitátem meam et labórem meum : ℟. Et dimitte universa delicta mea. *Ps.* 24.

℣. Dómine Deus miserátor et misericors, pátiens, et multæ misericórdiæ, et verax; ℟. Réspice in me, et miserére meî. *Ps.* 85.

℣. Ne derelinquas me, Dómine Deus meus : ℟. Ne discésseris à me. *Ps.* 37.

℣. Quis dabit mihi pennas *sicut columbæ?* ℟. *Et volábo* et requiescam. *Ps.* 54.

℣. Moriátur ánima mea morte Justórum : ℟. Et fiant novíssima mea horum simília. *Num.* 23.

Orémus.

Domine Jesu Christe, qui per os Prophétæ dixísti : In caritáte perpétua dilexi te; ídeò attraxi te, míserans : te súpplices deprecámur, per istam caritátem quâ dilexísti nos, ut omnes amaritúdines passiónum tuárum, quas pro nobis peccatóribus sustinuísti in cruce, offerre et osténdere dignéris Deo Patri pro ánima * fámuli tui [*vel* fámulæ tuæ] *N.* in hac hora éxitûs ejus; quátenùs cum ipsa misericórdiùs agátur, quàm ejus peccáta meruérunt : Qui cum eódem Deo Patre et Spíritu sancto vivis et regnas Deus.

℟. Amen.

Finitis Psalmis et Orationibus, (vel etiam antequam finiantur) si instet momentum exitûs animæ de corpore, legitur super moribundum quod sequitur de Passione Domini nostri Jesu Christi. (Ex Mat. Luc. Joann.)

Tenebræ factæ sunt in universam terram usque in horam nonam, et obscurátus est sol. Et circa horam nonam clamávit Jesus voce magnâ, dicens : Eli, Eli, lamma sabacthàni? hoc est : *Deus meus*, Deus meus, ut quid dereliquísti me? Póstea, sciens Jesus quia ómnia consummáta sunt, ut consummarétur Scriptúra, dixit : Sítio. Vas ergo erat pósitum acéto plenum. Et contínuò currens unus ex eis, acceptam spóngiam implévit acéto, et impósuit arúndini; et dabat ei bíbere. Cùm ergo accepísset Jesus acétum, dixit : Consummátum est. Et íterùm clamans voce magnâ, ait : Pater, in manus tuas commendo spíritum meum. Et hæc dicens, inclináto cápite, trádidit spíritum.

Orémus.

Memor esto, piíssime Dómine Jesu, illíus horæ in qua de cruce pendens, clamásti voce magnâ : Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquísti me? et íterùm : Pater, in manus tuas commendo spíritum meum; et hæc dicens expirásti. Per istam ergo pretiosíssimam mortem quæ vita nostra fuit, obsecrá-

mus cleméntiam tuam, ut non derelinquas in hac hora * fámulum tuum [*vel* fámulam tuam] *N.* cujus præter te nullus est auxiliátor álius; sed suscípere dignéris spíritum ejus, et introdúcere in regnum tuum, ubi te cum Deo Patre et Spíritu sancto perpétuâ caritáte díligat, et cum sanctis et electis in ætérnum cantet misericórdias tuas. ℟. Amen.

[*Finitâ præcedenti Oratione, et egressâ animâ, statim dicitur* ℟. In te, Dómine, sperávi, *cum versibus et Oratione, infrà.*]

Si autem adhuc anxiatur anima, recitantur sequentes Psalmi, vel eorum pars, proùt necesse erit.

Ps. 21. Deus, Deus meus, réspice in me, 128.

Ps. 34. Júdica, Dómine, nocentes me, 64.

Ps. 53. Deus, in nómine tuo, 118.

Ps. 56. Miserére meî, Deus..... quóniam in te confídit, 140.

Ps. 70. In te, Dómine, sperávi, 119.

Ps. 85. Inclína, Dómine, aurem tuam, 154.

Ps. 87. Dómine Deus salútis, 144.

Ps. 90. Qui hábitat in adjutório, 30.

Ps. 138. Dómine, probasti me, 130.

Egressâ autem animâ, dicitur: ℟. In te, Dómine, sperávi; non confundar in ætérnum: accélera ut éruas me: in manus tuas commendo spíritum meum: * Redemisti me, Dómine, Deus veritátis: illustra fáciem tuam super * servum tuum [*vel* ancillam tuam]; * salvum [*vel* salvam] me fac in misericórdia tua. ℣. Dómine Jesu, súscipe spíritum meum: * Redemisti me. *Ps.* 30. *Act.* 7.

Kyrie, eléison. Christe, eléison. Kyrie, eléison. *Secretò*, Pater. *Altâ voce*, ℣. Et ne nos, *etc.* ℟. Sed líbera nos à malo.

℣. Non intres in judícium cum * servo tuo [*vel* ancilla tua], Dómine; ℟. Quia non justificábitur in conspectu tuo omnis vivens. *Ps.* 142.

℣. Ne tradas béstiis ánimas confitentes tibi: ℟. Et ánimas páuperum tuórum ne obliviscáris in finem. *Ps.* 73.

℣. Dómine, exaudi, *etc.*

℣. Dóminus vobíscum, *etc.*

OREMUS.

Tibi, Dómine, commendámus ánimam * fámuli tui [*vel* fámulæ tuæ] *N.* ut * defunctus [*vel* defuncta] século, tibi vivat: et quæ per fragilitátem humánæ conversatiónis peccáta commisit, tu vénià misericordíssimæ pietátis absterge; Per Christum Dóminum nostrum. Amen.

OFFICIUM DEFUNCTORUM.

Quælibet Hora sequentis Officii inchoatur absolutè.

AD VESPERAS.

Ant. 3. c. O Dómine.

PSALMUS 114.

Dilexi, * quóniam exáudiet Dóminus vocem oratiónis meæ.

Quia inclinávit aurem suam mihi, * et in diébus meis invocábo.

Circumdedérunt me dolóres mortis, * et perícula inferni invenérunt me.

Tribulatiónem et dolórem invéni; * et nomen Dómini invocávi.

O Dómine, líbera ánimam meam: * miséricors Dóminus, et justus, et Deus noster miserétur.

Custódiens párvulos Dóminus; * humiliátus sum, et liberávit me.

Convértere, ánima mea, in réquiem tuam; * quia Dóminus benefécit tibi;

Quia erípuit ánimam meam de morte, * óculos meos à lácrymis, pedes meos à lapsu.

Placébo Dómino * in regióne vivórum.

In hoc Officio, in fine omnium Psalmorum et Canticorum tantum, dicitur:

Réquiem æternam dona eis, Dómine; * et lux perpétua lúceat eis.

Ant. O Dómine, líbera ánimam meam.

Ant. 2. D. Heu mihi.

PSALMUS 119.

Ad Dóminum, cùm tribulárer, clamávi; * et exaudívit me.

Dómine, líbera ánimam meam à lábiis iníquis, * et à lingua dolósa.

Quid detur tibi, aut quid apponátur tibi * ad linguam dolósam?

Sagittæ potentis acútæ, * cum carbónibus desolatóriis.

Heu mihi, quia incolátus meus prolongátus est! habitávi cum habitántibus Cedar: * multùm íncola fuit ánima mea.

Cum his qui odérunt pacem, eram pacíficus; * cùm loquébar illis, impugnábant me gratis.

Ant. Heu mihi, quia incolátus meus prolongátus est!

Ant. 8. d. Auxílium.

PSALMUS 120.

Levavi óculos meos in montes, * unde véniet auxílium meum.

Auxílium meum à Dómino, * qui fecit cœlum et terram.

Non det in commotiónem pedem tuum; * neque dormítet qui custódit te.

Ecce non dormitábit neque dórmiet, * qui custódit Israel.

Dóminus custódit te, Dóminus protéctio tua * super manum déxteram tuam.

Per diem sol non uret te, * neque luna per noctem.

Dóminus custódit te ab omni malo: * custódiat ánimam tuam Dóminus.

Dóminus custódiat introítum tuum et éxitum tuum, * ex hoc nunc, et usque in séculum.

Ant. Auxílium meum à Dómino, qui fecit cœlum et terram.

Ant. 8. G. Si iniquitátes.

PSALMUS 129.

De profundis clamávi ad te, Dómine: * Dómine, exaudi vocem meam.

Fiant aures tuæ intendentes * in vocem deprecatiónis meæ.

Si iniquitátes observáveris, Dómine; * Dómine, quis sustinébit?

Quia apud te propitiátio est, * et propter legem tuam sustínui te, Dómine.

Sustínuit ánima mea in verbo ejus, * sperávit ánima mea in Dómino.

A custódia matutína usque ad noctem * speret Israel in Dómino;

Quia apud Dóminum misericórdia, * et copiósa apud eum redémptio;

Et ipse rédimet Israel * ex ómnibus iniquitátibus ejus.

Ant. Si iniquitátes observáveris, Dómine; Dómine, quis sustinébit?

Ant. 2. D. Opera.

PSALMUS 137.

Confitebor tibi, Dómine, in toto corde meo; * quóniam audísti verba oris mei.

In conspectu Angelórum psallam tibi: * adorábo ad templum sanctum tuum,

Et confitébor nómini tuo super misericórdia tua et veritáte tua; * quóniam magnificásti super omne, nomen sanctum tuum.

In quacumque die invocávero te, exaudi me: * multiplicábis in ánima mea virtútem.

Confiteantur tibi, Dómine, omnes reges terræ; * quia audiérunt ómnia verba oris tui.

Et cantent in viis Dómini, * quóniam magna est glória Dómini;

Quóniam excelsus Dominus, et humília réspicit, * et alta à longè cognoscit.

Si ambulávero in médio tribulatiónis, vivificábis me: * et super iram inimicórum meórum extendísti manum tuam, et salvum me fecit déxtera tua.

Dóminus retríbuet pro me: * Dómine, misericórdia tua in séculum: ópera

mánuum tuárum, ne despícias.

Ant. Opera mánuum tuárum, Dómine, ne despícias.

Continuò dicitur :

Ad Magníficat, *Ant.* 1. a. Omne quod dat mihi Pater, ad me véniet; et eum qui venit ad me, non ejíciam forás. *Joan.* 6.

Secretò, Pater. *Clarâ voce,* ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem; ℟. Sed líbera nos a malo.

℣. In memória æterna erunt justi; ℟. Ab auditióne malà non timébunt. *Ps.* 111.

℣. A porta ínferi ℟. Erue, Dómine, ánimas eórum. *Ps.* 88.

℣. Credo vidére bona Dómini, ℟. In terra vivéntium. *Ps.* 26.

PSALMUS 145.

LAUDA, ánima mea, Dóminum: * laudábo Dóminum in vita mea; psallam Deo meo, quándiu fúero.

Nolíte confídere in princípibus; * in fíliis hóminum, in quibus non est salus:

Exíbit spíritus ejus, et revertétur in terram suam: * in illa die períbunt omnes cogitatiónes eórum.

Beátus cujus Deus Jacob adjútor ejus, spes ejus in Dómino Deo ipsíus, * qui fecit cœlum et terram, mare, et ómnia quæ in eis sunt.

Qui custódit veritátem in séculum, facit judícium injúriam patiéntibus, * dat escam esuriéntibus.

Dóminus solvit compedítos: * Dóminus illúminat cæcos.

Dóminus érigit elísos: * Dóminus díligit justos.

Dóminus custódit ádvenas: pupillum et víduam suscípiet; * et vias peccatórum disperdet.

Regnábit Dóminus in sécula: * Deus tuus, Sion, in generatiónem et generatiónem.

Réquiem æternam.

℣. Requiescant in pace. ℟. Amen.

℣. Dómine, exaudi oratiónem meam; ℟. Et clamor meus ad te véniat. *Ps.* 101.

℣. Dóminus vobíscum, ℟. Et cum spíritu tuo.

In depositione Defuncti,

ORATIO.

INCLINA, Dómine, aurem tuam ad preces nostras, quibus misericórdiam tuam súpplices deprecámur; ut ánimam fámuli tui *N.* quam de hoc século migráre jussísti, in pacis ac lucis regióne constítuas, et sanctórum tuórum júbeas esse consórtem; Per Dóminum.

Pro Diacono, post litteram N. *additur* Diáconi.

In depositione Defunctæ.

ORATIO.

QUÆSUMUS, Dómine, pro tua pietáte miserére ánimæ fámulæ tuæ *N.* et à contágiis

mortalitátis exútam, in æternæ salvatiónis partem restítue; Per Dóminum.

In depositione Sacerdotis,

ORATIO.

DEUS, qui inter Apostólicos Sacerdótes fámulum tuum *N.* sacerdotáli fecísti dignitáte vigére: præsta, ut eórum quoque perpétuo aggregétur consórtio. Per Dóm. (*Pro Episcopo, loco* sacerdotáli, *dicitur* pontificáli.)

In Anniversariis dicuntur tres sequentes Orationes.

DEUS indulgentiárum, Dómine, da ánimæ * fámuli tui *N.* [sacerdótis, *vel* pontíficis] [*vel* fámulæ tuæ *N.*] cujus [*vel* animábus famulórum tuórum *N.* et *N.* quorum] [*vel* famulárum tuárum *N.* et *N.* quarum] anniversárium depositiónis diem commemorámus, refrigérii sedem, quiétis beatitúdinem, et lúminis claritátem: Per

Pro Benefactoribus.

DEUS, véniæ largítor, et humánæ salútis amátor: quæsumus cleméntiam tuam, ut nostræ congregatiónis fratres, propinquos, et benefactóres, qui ex hoc século transiérunt, beátâ Maríâ semper vírgine intercedente cum ómnibus Sanctis tuis, ad perpétuæ beatitúdinis consórtium pervenire concédas: Per.

Pro omnibus Defunctis.

FIDELIUM, Deus, ómnium cónditor et redemptor, animábus famulórum famularumque tuárum remissiónem cunctórum tríbue peccatórum; ut indulgéntiam quam semper optavérunt, piis supplicatiónibus consequantur; Qui vivis et regnas cum Deo patre.

℣. Réquiem æternam dona eis, Dómine; ℟. Et lux perpétua lúceat eis.

℣. Requiescant in pace. ℟. Amen.

[*Privatim pro patre et matre,*

ORATIO.

DEUS, qui nos patrem et matrem honoráre præcepisti: miserére cleménter animábus patris mei ac matris meæ, eorumque peccáta dimitte; meque eos in æternæ claritátis gáudio fac vidére; Per.]

AD VIGILIAS.

Vigiliæ dicuntur cum tribus Nocturnis vel cum unico; ubi dicitur unicum Nocturnum, Dominicâ, Feriâ II et V, dicitur primum; Feriâ III et VI secundum; Feriâ IV et Sabbato, tertium.

IN I.° NOCTURNO.

Ant. 7. ç. Dómine.

PSALMUS 5.

VERBA mea áuribus pércipe, Dómine: * intéllige clamórem meum.

Intende voci oratiónis

meæ, * Rex meus et Deus meus.

Quóniam ad te orábo, Dómine, * manè exáudies vocem meam.

Manè astábo tibi, et vidébo; * quóniam non Deus volens iniquitátem tu es.

Neque habitábit juxta te malignus, * neque permanébunt injusti ante óculos tuos.

Odisti omnes qui operantur iniquitátem : * perdes omnes qui loquuntur mendácium.

Virum sánguinum et dolósum * abominábitur Dóminus.

Ego autem in multitúdine misericórdiæ tuæ introíbo in domum tuam, * adorábo ad templum sanctum tuum in timóre tuo.

Dómine, deduc me in justítia tua : * propter inimícos meos dírige in conspectu tuo viam meam;

Quóniam non est in ore eórum véritas, * cor eórum vanum est.

Sepulcrum patens est guttur eórum, linguis suis dolósè agébant; * júdica illos, Deus.

Décidant à cogitatiónibus suis; secundùm multitúdinem impietátum eórum expelle eos, * quóniam irritavérunt te, Dómine.

Et lætentur omnes qui sperant in te : * in æternum exultábunt; et habitábis in eis.

Et gloriabuntur in te omnes qui díligunt nomen tuum, * quóniam tu benedíces justo.

Dómine, ut scuto bonæ voluntátis tuæ * coronasti nos.

Réquiem.

Ant. Dómine, deduc me in justítia tua : propter inimícos meos dírige in conspectu tuo viam meam.

Ant. 8. G. Salvum me fac.

PSALMUS 6.

Dómine, ne in furóre tuo árguas me, * neque in ira tua corrípias me.

Miserére meî, Dómine, quóniam infirmus sum : * sana me, Dómine, quóniam conturbáta sunt ossa mea.

Et ánima mea turbáta est valde; * sed tu, Dómine, úsquequò?

Convértere, Dómine, et éripe ánimam meam : * salvum me fac propter misericórdiam tuam;

Quóniam non est in morte, qui memor sit tuî : * in inferno autem quis confitébitur tibi?

Laborávi in gémitu meo, lavábo per síngulas noctes lectum meum, * lácrymis meis stratum meum rigábo.

Turbátus est à furóre óculus meus, * inveterávi inter omnes inimícos meos.

Discédite à me, omnes qui operámini iniquitátem; * quóniam exaudívit Dóminus vocem fletûs mei.

Exaudívit Dóminus depre-

catiónem meam : * Dóminus oratiónem meam suscépit.

Erubescant et conturbentur vehementer omnes inimíci mei : * convertantur et erubescant valde velóciter.

Réquiem.

Ant. Salvum me fac propter misericórdiam tuam; quóniam non est in morte, qui memor sit tuî.

Ant. 3. c. Illúmina.

PSALMUS 12.

USQUEQUO, Dómine, oblivísceris me in finem? * úsquequò avertis fáciem tuam à me?

Quámdiu ponam consília in ánima mea, * dolórem in corde meo per diem?

Usquequò exaltábitur inimícus meus super me? * Réspice, et exaudi me, Dómine Deus meus.

Illúmina óculos meos, ne unquam obdórmiam in morte; * nequando dicat inimícus meus : Præválui adversùs eum.

Qui tríbulant me, exultábunt si motus fúero; * ego autem in misericórdia tua sperávi.

Exultábit cor meum in salutári tuo : * cantábo Dómino qui bona tríbuit mihi, et psallam nómini Dómini altíssimi.

Réquiem.

Ant. Illúmina óculos meos, ne unquam obdórmiam in morte.

℣. Ne tradas béstiis ánimas confitentes tibi; ℟. Et ánimas páuperum tuórum ne obliviscáris in finem. *Ps.* 73.

Secretò, Pater. *Clarâ voce*, ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem; ℟. Sed líbera nos à malo.

Lectiones leguntur sine Absolutione, sine Benedictionibus et sine Titulo.

LECTIO I.

(Job cap. 7.)

PARCE mihi, nihil enim sunt dies mei. Quid est homo, quia magníficas eum? aut quid appónis erga eum cor tuum? Vísitas eum dilúculo, et súbitò probas illum. Usquequò non parcis mihi, nec dimittis me ut glútiam salívam meam? Peccávi : quid fáciam tibi, ô custos hóminum? Quare posuisti me contrárium tibi, et factus sum mihimetipsi gravis? Cur non tollis peccátum meum? et quare non aufers iniquitátem meam? Ecce nunc in púlvere dórmiam; et si manè me quæsíeris, non subsistam.

In fine Lectionum nihil additur.

℟. Defecérunt sicut fumus dies mei, et ossa mea sicut crémium aruérunt : * Dies mei sicut umbra declinavérunt. ℣. Quæ est vita nostra? Vapor est ad módicum parens. * Dies mei. *Ps.* 101. *Jac.* c. 4.

LECTIO II.

(Job cap. 10.)

TÆDET ánimam meam vitæ meæ : dimittam adversùm me elóquium meum, loquar in amaritúdine ánimæ meæ. Dicam Deo : Noli me condemnáre; índica mihi cur me ita júdices. Numquid bonum tibi vidétur, si calumniéris me, et ópprimas me opus mánuum tuárum, et consílium impiórum ádjuves? Numquid óculi cárnei tibi sunt? aut sicut videt homo, et tu vidébis? Numquid sicut dies hóminis dies tui, et anni tui sicut humána sunt témpora; ut quæras iniquitátem meam, et peccátum meum scrutéris? Et scias quia nihil ímpium fécerim, cùm sit nemo qui de manu tua possit erúere. Manus tuæ fecérunt me, et plasmavérunt me totum in circúitu; et sic repentè præcípitas me? Memento, quæso, quòd sicut lutum féceris me, et in púlverem redúces me. Nonne sicut lac mulsisti me, et sicut cáseum me coagulasti? Pelle et cárnibus vestitisti me; óssibus et nervis compegisti me. Vitam et misericórdiam tribuisti mihi, et visitátio tua custodívit spíritum meum.

℟. Peccávi valde; sed * Precor, Dómine, ut tránsferas iniquitátem servi tui, quia stultè egi nimis. ℣. Deus, propítius esto mihi peccatóri. * Precor, Dómine, ut tránsferas iniquitátem servi tui. 2. *Reg.* 24. *Luc.* 18.

LECTIO III.

(Job cap. 10.)

QUARE de vulva eduxísti me? qui útinam consumptus essem, ne óculus me vidéret. Fuissem quasi non essem, de útero translátus ad túmulum. Numquid non páucitas diérum meórum finiétur brevi? Dimitte ergo me, ut plangam páululùm dolórem meum, ántequàm vadam, et non revertar, ad terram tenebrósam et opertam mortis calígine, terram miséria et tenebrárum, ubi umbra mortis, et nullus ordo, sed sempiternus horror inhábitat.

℟. Ad Dóminum aspíciam, expectábo Deum salvatórem meum; consurgam, cùm sédero in ténebris : * Iram Dómini portábo, quóniam peccávi ei. ℣. Flagellat Dóminus omnem fílium quem récipit : * Iram Dómini. *Mich.* 7. *Hebr.* 12.

IN II.° NOCTURNO.

Ant. 6. *F.* In médio.

PSALMUS 22.

DOMINUS regit me, et nihil mihi déerit; * in loco páscuæ ibi me collocávit.

Super aquam refectiónis

educávit me : * ánimam meam convertit.

Deduxit me super sémitas justítiæ, * propter nomen suum.

Nam et si ambulávero in médio umbræ mortis, non timébo mala; * quóniam tu mecum es.

Virga tua et báculus tuus, * ipsa me consoláta sunt.

Parasti in conspectu meo mensam, * adversùs eos qui tríbulant me.

Impinguasti in óleo caput meum ; * et calix meus inébrians quàm præclárus est !

Et misericórdia tua subsequétur me * ómnibus diébus vitæ meæ ;

Et ut inhábitem in domo Dómini * in longitúdinem diérum

Réquiem.

Ant. In médio umbræ mortis non timébo mala ; quóniam tu mecum es, Dómine.

Ant. 8. G. Delicta.

PSALMUS 24.

Ad te, Dómine, levávi ánimam meam ; * Deus meus, in te confído, non erubescam.

Neque irrídeant me inimici mei ; * étenim universi qui sústinent te, non confundentur.

Confundantur omnes iníqua agentes * supervácuè.

Vias tuas, Dómine, demonstra mihi, * et sémitas tuas édoce me.

Dírige me in veritáte tua, et doce me ; * quia tu es Deus salvátor meus, et te sustínui totâ die.

Reminíscere miseratiónum tuárum, Dómine, * et misericordiárum tuárum quæ à século sunt.

Delicta juventútis meæ * et ignorántias meas ne memíneris.

Secundùm misericórdiam tuam memento meî tu, * propter bonitátem tuam, Dómine.

Dulcis et rectus Dóminus ; * propter hoc legem dabit delinquéntibus in via.

Díriget mansuétos in judício, * docébit mites vias suas.

Universæ viæ Dómini misericórdia et véritas, * requiréntibus testamentum ejus et testimónia ejus.

Propter nomen tuum, Dómine, propitiáberis peccáto meo ; * multum est enim.

Quis est homo qui timet Dóminum ? * legem státuit ei in via quam elégit.

Anima ejus in bonis demorábitur, * et semen ejus hæreditábit terram.

Firmamentum est Dóminus timéntibus eum ; * et testamentum ipsíus, ut manifestétur illis.

Oculi mei semper ad Dóminum ; * quóniam ipse evellet de láqueo pedes meos.

Réspice in me, et miserére meî ; * quia únicus et pauper sum ego.

Tribulatiónes cordis mei

multiplicátæ sunt : * de necessitátibus meis érue me.

Vide humilitátem meam et labórem meum, * et dimitte universa delicta mea :

Réspice inimícos meos, quóniam multiplicáti sunt, * et ódio iníquo odérunt me.

Custódi ánimam meam, et erue me : * non erubescam, quóniam sperávi in te.

Innocentes et recti adhæsérunt mihi, * quia sustínui te.

Líbera, Deus, Israel * ex ómnibus tribulatiónibus suis.

Réquiem.

Ant. Delicta juventútis meæ et ignorántias meas ne memíneris, Dómine.

Ant. 4. E. Credo.

PSALMUS 26.

Dominus illuminátio mea et salus mea ; * quem timébo ?

Dóminus protector vitæ meæ ; * à quo trepidábo ?

Dum appróp iant super me nocentes, * ut edant carnes meas.

Qui tríbulant me inimíci mei, * ipsi infirmáti sunt et cecidérunt.

Si consistant adversùm me castra, * non timébit cor meum.

Si exurgat adversùm me prælium, * in hoc ego sperábo.

Unam pétii à Dómino, hanc requíram ; * ut inhábitem in domo Dómini ómnibus diébus vitæ meæ :

Ut vídeam voluptátem Domini, * et vísitem templum ejus ;

Quóniam abscondit me in tabernáculo suo : * in die malórum protexit me in abscóndito tabernáculi sui.

In petra exaltávit me, * et nunc exaltávit caput meum super inimícos meos.

Circuívi, et immolávi in tabernáculo ejus hóstiam vociferatiónis : * cantábo, et psalmum dicam Dómino.

Exaudi, Dómine, vocem meam quâ clamávi ad te : * miserére meî, et exaudi me.

Tibi dixit cor meum, Exquísivit te fácies mea : * fáciem tuam, Dómine, requíram.

Ne avertas fáciem tuam à me : * ne declínes in ira à servo tuo.

Adjútor meus esto ; ne derelinquas me, * neque despícias me, Deus salutáris meus.

Quóniam pater meus et mater mea dereliquérunt me : * Dóminus autem assumpsit me.

Legem pone mihi, Dómine, in via tua ; * et dírige me in sémitam rectam propter inimícos meos.

Ne tradíderis me in ánimas tribulántium me ; * quóniam insurrexérunt in me testes iníqui, et mentíta est iníquitas sibi.

Credo vidére bona Dómini * in terra vivéntium.

Expecta Dóminum, viríli-

ter age; * et confortétur cor tuum, et sústine Dóminum.

Réquiem.

Ant. Credo vidére bona Dómini in terra vivéntium.

℣. Unam pétii à Dómino, hanc requíram; ℟. Ut inhábitem in domo Dómini. *Ps.* 26.

℣. Pater noster.

LECTIO IV.

(Job cap. 13.)

Quantas hábeo iniquitátes et peccáta, scélera mea et delicta ostende mihi. Cur fáciem tuam abscondis, et arbitráris me inimícum tuum? Contra fólium quod vento rápitur, ostendis poténtiam tuam, et stípulam siccam perséqueris. Scribis enim contra me amaritúdines, et consúmere me vis peccátis adolescéntiæ meæ. Posuisti in nervo pedem meum, et observasti omnes sémitas meas, et vestígia pedum meórum considerasti; qui quasi putrédo consumendus sum, et quasi vestimentum quod coméditur à tínea.

℟. Ecce ánimam meam porto in mánibus meis: * Etiamsi occíderit me, in ipso sperábo, et ipse erit Salvátor meus. ℣. Sive vívimus, sive mórimur, Dómini sumus: * Etiamsi. *Job* 13. *Rom.* 14.

LECTIO V.

(Job cap. 14.)

Homo natus de muliére, brevi vivens témpore, repléturmultis misériis. Qui quasi flos egréditur et contéritur, et fugit velut umbra, et nunquam in eódem statu pérmanet. Et dignum ducis super hujuscémodi aperíre óculos tuos, et addúcere eum tecum in judícium. Quis potest fácere mundum de immundo conceptum sémine? Nonne tu qui solus es? Breves dies hóminis sunt, número mensium ejus apud te est; constituisti términos ejus, qui præteríri non póterunt. Recede páululùm ab eo, ut quiescat, donec optáta véniat sicut mercenárii dies ejus.

℟. Hi qui cum pietáte dormitiónem accepérunt, óptimam habent repósitam grátiam. * Sancta ergo et salúbris est cogitátio pro defunctis exoráre, ut à peccátis solvantur. ℣. Si quis superædíficat super fundamentum, et opus ejus árserit, detrimentum patiétur; ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem. * Sancta ergo. 2. *Mach.* 12. 1. *Cor.* 3.

LECTIO VI.

(Job cap. 14.)

Quis mihi hoc tríbuat, ut in inferno prótegas me, et abscondas me, donec pertránseat furor tuus, et constítuas mihi tempus in quo recordéris meî? Putasne mórtuus homo rursum vivat? Cunctis diébus, qui-

bus nunc mílito, expecto donec véniat immutátio mea. Vocábis me, et ego respondébo tibi : óperi mánuum tuárum pórriges déxteram. Tu quidem gressus meos dinumerasti : sed parce peccátis meis.

℟. Dómine omnípotens, Deus Israel,* Audi nunc oratiónem mortuórum Israel : noli meminisse iniquitátum patrum nostrórum ; sed memento manûs tuæ et nóminis tui. ℣. Occísus es, Dómine, et redemisti nos Deo in sánguine tuo : * *Audi nunc. Baruch* 3. *Apoc.* 5.

IN III.º NOCTURNO.

Ant. 2. D. Amove.

PSALMUS 38.

Dixi : Custódiam vias meas, * ut non delinquam in lingua mea.

Pósui ori meo custódiam, * cùm consísteret peccátor adversùm me.

Obmútui, et humiliátus sum, et sílui à bonis ; * et dolor meus renovátus est.

Concáluit cor meum intra me, et in meditatióne mea exardescet ignis : * lócutus sum in lingua mea.

Notum fac mihi, Dómine, finem meum, et númerum diérum meórum, quis est ; * ut sciam quid desit mihi.

Ecce mensurábiles posuisti dies meos ; * et substántia mea tanquam níhilum ante te.

Verúmtamen universa vánitas, * omnis homo vivens.

Verúmtamen in imágine pertransit homo ; * sed et frustrà conturbátur.

Thesaurízat, * et ignórat cui congregábit ea.

Et nunc quæ est expectátio mea ? nonne Dóminus ? * et substántia mea apud te est.

Ab ómnibus iniquitátibus meis érue me : * oppróbrium insipienti dedisti me.

Obmútui, et non apérui os meum, * quóniam tu fecisti.

Amove à me plagas tuas : * à fortitúdine manûs tuæ ego deféci.

In increpatiónibus propter iniquitátem corripuisti hóminem, et tabéscere fecisti sicut aráneam ánimam ejus : * verúmtamen vanè conturbátur omnis homo.

Exaudi oratiónem meam, Dómine, et deprecatiónem meam : * áuribus pércipe lácrymas meas.

Ne síleas, quóniam ádvena ego sum apud te, et peregrínus, * sicut omnes patres mei.

Remitte mihi ut refrígerer, priusquàm ábeam ; * et ámpliùs non ero.

Réquiem.

Ant. Amove à me plagas tuas, Dómine : áuribus pércipe lácrymas meas.

Ant. 3. b. Numquid.

PSALMUS 40.

Beatus qui intélligit super egénum et páuperem : * in

die mala liberábit eum Dóminus.

Dóminus conservet eum, et vivíficet eum; et beátum fáciat eum in terra, * et non tradat eum in ánimam inimicórum ejus.

Dóminus opem ferat illi super lectum dolóris ejus: * universum stratum ejus versásti in infirmitáte ejus.

Ego dixi: Dómine, miserére meî; * sana ánimam meam, quia peccávi tibi.

Inimíci mei dixérunt mala mihi: * Quando moriétur, et períbit nomen ejus?

Et si ingrediebátur ut vidéret, vana loquebátur: * cor ejus congregávit iniquitátem sibi.

Egrediebátur foràs, * et loquebátur in idipsum.

Adversùm me susurrábant omnes inimíci mei: * adversùm me cogitábant mala mihi.

Verbum iníquum constituérunt adversùm me: * numquid qui dormit, non adjíciet ut resurgat?

Etenim homo pacis meæ, in quo sperávi, qui edébat panes meos, * magnificávit super me supplantatiónem.

Tu autem, Dómine, miserére mei, et resúscita me; * et retríbuam eis.

In hoc cognóvi quóniam voluisti me, * quóniam non gaudébit inimícus meus super me.

Me autem propter innocéntiam suscepisti, * et confirmasti me in conspectu tuo in æternum.

Benedictus Dóminus Deus Israel à século, et usque in séculum: * fiat, fiat.

Réquiem.

Ant. Numquid qui dormit non adjíciet ut resurgat? Dómine, miserére meî, et resúscita me.

Ant. 8. G. Sitívit.

PSALMUS 41.

Quemadmodum desíderat cervus ad fontes aquárum; * ita desíderat ánima mea ad te, Deus.

Sitívit ánima mea ad Deum fortem, vivum: * quando véniam et apparébo ante fáciem Dei!

Fuérunt mihi lácrymæ meæ panes die ac nocte, * dum dícitur mihi quotídie: Ubi est Deus tuus?

Hæc recordátus sum, et effúdi in me ánimam meam; * quóniam transíbo in locum tabernáculi admirábilis, usque ad domum Dei,

In voce exultatiónis et confessiónis, * sonus epulantis.

Quare tristis es, ánima mea? * et quare conturbas me?

Spera in Deo, quóniam adhuc confitébor illi: * salutáre vultûs mei, et Deus meus.

Ad meipsum ánima mea conturbáta est; * propterèa memor ero tuî de terra Jordánis, et Hermóniim à monte módico.

Abyssus abyssum ínvocat, * in voce cataractárum tuárum.

Omnia excelsa tua, et fluctus tui * super me transiérunt.

In die mandávit Dóminus misericórdiam suam, * et nocte cánticum ejus.

Apud me orátio Deo vitæ meæ; * dicam Deo: Susceptor meus es.

Quare oblítus es meî? et quare contristátus incédo, * dum afflígit me inimícus?

Dum confringuntur ossa mea, * exprobravérunt mihi qui tríbulant me inimícimei;

Dum dicunt mihi per síngulos dies: Ubi est * Deus tuus?

Quare tristis es, ánima mea? * et quare conturbas me?

Spera in Deo, quóniam adhuc confitébor illi: * salutáre vultûs mei, et Deus meus.

Réquiem.

Ant. Sitívit ánima mea ad Deum fortem, vivum: quando véniam et apparébo ante fáciem Dei!

℣. Quare tristis es, ánima mea? et quare conturbas me? ℟. Spera in Deo, quóniam adhuc confitébor illi. *Ps.* 41.

℣. Pater noster.

LECTIO VII.

(Job cap. 16 et 17.)

Breves anni tránseunt; et sémitam per quam non revertar, ámbulo. Spíritus meus attenuábitur, dies mei breviabuntur, et solum mihi súperest sepulcrum. Non peccávi, et in amaritudínibus morátur óculus meus. Líbera me, Dómine, et pone me juxta te; et cujusvis manus pugnet contra me.

℟. Scio quòd Redemptor meus vivit, et in novíssimo die de terra surrectúrus sum, * Et in carne mea vidédo Deum meum. ℣. Oportet corruptíbile hoc indúere incorruptiónem, et mortále hoc indúere immortalitátem; * Et in carne. *Job* 19. 1. *Cor.* 15.

LECTIO VIII.

(Job cap. 17).

Dies mei transiérunt; cogitatiónes meæ dissipátæ sunt, torquentes cor meum. Noctem vertérunt in diem, et rursum post tenebras spero lucem. Si sustinúero, infernus domus mea est; et in ténebris stravi léctulum meum. Putrédini dixi: Pater meus es; Mater mea et soror mea, vérmibus. Ubi est ergo nunc præstolátio mea? et patiéntiam meam quis consíderat?

℟. Qui dórmiunt in terræ púlvere, * Evigilábunt; álii in vitam æternam, et álii in oppróbrium, ut vídeant semper. ℣. Omnes quidem resurgémus, sed non omnes immutábimur; * Evigilábunt. *Dan.* 12. 1. *Cor.* 15.

LECTIO IX.

(Job cap. 19.)

Pelli meæ, consumptis cárnibus, adhæsit os meum; et derelicta sunt tantúmmodò lábia circa dentes meos. Miserémini meî, miserémini meî, saltem vos amíci mei; quia manus Dómini tétigit me. Quare persequímini me sicut Deus, et cárnibus meis saturámini? Quis mihi tríbuat ut scribantur sermónes mei? Quis mihi det ut exarentur in libro stylo férreo et plumbi láminâ, vel celte sculpantur in sílice? Scio enim quòd Redemptor meus vivit, et in novíssimo die de terra surrectúrus sum: et rursum circúmdabor pelle meâ, et in carne mea vidébo Deum meum; quem visúrus sum ego ipse, et óculi mei conspectúri sunt, et non álius. Repósita est hæc spes mea in sinu meo.

℟. Líbera me, Dómine, ab iis qui odérunt me: non absórbeat me profundum, neque úrgeat super me púteus os suum: * Exaudi me, quóniam ✝ Benigna est misericórdia tua: § Intende ánimæ meæ, et líbera eam. ℣. Dómine Deus, rex sæculórum, solus pius es: * Exaudi me, quóniam ✝ Benigna est misericórdia tua: § Intende ánimæ meæ, et líbera eam. ℣. Miserére meî, Dómine fili David: Dómine, ádjuva me: ✝ Benigna est misericórdia tua: § Intende ánimæ meæ, et líbera eam. *Repet.* ℟. Líbera *usque ad* ℣. Dómine. *Ps.* 68. *Apoc.* 15. *Matt.* 15. *Rom.* 3.

[*Quando Vigiliæ celebrantur mane, prætermissis quæ sequuntur, continuò inchoantur Laudes.*]

℣. Réquiem æternam dona eis, Dómine; ℟. Et lux perpétua lúceat eis.

℣. Requiescant in pace. ℟. Amen.

℣. Dómine, exaudi oratiónem meam; ℟. Et clamor meus ad te véniat.

℣. Dóminus vobiscum, ℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus.

Absolve, quæsumus, Dómine, ánimam * fámuli tui *N.* [Sacerdótis *vel* Pontificis] [*vel* fámulæ tuæ *N.*] [*vel* ánimas * famulórum tuórum *N.* et *N.*] [*vel* famulárum tuárum *N.* et *N.*] et ánimas ómnium fidélium defunctórum, ab omni vínculo delictórum; ut in resurrectiónis glória, inter sanctos et electos tuos resuscitáti respírent; Per eum qui ventúrus est judicáre vivos et mórtuos, et séculum per ignem. ℟. Amen.

℣. Requiescant in pace. ℟. Amen.

AD LAUDES.

In Psalm. Miserére, XCII, *Ant.* 1. *g.* Secundùm multitúdinem miserationum tuárum dele iniquitátem meam. *Ant.* 8. G. Exaudi.

PSALMUS 64.

TE decet hymnus, Deus, in Sion; * et tibi reddétur votum in Jerúsalem.

Exaudi oratiónem meam: * ad te omnis caro véniet.

Verba iniquórum prævaluérunt super nos; * et impietátibus nostris tu propitiáberis.

Beátus quem elegisti et assumpsisti: * inhabitábit in átriis tuis.

Replébimur in bonis domûs tuæ: * sanctum est templum tuum, mirábile in æquitáte.

Exaudi nos, Deus, salutáris noster, * spes ómnium fínium terræ, et in mari longè;

Præparans montes in virtúte tua, accinctus poténtiâ; * qui conturbas profundum maris, sonum flúctuum ejus.

Turbabuntur gentes, et timébunt qui hábitant términos, à signis tuis: * éxitus matutíni et véspere delectábis.

Visitasti terram, et inebriasti eam: * multiplicasti locupletáre eam.

Flumen Dei replétum est aquis; * parasti cibum illórum, quóniam ità est præparátio ejus.

Rivos ejus inébria, multíplica genímina ejus; * in stillicídiis ejus lætábitur górminans.

Benedíces corónæ anni benignitátis tuæ; * et campi tui replebuntur ubertáte.

Pinguescent speciósa deserti, * et exultatióne colles accingentur.

Indúti sunt aríetes óvium, et valles abundábunt frumento: * clamábunt, étenim hymnum dicent.

Réquiem.

Ant. Exaudi, Deus, oratiónem meam: ad te omnis caro véniet

Ant. 4. E. Propter.

PSALMUS 142.

DOMINE, exaudi oratiónem meam: * áuribus pércipe obsecratiónem meam in veritáte tua; exaudi me in tua justítia.

Et non intres in judícium cum servo tuo; * quia non justificábitur in conspectu tuo omnis vivens.

Quia persecútus est inimícus ánimam meam: * humiliávit in terra vitam meam.

Collocávit me in obscúris sicut mórtuos séculi; * et anxiátus est super me spíritus meus, in me turbátum est cor meum.

Memor fui diérum antiquórum: meditátus sum in ómnibus opéribus tuis; * in factis mánuum tuárum meditábar.

Expandi manus meas ad te : * ánima mea sicut terra sine aqua tibi.

Velóciter exaudi me, Dómine; * defécit spíritus meus.

Non avértas fáciem tuam à me; * et símilis ero descendéntibus in lacum.

Audítam fac mihi mane misericórdiam tuam; * quia in te sperávi.

Notam fac mihi viam, in qua ámbulem; * quia ad te levávi ánimam meam.

Eripe me de inimícis meis, Dómine; ad te confúgi : * doce me fácere voluntátem tuam, quia Deus meus es tu.

Spíritus tuus bonus dedúcet me in terram rectam; * propter nomen tuum, Dómine, vivificábis me in æquitáte tua.

Educes de tribulatióne ánimam meam; * et in misericórdia tua disperdes inimícos meos.

Et perdes omnes qui tríbulant ánimam meam; * quóniam ego servus tuus sum.

Réquiem.

Ant. Propter nomen tuum, Dómine, vivificábis me.

Ant. 2. D. Miserére.

CANTICUM.

(Baruch 3.)

Domine omnípotens, Deus Israel, * ánima in angústiis, et spíritus ánxius clamat ad te:

Audi, Dómine, et miserére, quia Deus es misericors; * et miserére nostrî, quia peccávimus ante te.

Quia tu sedes in sempiternum, * et nos perîbimus in ævum,

Dómine omnípotens, Deus Israel, * audi nunc oratiónem mortuórum Israel,

Et filiórum ipsórum qui peccavérunt ante te, et non audiérunt vocem Dómini Dei sui : * et agglutináta sunt nobis mala.

Noli meminisse iniquitátum patrum nostrórum; * sed memento manûs tuæ, et nóminis tui in témpore isto:

Quia tu es Dóminus Deus noster; * et laudábimus te, Dómine.

Réquiem.

Ant. Miserére nostrî, Dómine; quia peccávimus ante te.

Ant. 7. b. Omnis spíritus.

PSALMUS 150.

Laudate Dóminum in sanctis ejus : * laudáte eum in firmamento virtútis ejus.

Laudáte eum in virtútibus ejus : * laudáte eum secundùm multitúdinem magnitúdinis ejus.

Laudáte eum in sono tubæ; * laudáte eum in psaltério et cíthara.

Laudáte eum in tympano et choro : * laudáte eum in chordis et órgano.

Laudáte eum in cymbalis benesonántibus; laudáte eum in cymbalis jubilatiónis : * omnis spíritus laudet Dóminum.

Réquiem.

Ant. Omnis spíritus laudet Dóminum.

Ad Benedictus, *Ant.* 1. a. Ego sum resurréctio et vita: qui credit in me, etiamsi mórtuus fúerit, vivet; et omnis qui vivit et credit in me, non moriétur in ætérnum. *Joan.* 11.

Pater, *et cetera ut suprà in Vesperis*, CVII, *excepto quòd loco Psalmi* Lauda, *dicitur Ps.* De profundis, CVI.

COMMENDATIONES *pro pluribus dicuntur in plurali.*

℟. DOMINE Deus, audi nunc oratiónem mortuórum Israel, qui peccavérunt ante te. Noli meminisse iniquitátum patrum nostrórum, sed * Memento manûs tuæ et nóminis tui. ℣. Occísus es, Dómine, et redemisti nos Deo in sánguine tuo: * Memento. *Baruch* 3. *Apoc.* 5.

Kyrie, eléison. Christe, eléison. Kyrie, eléison. *Secretò*, Pater. *Clarâ voce*, Et ne nos indúcas, *etc.*

TIBI, Dómine, commendámus ánimam * fámuli tui *N.* ut defunctus [*vel* fámulæ tuæ *N.* ut defuncta] sæculo, tibi vivat: et quæ per fragilitátem mundánæ conversatiónis peccáta commísit, tu véniâ misericordíssimæ pietátis absterge; Per Christum Dóminum. ℟. Amen.

Orémus.

MISERICÓRDIAM tuam, Dómine sancte, Pater omnípotens, æterne Deus, pietátis affectu rogáre pro áliis cógimur, qui pro nostris rogáre peccátis nequáquam suffícimus; tamen de tua confísi gratúita pietáte et inólita benignitáte, cleméntiam tuam depóscimus, ut ánimam * fámuli tui [*vel* fámulæ tuæ] ad te revertentem cum pietáte suscípias: adsit ei Angelus testamenti tui Míchael, et per manus sanctórum Angelórum tuórum inter sanctos et electos tuos in sínibus Abrahæ, Isaac et Jacob Patriarchárum tuórum eam collocáre dignéris: quátenus liberáta de princípibus tenebrárum et de locis pœnárum, nullis jam primævæ nativitátis, vel ignorántiæ, aut própriæ iniquitátis seu fragilitátis confundátur erróribus; sed agnoscátur à Sanctis tuis, et beatitúdinis réquie perfruátur: atque cùm magni judícii dies advénerit, inter sanctos et electos tuos * resuscitátus [*vel* resuscitáta] glóriâ manifestæ contemplatiónis tuæ perpétuò satiétur: Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

In Ps. In éxitu, 28, *in cujus fine dicitur* Réquiem, *Ant.* 7. ç. Qui timent Dóminum, speravérunt in Dómino; adjútor eórum et protector eórum est. *Ps.* 113.

Orémus.

OMNIPOTENS sempiterne

Deus, qui humáno córpori ánimam ad similitúdinem tuam inspiráre dignátus es : dum, te jubente, pulvis in púlverem revértitur ; tu imáginem tuam cum sanctis et electis tuis æternis sédibus præcípias sociári ; eamque ad te revertentem de Ægypti pártibus blandè leniterque suscípias, et Angelos tuos sanctos ei óbviam mittas, viamque illi justítiæ demonstra, et portas glóriæ tuæ áperi. Repelle, quæsumus, Dómine, ab ea, omnes príncipes tenebrárum, et agnosce depósitum fidele quod tuum est. Súscipe, Dómine, creatúram tuam, non à diis aliénis creátam, sed à te solo Deo vivo et vero ; quia non est álius Deus præter te, Dómine, et non est secundùm ópera tua. Lætífica, clementíssime Pater, ánimam ejus, et clarífica eam in multitúdine misericórdiæ tuæ. Ne memíneris, quæsumus, iniquitátum ejus antiquárum quas suscitávit furor mali desidérii : licet enim peccáverit, tamen te non négavit ; sed signo fídei insigníta, te qui ómnia, et eam inter ómnia fecisti, fidéliter adorávit ; Qui vivis et regnas Deus. ℟. Amen.

In Psalm. Dilexi, 51 ; Crédidi, 109 ; Laudáte Dóminum, omnes gentes, 143 ; Confitémini, 14, *et* Beáti immaculáti, 15, *integrè, Ant. sola* 8. G. Circumdedérunt me dolóres mortis, et perícula inferni invenérunt me. O Dómine, líbera ánimam meam. *Ps.* 114.

Orémus.

Dirì vúlneris novitáte perculsi, et quodámmodò córdibus sauciáti, misericórdiam tuam, mundi Redemptor, flebílibus vócibus implorámus ; ut * cari nostri *N.* [*vel* caræ nostræ *N.*] ánimam ad tuam cleméntiam, qui fons pietátis es, revertentem blandè leniterque suscípias ; et quas ex carnáli commoratióne contraxit máculas, tu Deus, inólitâ bonitáte clementer déleas, *Chorus*, Amen : Piè indúlgeas, *Chorus*, Amen : Oblivióni in perpétuum tradas, *Ch.* Amen : Atque hanc laudem tibi cum céteris redditúram, et ad corpus próprium quandóquè reversúram, Sanctórum tuórum cœtibus aggregári præcípias ; Qui cum Deo Patre et Spíritu sancto vivis et regnas Deus, per ómnia sécula seculórum. ℟. Amen.

Pater, *etc.* ℣. Et ne nos, *etc.* ℟. Sed líbera nos à malo.

℣. Réquiem æternam dona ei, Dómine ; ℟. Et lux perpétua lúceat ei.

℣. Anima ejus in bonis demorétur, ℟. Et semen ejus hæréditet terram. *Ps.* 24.

℣. Non intres in judícium cum * servo tuo, [*vel* ancilla tua,] Dómine ; ℟. Quia non

justificábitur in conspectu tuo omnis vivens. *Ps.* 142.

℣. A porta ínferi ℟. Erue, Dómine, ánimam ejus. *Ps.* 88.

℣. Dómine, exaudi oratiónem meam. ℟. Et clamor meus ad te véniat. *Ps.* 101.

℣. Dóminus vobiscum, ℟. Et cum spíritu tuo.

OREMUS.

PARTEM beátæ resurrectiónis obtíneat, quæsumus, Dómine, ánima * fámuli tui [*vel* fámulæ tuæ] *N.* vitamque ætérnam habére mereátur in cœlis, per te, Jesu Christe, Salvátor mundi.

DEUS, cui soli cómpetit medicínam præstáre post mortem: præsta, quæsumus, ut ánima * fámuli tui [*vel* fámulæ tuæ] *N.* terrénis exúta contágiis, in tuæ redemptiónis parte numerétur; Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

℣. Requiescat in pace, ℟. Amen.

BENEDICTIO MENSÆ.

ANTE PRANDIUM.

BENEDICITE. ℣. Dóminus. Oculi ómnium in te sperant, Dómine; et tu das illis escam in témpore opportúno : áperis tu manum tuam, et imples omne ánimal benedictióne. *Ps.* 144.

Glória Patri, et Fílio, et Spirítui sancto : Sicut erat in princípio, *etc.* Kyrie, eléison. Christe, eléison. Kyrie, eléison.

Secretò, Pater, *usque ad* ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem; ℟. Sed líbera nos à malo.

Orémus.

BENEDIC, Dómine, dona † tua, quæ de tua largitáte sumus sumptúri; Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

Si fiat Lectio, Lector dicit : Jube, domne, benedícere.

Bened. Mensæ cœlestis partícipes fáciat nos Rex æternæ glóriæ. ℟. Amen.

In fine Lectionis, dicitur : Tu autem, Dómine, miserére nostrî. ℟. Deo grátias.

GRATIARUM ACTIO

POST PRANDIUM.

CONFITEANTUR tibi, Dómine, ómnia ópera tua; et Sancti tui benedícant tibi. *Ps.* 144. Glória Patri, *etc.*

Qui benedixit mensam, dicit:

AGIMUS tibi grátias, omnípotens Deus, pro universis benefíciis tuis; Qui vivis et regnas in sécula seculórum.

℟. Amen.

Deinde procedendo ad Ecclesiam, dicitur Ps. Miserére, 153. *Si verò non procedatur, dicitur Ps.* Laudáte Dóminum, omnes gentes, 143. *Qui Psalmus semper dicitur, quando absolvitur Gratiarum actio in loco refectionis.*

In fine Psalmi dicitur Glória Patri, *deinde* Kyrie, eléison. Christe, eléison. Kyrie, eléison.

Pater, *secretò usque ad* ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem; ℟. Sed líbera nos à malo.

℣. Dispersit, dedit paupéribus; ℟. Justítia ejus manet in séculum séculi. *Ps.* 111.

℣. Benedícam Dóminum in omni témpore; ℟. Semper laus ejus in ore meo. *Ps.* 33.

℣. In Dómino laudábitur ánima mea : ℟. Audiant mansuéti, et lætentur. *Ps.* 33.

℣. Magnificáte Dóminum mecum; ℟. Et exaltémus

nomen ejus in idipsum. *Ps.* 33.

℣. Sit nomen Dómini benedictum, ℟. Ex hoc nunc, et usque in séculum. *Ps.* 112.

Retribuere dignáre, Dómine, ómnibus nobis bona faciéntibus, propter nomen sanctum tuum, vitam ætérnam. ℟. Amen.

℣. Benedicámus Dómino. ℟. Deo grátias.

Secretò, Fidélium ánimæ per misericórdiam Dei requiescánt in pace. Amen.

BENEDICTIO MENSÆ

ANTE CŒNAM.

Benedicite. ℟. Dóminus. Edent páuperes, et saturabuntur; et laudábunt Dóminum, qui requírunt eum: vivent corda eórum in séculum séculi. *Ps.* 21. Glória Patri. Kyrie, eléison. Christe, eléison. Kyrie, eléison. *Secretò*, Pater. *Clarâ voce*, Et ne nos, *etc.*

Orémus.

Benedic Dómine, dona ✝ tua, quæ de tua largitáte sumus sumptúri; Per.

Ad Lect. Bened. Ad cœnam perpétuæ vitæ perdúcat nos Rex ætérnæ glóriæ. ℟. Amen.

GRATIARUM ACTIO

POST CŒNAM

Memoriam fecit mirabílium suórum misércors et miserátor Dóminus: escam dedit timéntibus se. *Ps.* 110.

Glória Patri.

Qui benedixit mensam, dicit:

Benedictus Deus in donis suis, et sanctus in ómnibus opéribus suis; Qui vivit et regnat in séc. séc. ℟. Amen.

Psalmi et reliqua, ut suprà.

[In Jejuniis, *ad refectionem fit Benedictio mensæ et Gratiarum actio, ut notatum est pro Cœna.*]

ITINERARIUM.

Viator, in ipso itineris ingressu, si solus fuerit, dicat sequentia, in singulari; si cum sociis, in plurali, ut sequitur.

In Cantic. Benedictus, 13. *Ant.* 5. C. In viam pacis et prosperitátis dírigat nos omnípotens et misércors Dóminus: et Angelus Ráphael comitétur nobiscum in via, ut cum pace, salúte et gáudio revertámur ad própria.

PRECES.

Kyrie, eléison. Christe, eléison. Kyrie, eléison. *Secretò* Pater, *usque ad* ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem; ℟. Sed líbera nos à malo.

℣. Salvos fac servos tuos, ℟. Deus meus, sperantes in te. *Ps.* 85.

℣. Mitte nobis, Dómine, auxílium de sancto; ℟. Et de Sion tuére nos. *Ps.* 19.

℣. Esto nobis, Dómine, turris fortitúdinis, ℟. A fácie inimíci. *Ps.* 60.

℣. Nihil proficiat inimícus in nobis, ℟. Et fílius iniquitátis non appónat nocére nobis. *Ps.* 88.

℣. Benedictus Dóminus die quotídie: ℟. Prósperum iter fáciat nobis Deus salutárium nostrórum. *Ps.* 67.

℣. Vias tuas, Dómine, demonstra nobis, ℟. Et sémitas tuas édoce nos. *Ps.* 24.

℣. Utinam dirigantur viæ nostræ ℟. Ad custodiendas justificatiónes tuas! *Ps.* 118.

℣. Erunt prava in directa, ℟. Et áspera in vias planas. *Is.* 40.

℣. Angelis suis Deus mandávit de te, ℟. Ut custódiant te in ómnibus viis tuis. *Ps.* 90.

℣. Dómine, exaudi, *etc.*

OREMUS.

Deus, qui fílios Israel per maris médium sicco vestígio ire fecisti, quique Magis iter ad te, stellâ duce, pandisti: tríbue nobis, quæsumus, iter prósperum tempusque tranquillum; ut, Angelo tuo sancto cómite, ad eum quò pérgimus locum, ac demum ad æternæ salútis portum perveníre felíciter valeámus.

Deus, qui Abraham púerum tuum de Ur Chaldæórum eductum, per omnes suæ peregrinatiónis vias illæsum custodísti; quæsumus ut nos fámulos tuos custodíre dignéris: esto nobis, Dómine, in procinctu suffrágium, in via solátium, in æstu umbráculum, in plúvia et frígore tegumentum, in lassitúdine vehículum, in adversitáte præsídium, in lúbrico báculus, in naufrágio portus; ut, te duce, quò téndimus, prósperè perveniámus, et demum incólumes ad própria redeámus.

Adesto, quæsumus, Dómine, supplicatiónibus nostris: et viam famulórum tuórum in salútis tuæ prosperitáte dispóne; ut inter omnes viæ et vitæ hujus varietátes, tuo semper protegámur auxílio.

Præsta, quæsumus, omnípotens Deus, ut família tua per viam salútis incédat; et beáti Joannis præcursóris hortamenta sectando, ad eum quem prædixit secúra pervéniat, Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum. ℟. Amen.

℣. Procedámus cum pace in nómine Dómini.

℟. Amen.

PRÆPARATIO AD MISSAM.

AD LIBITUM SACERDOTIS.

Psalmi, Quàm dilecta, 106; Benedixisti, 60; Inclína, Dómine, *cum sua divis.* 154; Crédidi, 109; De profundis clamávi, 92.

Ant. Dómine, memor esto meî; et ne vindictam sumas de peccátis meis, neque reminiscáris delicta mea. *Tob.* 3.

PRECES.

KYRIE, eléison, Christe, eléison, Kyrie, eléison.

Pater noster, *etc.*

℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem; ℟. Sed líbera nos, *etc.*

℣. Ego dixi: Dómine, miserére meî: ℟. Sana ánimam meam, quia peccávi tibi. *Ps.* 40.

℣. Convétere, Dómine; úsquequò? ℟. Et deprecábilis esto super servos tuos. *Ps.* 89.

℣. Fiat misericórdia tua, Dómine, super nos; ℟. Quemadmodùm sperávimus in te. *Ps.* 32.

℣. Sacerdótes tui induantur justítiam, ℟. Et sancti tui exultent. *Ps.* 131.

℣. Ab occultis meis munda me, Dómine; ℟. Et ab aliénis parce servo tuo. *Ps.* 18.

℣. Dómine, axaudi oratiónem meam; ℟. Et clamor meus ad te véniat. *Ps.* 101.

OREMUS.

AURES tuæ pietátis, mitíssime Deus, inclína précibus nostris, et grátiâ sancti Spíritûs illúmina cor nostrum; ut tuis mystériis dignè ministráre, teque æternâ caritáte dilígere mereámur.

DEUS, cui omne cor patet, et omnis voluntas lóquitur, et quem nullum latet secrétum: purífica per infusiónem sancti Spíritûs cogitatiónes cordis nostri, ut te perfectè dilígere, et dignè laudáre mereámur.

URE igne sancti Spíritûs renes nostros et cor nostrum, Dómine; ut tibi casto córpore serviámus, et mundo corde placeámus.

MENTES nostras, quæsumus, Dómine, Paraclétus qui à te procédit illúminet, et indúcat in omnem, sicut tuus promísit Fílius, veritátem.

ADSIT nobis, quæsumus, Dómine, virtus Spíritûs sancti; quæ et corda nostra clementer expurget, et ab ómnibus tueátur adversis.

Deus, qui corda fidélium sancti Spíritûs illustratióne docuísti : da nobis in eódem Spíritu recta sápere, et de ejus semper consolatióne gaudére.

Conscientias nostras, quæsumus, Dómine, visitando purífica ; ut véniens Dóminus noster Jesus Christus Fílius tuus parátam sibi in nobis invéniat mansiónem ; Qui tecum vivit et regnat Deus.

℟. Amen.

GRATIARUM ACTIO

POST MISSAM.

Psalmi, Dóminus regit me, 107; Benedícam Dóminum, *cum sua divisione ibid.* Bénedic, ánima mea, Dómino ; et ómnia, *cum sua divisione*, 88.

Ant. O quàm suávis est, Dómine, Spíritus tuus ! qui ut dulcédinem tuam in fílios demonstráres, pane suavíssimo de cœlo præstíto, esurientes reples bonis, dívites dimittens inánes. *Sap.* 12 *et* 16. *Luc.* 1.

PRECES.

Kyrie, eléison. Christe, eléison. Kyrie, eléison.

Pater noster, *etc.*

℣. Et ne nos indúcas, *etc.*

℣. Memóriam fecit mirabílium suórum miséricors et miserátor Dóminus : ℟. Escam dedit timéntibus se. *Ps.* 110.

℣. Quid est homo, quòd memor es ejus? ℟. Aut fílius hóminis, quóniam vísitas eum? *Ps.* 8.

℣. Sicut ádipe et pingué-dine repleátur ánima mea ℟. Et lábiis exultatiónis laudábit os meum. *Ps.* 62.

℣. Non nobis, Dómine, non nobis ; ℟. Sed nómini tuo da glóriam. *Ps.* 113.

℣. Nunc dimittis servum tuum, Dómine, secúndùm verbum tuum, in pace ; ℟. Quia vidérunt óculi mei salutáre tuum. *Luc.* 2.

℣. Dómine, exaudi oratiónem meam ; ℟. Et clamor meus ad te véniat. *Ps.* 101.

Orémus.

Visita, quæsumus, Dómine, famíliam tuam : et corda sacris dicáta mystériis pervígili tuére pietáte ; ut remédia salútis æternæ, quæ te miserante percípiunt, te protegente custódiant.

Quæsumus, Dómine Deus noster, ut quos divínâ tríbuis participatióne gaudére, humánis non sinas subjacére perículis.

Cognoscimus, Dómine, tuæ circa nos cleméntiæ largitátem : et ídeò fiduciálius implorámus, ut quos páscere non désinis immérítos, et dignè tibi servíre perfícias, et donis uberióribus prosequáris.

Majestatem tuam, Dómine, supplíciter exorámus, ne perire patiáris quibus tanta remédia providísti; sed cum divíni frequentatióne mystérii crescat nostræ salútis effectus.

Actiones nostras, quæsumus, Dómine, aspirando præveni, et adjuvando proséquere; ut cuncta nostra orátio et operátio à te semper incípiat, et per te cœpta finiátur.

Adjuvet nos grátia tua, omnípotens Deus; ut qui offícium sacerdotále suscépimus, dignè ac devótè tibi in omni puritáte et consciéntia bona famulári valeámus : et si non póssumus in tanta innocéntia vitæ conversári ut debémus, concéde nobis tamen dignè flere mala quæ géssimus, et in spíritu humilitátis, ac bonæ voluntátis propósito tibi fervéntiùs de cetero deservíre; Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

COMMUNE PATRONORUM.

In Ecclesiis ubi officium proprium de Patronis non habetur, eorum Festa ad eum modum celebrantur, qui in Rubricis Breviarii generalibus præscribitur; nempe ritu annuali, omnia sumendo in Breviario, primùm de Proprio, si quid in eo habeatur, deinde de Communi cujusque Sancti, secundùm titulum ejus et dignitatem, id est, vel Apostoli, vel Martyris, et aliorum similiter.

Lectiones I Nocturni dicuntur ut sequitur pro unoquoque Communi.

In II Nocturno, si nihil omnino habetur in Breviario de Sancto cujus fit Officium, tres Lectiones pariter dicentur ut hìc notantur pro unoquoque Communi. Si verò vel una vel duæ Lectiones in Breviario de illo Sancto habentur, præferentur his quæ hìc notantur; quibus proinde locus non erit, nisi quando vel nullæ propriæ aderunt, vel non sufficient, aut dividi commodè non poterunt. Ubi verò una vel duæ habebuntur, pro secunda vel tertia ritè sumentur quæ prima vel secunda in unoquoque Communi hîc ponuntur.

In III Nocturno, tres Lectiones hìc appositæ pro unoquoque Communi adhibebuntur.

Nullæ hìc in secundo et tertio Nocturno appositæ sunt lectiones pro Patrono Apostolo; quia nullus est cujus Festum non habeat Lectiones utrique Nocturno propriàs in Breviario.

Circa officium dierum intra Octavam servabuntur pariter quæ præscribuntur in Rubricis generalibus, Parte I, cap. 9, n. 4, de Octavis Festorum annualium ad secundum ordinem pertinentibus: cujusmodi declarantur ibidem octavæ Festorum Patroni; ideòque Dominicâ intra Octavas hujusmodi occurrente (modo aliàs privilegiata non sit) totum officium fiet de Octava, cum Commemorat. Dominicæ occurrentis in utrisque Vesperis et Laudibus, et nonâ Lectione. Lectiones verò I Nocturni de Scriptura occurrente sumentur, adhibitis in II et III Nocturno quæ hìc communes Patronis cujuscumque tituli et dignitatis notantur.

Diei Octavæ Officium erit Duplex-majus, cum Lectionibus pro II et III Nocturno pariter communibus.

Diebus intra Octavam Patronorum, Officium est semiduplex. Sunt etiam Lect. communes, singulis ejusmodi diebus assignatæ.

Si nihil in Breviario habetur de aliquo Sancto non Patrono, cujus Festum alicubi fortè celebrari debeat, vel si Festum aliquod celebrandum occurrat solemniori ritu, quàm in Breviario notetur; quæ ad ejusmodi Festum peragendum in proprio deerunt, supplenda erunt ex hoc Communi.

PRO APOSTOLO.

DIE FESTO.

IN I.° NOCTURNO.

LECTIO I.

De Epístola prima beáti Pauli Apóstoli ad Corinthios.

(Cap. 4.)

Sic nos exístimet homo ut ministros Christi, et dispensatóres mysteriórum Dei. Hìc jam quæritur inter dispensatóres, ut fidélis quis inveniátur. Mihi autem pro mínimo est ut à vobis júdicer, aut ab humáno die : sed neque meipsum júdico. Nihil enim mihi cónscius sum; sed non in hoc justificátus sum : qui autem júdicat me, Dominus est. Itaque nolíte ante tempus judicáre, quoadusque véniat Dominus, qui et illuminábit abscóndita tenebrárum, et manifestábit consília córdium; et tunc laus erit unicuíque à Deo.

LECTIO II.

Hæc autem, Fratres, transfigurávi in me et Apollo, propter vos; ut in nobis discátis, ne suprà quàm scriptum est, unus adversùs álterum inflétur pro álio. Quis enim te discernit? Quid autem habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriáris quasi non acéperis? Jam saturáti estis, jam dívites facti estis : sine nobis regnátis; et útinam regnétis, ut et nos vobiscum regnémus! Puto enim quòd Deus nos Apostolos novíssimos ostendit tanquam morti destinátos; quia spectáculum facti sumus mundo, et Angelis, et homínibus.

LECTIO III.

Nos stulti propter Christum, vos autem prudentes in Christo : nos infirmi, vos autem fortes : vos nóbiles, nos autem ignóbiles. Usque in hanc horam et esurímus, et sitímus, et nudi sumus, et cólaphis cædimur, et instábiles sumus, et laborámus operantes mánibus nostris. Maledícimur, et benedícimus : persecutiónem pátimur, et sustinémus : blasphemémur, et obsecrámus : tanquam purgaménta hujus mundi facti sumus, ómnium perípsema usque adhuc. Non ut confundam vos, hæc scribo; sed ut fílios meos caríssimos móneo. Nam si decem míllia pædagogórum habeátis in Christo, sed non

multos patres : nam in Christo Jesu per Evangélium ego vos génui.

In II et III Nocturno, Lectiones, ut in Proprio Sanctorum.

PRO UNO MARTYRE.

DIE FESTO.

IN I.° NOCTURNO.

LECTIO I.

De Epístola secunda beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios.

(Cap. 4.)

Deus qui dixit de ténebris lucem splendéscere, ipse illuxit in córdibus nostris, ad illuminatiónem sciéntiæ claritátis Dei, ín fácie Christi Jesu. Habémus autem thesaurum istum in vasis fictílibus ; ut sublímitas sit virtútis Dei, et non ex nobis. In ómnibus tribulatiónem pátimur, sed non angustiámur : aporiámur, sed non destitúimur : persecutiónem pátimur, sed non derelínquimur : dejícimur, sed non perímus ; semper mortificatiónem Jesu in córpore nostro circumferentes, ut et vita Jesu manifestétur in corpóribus nostris.

LECTIO II.

Semper enim nos qui vívimus, in mortem trádimur propter Jesum ; ut et vita Jesu manifestétur in carne nostra mortáli. Ergo mors in nobis operátur, vita autem in vobis. Habentes autem eumdem spíritum fídei, sicut scriptum est : Crédidi, propter quod locútus sum ; et nos crédimus, propter quod et lóquimur : scientes quóniam qui suscitávit Jesum, et nos cum Jesu suscitábit, et constítuet vobiscum. Omnia enim propter vos ; ut grátia abundans, per multos in gratiárum actióne abundet in glóriam Dei. Propter quod non defícimus : sed licèt is qui foris est, noster homo corrumpátur ; tamen is qui intùs est, renovátur de die in diem.

LECTIO III.

(Cap. 5.)

Id enim quod in præsenti est momentáneum, et léve tribulatiónis nostræ supra modum in sublimitáte æternum glóriæ pondus operátur in nobis ; non contemplántibus nobis quæ vidéntur, sed quæ non vidéntur. Quæ enim vidéntur, temporália sunt ; quæ

autem non videntur, æterna sunt. Scimus enim, quóniam si terréstris domus nostra hujus habitatiónis dissolvátur, quòd ædificatiónem ex Deo habémus, domum non manufactam, æternam in cœlis. Nam et in hoc ingemíscimus, habitatiónem nostram quæ de cœlo est superíndui cupientes; si tamen vestíti, non nudi inveniámur. Nam et qui sumus in hoc tabernáculo, ingemíscimus graváti, eo quòd nólumus expoliári, sed supervestíri; ut absorbeátur quod mortále est, à vita.

IN II.° NOCTURNO.

LECTIO IV.

Sermo sancti Augustíni Epíscopi.

(Sem. 311, in nat. S. Cypriani Martyris.)

ISTUM nobis festum diem pássio beatíssimi Mártyris fecit, cujus nos victóriæ celébritas in istum locum devotíssimos congregávit. Sed celebrátio solemnitátis Mártyrum imitátio debet esse virtútum. Fácile est honórem Mártyris celebráre; magnum est fidem atque patiéntiam Mártyris imitári. Hoc sic agámus, ut illud optémus: hoc sic celebrémus, ut illud pótius diligámus. Quid laudámus in fide Mártyris? Quia usque ad mortem pro veritáte certávit, et ídeò vicit. Blandientem mundum contempsit, sævienti non cessit; ídeò victor ad Deum accessit.

LECTIO V.

ABUNDANT in isto seculo erróres et terróres; beatíssimus Martyr erróres sapiéntiâ, terróres patiéntiâ superávit. Magnum est quod fecit: secútus Agnum, leónem vicit. Quando persecútor sæviébat, leo fremébat; sed quia Agnus sursùm attendebátur, leo deorsùm calcabátur. Cogitáte, fratres, quale fuit mitti hómines per orbem terrárum prædicáre hóminem mórtuum resurrexisse, in cœlum ascendisse, et pro ista prædicatióne pérpeti ómnia quæ insániens mundus inferret, damna, exília, víncula, tormenta, flammas, béstias, cruces, mortes.

LECTIO VI.

ALIUS moriebátur, ut álius honorarétur; álius occidebátur, ut álius colerétur. Numquid hoc fácerent, nisi flagrántiâ caritátis de conscientia veritátis? Prædicavérunt mórtuum quem sciébant vivum. Sciébant pro qua vita contémnerent vitam: sciébant pro qua felicitáte ferrent transitóriam infelicitátem, pro quibus præmiis ista damna contémnerent. Fides eórum cum toto mundo non appenderétur. Audíerant: Quid prodest hó-

mini, si totum mundum lucrétur, ánimæ autem suæ detrimentum patiátur?

IN III.º NOCTURNO.

LECTIO VII.

Léctio sancti Evangélii secundùm Matthæum.

(Cap. 10.)

In illo témpore; Dixit Jesus discípulis suis: Non est discípulus super magistrum, nec servus super dóminum suum. Et réliqua.

Homília sancti Cypriáni Epíscopi et Mártyris.

(Epist. 56, quæ est de exhort. ad martyrium ad Thibaritanos.)

Gaudere nos in persecutiónibus vóluit Dóminus; quia tunc dantur corónæ fídei, tunc probantur mílites Dei, tunc Martyribus patent cœli. Neque enim sic nomen milítiæ dédimus, ut pacem tantúmmodò cogitáre, et recusáre milítiam debeámus; quando in ipsa milítia primus ambuláverit Dóminus, humilitátis et toleántiæ et passiónis magister; ut quod fíeri dócuit, prior fáceret; et quod pati hortátur, prior pro nobis ipse paterétur. Sit ante óculos, fratres dilectíssimi, quod qui omne judícium à Patre solus accépit, et qui ventúrus est et judicatúrus, jam judícii sui et cognitiónis futúræ sententiam protúlerit, prænúntians et contestans confessúrum se coram Patre suo confitentes, et negatúrum negantes.

LECTIO VIII.

(Longè post præced.)

Neque áliquis persecutiónis metu sic terreátur, ut non evangélicis exhortatiónibus et præceptis, ac mónitis cœléstibus, ad ómnia inveniátur armátus. Irascitur adversárius et minátur, sed est qui possit de ejus mánibus liberáre. Ille metuendus est, cujus iram nemo potest evádere, ipso præmonente et dicente: Ne timuéritis eos qui occídunt corpus, ánimam autem non possunt occídere; magis autem metúite eum qui potest et corpus et ánimam occídere in gehennam. Et íterum: Qui amat ánimam suam, perdet illam; et qui odit ánimam suam in isto século, in vitam æternam conservábit illam. Ecce agon sublímis et magnus, et corónæ cœlestis præmio gloriósus. Præliantes nos spectat Deus, spectant Angeli ejus, spectat et Christus. Quanta est glóriæ dignitas, quanta felícitas, præsente Deo cóngredi, et Christo júdice coronári!

LECTIO IX.

Armemur víribus totis, et parémur ad agónem mente incorruptâ, fide íntegrâ,

virtúte devótà. Armat nos Apóstolus, dicens : Indúite arma Dei, ut possítis resístere in die nequíssimo. Induámus lorícam justítiæ, ut contra inimíci jácula munítum sit pectus et tutum. Calceáti sint evangélico magistério, et armáti pedes; ut cùm serpens calcári à nobis cœperit, mordére et supplantáre non possit. Portémus scutum fídei, quo protegente, quidquid jaculátur inimícus possit extíngui. Accipiámus ad tegumentum cápitis gáleam salutárem, ut muniantur aures, ne áudiant edicta ferália. Muniantur óculi, ne vídeant detestanda simulácra : muniátur frons, ut signum Dei incólume servétur : muniátur os, ut Dóminum suum Christum victrix lingua fateátur. Armémus et déxteram gládio spirituáli, ut sacrifícia funesta fórtiter réspuat, et Eucharístiæ memor, quæ Dómini corpus accépit, ipsum complectátur, pósteà à Dómino sumptúra præmium cœléstium coronárum.

PRO PLURIBUS MARTYRIBUS.

DIE FESTO.

IN I.° NOCTURNO.

LECTIO I.

De Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Romános.

(Cap. 8.)

Fratres; Debitóres sumus non carni, ut secundùm carnem vivámus. Si enim secundùm carnem vixéritis, moriémini : si autem spíritu facta carnis mortificavéritis, vivétis. Quicumque enim Spíritu Dei aguntur, ii sunt fílii Dei. Non enim accepistis spíritum servitútis íterùm in timóre; sed accepistis spíritum adoptiónis filiórum, in quo clamámus : Abba, Pater. Ipse enim Spíritus testimónium reddit spirítui nostro, quòd sumus filii Dei. Si autem fílii, et hærédes : hærédes quidem Dei, cohærédes autem Christi; si tamen compátimur, ut et conglorificémur. Exístimo enim quòd non sunt condignæ passiónes hujus témporis ad futúram glóriam quæ revelábitur in nobis. Nam expectátio creatúræ revelatiónem filiórum Dei expectat.

LECTIO II.

Scimus autem quóniam diligéntibus Deum ómnia cooperantur in bonum, iis qui

secundùm propósitum vocáti sunt sancti. Nam quos præscívit, et prædestinávit conformes fíeri imáginis Fílii sui, ut sit ipse primogénitus in multis frátribus. Quos autem prædestinávit, hos et vocávit : et quos vocávit, hos et justificávit; quos autem justificávit, illos et glorificávit. Quid ergo dicémus ad hæc? si Deus pro nobis, quis contra nos? Qui étiam próprio Fílio suo non pepercit, sed pro nobis ómnibus trádidit illum : quómodò non étiam cum illo ómnia nobis donávit? Quis accusábit adversùs electos Dei? Deus qui justíficat, quis est qui condemnet? Christus Jesus, qui mórtuus est, imò qui et resurrexit, qui est ad déxteram Dei, qui étiam interpellat pro nobis.

LECTIO III.

Quis ergo nos separábit à caritáte Christi? Tribulátio, an angústia, an fames, an núditas, an períc ulum, an persecútio, an gládius? Sicut scriptum est : Quia propter te mortificámur totâ die, æstimáti sumus sicut oves occisiónis. Sed in his ómnibus superámus propter eum qui dilexit nos. Certus sum enim quia neque mors, neque vita, neque ángeli, neque principátus, neque virtútes, neque instántia, neque fútura, neque fortitúdo, neque altitúdo, neque profundum, neque creatúra ália póterit nos separáre à caritáte Dei, quæ est in Christo Jesu Dómino nostro.

IN II.° NOCTURNO.

LECTIO IV.

Sermo sancti Augustíni Epíscopi.

(Serm. 335, in Nat. Mart.)

Quoniam dies sanctórum Mártyrum est, unde pótiùs áliquid delectet nos dícere, nisi de glória ipsórum? Adjuvet nos Dóminus Mártyrum. Audívimus paulò antè beátum Paulum Apóstolum prædicantem : Quis nos separábit à caritáte Christi? Ista vox est Mártyrum. Tribulátio, an angústia, an persecútio, an fames, an núditas, an períc ulum, an gládius? sicut scriptum est : Propter te morte affícimur totâ die, deputáti sumus ut oves occisiónis : sed in his ómnibus superámus per eum qui dilexit nos. Hæc est vox Mártyrum, ómnia toleráre, et de se nihil præsúmere; illum dilígere qui glorificátur in suis : ut qui gloriátur, in Dómino gloriétur.

LECTIO V.

Noverunt et illud quod nos cantávimus paulò antè : Lætámini in Dómino, et exultáte, justi. Si justi in Dómino lætantur, injusti non novérunt lætári nisi in século. Sed ipsa est prima

ácies debellanda. Primò vincendæ sunt delectatiónes, et pósteà dolóres. Quómodò potest superáre mundum sævientem, qui non potest superáre blandientem? Blandítur hic mundus pollicendo honóres, divítias, voluptátes: minátur hic mundus intentando dolóres, egestátes, humilitátes. Qui non contemnit quod pollicétur, quómodò superáre potest quod minátur?

LECTIO VI.

Habentdelectatiónem suam divítiæ, quis nésciat? Sed plus habet delectatiónis justítia. Delectáre divítiis cum justítia. Ubi autem talis artículus tentatiónis incíderit, ut duo hæc véniant in tentatiónem, divítiæ et justítia; et non possis habére utrumque: sed si míseris manum ad divítias, necesse est ut amittas justítiam; si míseris manum ad justítiam, péreant divítiæ. Modò élige, modò pugna; modò videámus si non sine causa cantasti: Lætámini in Dómino, et exultáte, justi; modò videámus si non sine causa audisti: Quis nos separábit à caritáte Christi? Et quidem prætermísit ómnia quibus blandítur mundus, et te vóluit commemoráre cui blandítur mundus. Quare? Quia certámina Mártyrum pronuntiábat: illa útique certámina, ubi vicérunt persecutiónem, famem, sitim, egestátem, ignomíniam; ad extrémum timórem mortis, et hostem sævíssimum.

IN III.° NOCTURNO.

LECTIO VII.

Léctio sancti Evangélii secundùm Lucam.

(Cap. 6.)

In illo témpore; Descendens Jesus de monte, stetit in loco campestri; et turba discipulórum ejus, et multitúdo copiósa plebis ab omni Judæa, et Jerúsalem, et marítima, et Tyri, et Sidónis. Et réliqua.

Homília sancti Ambrósii Epíscopi.

(Lib. 1 Off. cap. 15 et 16.)

Non potest quis præmium accípere, nisi legítimè certáverit: nec est gloriósa victória, nisi ubi fúerint laboriósa certámina. Nonne injustus est, qui antè quærat præmium, quàm certámen fúerit absolútum? Ideòque Dóminus in Evangélio ait: Beáti qui persecutiónem patiuntur propter justítiam, quóniam ipsórum est regnum cœlórum: beáti estis, cùm vobis maledícent hómines, et persequentur, et dicent omne malum adversùm vos propter justítiam: gaudéte et exultáte, quóniam merces vestra copiósa est in cœlo. Futúram, non præ-

sentem, in cœlo, non in terra, mercédem promísit esse reddendam. Quid álibi poscis quod álibi debétur? Quid præpróperè corónam exigis, ántequàm vincas? Quid detérgere púlverem? Quid requiéscere cupis? Quid epulári gestis, ántequàm stádium solvátur? Adhuc pópulus spectat, adhuc athlétæ in scámmate sunt; et tu jam ótium petis?

LECTIO VIII.

Sed fortè dicas: Cur ímpii lætantur? cur luxuriantur? cur étiam ipsi non mecum labórant? Quóniam qui non subscrípserint ad corónam, non tenentur ad labórem certáminis: qui in stádium non descénderint, non se perfundunt óleo, non oblíniunt púlvere. Quos manet glória, expectat injúria. Unguentáti spectáre solent, non decertáre, non solem, æstus, púlverem, imbresque pérpeti. Dicant ergo et ipsis athlétæ: Veníte, nobiscum laboráte. Sed respondébunt spectatóres: Nos hic ínterim de vobis judicámus; vos autem sine nobis corónæ, si vicéritis, glóriam vindicábitis.

LECTIO IX.

Isti ígitur qui in delíciis, qui in luxúria, rapínis, quæstibus, honóribus, stúdia posuérunt sua, spectatóres magis sunt quàm præliatóres. Habent lucrum labóris, fructum virtútis non habent. Fovent ótium, astútiâ et improbitáte ággerant divitiárum acervos; sed exolvent, seram licèt, nequítiæ suæ pœnam. Perfectórum est coróna. Expecta ut véniat quod perfectum est, quando non per spéciem in ænígmate, sed fácie ad fáciem formam ipsam redopertæ veritátis possis agnóscere.

PRO SS. PONTIFICIBUS.

DIE FESTO.

IN I.° NOCTURNO.

LECTIO I.

De Epístola prima beáti Pauli Apóstoli ad Timótheum.

(Cap. 3.)

Fidelis sermo: Si quis Episcopátum desíderat, bonum opus desíderat. Oportet ergo Episcopum irreprehensíbilem esse, uníus uxóris virum, sóbrium, prudéntem, ornátum, pudícum, hospitálem, doctórem, non vinolentum, non

percussórem, sed modestum, non litigiósum, non cúpidum, sed suæ dómui bene præpósitum, fílios habentem súbditos cum omni castitáte. Si quis autem dómui suæ præesse nescit, quómodò Ecclésiæ Dei diligéntiam habébit? Non néophytum; ne in supérbiam elátus, in judícium íncidat diáboli. Oportet autem illum et testimónium habére bonum ab iis qui foris sunt; ut non in oppróbrium íncidat, et in láqueum diáboli.

LECTIO II.

De Epístola ad Titum.

(Cap. 1.)

Oportet enim Epíscopum sine crímine esse, sicut Dei dispensatórem: non superbum, non iracundum, non vinolentum, non percussórem, non turpis lucri cúpidum; sed hospitálem, benignum, sóbrium, justum, sanctum, continentem, amplectentem eum qui secundúm doctrinam est, fidélem sermónem; ut potens sit exhortári in doctrína sana, et eos qui contradícunt argúere. Sunt enim multi étiam inobedientes, vaníloqui, et seductóres, máxime qui de circumcisióne sunt, quos oportet redárgui; qui universas domos subvertunt, docentes quæ non oportet, turpis lucri grátiâ.

LECTIO III.

(Cap. 2.)

Tu autem lóquere quæ decent sanam doctrínam. Senes, ut sóbrii sint, pudíci, prudentes, sani in fide, in dilectióne, in patiéntia. Anus simíliter, in hábitu sancto, non criminatrices, non multo vino servientes, bene docentes, ut prudéntiam dóceant adolescéntulas, ut viros suos ament, fílios suos díligant; prudentes, castas, sóbrias, domûs curam habentes, benignas, súbditas viris suis, ut non blasphemétur verbum Dei. Júvenes simíliter hortáre, ut sóbrii sint. In ómnibus teipsum præbe exemplum bonórum óperum, in doctrína, in integritáte, in gravitáte, verbum sanum, irreprehensíbile; ut is qui ex adverso est, vereátur, nihil habens malum dícere de nobis.

IN II.° NOCTURNO.

LECTIO IV.

Sermo sancti Joannis Chrysóstomi.

(Hom. 20 in Epist. 1 ad Tim.)

Si quis Episcopátum áppetit, non principátûs ac dominatiónis fastu, sed pro cura regíminis et caritátis affectu non ímprobo: bonum quippe desíderat opus. Quippe et Móyses eamdem rem appetivisse cognósci-

tur. Verùm ille hujúsmodi poténtiam ambitumque dominandi nequáquam quæsívit; sed eam rem ita cupívit, ut nec contuméliam audíre refúgeret, cùm illi dicerétur : Quis te constítuit príncipem et júdicem super nos? Si quis ígitur ita desíderat, desíderat bene. Episcopátus enim ex eo dícitur, quòd omnes inspíciat cúnctaque speculétur. Oportet ígitur Episcopum irreprehensíbilem esse. Hoc único verbo genus omne virtútum expressit. Itaque qui sibi vel levis culpæ cónscius est, malè profectò facit eam rem áppetens, quâ indignum se per ópera facit. Non enim decet hujúsmodi régere, sed pótiùs regi. Eum quippe qui regendos álios súscipit, tantâ decet glória virtútis excéllere, ut instar solis, céteros véluti stellárum ignículos in suo fulgóre obscúret. Debet hujúsmodi vitam habére inmaculátam atque compósitam; ut omnes in illum et in ejus vitam, véluti in exemplum áliquod excellens, intueantur.

LECTIO V.

Oportet Episcopum vigilantem esse, hoc est, claríssimâ mentis ácie præditum, innumerosque habentem omni ex parte óculos, quibus acutíssimè cuncta prospíciat. Sunt quippe plura quæ íncidant, et mentis hébetent áciem, putà concupiscéntiæ desidéria, curæ quotidiánæ, rerumque perturbátio; et plúrima id genus úndique imminent. Vigilantem ígitur esse necesse est eum, qui non tantùm suî curam habet, verùm étiam reliquórum. Decet esse pervígilem eum qui ejúsmodi est, ac spíritu vívere, et affectûs sui flammam opéribus ipsis osténdere, sollicitúdine atque indústriâ præcéllere; ut die noctuque exércitum et castra perlustret, labóret, et sui offícii munus diligentíssimè ímpleat, atque ómnium curam et sollicitúdinem gerat. Pudícum, addit, ornátum, et hospitalitátis amatórem. Ista et in súbditis plerumquè vídeas. Verùm quóniam oportet eum et ea quæ sunt rectóris habére, idcircò subjunxit: Aptum ad docendum. Hoc quippe à súbditis nequáquam exígitur : céterùm illi ante ómnia adesse debet, qui hujúsmodi suscépit offícium.

LECTIO VI.

Idcirco nos elégit Deus, ut simus quasi luminária, ut véluti fermentum evadámus, ut magistri ceterórum efficiámur, ut véluti Angeli cum homínibus versémur in terris, ut tanquam viri cum infántibus et púeris, quasi spirituáles cum animálibus, ut ex contubérnio nostro in-

géntia lucra conquírant; ut sémina simus, ut fructum lætíssimum afferâmus. Nihil opus esset verbis, si hunc in modum vita nostra sanctitátis luce fulgéret. Nihil magistris opus esset, si virtútis probos actus præferrémus. Nemo profectò Gentílis esset, si ipsi ut oportet Christiáni esse curarémus, si Dei mónitis ac scitis obtemperarémus, si injúrias perpessi vicem non referrémus, si maledictis lacessíti benedicerémus, si pro malis bona redderémus. Nemo esset ita fera béllua, ut non statim ad cultum veræ religiónis accúrreret, si vidéret hæc ab ómnibus fieri. Atque ut discas ita esse, unus Paulus qui talis fuit, tot pópulos attraxit ad Dei notítiam. Si omnes essémus hujúsmodi, quot terrárum orbes et ipsi attrahere possémus?

IN III.° NOCTURNO.

LECTIO VII.

Léctio santi Evangélii secundum Matthæum.

(Cap. 24.)

In illo témpore; Dixit Jesus discípulis suis: Vigiláte, quia nescítis quâ horâ Dóminus vester ventúrus sit. Et réliqua.

Homília sancti Fulgéntii Epíscopi.

Dominicus sermo quem debémus omnes, non solùm studiósè, verùm étiam sapienter audíre, cui nos oportet humíliter ac delectabíliter obedíre, moderatiónis suæ tenens ubíque tempériem, ut nec óvibus desint pábula, nec pastóribus alimenta; quædam speciáliter solis præcipit nobis, quædam verò generáliter et nobis et vobis. Nobis namque (id est, servis, quos Pater ille famíliàs, rerum ómnium Dóminus, ad hoc in sua magna domo constítuit, ut pópulo ejus verbum grátiæ ministrémus) speciáliter adjúngitur sanctæ prædicatiónis offícium; generáliter verò et nobis et vobis salutáris indícitur observántia mandatórum.

LECTIO VIII.

Servorum ígitur, quos pópulo suo præpósuit Dóminus, speciáliter volens offícium demonstráre, ait: Quis putas est fidélis dispensátor et prudens, quem constítuit Dóminus super famíliam suam, ut det illis in témpore trítici mensúram? Beátus ille servus, quem cùm vénerit Dóminus, invénerit ita facientem. Quis est iste Dóminus, fratres? Christus sine dúbio, qui suis discípulis ait: Vos vocátis me, Magister et Dómine; et bene dícitis: sum étenim. Quæ est étiam hujus Dómini família? Nimírùm illa est, quam ipse Dóminus de ma-

nu inimíci redemit, et suo domínio mancipávit. Hæc autem família sancta est Ecclésia cathólica, quæ per orbem terræ copiósà fertilitáte diffúnditur, et redemptam se pretióso sui Dómini sánguine gloriátur.

LECTIO IX.

Dispensator verò quis sit, quem oportet esse fidélem páriter ac prudentem, Paulus nobis ostendit Apóstolus, qui de se suisque sóciis loquens, ait: Sic nos exístimet homo ut ministros Christi, et dispensatóres mysteriórum Dei. Hic jam quæritur inter dispensatóres, ut fidélis quis inveniátur. Ne quis autem nostrûm solos Apóstolos dispensatóres factos exístimet; neglectoque milítiæ spirítális offício, servus piger infidéliter imprudenterque dormítet, ipse beátus Apóstolus Epíscopos esse dispentóres ostendens, ait: Oportet ergo Epíscopum sine crímine esse, sicut Dei dispensatórem. Servi Patris famíliàs sumus, dispensatóres Dómini sumus; mensúram trítici quam vobis erogémus, accépimus. Quæ vera sit ista mensúra trítici si quærámus, ipsam quoque vobis beátus Paulus Apóstolus ostendet, dicens: Unicuíque sicut Deus divísit mensúram fídei. Hujus trítici mensúram vobis in nómine Dómini damus, quóties illumináti dono grátiæ spirítális, secundùm régulam veræ fídei disputámus; et eamdem trítici mensúram per Domínicos dispensatóres accípitis, cùm quotídie per Dei fámulos verbum veritátis audítis.

PRO SS. DOCTORIBUS.

DIE FESTO.

IN I.° NOCTURNO.

LECTIO I.

De libro Ecclesiástici.

(Cap. 39.)

Sapientiam ómnium antiquórum exquíret sápiens, et in Prophétis vacábit. Narratiónem virórum nóminatórum conservábit, et in versútias parabolárum simul introíbit. Occulta proverbiórum exquíret, et in abscónditis parabolárum conversábitur. In médio magnatórum ministrábit, et in conspectu

præsidis apparébit. In terram alienigenárum géntium pertránsiet : bona enim et mala in homínibus tentábit.

LECTIO II.

Cor suum tradet ad vigilandum dilúculo ad Dóminum qui fecit illum, et in conspectu Altíssimi deprecábitur. Apériet os suum in oratióne, et pro delictis suis deprecábitur. Si enim Dóminus magnus volúerit, spíritu intelligéntiæ replébit illum, et ipse tanquam imbres mittet elóquia sapiéntiæ suæ: et in oratióne confitébitur Dómino : et ipse díriget consílium ejus et disciplínam, et in abscónditis suis consiliábitur.

LECTIO III.

Ipse palàm fáciet disciplínam doctrínæ suæ, et in lege testamenti Dómini gloriábitur. Collaudábunt multi sapiéntiam ejus, et usque in séculum non delébitur. Non recédet memória ejus, et nomen ejus requirétur à generatióne in generatiónem. Sapiéntiam ejus enarrábunt gentes, et laudem ejus enuntiábit Ecclésia.

IN II.° NOCTURNO.

LECTIO IV.

Ex libro sancti Augustíni Episcopi contra Julianum.

(Lib. 2, cap. 10.)

Sanctos et in sancta Ecclésia illustres Antístites Dei, non Platónicis, et Aristotélicis, et Zenónicis, aliisque hujuscémodi, vel Græcis, vel Latínis, quanquam ex istis áliquos eórum, verùm omnes sacris lítteris erudítos, nominátim, sicut oportébat, expressi : eorumque sententias, quantùm sufficere videbátur, sine ulla éditas ambiguitáte digessi : ut in eis tímeas non ipsos, sed illum qui sibi eos utília vasa formávit, et sancta templa construxit: qui tunc de ista causa judicavérunt, quando eos nemo potest dícere pérperàm cuíquam vel adversári, vel favére potuisse. Nullas nobiscum vel vobiscum amicítias attendérunt, vel inimicítias exercuérunt : neque nobis, neque vobis iráti sunt: neque nos, neque vos miseráti sunt. Quod invenérunt in Ecclésia, tenuérunt : quod didicérunt, docuérunt : quod à Patribus accepérunt, hoc fíliis tradidérunt.

LECTIO V.

(Longe post præcedentia.)

Isti Epíscopi sunt docti, graves, sancti, veritátis acérrimi defensóres adversùs gárrulas vanitátes : in quorum ratióne, eruditióne, libertáte, quæ tria bona júdici tribuisti, non potes invenire quod spernas. Si Episcopális Synodus ex toto orbe congregarétur, mirum si tales

possent illic fácilè tot sedére, quia nec isti uno témpore fuérunt : sed fidéles, et multis excellentióres paucos dispensatóres suos Deus per diversas ætátes témporum, locorumque distántias, sicut ei placet atque expedíre júdicat, ipse dispensat. Hos ítaque de áliis atque áliis tempóribus atque regiónibus ab Oriente et Occidente congregátos vides, non in locum quo navigáre cogantur hómines, sed in librum qui navigáre possit ad hómines.

LECTIO VI.

Quanto tibi essent isti júdices optabilióres, si tenéres cathólicam fidem ; tantò tibi sunt terribilióres, quia oppugnas cathólicam fidem, quam in lacte suxérunt, quam in cibo sumpsérunt, cujus lac et cibum parvis magnisque ministravérunt, quam contra inimícos, étiam vos tunc nondum natos, unde nunc revelámini, apertíssimè ac fortíssimè defendérunt. Tálibus post Apóstolos sancta Ecclésia plantatóribus, rigatóribus, ædificatóribus, pastóribus, nutritóribus crevit. Ideò profánas voces vestræ novitátis expávit; et cauta ac sóbria, ex admonitióne Apostólica, ne sicut serpens Evam seduxit astútiâ suâ, sic et mens ejus corrumperétur à castitáte quæ est in Christo; cathólicæ fídei virginitáte, insídias vestri dógmatis surrepentis exhórruit, et tanquam caput cólubri calcávit, obtrívit, abjécit.

IN III.° NOCTURNO.

LECTIO VII.

Léctio sancti Evangélii secundùm Matthæum.

(Cap. 5.)

In illo témpore; Dixit Jesus discípulis suis : Vos estis sal terræ : quòd si sal evanúerit, in quo saliétur? Et reliqua.

Homília sancti Augustíni Epíscopi.

(Lib. 1, de Serm. Domini in Monte, c. 6.)

Ostendit Dóminus fátuos esse judicandos, qui temporálium bonórum vel cópiam sectantes, vel inópiam metuentes, amittunt ætérna quæ nec dari possunt ab homínibus, nec auferri. Itaque si sal infatuátum fuerit, in quo saliétur? Id est, si vos per quos condiendi sunt quodámmodò pópuli, metu persecutiónum temporálium amiséritis regna cœlórum ; qui erunt hómines per quos à vobis error auferátur, cùm vos elégerit Deus per quos errórem áuferat ceterórum?

LECTIO VIII.

Ergo ad níhilum valet sal

insatuátum, nisi ut mittátur foràs, et calcétur ab homínibus. Non ítaque calcátur ab homínibus, qui pátitur persecutiónem, sed qui persecutiónem timendo insatuátur. Calcári enim non potest nisi inférior : sed inférior non est, qui quamvis córpore multa in terra sustíneat, corde tamen fixus in cœlo est.

LECTIO IX.

Vos estis lumen mundi. Quómodò dixit supériùs Sal terræ, sic nunc dicit Lumen mundi. Nam neque supériùs ista terra accipienda est, quam pédibus corpóreis calcámus; sed hómines qui in terra hábitant, vel étiam peccatóres, quorum condiendis et extinguendis putóribus Apostólicum salem Dóminus misit in mundum. Et hìc mundum, non cœlum et terram, sed hómines qui sunt in mundo vel díligunt mundum, oportet intélligi, quibus illuminandis Apóstoli missi sunt.

PRO SS. PRESBYTERIS.

DIE FESTO.

IN I.° NOCTURNO.

LECTIO I.

De Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Hebræos.

(Cap. 7.)

Melchisedech, Rex Salem, Sacerdos Dei summi, qui obviávit Abrahæ regresso à cæde regum et benedixit ei : cui et décimas ómnium divísit Abraham : primùm quidem qui interpretátur Rex justítiæ : deinde autem et Rex Salem, quod est, Rex pacis, sine patre, sine matre, sine genealógia, neque inítium diérum, neque finem vitæ habens, assimilátus autem Fílio Dei, manet sacerdos in perpétuum.

LECTIO II.

Intuemini autem quantus sit hic, cui et décimas dedit de prædpuis Abraham Patriarcha : et quidem de fíliis Levi sacerdótium accipientes, mandátum habent décimas súmere à populo secundùm Legem, id est, à fratribus suis : quanquam et ipsi exíerint de lumbis Abrahæ. Cujus autem generátio non annumerátur in eis, décimas sumpsit ab Abraham, et hunc qui habébat repromissiónes, bene-

dixit; sine ulla autem contradictióne, quod minus est, à melióre benedícitur.

LECTIO III.

Manifestum est : si secundùm similitúdinem Melchísedech exurgat álius Sacerdos, qui non secundùm legem mandáti carnális factus est, sed secundùm virtútem vitæ insolúbilis. Contestátur enim : Quóniam tu es sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchísedech. Reprobátio quidem fit præcedentis mandáti, propter infirmitátem ejus et inutilitátem; nihil enim ad perfectum adduxit Lex : introdúctio verò melióris spei per quam proximámus ad Deum. Et quantum est non sine jurejurando (álii quidem sine jurejurando Sacerdótes facti sunt; hic autem cum jurejurando, per eum qui dixit ad illum : Jurávit Dóminus, et non pœnitébit eum : Tu es Sacerdos in æternum :) in tantum melióris testamenti sponsor factus est Jesus.

IN II.° NOCTURNO.

LECTIO IV.

Ex libro S. Joannis Chrysóstomi de Sacerdótio.

(Lib. 3, c. 2.)

Sacerdotium in terra quidem perágitur, sed in rerum cœléstium classem ordinemque referendum est. Atque id perquàm méritò : quippe non mortális quisquam, non Angelus, non Archángelus, non ália quævis creáta poténtia, sed ipse Paracletus órdinem hujúsmodi dispósuit : qui mortálibus homínibus etiamnùm in carne manéntibus auctor fuit, ut Angelórum ministérium ánimo concíperent. Idcircò necesse est Sacerdótem sic esse purum, ut si in ipsis cœlis collocátus, inter cœlestes illas virtútes médius staret. Nam dum cónspicis Dóminum immolátum, et illic situm, Sacerdótem sacrifício incumbentem, ac preces fundentem; tum verò turbam circumfúsam pretióso illo sánguine intingiac rubefieri, etiamne te inter mortáles vérsári atque in terra consístere censes? An non pótiùs è vestígio in cœlos transferri? An non cogitatiónem omnem carnis abjíciens, nudo ánimo, mente purâ, circúmspicis quæ in cœlo sunt? O miráculum! ô Dei benignitátem! qui cum Patre sursùm sedet, in illo ipso témporis artículo ómnium mánibus pertractátur, ac se ipse tradit voléntibus ipsum excípere ac complecti.

LECTIO V.

Nam si quis consideret quantum id sit mystérium, ut is scílicet qui homo ipse sit carne ac sánguine étiam-

hum constans, iisque involútus, beátæ atque immortáli natúræ illi fieri própior queat: tum probè intélliget quanto Sacerdótis honóre, quantâ dignitáte Spíritûs sancti grátia dignáta fúerit: opéribus enim illis tum sacra hæc quæ dico initiantur, perficiunturque, tum étiam ália his níhilò inferióra, quæ ipsa ad dignitátem, salutisque nostræ ratiónem spectant. Etenim qui terram íncolunt atque in ea versantur, iis commissum est ut ea quæ in cœlis sunt dispensent: iis datum est ut potestátem hábeant quam Deus óptimus, neque Angelis, neque Archángelis datam esse vóluit. Neque enim ad illos dictum est: Quæcumque alligavéritis in terra, erunt alligáta in cœlo; et quæcumque solvéritis in terra, erunt solúta et in cœlo.

LECTIO VI.

Habent quidem et terrestres príncipes vínculi potestátem, verùm córporum solùm. Id autem quod dico Sacerdótum vínculum, ipsam étiam animam contingit, atque ad cœlos usque pervádit: usque adeò ut quæcumque infernè sacerdótes confécerint, illa eádem Deus supernè rata hábeat, ac servórum sententiam confirmet. Etènim quidnam hoc áliud esse dicas, nisi omnem rerum cœléstium potestátem illis à Deo concessam? Quorumcumque enim, ait, peccáta remiséritis, remittuntur eis; et quorumcumque retinuéritis, retenta sunt. Quænam, obsecro, potestas, hâc unà major esse queat? Pater omne judícium Fílio dedit: céterum vídeo ipsum omne judícium à Deo Fílio illis tráditum.

IN III.° NOCTURNO.

LECTIO VII.

Léctio sancti Evangélii secundùm Lucam.

(Cap. 10.)

In illo témpore: Designávit Dóminus et álios septuagínta duos: et misit illos bínos ante fáciem suam, in omnem civitátem et locum, quò erat ipse ventúrus. Et dicébat illis: Messis quidem multa, operárii autem pauci. Et réliqua.

Homília sancti Gregórii Papæ.

(Hom. 17. in Evang.)

Ad messem multam operárii pauci sunt; quod sine gravi mœróre loqui non póssumus, quia etsi sunt qui bona áudiant, desunt qui dicant: Ecce mundus Sacerdótibus plenus est, sed tamen in messe Dei rarus valde invenítur operátor: quia offícium quidem sacerdotále suscépimus, sed opus offícii non implémus. Sed

pensáte, fratres mei, pensáte quod dícitur : Rogáte ergo Dominum messis ut mittat operários in messem suam. Vos pro nobis pétite ut digna vobis operári valeámus, ne ab exhortatióne lingua tórpeat, ne postquam prædicatiónis locum suscépimus, apud justum júdicem tacitúrnitas nostra nos addícat.

LECTIO VIII.

Sed útinam si ad prædicatiónem virtútis non suffícimus, loci nostri offícium innocéntiæ vitæ teneámus; nam súbditur : Ecce ego mitto vos sicut agnos inter lupos. Multi enim cùm regíminis curam suscípiunt, ad lacerandos súbditos inardescunt, terrórem potestátis éxhibent, et quibus prodesse debúerant nocent. Et quia caritátis víscera non habent, dómini vidéri ápetunt, patres se esse mínimè recognoscunt. Humilitátis locum in elatiónem dominatiónis immútant : etsi quando extrínsecus blandiuntur, intrínsecus sæviunt. De quibus áliàs véritas dicit : Véniunt ad vos in vestimentis óvium, intrínsecus autem sunt lupi rapáces.

LECTIO IX.

Contra quæ ómnia considerandum nobis est, quia sicut agni inter lupos míttimur, ut sensum servantes innocéntiæ, morsum malítiæ non habeámus. Qui enim locum prædicatiónis súscipit, mala inferre non debet, sed toleráre ; ut ex ipsâ suâ mansuetúdine iram sævientem mítiget ; et peccatórum vúlnera in áliis ipse afflictiónibus vulnerátus sanet. Quod tunc bene rector éxhibet, cùm seipsum dilígere per amórem privátum nescit : cùm nulla quæ mundi sunt áppetit : cùm terrenæ cupiditátis onéribus nequáquam mentis colla suppónit.

PRO SS. ABBAT., MONACHIS ET SOLITAR. DIE FESTO.

IN I.° NOCTURNO.

LECTIO I.

De Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Philippenses.

(Cap. 3.)

Fratres ; Quæ mihi fuérunt lucra, hæc arbitrátus sum propter Christum detrimenta. Verúmtamen exístimo ómnia detrimentum esse, propter eminentem sciéntiam Jesu Christi Dómini mei, propter quem ómnia

detrimentum feci, et árbitror ut stércora, ut Christum lucrifáciam, et invéniar in illo, non habens meam justítiam quæ ex lege est, sed illam quæ ex fide est Christi Jesu: quæ ex Deo est justítia in fide ad cognoscendum illum, et virtútem resurrectiónis ejus, et societátem passiónum illíus; configurátus morti ejus, si quo modo occurram ad resurrectiónem quæ est ex mórtuis, non quòd jam accéperim, aut jam perfectus sim: sequor autem, si quomodo comprehendam, in quo et comprehensus sum à Christo Jesu.

LECTIO II.

Fratres, ego me non árbitror comprehendisse. Unum autem, quæ quidem retrò sunt obliviscens, ad ea verò quæ sunt prióra extendens meipsum, ad destinátum pérsequor, ad bravíum supernæ vocatiónis Dei in Christo Jesu. Quicumque ergo perfecti sumus, hoc sentiámus: et si quid áliter sápitis, et hoc vobis Deus revelábit. Verúmtamen ad quod pervénimus, ut idem sapiámus, et in eádem permaneámus régula.

LECTIO III.

Imitatores mei estóte, fratres: et observáte eos qui ita ámbulant, sicut habétis formam nostram. Multi enim ámbulant, quos sæpè dicébam vobis (nunc autem et flens dico) inimícos crucis Christi, quorum finis intéritus, quorum Deus venter est, et glória in confusióne ipsórum, qui terréna sápiunt. Nostra autem conversátio in cœlis est.

IN II.o NOCTURNO.

LECTIO IV.

Sermo sancti Joannis Chrysóstomi.

(Homil. 69, in Matth.)

In mentem véniat memória Sanctórum, qui cilício induuntur, erémum hábitant, qui nunquam oblátas púrpuras acceptárent; sed quemádmodùm rex, si quis pannósa indumenta páuperis induenda offerret, abominarétur atque repélleret, non áliter illi régiam púrpuram contemnunt. Hæc illis institúta ciliciórum usu confirmáta sunt; unde régibus ipsis excellentióres sunt atque præstantióres. Nam si posses mentis eórum atque ánimi jánuas reseráre, et nudas cogitatiónes eórum, et omnem interiórem ornátum conspícere, fulgóre perculsus in terram concíderes; nec illárum véstium splendórem, nec conscientiæ lucem perferre posses.

LECTIO V.

Nihil ergo in tabernáculis eórum triste inveniétis; sed

tanquam in cœlo tugúria fabricáti, sic longè à séculi perturbatiónibus hábitant, adversùs diábolum militantes, et cum lætítia eum expugnantes. Idcircò enim in solitúdine domicílium constituérunt, civitátibus et célebri habitatióne hóminum omninò relictâ; quóniam qui bellum gerit, non potest domi sedére; sed necesse est, quasi súbitò migratúrus, præparáto in diem domicílio hábitet. Quis unquam in exército domùs fundamenta jecit? Quis ædes ædificat, cùm inde paulò post discessúrus sit? Quis in castris agri júgera emit? Nullus certè. In pátria hæc, non in castris, facienda sunt.

LECTIO VI.

Hæc tibi à me similiter dicuntur. Cùm in suprémam civitátem pervéneris, tunc ista fácito: imò verò nullo tibi labóre opus ibi est, cùm universa hæc à Rege tibi præparáta sint. Hic ígitur satis est nobis fossam fácere, vallum fígere: ædificiórum constructióne opus non est. Christiános adversùs diábolum pugnantes; captívos à mánibus ejus rapientes, ómnibus temporálibus neglectis, vívere oportet. Cur ítaque magníficas ædes struis, ô homo? An ut te ipsum magis víncias? Cur thesaurum óbruis? Ut diábolum adversùs ánimam tuam invítes? Cur mœnia condis? An ad cárceres tibi construendos? Quòd si hæc tibi difficília neglectu videantur, ad tabernáculaMonachórum proficiscámur, ut reipsà fácilè ista contemni posse perdiscas. Tugúria sibi constítuunt; quæ si relínquere oportébit, ita fácilè fáciunt, sicut mílites castra.

IN III.° NOCTURNO.

LECTIO VII.

Léctio sancti Evangélii secundum Marcum.

(Cap. 10.)

In illo témpore; Cœpit Petrus dícere ad Jesum: Ecce nos dimísimus ómnia, et secúti sumus te. Et réliqua.

Homília sancti Paulíni Epíscopi

(Epist. 24, ad Sulpit. Sever. aliàs 2, §. 5, 6.)

Bona quæ nobiscum non intulerámus in hunc mundum, nec poterámus efferre, quasi mutuáta reddídimus; nec ut cutem à carne distráximus, sed ut vestem à córpore deposúimus. Nunc opus est, ut quæ verè nostra sunt, dependámus Deo, hoc est, cor et ánimam, et córpora nostra exhibentes in hóstiam vivam, ut scriptum est, Dómino; nosque ipsos ædificantes ei in templum sanctum, in ipso lápide angulá-

ri, qui nobis sanctificatiónis nostræ fórmulam in semetipso dedit et ait : Sancti estóte, quóniam ego sanctus sum. Quæ ígitur nobis grátia, si in aliéno tantùm fideles fuérimus, nisi de próprio serviámus, id est, de líbero voluntátis arbítrio, ex toto corde nostro, ex totis ánimæ nostræ, ut scriptum est, víribus diligentes Deum?

LECTIO VIII.

(§ 7, 8.)

Quamobrem temporálium quæ in hoc século habentur bonórum relíctio, sive distráctio : non decursus stádii, sed ingressus ; nec ut meta, sed ut jánua est. Non enim athléta tùm vincit, cùm exúitur; qui ídeò nudátur, ut incípiat dimicáre, cùm legítimè certáverit coronandus. Et natátor amnem interpósitum superatúrus, exúitur; nec tamen hoc tanto apparátu quòd se despoliáverit, transnatábit, nisi totíus córporis nisu torrentis ímpetum scindat, et labórem natatiónis exháuriat. Vídeo et in Jacob hujus expeditiónis órdinem prolusisse; cùm illum lego, posteáquam torrente transmisso, præmissis curárum suárum onéribus, id est, facultátum et necessitúdinum impedimentis, solus in tabernáculi loco remánserat, Deo colluctátum.

LECTIO IX.

Itaque ad corripiendam vitæ viam, capiendumque Dei verbum, et prævalendum in regnum cœlórum, quod à diébus Joannis vim pátitur, et à diripiéntibus obtinétur, idónei esse non pósumus, nisi ómnia quæ vel amóre, vel curâ, si in itínere istíus séculi nobis adhæreant, impédiunt et retardant, ante óbitûs nostri vésperam præmittámus, et inde per totam hujus séculi noctem apprehéndere, et tenére Christum sollícitâ spiritálium óperum ac studiórum contentióne luctémur : nec divellámur à caritáte Christi, sicut Jacob ab ejus amplexu, nisi extorqueámus benedictiónem. Atque útinam ad salutáris insigne luctáminis, nervum fémoris nostri majestátis suæ timóre percútiat; quo obstupescente, infirmábitur virtus carnis, et spiritális grátia convalescet!

PRO JUSTIS.

DIE FESTO.

IN I.° NOCTURNO.

LECTIO I.

De libro Sapiéntiæ.

(Cap. 4.)

JUSTUS si morte præoccupátus fúerit, in refrigério erit. Senectus enim venerábilis est, non diuturna, neque annórum número computáta. Cani autem sunt sensus hóminis, et ætas senectútis vita immaculáta. Placens Deo factus est dilectus, et vivens inter peccatóres translátus est. Raptus est, ne malítia mutáret intellectum ejus, aut ne fictio decíperet ánimam illíus. Fascinátio enim nugacitátis obscúrat bona, et inconstántia concupiscéntiæ transvertit sensum sine malítia. Consummátus in brevi, explévit témpora multa : plácita enim erat Deo ánima illíus; propter hoc properávit edúcere illum de médio iniquitátum.

LECTIO II.

POPULI autem vidéntes, et non intelligentes, nec ponentes in præcórdiis tália; quóniam grátia Dei, et misericórdia est in sanctos ejus, et respectus in electos illíus. Condemnat autem justus mórtuus vivos ímpios, et juventus celériùs consummáta longam vitam injusti. Vidébunt enim finem sapientis, et non intélligent quid cogitáverit de illo Deus, et quare munierit illum Dóminus. Vidébunt, et contemnent eum : illos autem Dóminus irridébit. Et erunt post hæc decidentes sine honóre et in contumélia, inter mórtuos in perpétuum; quóniam disrumpet illos inflátos sine voce, et commovébit illos à fundamentis : et usque ad suprémum desolabuntur.

LECTIO III.

(Cap. 4 et 5.)

ET erunt gementes, et memória illórum períbit. Vénient in cogitatióne peccatórum suórum tímidi, et tradúcent illos ex adverso iniquitátes ipsórum. Tunc stabunt justi in magna constántia adversùs eos qui se angustiavérunt, et qui abstulérunt labóres eórum. Vidéntes turbabuntur timóre

horríbili, et mirabuntur in subitatióne insperátæ salútis, dicentes intra se, pœniténtiam agentes, et præ angústia spíritûs gementes : Hi sunt quos habúimus aliquando in derísum, et in similitúdinem impropérii. Nos insensáti vitam illórum æstimabámus insániam, et finem illórum sine honóre. Ecce quómodò computáti sunt inter fílios Dei, et inter sanctos sors illórum est!

IN II.° NOCTURNO.

LECTIO IV.

Ex libro Morálium sancti Gregórii Papæ.

(Lib. 10, cap. 16.)

Deridétur justi simplícitas. Hujus mundi sapiéntia est cor machinatiónibus tégere, sensum verbis veláre; quæ falsa sunt, vera osténdere; quæ vera sunt, falsa demonstráre. Hæc nimírùm prudéntia usu à juvénibus scitur : hæc à púeris prétio díscitur : hanc qui sciunt, céteros despiciendo supérbiunt : hanc qui nésciunt, subjecti et tímidi in áliis mirántur; quia ab eis hæc éadem duplícitas iniquitátis nómine palliáta dilígitur, dum mentis pervérsitas urbánitas vocátur. Hæc sibi obsequéntibus præcipit honórum cúlmina quærere, adeptâ temporális glóriæ vanitáte gaudére, irrogáta ab áliis mala multiplíciùs réddere; cùm vires súppetunt, nullis resisténtibus cédere; cùm virtútis possibílitas deest, quidquid explére per malítiam non valent, hoc in pacífica bonitáte simuláre.

LECTIO V.

At contrà, sapiéntia justórum est nihil per ostensiónem fíngere, sensum verbis aperíre, vera ut sunt dilígere, falsa devitáre; bona gratis exhibére, mala libéntiùs toleráre quàm fácere; nullam injúriæ ultiónem quærere, pro veritáte contuméliam lucrum putáre. Sed hæc justórum simplícitas deridétur; quia ab hujus mundi sapiéntibus puritátis virtus fatúitas créditur. Omne enim quod innocenter ágitur ab eis procul dúbio stultum putátur; et quidquid in ópere véritas ápprobat, carnáli sapiéntiæ fátuum sonat. Quid namque stúltius vidétur mundo, quàm mentem verbis osténdere, nil cállidâ machinatióne simuláre, nullas injúriis contuméliis réddere, pro maledicéntibus oráre, paupertátem quærere, possessa relínquere, rapienti non resístere, percutienti maxillam álteram præbére?

LECTIO VI.

(Post pauca.)

Quæ nimírùm justi simplícitas bréviter, sed sufficien-

ter exprímitur, cùm prótinùs subinfertur, Lampas contempta apud cogitatiónes dívitum. Sæpè namque contingit, ut electus quisque qui ad æternam felicitátem dúcitur, contínuâ hìc adversitáte deprimátur, non hunc rerum abundántia fúlciat, non dignitátum glória honorábilem ostendat, nulla ei obsequéntium frequéntia súppetat, nulla hunc humánis óculis véstium pompa compónat. A cunctis verò despicábilis cérnitur, et hujus mundi glóriâ indignus æstimátur; sed tamen ante occulti Júdicis óculos virtútibus émicat, vitæ méritis coruscat. Honorári métuit, déspici non réfugit : corpus continéntiâ áfficit, solâ in ánimo dilectióne pinguescit : mentem semper ad patiéntiam præparat, et erectus pro justítia de perceptis contuméliis exultat : afflictis ex corde compátitur; de bonórum prosperitátibus quasi de própriis lætátur : sacri verbi pábula in mente sollícitus rúminat; et inquisítus quódlibet éloqui dupliciter, ignórat.

IN III.° NOCTURNO.

LECTIO VII.

Léctio sancti Evangélii secundùm Lucam.

(Cap. 12.)

In illo témpore; Dixit Jesus discípulis suis : Sint lumbi vestri præcincti, et lucernæ ardentes in mánibus vestris. Et réliqua.

Homília sancti Gregórii Papæ.

(In Evang. Homil. 13.)

Dominus dicit : Sint lumbi vestri præcincti. Lumbos præcíngimus, cùm carnis luxúriam per continéntiam coarctámus. Sed quia minus est mala non ágere, nisi étiam quisque stúdeat et bonis opéribus insudáre, prótinus ádditur : Et lucernæ ardentes in mánibus vestris. Lucernas quippe ardentes in mánibus tenémus, cùm per bona ópera próximis nostris lucis exempla monstrámus. De quibus profectò opéribus Dóminus dicit : Lúceat lux vestra coram homínibus, ut vídeant ópera vestra bona, et glorífícent Patrem vestrum, qui in cœlis est. Duo autem sunt quæ jubentur, et lumbos restríngere, et lucernas tenére; ut et mundítia sit castitátis in córpore, et lumen veritátis in operatióne. Redemptóri étenim nostro unum sine áltero placére nequáquam potest; si aut is qui bona agit, adhuc luxúriæ inquinamenta non déserit; aut is qui castitáte præéminet, necdum se per bona ópera exercet.

LECTIO VIII.

Nec cástitas ergo magna est

sine bono ópere; nec opus bonum est áliquod sine castitáte. Sed et si utrumque ágitur, restat ut quisquis ille est, spe ad supernam pátriam tendat, et nequáquam se à vítiis pro mundi hujus honestáte contíneat. Quietsi quædam bona aliquando pro honestáte íncohat, in ejus tamen intentióne non debet permanére, nec per bona ópera præsentis mundi glóriam quærere; sed totam spem in redemptóris sui adventum constítuat. Unde et prótinùs súbditur : Et vos símiles homínibus expectántibus dóminum suum, quando revertátur à núptiis. Ad núptias quippe Dominus ábiit; quia resurgens à mórtuis, ascendens in cœlum, supernam sibi Angelórum multitúdinem novus homo copulávit. Qui tunc revértitur, cùm nobis jam per judícium manifestátur.

LECTIO IX.

Bene autem de servis expectántibus súbditur : Ut, cùm vénerit et pulsáverit, confestim apériant ei. Venit Dóminus, cùm ad judícium próperat : pulsat verò, cùm jam per ægritúdinis moléstias mortem vicínam esse designat. Cui confestim aperímus, si hunc cum amóre suscípimus. Aperíre enim júdici pulsanti non vult, qui exíre de córpore trépidat; et vidére eum, quem contempsisse se méminit, júdicem formídat. Qui autem de sua spe et operatióne secúrus est, pulsanti confestim áperit, quia lætus júdicem sústinet; et cùm tempus propinquæ mortis advénerit, de glória retributiónis hilarescit.

PRO SANCTIS VIRGINIBUS.

DIE FESTO.

IN I.° NOCTURNO.

LECTIO I.

De Epístola prima beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios.

(Cap. 7.)

De virgínibus præceptum Dómini non hábeo : consílium autem do, tanquam misericórdiam consecútus à Dómino, ut sim fidélis. Exístimo ergo hoc bonum esse propter instantem necessitátem, quóniam bonum est hómini sic esse. Alligátus es uxóri? noli quærere solutiónem. Solútus es ab uxóre? noli quærere uxórem. Si autem accéperis uxórem, non peccasti : et si núpserit

virgo, non peccávit. Tribulatiónem tamen carnis habébunt hujúsmodi. Ego autem vobis parco. Hoc ítaque dico, fratres : tempus breve est. Réliquum est, ut et qui habent uxóres, tanquam non habentes sint : et qui flent, tanquam non flentes : et qui gaudent, tanquam non gaudentes : et qui emunt, tanquam non possidentes : et qui utuntur hoc mundo, tanquam non utantur; præterit enim figúra hujus mundi.

LECTIO II.

Volo autem vos sine sollicitúdine esse. Qui sine uxóre est, sollícitus est quæ Dómini sunt, quómodò pláceat Deo. Qui autem cum uxóre est, sollícitus est quæ sunt mundi, quómodò pláceat uxóri; et divísus est. Et múlier innupta et virgo cógitat quæ Dómini sunt, ut sit sancta córpore et spíritu. Quæ autem nupta est, cógitat quæ sunt mundi, quómodò pláceat viro. Porrò hoc ad utilitátem vestram dico; non ut láqueum vobis injíciam, sed ad id quod honestum est, et quod facultátem præbeat sine impedimento Dóminum obsecrandi.

LECTIO III.

Si quis autem turpem se vidéri exístimat super vírgine sua, quòd sit superadulta, et ita oportet fíeri : quod vult fáciat; non peccat, si nubat. Nam qui státuit in corde suo firmus, non habens necessitátem, potestátem autem habens suæ voluntátis, et hoc judicávit in corde suo serváre vírginem suam, bene facit. Igitur et qui matrimónio jungit vírginem suam, bene facit; et qui non jungit, méliùs facit. Múlier alligáta est legi, quanto témpore vir ejus vivit. Quòd si dormíerit vir ejus, liberáta est : cui vult nubat, tantùm in Dómino. Beátior autem erit si sic permánserit, secundùm meum consílium. Puto autem quòd et ego Spíritum Dei hábeam.

IN II.° NOCTURNO.

LECTIO IV.

Ex libro sancti Cypriáni Epíscopi et Mártyris, de disciplína et hábitu Virginum.

(Paulò post initium.)

Nunc nobis ad Vírgines sermo est, quarum quò sublímior glória est, major et cura est. Flos est ille Ecclesiástici germinis, decus atque ornamentum grátiæ spiritális, læta índoles, laudis et honóris opus íntegrum atque incorruptum, Dei imágo respondens ad sanctimóniam Dómini, illústrior pórtio gregis Christi. Gaudet per illas, atque in illis lárgiter floret Ecclésiæ matris glo-

riósa fœcúnditas : quantòque plùs copiósa virgínitas número suo addit, tantò plùs gáudium matris augescit.

LECTIO V.

Ad has lóquimur, has adhortámur affectióne pótiùs quàm potestáte : non quòd extrémi et mínimi, et humilitátis *nostræ ádmodùm* cónscii, áliquid ad censúram licéntiæ vindicémus; sed quòd ad sollicitúdinem magis cauti, plus de diáboli infestatióne timeámus. Neque inánis hæc cáutio est, et vana formído, quæ ad salútis viam cónsulit, quæ Domínica et vitália præcepta custódit; ut quæ se Christo dicáverint, et à carnáli concupiscéntia recedentes, tam carne, quàm mente se Deo vóverint, consumment opus suum magno præmio destinátum : nec ornári jam, aut placére cuíquam, nisi Dómino suo, stúdeant; à quo et mercédem virginitátis expectant, dicente ipso : Non omnes cápiunt verbum, sed *illi* quibus datum est.

LECTIO VI.

Denuo quoque per hanc Angeli vocem continéntiæ munus ostenditur, virgínitas prædicátur. Hi sunt, inquit, qui cum muliéribus se non coinquinavérunt; vírgines enim permansérunt : hi sunt qui sequuntur Agnum quòcumque íerit. Neque enim tantùm másculis continéntiæ grátiam Dóminus repromittit, et *féminas* præterit : sed quóniam fémina viri pórtio est, et ex eo sumpta atque formáta est; in Scriptúris fere ómnibus ad protoplastum Deus lóquitur, quia sunt duo in carne una, et in másculo simul significátur et fémina. Quòd si Christum continéntia séquitur, et regno Dei virgínitas destinátur; quid est illis cum terréno cultu et cum ornamentis, quibus dum homínibus placére géstiunt, Deum offendunt?

IN III.° NOCTURNO.

LECTIO VII.

Léctio sancti Evangélii secundùm Matthæum.

(Cap. 25.)

In illo témpore; Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc : Símile erit regnum cœlórum decem virgínibus, quæ accipientes lámpades suas exiérunt óbviam sponso et sponsæ. Et réliqua.

Homília sancti Gregórii Papæ.

(In Evang. Homil. 12.)

Omnes lámpades habent, sed omnes óleum non habent; quia plerumquè bona in se ópera cum electis et réprobi ostendunt : sed soli ad sponsum cum óleo vé-

niunt; quia de his quæ foris égerint, intùs glóriam requírunt. Unde per Psalmistam quoque de sancta Electórum Ecclésia dícitur: Omnis glória ejus fíliæ Regis ab intùs. Moram autem faciente sponso, dormitavérunt omnes et dormiérunt; quia dum veníre Judex ad extrémum judícium differt, electi et réprobi in mortis somno sopiuntur.

LECTIO VIII.

(Post pauca.)

De adventu sponsi clamor in média nocte fit; quia sic dies judícii surrépit, ut prævidéri non váleat quando venit. Unde scriptum est: Dies Dómini sicut fur in nocte, ita véniet. Tunc omnes Vírgines surgunt; quia et electi et réprobi à somno suæ mortis excitantur. Lámpades ornant; quia sua secum ópera númerant, pro quibus æternam recípere beatitúdinem expectant. Sed lámpades fatuárum Vírginum extinguuntur; quia eárum ópera quæ clara homínibus foris apparuérunt, in adventu Júdicis intùs obscurantur; et à Deo retributiónem non invéniunt, quia pro eis recepérunt ab homínibus laudes quas amavérunt.

LECTIO IX.

Quid est autem quòd tunc à prudéntibus óleum petunt, nisi quòd in adventu Júdicis, cùm se intùs vácuas invénerint, testimónium foris quærunt? Sed prudentes Vírgines respondent, dicentes: Ne forte non suffíciat nobis et vobis, ite pótiùs ad vendentes, et émite vobis. Sed dum irent émere, venit sponsus; quæ autem parátæ erant, intravérunt cum eo ad núptias; et clausa est jánua. O! si sápere in cordis palâto possis, quid admiratiónis habet quod dícitur, Venit sponsus! quid dulcédinis, Intravérunt cum eo ad núptias! quid amaritúdinis, Et clausa est jánua! Tunc regni jánua lugéntibus claudétur, quæ modò quotídie pœniténtibus aperítur: erit namque et tunc pœniténtia; sed fructuósa jam non erit, quia nequáquam tunc véniam ínvenit, qui modò aptum véniæ tempus perdit.

PRO SANCTIS MULIERIBUS.

DIE FESTO.

IN I.° NOCTURNO.

LECTIO I.

De Parábolis Salomónis.

(Cap. 31.)

Mulierem fortem quis inveniet? Procul et de últimis fínibus prétium ejus. Confídit in ea cor viri sui, et spóliis non indigébit. Reddet ei bonum, et non malum, ómnibus diébus vitæ suæ. Quæsívit lanam et linum, et operáta est consílio mánuum suárum. Facta est quasi navis institóris, de longe portans panem suum. Et de nocte surrexit, deditque prædam domésticis suis, et cibária ancillis suis. Considerávit agrum, et emit eum: de fructu mánuum suárum plantávit víneam. Accinxit fortitúdine lumbos suos, et roborávit bráchium suum.

LECTIO II.

Gustavit, et vidit quia bona est negotiátio ejus: non extinguétur in nocte lucerna ejus. Manum suam misit ad fórtia, et dígiti ejus apprehendérunt fusum. Manum suam apéruit ínopi, et palmas suas extendit ad páuperem. Non timébit dómui suæ à frigóribus nivis: omnes enim doméstici ejus vestíti sunt duplícibus. Stragulátam vestem fecit sibi: byssus et púrpura indumentum ejus. Nóbilis in portis vir ejus, quando séderit cum senatóribus terræ. Síndonem fecit, et véndidit; et cíngulum trádidit Chananæo.

LECTIO III.

Fortitudo et decor indumentum ejus, et ridébit in die novíssimo. Os suum apéruit sapiéntiæ, et lex cleméntiæ in lingua ejus. Considerávit sémitas domûs suæ, et panem otiósa non comédit. Surrexérunt fílii ejus, et beatíssimam prædicavérunt; vir ejus et laudávit eam. Multæ fíliæ congregavérunt divítias; tu supergressa es universas. Fallax grátia, et vana est pulchritúdo; múlier timens Dóminum ipsa laudábitur. Date ei de fructu mánuum suárum, et laudent eam in portis ópera ejus.

IN II.° NOCTURNO.

LECTIO IV.

Sermo sancti Augustíni Episcopi.

(Lib. de ver. Relig. cap. 41.)

VINCAMUS cupiditátis, vel blandítias, vel moléstias, si viri sumus. Nobis dúcibus et ipsa erit mélior; nec jam cupíditas, sed temperántia nominábitur. Nam cùm ipsa ducit, nos autem séquimur, cupíditas illa et libído, nos verò teméritas et stultítia nuncupámur. Hoc et féminis præcipi potest, non maritáli, sed fraterno jure; quo jure in Christo, nec másculus, nec fémina sumus. Habent enim illæ viríle quiddam, unde femíneas súbjugent voluptátes, unde Christo sérviant, et ímperent cupiditáti.

LECTIO V.

(Serm. 59, de Div.)

TRES vitæ sunt in Ecclésia membrórum Christi: conjugális, viduális, virginális. Quia ipsæ vitæ, ipsæ pudicítiæ futúræ erant in sanctis membris Christi, omnes istæ vitæ tres attestátæ sunt Christum. Prima conjugális. Quando María virgo cóncipit, Elízabeth uxor Zachariæ et ipsa concéperat. Hujus Júdicis præcónem ferébat in útero. Venit ad eam sancta María, tanquam ad cognátam suam salutandam. Exultávit infans in útero Elízabeth. Ille exultávit, illa prophetávit. Habes attestántem pudicítiam conjugálem. Ubi viduális? In Anna. Audístis quòd esset sancta Prophetissa, vídua octoginta et quátuor annórum, quæ septem annis víxerat cum viro suo, frequentans templum Dómini, sérviens in oratiónibus nocte et die. Et ipsa vídua agnóvit Christum: vidit parvum, agnóvit magnum, et ipsa attestáta est. Habes et in ista vitam viduálem, in María virginálem.

LECTIO VI.

ELIGAT sibi quisque de istis tribus quam volúerit. Qui præter istas esse volúerit, in membris Christi esse non dispónit. Non dicant conjugátæ: Nos ad Christum non pertinémus: habuérunt maritos sanctæ féminæ. Non se extollant Vírgines. Quantò magnæ sunt, humílient se in ómnibus: ómnia exempla salútis propósita sunt ante óculos nostros. Nemo exórbitet: si pudicítiam conjugálem quæris, habes Susannam; si viduálem, habes Annam; si virginálem, habes Maríam.

IN III.° NOCTURNO.

LECTIO VII.

Léctio sancti Evangélii secundùm Lucam.

(Cap. 10.)

IN in illo témpore; Intrávit

Jesus in quoddam castéllum : et múlier quædam, Martha nómine, excépit illum in domum suam. Et réliqua.

Homília sancti Ambrósii Epíscopi,

(Lib. 1. Comment. in Luc. n. 9.)

Est nonnunquam in intentióne plusquàm in actióne, aut plus in actióne quàm in intentióne, ut in Evangélio cérnimus inter sanctam Maríam et Martham fuisse distántiam. Alia anim verbum audiébat :ália festinábat circa ministérium. Quæ stetit, et ait : Dómine, non est tibi curæ quòd derelíquit me soror mea solam ministráre ? Dic ergo illi ut me ádjuvet. Et dixit illi Dóminus : Martha, Martha, María óptimam partem elégit, quæ non auferétur ab ea. Ergo in áltera intentiónis stúdium, in áltera actiónis ministérium redundábat. Utríque tamen utriusque virtútis stúdium suppetébat ; síquidem et Martha, nisi audisset verbum, ministérium non subiísset : et María tantum grátiæ de utriusque rétulit perfectióne virtútis, ut úngeret pedes Jesu, et térgeret capillis, et totam domum suæ fídei odóre compléret. Ideò ergo utriusque virtútis plenitúdo quærenda est.

LECTIO VIII.

(Lib. 7, núm. 84.)

Religiosa mentis inténtio Dei verbo, si cum fide cóngruat, étiam ipsis opéribus antefertur, juxta quod et hic scriptum est : María óptimam sibi partem elégit, quæ non auferétur illi. Studeámus et nos habére quod nemo nobis possit auferre ; non ut perfunctória, sed díligens audiéntia deferátur. Solent enim étiam ipsíus sémina verbi cœlestis auferri, si secùs viam sint seminàta. Agat te, sicut Maríam, desidérium sapiéntiæ ; hoc enim majus, hoc perfectiónis opus ; nec ministérii cura cognitiónem verbi cœléstis avertat ; nec árguas eos, aut otiósos júdices quos vídeas studére sapiéntiæ. Hanc enim sibi cohabitantem Sálomon ille pacíficus adscívit.

LECTIO IX.

(N. 86.)

Nec Martha tamen in bono ministério reprehénditur ; sed María quòd meliórem partem sibi elégerit, antefertur. Jesus enim multis abundat, et multa largitur : et ídeò sapiéntior quis judicátur, quia quod principále advertit, elégit. Dénique et Apóstoli óptimum non putavérunt relínquere Dei verbum, et ministráre mensis. Sed utrumque munus sa-

piéntiæ est : nam et Stéphanus plenus sapiéntia minister electus est. Et ídeò qui ministrat, doctóri déferat; et ministrantem doctor invítet et próvocet. Unum enim est corpus Ecclésiæ, etsi diversa membra, et álterum áltero eget. Non potest dícere óculus mánui : Opera tua non desídero ; aut íterùm caput pédibus, aut aurícula se negáre esse de córpore. Nam etsi ália principália, tamen ália necessária. Sapiéntia in cápite, actus in mánibus. Oculi enim sapientis in cápite ejus; quia ille verè sapit, cujus ánimus in Christo est, et cujus intérior óculus erígitur ad superna. Et ídeò sapientis óculi in cápite ipsíus; stulti autem in calcáneo.

LECTIONES

INTRA OCTAVAM ET IN DIE OCTAVA PATRONI, VEL PATRONÆ.

DIE DOMINICA

INTRA OCTAVAM.

IN I.° NOCTURNO.

Lectiones de Scriptura occurrente.

IN II.° NOCTURNO.

Dicentur primum duæ Lectiones diei intra Octavam in quem incidit Dominica. Vide infrà. Deinde dicenda erit sequens.

LECTIO VI.

Sermo sancti Hierónymi Presbyteri.

(Contra Vigilantium.)

Dicis in Libello tuo, quòd dùm vívimus, mútuò pro nobis oráre póssumus, postquàm autem mórtui fuérimus, nullíus sit pro álio exaudienda orátio. Si Apostoli et Martyres adhuc in córpore constitúti, possunt oráre pro céteris, quando pro se adhuc debent esse sollíciti, quantò magis post corónas, victórias, et triumphos? Unus homo Móyses sexcentis míllibus armatórum ímpetrat à Deo véniam; et, Stéphanus imitátor Dómini sui, et primus Martyr in Christo, pro persecutóribus véniam deprecátur: et postquàm cum Christo esse cœpérunt, minùs valébunt?

IN III.° NOCTURNO.

LECTIO VII.

Léctio sancti Evangélii secundùm Lucam.

(Cap. 11.)

In illo témpore; Dixit Jesus discípulis suis: Quis vestrûm habébit amícum, et ibit ad illum médiâ nocte et dicet illi: Amíce, cómmoda míhi tres panes. Et réliqua.

Homília sancti Basilii Epíscopi.

(Constit. Monast. Cap. 1.)

Hoc exemplum idcircò nobis à Dómino propónitur, ut dóceat nos in fide firmos esse et pertináces. Exemplum enim sumit ab hómine ad hóminem, ut discas nunquam desperáre; ut cùm pe-

tieris nec accéperis, non desistas tamen, quod accípias, si modo quod Deus vult póstules: neque díxeris, Peccátor sum et ídeò non exáudior. Verùm enímverò ne spem abjíceres, idcircò ait: Et si non propterea quòd amícus ejus sit, dabit illi, propter improbitátem tamen ejus dabit illi quotquot habet necessários. Flagrandum autem est non ségniter, neque mente huc et illuc divagante: síquidem quisquis est ejúsmodi, non solùm non consecutúrus est quæ petet, immò verò Dóminum magis exacerbábit.

LECTIO VIII.

Si enim cùm áliquis coram príncipe stat, ac lóquitur, stat cum multo timóre, atque tum externum tum internum ánimæ óculum nequáquam vagum, sed intentum habet, quantò magis coram Deo cum timóre et trexnóre standum est mente totâ in illum solum, nusquàm verò áliò intenta. Nam ipse non externum hóminem modò videt ut hómines, sed internum étiam intuétur. Quòd si à peccáto debilitátus non potes citra mentis aberratiónem precári, quantùm potes vim tibi ínferas; ac constanter sta coram Deo, mente in illum defixâ, eâque ad se ipsam advocátâ, sicque ignoscet Deus, quóniam non ex contemptu, sed ex infirmitáte, ut convénit stare coram Deo non potes. Si sic vi tibi illátâ, omne opus bonum perfícias; ne superséderis, quoad petíta consequáre: sed patienter fores ejus pulsa cùm petis. Vis díscere, ô dilecte, quómodò patientes fúerint sancti, nec spem abjécerint? Imitáre fidem Abrahæ, áccipe exempla.

Lectio IX. de Homilia in Evangelium Dominicæ occurrentis, cujus fit Commemor. in Laudibus et in utrisque Vesperis.

DIE SECUNDA.

LECTIO II.

Sermo sancti Basílii Epíscopi.

(Orat. in 40. Mart.)

Hi sunt qui acceptam à Deo nostram regiónem, quasi turres quædam contra adversariórum incursum munientes, refúgium éxhibent. Benefícium hoc, fratres dilectíssimi, grátiam hanc mínimè cessantem à Deo obtinémus. Parátum est hic Christiánis auxílium. Qui áliquâ prémitur angústiâ, ad hos cónfugit; qui rursùs lætátur, ad hos recurrit: hic ut à malis liberétur, ille ut duret in rebus lætis. Hæc múlier orans pro fíliis audítur, peregrinanti viro réditum incólumem, ægrotanti verò salútem implórat et obtinet.

LECTIO III.

O Sanctum chorum ! ô sacrum órdinem ! ô cúneum inexpugnábilem ! ô commúnes humáni géneris custódes! óptimi curárum sócii, precum ac votórum ínvicem suffragatóres ! legáti apud Deum potentíssimi ! astra mundi, flores Ecclesiárum, vos non terra contexit, sed cœlum excépit. Apertæ sunt vobis paradísi portæ, dignum profectò exercítibus Angelórum, Patriarchis, Prophétis et Justis ómnibus spectáculum.

DIE TERTIA.

LECTIO II.

Sermo sancti Augustíni Episcopi.

(Tract. 1 in c. 2 Ep. Joan.)

Joannes quid dixit : Si quis peccáverit, advocátum habémus ad Patrem Jesum Christum Justum. Sed dicet áliquis : Ergo Sancti non petunt pro nobis? Ergo et Episcopi et Præpósiti non petunt pro pópulo? Sed atténdite Scriptúras, et vidéte quia et Præpósiti commendant se pópulo. Nam Apóstolus dicit plebi : Orantes simul et pro nobis. Orat Apóstolus pro plebe, orat plebs pro Apóstolo. Orámus pro vobis, fratres; sed et vos oráte pro nobis. Invicem pro se ómnia membra orent. Caput pro ómnibus interpellet.

LECTIO III.

(Serm. 280.)

Benedixit Dóminus pusillos cum magnis. Non nobis parùm videátur quòd ejus córporis membra sumus, cujus et illi quibus æquiparári non póssumus. Quia si unum membrum pátitur, compatiuntur ómnia membra; ita, cùm glorificátur unum membrum, congaudent ómnia membra. Glória cápiti unde consúlitur, et superióribus mánibus, et ínfimis pédibus. Sicut ille unus ánimam suam pro nobis pósuit, ita et imitáti sunt Mártyres, et ánimas pro frátribus posuérunt. Fructus labóris ergo illórum étiam nos sumus. Mirámur eos, miserantur nos. Gratulámur eis, precantur pro nobis.

DIE QUARTA.

LECTIO II.

Sermo sancti Bernardi Abbátis.

(In Vigil. SS. Petri et Pauli.)

Tria sunt quæ in festivitátibus Sanctórum vigilanter considerare debemus : auxilium Sancti, exemplum ejus, confusiónem nostram. Auxilium ejus; quia qui potens in terra fuit, poténtior est in cœlis ante fáciem Dómini Dei sui. Si enim, dum hic viveret, misertus est peccatóribus, et oravit pro eis; nunc tantò ámpliùs, quantò vériùs

agnoscit misérias nostras, orat pro nobis Patrem: quia beáta illa pátria caritátem ejus non immutávit, sed augmentávit; neque enim quia impassíbilis omninò, ídeò et incompassíbilis factus est.

LECTIO III.

Debemus étiam atténdere exemplum ejus; quia quámdiu in terris visus est, et cum homínibus conversátus est, non declinávit neque ad déxteram, neque ad sinístram; sed viam régiam ténuit, donec veníret ad illum qui dicit: Ego sum via, véritas et vita. Intuémini humilitátem óperum ejus, auctoritátem verbórum ejus; et tunc vidébitis quòmodò tam verbo quàm exemplo lúxerit inter hómines: quália nobis vestígia derelíquerit, ut ambulémus per ea, et non errémus in eis. Verè, juxta Prophétam, sémita justi recta est; rectus callis justi ad ambulándum.

DIE QUINTA.

LECTIO II.

De Sermóne sancti Bernardi Abbátis.

(In Vigil. SS. Petri et Pauli.)

Diligentiori intúitu, in festivitátibus Sanctórum, confusiónem nostram inspiciámus; quia homo ille símilis nobis fuit passíbilis, ex eódem luto formátus, ex quo et nos. Quid ergo est quòd non solùm difficile, sed et impossíbile crédimus ut faciámus ópera quæ fecit? Confundámur, fratres, et contremiscámus. Hómines isti fuérunt qui præcessérunt nos, qui tam mirabiliter processérunt per vias vitæ, ut vix eos hómines fuisse credámus. Sic ergo et gaudére, et confundi debémus: gaudére, quia patrónos præmísimus; confundi, quia eos imitári non póssumus.

LECTIO III.

Ita semper gáudium nostrum in hac valle lacrymárum, lacrymárum pane condíri debet; ut semper non solùm extréma, sed et prima gáudii luctus óccupet: quia etsi magna est gaudiórum matéria, sed máxima est dolórum. Verè nobis rubor confusiónis sunt, quos vix audeámus respícere, ne dicam, imitári. Orémus ergo eos, ut ipsi propítium nobis reddant amícum suum, júdicem nostrum, qui est Deus benedictus in sécula. Amen. Tu autem.

DIE SEXTA.

LECTIO II

Sermo sancti Ambrósii Epíscopi.

(Epist. 22, ad Marcellinam sororem.)

Gratias tibi, Dómine Jesu, quòd hoc tempore tales

nobis Sanctórum spíritus excitásti, quo Ecclésia tua sancta majóra præsídia desíderat. Agnoscant omnes quales ego propugnatóres requíram. Hos ego acquisívi tibi, plebs sancta, qui prosint ómnibus, némini nóceant : tales ego ámbio defensóres : tales mílites hábeo; hoc est, non séculi mílites, sed mílites Christi.

LECTIO III.

NULLAM ego de tálibus invídiam tímeo, quorum quò majóra, eò tutióra patrocínia sunt. Horum étiam illis ipsis qui mihi ínvident, opto præsídia. Véniant ergo, et vídeant stipatóres meos : tálibus me armis ambíri non nego. Nos etsi eos vidére non póssumus, sentímus tamen.

DIE SEPTIMA.

LECTIO II.

De Sermóne sancti Cæsárii Epíscopi.

(Serm. 230, in App. apud Aug.)

QUANDO festivitátes cólimus, fratres caríssimi, diligenter debémus atténdere, et totis víribus laboráre, ut quod visibíliter cólitur, in nobis invisibíliter compléatur. Qui nec castitátem custódit in córpore, nec puritátem tenet in mente, quóties sanctæ solemnitátes advéniunt, in córpore vidétur habére gáudium, in corde non célebrat nisi luctum. Quale enim gáudium potest habére, in cujus ánima multis vítiis occupáta magis diábolus probátur habitáre quàm Christus? Nos verò, fratres caríssimi, étiamsi nobis áliqua, ut solet fíeri, peccáta subrépunt, quantùm possumus, cum Dei adjutório laborémus, jejúniis, vigíliis, oratiónibus, eleemósynis mundáre sórdida; ut véniens Dóminus in nobis, nihil invéniat quod óculos suæ majestátis offéndat.

LECTIO III.

(Serm. 265.)

FILIOS et omnes famílias vestras admonéte, fratres, semper ut caste et juste ac salúbriter vivant : nec solùm eos verbis, sed étiam exemplis ad bona ópera provocáte. Ante ómnia ubicumque fuéritis, sive in domo, sive in itínere, sive in convívio, sive in consessu, verba túrpia et luxuriósa nolíte ex ore vestro proferre; sed magis vicínos et próximos vestros júgiter admonéte, ut semper, quod bonum est et honestum, loqui stúdeant; ne fortè detrahendo, mala loquendo, et in sanctis festivitátibus choros ducendo, cántica luxuriósa et túrpia proferendo, de lingua sua, unde debúerant Deum laudáre,

inde sibi vúlnera videantur inflígere. Isti enim infelíces et míseri hómines, qui balatiónes et saltatiónes ante ipsas Basílicas Sanctórum exercére nec métuunt, nec erubescunt : etsi Christiáni ad Ecclésiam vénerint, pagáni de Ecclésia revertuntur ; quia ista consuetúdo balandi de paganórum observatióne remansit.

DIE OCTAVA.

Duplex-majus.

IN I.° NOCTURNO.

Lectiones de Scriptura occurrente.

IN II.° NOCTURNO.

LECTIO IV.

Sermo sancti Bernardi Abbátis.

Illorum lauda virtútem, quorum jam certa victória est : illos devótis extolle præcóniis, quorum secúrè potes adgaudére corónis. Secúrè laudantur hómines qui non suâ jam vivunt vitâ, sed Dei. Non enim est quò vánitas intret, ubi véritas jam totum occupávit. Sed quænam est, inquit, glória Sanctis ? Ad quid ergo Sanctis laus nostra ? Ad quid glorificátio nostra ? Ad quid nostra hæc ipsa solémnitas ? Quò eis terrénos honóres, quos juxta verácem Fílii promissiónem honorificat Pater cœlestis ? Quo eis præcónia nostra ? pleni sunt. Prorsus ita est, dilectíssimi ; honórum nostrórum Sancti non egent, nec quidquam eis nostrâ devotióne præstátur, plenè quòd eórum memóriam venerámur, nostrâ interest, non ipsórum. Vultis scire quantùm ínterest nostrâ ? Ego in me fáteor ex hâc recordatióne séntio desidérium vehemens inflammári. Quando et nos addémur ad patres nostros ? Quando essentiáliter præsentábimur eis ? Hoc enim primum desidérium, quod in nobis Sanctórum memória excitat, ut eórum tam optábili societáte fruámur.

LECTIO V.

Ut eam glóriam nobis speráre líceat, et ad tantam beatitúdinem adspiráre, summópere nobis desideranda sunt suffrágia Sanctórum, ut quod possibílitas nostra non óbtinet, eórum nobis intercessióne donétur. Miserémini mei, miserémini mei saltem vos amíci mei. Nostis ipsi perículum nostrum : nostis figmentum nostrum : nostis ignorántiam nostram, et dolos adversariórum : nostis eórum ímpetus et nostram fragilitátem. Vobis enim loquor qui in eadem tentatióne fuistis ; qui eosdem superastis conflictus ; qui eosdem láqueos evasistis ; qui didicistis ex his quæ passi estis, compassiónem,

LECTIO VI.

Etsi de Angelis mihi árbitror præsumendum, ob spirituális substántiæ et rationális formæ similitúdinem; amplióri tamen fidúciâ ad eos mihi reor vertendum, quos habére me novérim, et in ipsâ humanitáte consortes; ut opórteat eos familiáriùs et speciáliùs miseréri ossi de óssibus meis, et carni de carne meâ. Absit, absit à vobis, ánimæ sanctæ, Ægyptia illa crudélitas pincernæ Pharaónis, qui in gradum prístinum restitútus, statim oblítus est Joseph sancti, qui in cárcere tenebátur. Non enim erant uníus cápitis membra, vel áliqua pars fidéli cum infidéli, aut ulla societas Israelítæ ad Ægyptium. Nos quoque si non sumus ipsíus cápitis membra, cujus et sancti, unde eis tam solémnibus votis et tanto gratulámur affectu? Hæc ígitur nostra et eórum cohæréntia est, ut nos gratulémur eis, ipsi compatiantur nobis; nos devótà meditatióne regnémus in eis, ipsi in nobis et pro nobis mílitent piâ interventióne.

IN III.° NOCTURNO.

LECTIO VII.

Léctio sancti Evangélii secundùm Lucam.

(Cap. 11.)

In illo tempóre; dixit Jesus discípulis suis: Quis vestrûm habébit amícum, et ibit ad illum médiâ nocte, et dicet illi: Amíce cómmoda mihi tres panes. Et réliqua.

Homília sancti Ambrósii Episcopi.

(Lib. 7. in Luc. n. 87.)

Alius præcepti locus est, ut in ómnibus momentis, non solùm diébus, sed étiam nóctibus orátio deferátur. Vides enim quòd iste qui médiâ nocte perrexit, tres panes ab amíco suo póstulans, et in ipsa petendi intentióne persistens, non defraudátur orátis. Qui sunt isti tres panes, nisi mystérii cœlestis alimentum? Quòd si díligas Dóminum Deum tuum, non solùm tibi, sed étiam áliis póteris emerére. Quis autem amícior nobis quàm qui pro nobis corpus suum trádidit? Ab hac médiâ nocte panes David pétii et accépit. Pétiit quando dicébat: médiâ nocte surgébam ad confitendum tibi. Neque enim timuit ne excitáret dormientem, quem scit semper vigilantem.

LECTIO VIII.

Et ideò scriptórum mémores nóctibus ac diébus oratióni instantes, peccátis nostris véniam postulémus. Nam si ille tam sanctus, et qui regni erat necessitátibus occupátus, sépties in die laudem Dómino dicébat,

matutínis et vespertínis sacrifíciis semper intentus, quid nos fácere oportet, qui eò ámpliùs rogáre debémus; quò frequéntius carnis fragilitáte delínquimus; ut de viâ lassis et istíus ævi cursu, ac vitæ humánæ anfractu gráviter fatigátis, panis refectiónis deesse non possit, qui hóminis corda confírmet? Nec solùm médiâ nocte Dóminus, sed ómnibus propè docet vigilandum esse momentis: venit enim et vespertínâ, et secundâ, et tertiâ vigíliâ, et pulsáre consuévit. Beáti ítaque servi illi, quos cùm vénerit Dóminus invénerit vigilantes.

LECTIO IX.

Si ergo desíderas ut virtus Dei præcíngat te, et ministret tibi, vigilandum est semper: multæ enim insídiæ sunt bonis, et gravis córporis somnus; quia si dormíre mens cœperit, vigórem suæ virtútis amittit. Excíta ígitur somnum tuum, ut pulses óstium Christi. Quod aperíri sibi étiam Paulus exposcit, non solùm suis, sed étiam pópuli oratiónibus óbsecrans se juvári, ut aperiátur ostium sibi ad loquendum mystérium Christi. Ergo præceptívus locus frequenter orandi, spes impetrandi, rátio persuadendi; priùs in præcepto, post in exemplo. Qui enim promittit áliquid, spem debet afferre promissi; ut mónitis obediéntia deferátur, promissis fides.

CANONES.

PARS AUTUMNALIS.

De moribus et officiis Canonicorum.

FERIA QUARTA

HEBD. XI POST PENTECOSTEN.

Ex Concílio Coloniensi.

(Ann. 1536. Part. 3, cap. 4 et 5.)

CANONICI statis ac débitis horis devóte reverenterque omnes, páriter senes cum junióribus, laudent nomen Dómini, alácriter modulantes; sic tamen ne boátus confundat recitatiónem. Quàm autem à vero aberrant qui exístimant sese non alicújus Offícii in Ecclésia exercendi, sed quiétis et inértiæ tantùm causà Canonicátus esse adeptos! perinde atque satis sit, paucis quibusdam Cléricis ádmodùm ignáris, ténui prétio conductis, curam divíni Offícii committi, quod deinde hujuscémodi mercenárii, non servátis témporum interstítiis, syncopando transcurrunt, ínterim ipsis Canónicis totà vitâ torpéntibus.

FERIA QUINTA.

Ex Concíliis * Coloniensi et ** Bituricensi.

(* Ann. 1536. Part. 3, c. 16. ** Ann. 1584. Tit. 34.)

ANTE ómnia curæ erit ne quis Canonicórum sacris absit; sed ut qui emolumentum ferre volent, offícium quoque suum, propter quod benefícium datur, in Ecclésia gerant. Aurelianensi Concílio cavétur Cléricos, qui Officio adesse contemnunt, Ecclesiásticam disciplínam ex arbítrio Epíscopi recepturos.... Sciant autem omnes qui bona Ecclésiæ póssident, et iis utuntur, si offícium suum non impléverint, aut ab Ecclesiástico órdine defécerint, se ad restitutiónem tenéri: quod cuíque in sua receptióne significétur.

FERIA SEXTA.

Ex Concílio Aquisgranensi.

(Ann. 816. C. 145.)

CANONICI discórdiam fúgiant; et quos discordantes invénerint, ad caritátis concórdiam révocent: amóri Christi nihil præpónant, próprio Epíscopo secundùm canónicam constitutiónem obtémperent, doctrinis spiritálibus óperam dent, irreprehensibíliter vivant: senióres spiritáliter junióres diligant: junióres seniórib⁹ obséquium dignum exhi-

beant. Doctióres minùs doctis nequáquam se præferant, sed magis eos cum caritáte ædíficent; neque hi qui nobilitáte géneris aut virtútum donis pollent, céteris se túmidè superextollant.

SABBATO.

Ex Concíliis * Coloniensi et ** Turonensi.

(* Ann. 1536. Canone 10. ** Ann. 1583. Tit. 3.)

Capitula disciplínæ multò majóri diligéntiâ observentur atque háctenus. Id ita fiet, si non tam profánæ quàm res sacræ in his tractentur, si de móribus inquirátur, si vita expendátur singulórum; et quod olim sancti Patres fecisse dignoscuntur, extemporáli oratióne interdum commoneantur fratres, et in primis ad capessendas sacras lítteras instigarentur, atque ut in his óptimas horas collocárent incitarentur... Multùm étenim Reipúblicæ christiánæ ínterest ut sint in Ecclésia viri docti, qui ceteros ad justítiam et pietátem invítent et erúdiant. Ii ne ob librórum penúriam à lectióne se excusáre váleant, provideátur in unaquáque Ecclésia Cathedráli de bibliothéca in qua boni libri et ab Ecclésia cathólica recepti, potíssimùm sacri, jurisque divíni et canónici, recondantur; cujus curam hábeant à Capítulo deputandi.

De Officii divini publicâ celebratione, et privatâ recitatione.

DOMINICA XII

POST PENTECOSTEN.

De Excerptiónibus Egberti Eboracensis Episcopi.

(Circa ann. 747. Can. 28.)

Septem synaxes sancti Patres canendas constituérunt, quas omni die Clerus síngulis horis cánere debet; quarum prima est nocturnális synaxis. Has ergo septem synáxes omni die debémus sollícitè réddere Deo pro nobis et pro omni pópulo Christiáno, sicut Psalmista testátur, dicens: Sépties in die laudem dixi tibi super judícia justítiæ tuæ; et ínsuper Missas non omíttere.

FERIA SECUNDA.

Ex Concílio Parisiensi.

(Ann. 1528. Decr. 18.)

In Cathedrálibus, ac Collegiátis, et Conventuálibus Ecclésiis, laudes divínæ per síngulas Horas, non cursim ac festinanter, sed tractim cum pausa decenti, præsertim in médio cujúslibet versículi Psalmórum, débitam faciendo inter solemne ac feriále Offícium differéntiam,

reverenter ab ómnibus persolvantur. Horas autem Canónicas dictúri, cùm in Choro fúerint, gravitátem servent quam locus et Offícium exposcunt: non cum áliis confabulantes, seu colloquentes, aut lítteras seu scriptúras álias legentes; sed omnes, præsertim qui majóri funguntur honóre, in psalmis, hymnis et cánticis Deo alácriter modulentur.

FERIA TERTIA.

Ex Concílio Trevirensi.

(Ann. 1549. Decr. 6.)

Omnes qui Horis Canónicis persolvendis deputáti sunt, dent óperam, ut collectis ánimis, quoad fieri potest, débitum pensum absolvant, nec ita se hábeant, ut dum voce psallunt, quidvis pótiùs quàm Deum ánimo cogitáre videantur; semper caventes ne prophéticum illud áudiant: Lábiis quidem me honórant, cor autem eórum longè est à me. Quid autem est voce quidem psállere, mente autem domum aut forum circumíre, nisi hómines fállere, et Deum irridére?

FERIA QUARTA.

Ex Concílio Parisiensi.

(Ann. 1528. Decr. 18.)

Nemo, cùm Horæ in commúni cantantur, legat vel dicat privátim Offícium. Nam non solùm Offícium quo obnóxius est, Choro súbtrahit, sed et álios psallentes pertúrbat. Horum autem transgressóres, illius Horæ in qua circa prædicta excésserint, vel áliâ majóri, pròut transgressiónis grávitas exégerit, plectantur mulctâ.

FERIA QUINTA.

Ex Concílio Basileensi.

(Ann. 1435. Sessione 21, Canone V.)

Quoscumque Beneficiátos, sive in sacris constitútos, cùm ad Horas Canónicas teneantur, ádmonet hæc sancta Synodus, si oratiónes suas Deo acceptas fore cúpiunt, ut non in gútture vel inter dentes, seu deglutiendo aut syncopando dictiónes, nec collóquia, vel risus intermiscendo; sed sive soli, sive associáti, diurnum nocturnumque Offícium reverenter verbisque distinctis péragant, ac tali loco, unde à devotióne non retrahántur, ad quam se dispónere et præparáre debent, juxta id quod scriptum est: Ante oratiónem præpara ánimam tuam, ne sis quasi qui tentat Deum.

FERIA SEXTA.

Ex Synodo diœcesána Mediolanensi quarta, sub sancto Cárolo.

(Ann. 1574. Decr. 20 et 21.)

Sacerdos, Clericusve sacris

initiátus, aut Ecclesiásticum benefícium óbtinens, ne morbi quidem causâ, quo labórat, Canonicárum Horárum Offícium omittat, nisi is ita gráviter morbo labóret, ut planè séntiat se illíus gravitáte impedíri quóminùs statas preces horárias recitáre possit. Cùm ejúsmodi precum Canonicárum Offícium privátim præstant, in Ecclésiam, si ei domus sit conjuncta, aut saltem domi in locum, quoad fíeri potest, precatióni aptiórem, se recípiant; ut ánimo qui dístrahi quandóque solet, se colligentes, ac pietátis stúdio accensi, orent spíritu, orent páriter et mente in conspectu Dómini, *à quo ubérrimum hujus débitæ* pietátis fructum cápient.

SABBATO.

Ex Synodo Diœcesána Mediolanensi undécima, sub sancto Cárolo.

(Ann. 1584. Monit. de divinis Officiis.)

Martyrologii usus in Ecclésia Dei pérvetus ita retentus est, ut in Choro públicè illud legi solemne semper fúerit. Quod in perpétuum deinceps ita retinéri mandámus, ut in Metropolitána Basílica recitári sólitum, in *omni Collegiáta* Ecclésia tam urbis quàm Diœcésis de more in Choro recitétur. Sacerdótes et sacris initiátos, qui divíni Offícii in Choro collegiátim recitandi lege devincti non sunt, hortámur ut pro pietátis Sacerdotális stúdio, quò ardéntiùs Sanctórum exemplis ex Martyrológii étiam lectióne ad imitatiónem propósitis, ad sanctæ vitæ cursum progrediántur, idem quoque institútum usumque cum Patrum régulis congruéntem piâ sollicitúdine suscípiant.

DOMINICA XIII

POST PENTECOSTEN.

Ex libro beáti Agobardi Lugdunensis Epíscopi, de correctióne Antiphonárii.

(Ann. 829. Num. 19.)

Ad celebranda Missárum solémnia habet Ecclésia librum mysteriórum, fide puríssimâ et concinnâ brevitáte digestum; habet et librum lectiónum cóngruâ ratióne collectum: ita étiam et Antiphonárium habeámus ómnibus humánis figmentis et mendáciis expurgátum, et per totum ánni círculum ex puríssimis sanctæ Scriptúræ verbis sufficientíssimè ordinátum, quátenùs in sacris Offíciis peragendis, juxta probatíssimam fídei régulam, et paternæ auctoritátis venerábilem disciplínam, una à nobis atque eádem custodiátur forma oratiónum, forma lectiónum, et

forma Ecclesiasticárum modulatiónum.

FERIA SECUNDA.

Ex Concílio Cameracensi.

(Ann. 1565. de Cærem. Cap. 6.)

Cæremoniæ omnes, quæ signácula sunt pietátis et Religiónis Christiánæ, quasque vel ab Apóstolis, vel ab Ecclésiæ Cathólicæ traditióne, quasi per manum accépimus: ut sanctè et piè sunt invectæ, sic religiósè conserventur in Ecclésiis. Novæ autem nullæ recipiantur, sine Epíscopi judício.

FERIA TERTIA.

Ex * Concílio Noviomensi, et ** Synodo Trecensi.

(* Ann. 1344. Cap. 4. ** Ann. 1459.)

Per síngulas Ecclésias cujúslibet civitátis vel Diœcésis, tam in Collegiátis, quàm áliis, ordinárius seu usus divíni Officii in modo officiandi qui in Ecclésiis Cathédralibus observári consuévit et tenéri, inviolabíliter observétur... In número Collectárum in Missa dicendárum, et modo se habendi ad altáre, et tálibus hujúsmodi, Ecclesiæ Cathedráli Présbyter se conformet.

FERIA QUARTA.

Ex Concílio Aquisgranensi.

(Ann. 816. L. 1, c. 132.)

Quamvis ubíque Dóminum per poténtiam divinitátis novérimus esse; præcípuè tamen eum, cùm divíno assístimus Offício, per grátiam nobis crédimus adesse. Unde studendum ut, cùm Ecclésiam, vel ad divínæ laudis débita solvenda, vel ad Missárum solémnia, intrámus, cum timóre et veneratióne competenti cœleste compleámus Officium; ne si, quod absit, id negligenter, aut inhonestè, vel tépidè explevérimus, et ad perficiendum pigri advenérimus, in sententiam quà dícitur: Maledictus homo qui opus Dei fécerit negligenter, miserabíliter labámur. Ergo nobis observandum est ne quid in Ecclésia Dei ineptum, ne quid perversum, ne quid índecens, aut cogitatióne, aut verbis, aut áctibus perpetrémus; quátenus Dóminus ad nos véniens, non quod condemnet in nobis, sed pótiùs quod remúneret, invéniat.

FERIA QUINTA.

Ex Concílio Aquisgranensi.

(Ann. 816. L. 1, c. 133 et 137.)

Taees ad legendum, cantandum et psallendum in Ecclésia constituantur, qui non superbè, sed humíliter débitas Dómino laudes persolvant, plùsque velint in lectióne, vel cantu, pópuli ædificatiónem, quàm populárem vaníssimam adulatiónem. Studendum summópere Cantóribus, ne donum

sibi divínitus collátum vítiis fœdent; sed pótiùs illud humilitáte, castitáte et sobrietáte, et céteris sanctárum virtútum ornamentis exornent: quorum melódia animos pópuli circumstantis ad memóriam amoremque cœléstium, non solùm sublimitáte verbórum, sed étiam suavitáte tonórum, quæ dicuntur, érigat. Psalmi in Ecclésia, non excelsis atque inordinátis seu intemperátis vócibus, sed planè ac dilúcidè et cum compunctióne cordis recitentur; ut et recitántium mens illórum dulcédine pascátur, et audiéntium aures illórum pronuntiatióne demulceantur.

FERIA SEXTA.

Ex Concílio Senonensi.

(Ann. 1528. in decret. morum. Cap. 17.)

Orgánorum usum Ecclésia à Patribus ad cultum servitiumque divínum recépit. Nólumus itaque quòd orgánicis instrumentis résonet in Ecclésia impudíca aut lascíva melódia, sed sonus omninò dulcis, qui nihil præter Hymnos divínos et Cántica spirituália repræsentet.

SABBATO.

Ex Concílio Senonensi.

(Ann. 1528. Decret. morum. Cap. 17.)

In Ecclésiis sint músici cantus distincti ac discréti, moventes cor ad devotiónem compunctionemque. Porrò prætextu músici cantûs non sunt audiendæ públicæ cantilénæ et lascívæ. Curent ergo Sacerdótes et Clérici sic suos cantus instituere, ut próvocent excitentque ad devotiónem compunctiónemque, non ad lascíviam, cordisve, aut ánimi titillatiónem.

DOMINICA XIV

POST PENTECOSTEN

Ex Concílio Coloniensi primo.

(Ann. 1536. Part. 3, c. 13.)

Utinam optando à Deo óptimo máximo cónsequi possímus, ne quisquam lucri causâ divínis interesset, alióqui non accessúrus sacra, véluti quem nummi magis quàm Dei amor in templum trahit, quæstum pietátem esse putantem! qui non dúbio ex eórum número est de quibus Isaías ait: Diligunt múnera, sequuntur retributiónes. Sed ínterim debet Cléricus habére semper menti recónditum Christi verbum: Primùm quærite regnum Dei et justítiam ejus, et hæc ómnia adjicientur vobis.

FERIA SECUNDA.

Ex Concílio Remensi.

(Ann. 1583. Tit. 3. De cultu divino.)

Clerici præ céteris, prola-

tióne non præcípiti vel inartículâtâ, sed íntegrâ, ac certis quibusdam cæsúris et intervallis distinctâ, ad Deum preces fundent, Psalmosque decantábunt. Ac ne cui precum multitúdo aut prolíxitas tædium géneret, nemoque eárum partem áliquam tácitus prætéreat, aut volubilitáte linguæ illas omnes ita percurrat, ut plerumquè mentem lingua prævéniat; póterunt Epíscopi, adhíbito Canonicórum et aliórum grávium virórum judício, preces ad eum modum redúcere, ut et Ecclésiæ dignitáti respóndeant, et fácilè ab ómnibus exolvi, pièque decantári possint.

Tu autem, Dómine.

FERIA TERTIA.

Ex Concílio Remensi.

(Ann. 1564. Congr. 5.)

Quoniam à primæva Breviárii institutióne, id antíqui Patres voluisse videntur, ut síngulis hebdómadis totum Psaltérium recitarétur; in Breviário Davídici Psalmi ita per dies síngulos disponantur, ut totus Psalmórum liber in unaquáque hebdómada recitétur. Item quóniam máximus honor et reveréntia habenda est sacro diéi Domínico, dicente Psalmistà: Hæc dies quam fecit Dóminus, in quantum fíeri póterit, semper in eódem fiat Officium de die Domínica, præterquàm in solemnióribus Festivitátibus.

FERIA QUARTA.

Ex Concílio Narbonensi.

(Ann. 589. Can. 2.)

Per quemque Psalmum *Gloria* dicátur omnipotenti Deo: per majóres verò Psalmos, proùt prolíxiùs fúerint, pausatiónes fiant; et per quamcumque pausatiónem glória Trinitátis Dómino decantétur.

FERIA QUINTA.

Ex Concílio Coloniensi primo.

(Ann. 1536. Part. 2, Can. 6 et 11.)

Cum olim à sanctíssimis Pátribus institútum sit, ut solæ Scriptúræ sacræ in Ecclésia recitarentur, nescímus quà incúriâ accíderit ut in eárum locum succésserint ália cum his néutiquam comparanda, atque ínterim históriæ Sanctórum tam inculté, ac tam negligenti judício conscriptæ, ut nec auctoritátem habére videantur, nec gravitátem. Ergo amputátis supérfluis, et quæ superstitiósiùs invecta vidéri possint, ea tantùm quæ dignitáti Ecclésiæ et priscis institútis consentánea fúerint, relinquantur.

Tu autem, Dómine, miserére nostrî.

℟. Deo grátias.

FERIA SEXTA.

Ex Concílio Milevitáno secundo.

(Ann. 416. Can. 12.)

PRECES vel Oratiónes, seu Missæ quæ probátæ fúerint, sive Præfatiónes, sive Commendatiónes, sive mánuum impositiónes, ab ómnibus celebrentur, nec áliæ dicantur in Ecclésia; ne fortè áliquid contra fidem, vel per ignorántiam, vel per minus stúdium, sit compósitum.

SABBATO.

Ex Concílio Coloniensi primo.

(Ann. 1536. Part. 2, c. 7.)

SUNT in Clero zelum quidem Dei habentes, sed non secundùm sciéntiam; qui privátis affléctibus ducti, efficiunt ut nova Festa et Officia præter Ecclésiæ auctoritátem solémniter celebrentur. Quo ínterim fit ut preces horáriæ, ac réliqua públicè recepta, pro affectu *cujúslibet fácile noventur*; id quod *nobis* non satis probátur. Neque enim errárunt Patres, à *quorum* institútis in dicendis précibus útinam tam *longè* discessum non fuísset! Quòd si his affléctibus singulórum indulgébitur, tandem antíquus ritus pénitùs evanescet.

Tu autem, Dómine, miserére nostrî.

℟. Deo grátias.

De Precibus pro Defunctis. De Exequiis et Cœmeteriis.

DOMINICA XV POST PENTECOSTEN.

Ex Concílio Emeritensi.

(Ann. 666. Can. 19.)

PRO Ecclésiis in quibus Présbyter jussus fúerit per sui Episcopi ordinatiónem præesse, síngulis diébus Domínicis sacrifícium Deo procúret offerre; et eórum nómina à quibus eas Ecclésias constat esse constructas, vel qui áliquid his Ecclésiis videntur aut visi sunt contulísse, témpore Missæ, si ab hac decessérunt luce, cum defunctis fidélibus recitentur.

FERIA SECUNDA.

Ex Concílio Tolosáno.

(Ann. 1590. Part. 2, cap. 10.)

SANCTA et salúbris est cogitátio pro defunctis exoráre, ut à peccátis solvantur. Id Párochi sédulò præstábunt. Nullus, ínscio vel non approbante Epíscopo, mórtuum in fúnere hábitâ oratióne laudábit. *Concio tamen*

áliqua habéri póterit, quâ humánæ tantùm misériæ status, mortis judiciique necéssitas qualitasque describétur.

FERIA TERTIA.

Ex Concílio Tridentíno.

(Ann. 1563. Sess. 25. Decret. de Purgatorio.)

Curent Episcopi ut fidélium vivórum suffrágia, Missárum scílicet sacrifícia, oratiónes, eleemósynæ, aliaque pietátis ópera quæ à fidélibus pro áliis fidélibus defunctis fíeri consuevérunt, secundùm Ecclésiæ institúta piè et devótè fiant; et quæ pro illis ex testatórum fundatiónibus vel áliâ ratióne debentur, non perfunctórie, sed à Sacerdótibus et Ecclésiæ ministris, et áliis qui hoc præstáre tenentur, diligenter et accurátè persolvantur.

FERIA QUARTA.

Ex tractátu Jonæ Aurelianensis Episcopi, de Institutióne Laicáli.

(Ann. 830. Lib. 3, cap. 15.)

Nullatenus audiendi sunt illi qui dicunt quòd nullæ áliæ eleemósynæ opitulári possint defunctis, nisi solúmmodò quæ Sacerdótibus dantur, et sacrifícia quæ per eos Deo offeruntur. Hoc qui credunt et dicunt, aut ignorántiâ aut certè aliórum persuasióne falluntur. Credíbile sanè est quòd hæc persuásio quâ símplices id crédere et dícere videntur, ex fonte avarítiæ procésserit: sancta quippe mater Ecclésia pro defunctis suis non solùm sacrifícia altáris, sed étiam quascumque álias eleemósynas offerre consuévit.

FERIA QUINTA

Ex Concílio Narbonensi.

(Ann. 1669. Can. 24.)

Intra Ecclésiam, et máximè prope altáre, non ita fácilè admittantur sepeliendi, sed illi tantùm, quos aut dígnitas Ecclesiástica, aut nóbilis prosápia, aut virtútis laudábilis splendor commendárint. Quòd si sepulchra intra Ecclésiam constrúxerint, super soli planítiem non attollantur. Sórdidas exactiónes, et pro exéquiis defunctórum illícitas pactiónes à Sacerdótibus fíeri non permittant Episcopi; et in hoc deprehensos Sacerdótes quâ decet severitáte púniant.

FERIA SEXTA.

Ex Concílio Remensi.

(Ann. 1583. c. 15, de sepult.)

Pauperes, quibus ádeò ténues fuére facultátes, ut própriis impensis humári néqueant, gratis, ac honestè tamen sepéliant párochi: alióqui pœnas arbitrárias exolutúri.

Tu autem.

SABBATO.

Ex Concilio Mediolanensi quarto, sub sancto Carolo.

(Ann. 1576, part. 1, tit. 14 et 17.)

Cœmeteria ut muro, vel áliàs, tutè úndique sepiantur, et eórum ingressus béstiis occludátur, curet Epíscopus diligenter. In eórum médio crux firmiter erecta sit. Cœmetéria Rectóri aut étiam áliis úsui ne sint, res profánas onerave asportántibus, hàcque et illàc per Ecclésiam sacraque loca, quasi per viam públicam transeúntibus.

De ambitione à Clericis fugienda.

DOMINICA XVI

POST PENTECOSTEN.

Ex sancto Ambrósio Epíscopo.

(Epistolâ 63, ad Vercell. scriptâ ann. 396, in Decr. Greg. dist. 63. Et lib. 1 Offic. cap. 22.)

Neophytus prohibétur ordinári, ne extollátur supérbiâ. Tamen, si non deest humílitas cómpetens sacerdótio, ubi causa non hæret, vítium non imputátur..... Ergo bonis áctibus et sincéro propósito nitendum ad honórem arbitror Ecclesiásticum, ut neque resupína arrogántia, vel remissa negligéntia sit, neque turpis affectátio et indecóra ambítio. Ad ómnia abundat ánimi directa simplícitas, satisque seipsa commendat.

Tu autem.

FERIA SECUNDA.

Ex Epístola sancti Leónis Papæ, ad Epíscopos Mauritániæ Cæsariensis.

(Script. ann. 440, cap. 4.)

Si ad honóres mundi sine suffrágio témporis, sine mérito labóris, indignum est pervenire; et notári ámbitûs solent, quos probitátis documenta non ádjuvant: quàm diligens et quàm prudens habenda est dispensátio divinórum múnerum et cœléstium dignitátum, ne in áliquo Apóstolica et Canónica decréta violentur, et his Ecclésia Dómini regenda credátur, qui (sunt) legitimárum institutiónum néscii, et totíus humilitátis ignári!

Tu autem, Dómine, miserére nostrî.

℟. Deo grátias.

FERIA TERTIA.

Ex Concílio Coloniensi primo.

(Ann. 1536, Parte 2, Cap. 3.)

Ut omnem ambitiónis radícem Christus discipulórum córdibus exímeret, párvulum in médio illórum státuit, deque primátu certáre prohíbuit. Quare meminérimus pótiùs officii nostri quàm dignitátis. Neque enim ad dominatiónem vocáti sumus, sed ad opus.

FERIA QUARTA.

Ex sancto Basílio.

(Reg. disp. post ann. 370, c. 21.)

Quoniam præceptum est Dómini, qui ubíque nos ad humilitátem assuéfacit, ut novíssimum locum præoccupémus; haud dúbiè ne hoc quidem præceptum négligi debet. Verúmtamen pugnax nimis eâ de re damnanda conténtio est, nempè ut quæ modéstiæ inimíca órdinem tollat, et perturbatiónem ac tumultum indúcat. Quin étiam si in eo pertináces simus, neque sit qui álteri cedat, símile quiddam evéniet planè, ac si de príncipe loco pugnémus. Proindè hìc quoque videndum est, ut, cógnito diligenter quid nos fácere déceat, ubi id fácere studuérimus, loci pósteà cujúslibet ordinatiónem provisóri permittámus, sícuti Dóminus étiam vidétur admonuisse, cùm dixit pertinére ad patremfamíliàs hujúsmodi locórum distributiónem.

FERIA QUINTA.

Ex * Epístola Concilii Valentíni ad Clerum et plebem Forojuliensem, et ** ex Sermóne sancti Augustíni Episcopi.

(* Ann. 374, post Can. 4. ** Tom. 5. Serm. 180. post ann. 413.)

Licet non ignorémus multos verecúndiâ, et nonnullos suscipiendi sacerdótii metu trépidos, (quæ útique signa sunt sanctitátis) falsa in se rejiciendi honóris causâ dixisse; tamen quia ómnium ferè ad ea quæ sunt pejóra, proclíve judícium est, et matéries disputatiónum ex obtrectatióne Sacerdótum Dei quæritur: sedit in Synodo, ut quisquis de se vel vera, vel falsa dixisset, fides ei quam suómet testimónio confirmáret, haberétur. Quapropter decrétum est submovendum esse ab eo gradu quem ab omni scándalo líberum esse decet..... Non áccipit Deus mendácem humilitátem. Nam quómodò est humilitas, ubi regnat fálsitas?

FERIA SEXTA.

Ex libro secundo sancti Gregórii Papæ, de Régula pastorali.

(Ann. 590. Part. 2, cap. 6.)

Sit Rector benè agéntibus

per humilitátem sócius, contra delinquéntium vítia per zelum justítiæ erectus : ut et bonis in nullo se præferat, et cùm pravórum culpa éxigit, potestátem prótinus sui priorátûs agnoscat : quátenus et honóre suppresso, æquálem se súbditis bene vivéntibus députet, et erga perversos jura rectitúdinis exercére non formídet. Nam omnes hómines natúra æquáles génuit ; sed variante meritórum órdine, álios áliis culpa postpónit. Ipsa autem divérsitas quæ accessit ex vítio, divíno judício dispensátur ; ut quia omnis homo æquè stare non valet, alter regátur ab áltero.

SABBATO.

Ex Epístola Innocéntii Papæ tértii ad Epíscopum Calaritánum.

(Ann. 1206. Decr. Lib. 1, tit. 9, de renuntiatione.)

Si humilitátis causâ de cúlmine quæris Pontificáli descéndere, eo ipso humilitátis vidéris erígere malè vérticem, quód te nimis in resignandi propósito éxhibes pertinácem, quia tunc in te veram humilitátem custódies, cùm et per eam locum sublímem fúgies, et per obediéntiam non dimittes. Esto quòd multùm háctenus laboráveris, et bonum certamen certáveris, tamen, ut coróna justítiæ tibi de réliquo reponátur, cursum te decet perfecti óperis consummáre. Nec putes quòd ídeò Martha malam partem elégerit quæ circa plúrima satagébat, quia María óptimam partem elégit quæ non auferétur ab ea ; quóniam licèt illa magis sit secúra, ista tamen est magis fructífera. Quapropter facíliùs indulgétur ut mónachus ascendat ad præsulátum, quàm Præsul ad monachátum descendat.

Tu autem, Dómine, miserére nostrî.

℟. Deo grátias.

De Scholis, Seminariis, et Collationibus Ecclesiasticis.

DOMINICA XVII
POST PENTECOSTEN.

Ex Concílio Aquisgranensi.

(Ann. 816. Lib. 1, cap. 135.)

Rectores Ecclesiárum vigiláre oportet, ut adolescentes qui in congregatióne sibi commissa erudiuntur, ita júgibus Ecclesiásticis disciplínis constringantur, ut eórum ætas ad peccandum valde proclívis nullum possit reperíre locum quo in peccáti fácinus próruat. Quapropter in hujuscémodi custodiendis et spiritáliter

erudiendis, talis à Prælátis constituendus est, qui eórum curam summâ gerat indústriâ, eosque ita arctíssimè constringat, quáliter Ecclesiásticis doctrínis imbúti, et armis spiritálibus indúti, et Ecclésiæ utilitátibus decenter parére, et ad gradus Ecclesiásticos possint promovéri.

FERIA SECUNDA.

Ex Concílio Cloveshoviensi secundo.

(Ann. 747. Can. 7.)

Episcopi diligenti curâ provídeant ut lectiónis stúdium indesinenter ad lucrum animárum, laudemque Regis æterni multórum vócibus innotescat. Nam dolendum est quòd perpauci ex íntimo corde sacræ sapiéntiæ rapiantur amóre, et vix áliquid elaboráre in discendo volúerint: quin pótiùs à juvenáli ætáte vanitátibus diversis, et inánis glóriæ cupiditátibus occupantur, atque præsentis vitæ instabilitátem plusquàm sacrárum Scripturárum assiduitátem vagabundà mente sequuntur. Proinde coerceantur, et exerceantur (Clérici) ad dilectiónem sacræ sciéntiæ, ut per hoc bene erudíti inveníri possint ad omnímodam Ecclésiæ utilitátem, *nec sint* Rectóres terrénæ tam ávidi operatiónis, ut domus Dei desolatióne spiritális ornatúræ vilescat.

FERIA TERTIA.

Ex Concíliis * Vasensi tértio, et ** Narbonensi sub Migétio Archiepiscopo.

(* Ann. 529. Can. 1. ** Ann. 589. Can. 11.)

Presbyteri in Paróchiis constitúti, junióres Lectóres, quantoscumque habúerint, secum in domo recípiant, et eos quómodò boni patres spirituáliter nútriant; psalmos paráre, divínis lectiónibus insístere, et in lege Dómini erudíre condant.... Qui ignorantes ordináti fúerint, cogantur díscere: qui verò Diáconus aut Présbyter fúerit lítteris inerudítus, et desidiósè légere, et implére offícium distúlerit, et in Ecclésia útilis ad ómnia non fúerit, ab stipéndio rejiciendum decérnimus, et inclinandum, quoadusque ímpleat, et defendat quod esse cognóscitur. Quòd si perseveráverit desidiósè, et non vult proficere, mittátur in monastérium; quia non potest ædificáre pópulum.

FERIA QUARTA.

Ex Concílio Lateranensi tértio.

(Ann. 1179. Cap. 18.)

Ne paupéribus qui parentum ópibus juvári non possunt, legendi et proficiendi opportúnitas subtrahátur, per unamquamque Ecclésiam Cathédralem magistro,

qui Clericos ejusdem Ecclésiæ, et Scholáres páuperes dóceat, cómpetens aliquod benefícium assignétur, quo docentis necéssitas sublevétur, et discéntibus via páteat ad doctrínam. Pro licéntia verò docendi nullus prétium éxigat: vel sub obtentu alicújus consuetúdinis, ab iis qui docent, aliquid quærat; nec docére quémpiam, petítâ licéntiâ, qui sit idóneus, interdícat.

FERIA QUINTA.

Ex Concílio Tridentíno.

(Ann. 1546. Sess. 5. de Ref. Cap. 1)

Sacrosancta Synodus piis summórum Pontíficum et probatórum Conciliórum constitutiónibus inhærens, ne cœlestis sacrórum librórum thesaurus neglectus jáceat, státuit quòd in Ecclésiis in quibus Præbenda seu áliud quovis nómine nuncupátum stipéndium, pro Lectóribus sacræ Theológiæ deputátum reperítur, Epíscopi eos qui Præbendam seu stipéndium hujúsmodi óbtinent, ad ipsíus sacræ Scriptúræ expositiónem et interpretatiónem compellant. De cétero verò Præbenda aut stipéndium hujúsmodi non nisi persónis idóneis, et quæ per seipsos id munus explére possint, conferantur. In monastériis quoque monachórum, ubi cómmodè fíeri queat, étiam léctio sacræ Scriptúræ habeátur: in gymnásiis étiam públicis, ubi tam honorífica et ceterórum ómnium máximè necessária léctio instituta non fúerit, instituátur; et ubi instituta foret, et negligerétur, restituátur.

FERIA SEXTA.

Ex Concílio Aquensi.

(Ann. 1585. Tit. de Seminariis.)

Seminarii institútio quàm útilis sit ac necessária ad Cleri disciplínam in síngulis Ecclésiis propagandam, animarumque salútem procurandam intélligi potest. In Seminário, ubi cómmodè potest, præter cétera quibus et ad pietátis exercitatiónem et ad litterárum doctrínam adolescentum ánimi erudiuntur, stúdium étiam sacrórum rituum, historiæque omnis Ecclesiásticæ certis diébus et horis instituátur.

SABBATO.

Ex Concílio Aquensi.

(Ann. 1585. Tit. de Seminariis.)

Episcopus Seminárium vísitet, in eoque visitatiónis múnere adhíbitis étiam, si modò ei vidébitur, áliis doctis et piis viris, tum de magistrórum et Rectórum diligéntia, tum de progréssibus quos et in vitæ disciplína et in stúdiis Seminárii Clerus fécerit, accuráte inquírat.

De iis qui pœnitentiam tantùm in extremis vitæ postulant.

DOMINICA XVIII
POST PENTECOSTEN.

Ex Epístola Innocéntii Papæ primi ad Exupérium Tolosánum Epíscopum.

(Serm. ann. 405. Num. 2.)

QUÆSITUM est quid de his observári opórteat, qui post baptísmum omni témpore incontinéntiæ voluptátibus déditi, in extrémo fine vitæ suæ pœniténtiam simul, et reconciliatiónem communiónis exposcunt. De his observátio prior dúrior, postérior interveniente misericórdia inclinátior est. Nam consuetúdo prior ténuit, ut concederétur eis pœniténtia, sed communio negarétur. Nam cùm illis temporibus crebræ persecutiónes essent, duriórem remissiónem fecit témporis condítio; sed postéaquàm Dóminus noster pacem Ecclésiis réddidit, jam terróre depulso, communiónem dari abeúntibus plácuit propter Dómini misericórdiam, quasi viáticum profectúris. Tribúitur ergo cum pœniténtia extréma Communio, ut hómines hujúsmodi vel in suprémis suis pœnitentes, miserente Salvatóre nostro, à perpétuo exítio vindicentur.

FERIA SECUNDA.

Ex Epístola decretáli quarta sancti Cœléstini Papæ ad Epíscopos Gálliæ.

(Ann. 428. Num. 3.)

SALUTEM hómini ádimit quisquis mortis témpore sperátam prætériti pœniténtiam denegárit; et desperávit de cleméntia Dei, qui eum ad subveniendum morienti suffícere, vel momento posse non crédidit. Vera ergo ad Deum convérsio in últimis positórum mente pótiùs est æstimanda, non témpore. Cùm ergo sit Dóminus cordis inspector, quovis témpore non est deneganda pœniténtia postulanti, cùm illi se óbliget Júdici, cui occulta ómnia nóverit revelári.

FERIA TERTIA.

Ex Concílio Arausicáno.

(Ann. 441. Cap. 12 et 13.)

SUBITO obmutescens, proùt status ejus est, baptizári, aut pœniténtiam accípere potest, si voluntátis aut præteritæ testimónium aliórum verbis habet, aut præsentis in suo nutu.

FERIA QUARTA.

Ex Concílio Carthaginensi. quarto.

(Ann. 398. Cap. 76 et 79.)

Qui pœniténtiam in infirmitáte petit, si casu, dum ad eum Sacerdos invitátus venit, oppressus infirmitáte obmutúerit, vel in phrénesim versus fúerit, dent testimónium qui eum audiérunt, et accípiat pœniténtiam. Et si contínuò créditur moritúrus, reconciliétur per manûs impositiónem. Si supervíxerit, admoneátur à supradictis téstibus, petitióni suæ satisfactum; et subdátur statútis pœniténtiæ légibus, *quámdiu* Sacerdos qui pœniténtiam dedit, probáverit. Pœnitentes qui attentè leges Pœniténtiæ exequuntur, si casu in itínere, vel in mari mórtui fúerint, ubi eis subveníri non possit, memória eórum et oratiónibus et oblatiónibus commendétur.

FERIA QUINTA.

Ex Concílio Mediolanensi tértio, sub sancto Cárolo.

(Ann. 1573. Cap. 9.)

Si quis morbi vi vel repentíno áliquo casu sensum omnem amíserit, ut nihil planè intélligat, Extrémæ-Unctiónis Sacramentum ei ministrári líceat; si modò, dum usum ratiónis habéret, pii ánimi significatiónem déderit, ut inde judicári possit eum hoc Sacramentum petitúrum, si adhuc íntegrâ mente esset.

FERIA SEXTA.

Ex Concílio Vasensi primo.

(Anno 442. Can. 2.)

Pro his qui, pœniténtiâ acceptâ, in bonæ vitæ cursu satisfactóriâ compunctióne viventes, sine communióne, inopináto nonnunquam tránsitu, in agris aut itinéribus præveniuntur, oblatiónem recipiendam, et eórum fúnera, ac deinceps memóriam Ecclesiástico affectu prosequendam decérnimus; quia nefas est eórum commemoratiónes exclúdi à salutáribus sacris, qui ad éadem sacra fidéli affectu contendentes, dum se diútiùs reos státuunt, indignos salutíferis mystériis júdicant; ac dum purgatiónes restítui desíderant, absque Sacramentórum viático intercipiuntur, quibus fortasse nec absolutíssimam reconciliatiónem Sacerdos denegandam putasset.

SABBATO

Ex Epístola decretáli sancti Leónis Papæ ad Rústicum Narbonensem Epíscopum.

(Ann. 443. Resp. 7 et 9.)

Eorum qui in ægritúdine pœ-

niténtiam accípiunt, et cùm prævalúerint, ágere eam nolunt, culpanda est negligéntia, sed non pénitùs deserenda; ut crebris cohortatiónibus incitáti, quod necessárie expetiérunt, fidéliter exequantur. Nemo enim desperandus est, dum in hoc córpore constitútus est; quia nonnunquam quod diffidéntiâ ætátis differtur, consílio maturióre perfícitur. Eórum qui, dolóre nímio perurgente, rogant pœniténtiam, et cùm vénerit présbyter, si dolor parumper quiéverit, excúsant et nolunt accípere, dissimulátio potest non de contemptu esse remédii, sed de metu gráviùs delinquendi. Undè Pœniténtia quæ diláta est, cùm studiósiùs petíta fúerit, non negétur, ut quoquómodò ad indulgéntiæ medicínam ánima vulnerata pervéniat.

De Excommunicatione.

DOMINICA XIX

POST PENTECOSTEN.

Ex Régula Canónica sancti Chrodogangi Metensis Epíscopi.

(Scripta anno 757. Can. 14.)

Cui peccáta non impédiunt de Clero, ómnibus diébus Domínicis et Festivitátibus præcláris debet corpus et sánguinem Dómini nostri Jesu Christi accípere; quia Dóminus in Evangélio dicit: Qui mandúcat carnem meam, et bibit sánguinem meum, in me manet, et ego in eo. At si indignè quis sacrosancta mystéria súmpserit, hic judícium sibi mandúcat et bibit.

FERIA SECUNDA.

Ex Epístola * sancti Leónis Papæ ad Epíscopos Provínciæ Viennensis, et ex Concílio ** Aurelianensi quinto.

(* Ann. 445. Can. 8. ** Ann. 589. Can. 2.)

Nulli Christianórum fácilè commúnio denegétur: nec ad indignantis fiat hoc arbítrium Sacerdótis, quod in magni reátûs ultiónem invítus et dolens quodámmodò debet inferre ánimus judicantis.... Nullus Sacerdótum quemquam rectæ fídei hóminem pro parvis et lévibus causis a communióne suspendat, præter eas culpas pro quibus antíqui

Patres ab Ecclésia arcéri jussérunt committentes.

FERIA TERTIA.

Ex Concílio Parisiensi, áliàs Meldensi.

(Ann. 846. Can. 56.)

NEMO Epíscopórum quémlibet, sine certa et manifesta peccáti causa, communióne privet Ecclesiásticâ. Anáthema autem sine prælàta Evangélica admonitióne nulli impónat, nisi unde canónica docet auctóritas; quia anáthema æternæ est mortis damnátio, et nónnisi pro mortáli debet impóni crímine, et illi qui áliter non potúerit córrigi.

FERIA QUARTA.

Ex Concílio Tridentíno.

(Ann. 1563. Sess. 25. de Reform. Cap. 3.)

QUAMVIS excommunicatiónis gládius nervus sit Ecclesiásticæ disciplínæ, et ad continendos in offício pópulos valde salutáris; sóbriè tamen magnâque circumspectióne exercendus est, cùm experiéntia dóceat, si témerè aut lévibus ex rebus incutiátur, magis contemni quàm formidári, et perníciem párere pótiùs quàm salútem.

Tu autem, Dómine, miserére nostrî.

℟. Deo grátias.

FERIA QUINTA.

Ex Concíliis * Arelatensi primo, et ** Carthaginensi tértio.

(* Ann. 317. Can. 4 et 5. ** Ann. 397. Can. 35.)

DE agitatóribus plácuit eos, quámdiu ágitant, à communióne separári: de theâtricis et ipsos plácuit, quámdiu agunt, à communióne separári.... Hujúsmodi persónis conversis vel reversis ad Dóminum grátia vel reconciliátio non negétur.

FERIA SEXTA.

Ex Concílio Antiochéno.

(Ann. 341. Can. 2.)

OMNES qui in Ecclésiam ingrediuntur, et sacras Scriptúras áudiunt, oratióni autem cum pópulo non commúnicant, vel sanctam Eucharístiæ participatiónem propter áliquam insoléntiam aversantur, eos ab Ecclésia expelli statúimus, donec postquàm confessi fúerint, fructusque pœniténtiæ osténderint, et imploráverint, véniam àssequi possint. Censémus non licére communicáre cum excommunicátis, neque in dómibus convenientes oráre pro iis qui in Ecclésia non commúnicant: neque inália Ecclésia récipi eos, qui inália Ecclésia non convéniunt. Si quis autem de Epíscopis aut Presbyteris, vel Diáconis, seu quílibet ex Clero depre-

hensus fúerit cum excommunicátis communicáre, étiam iste privétur communióne, tanquam qui régulam confundat Ecclésiæ.

SABBATO.

De Concílio Aquisgranensi ex Gregório magno.

(Anno 816. Can. 37.)

PASTOR quisque vel absólvere indiscrétè tímeat, vel ligáre. Is autem qui sub manu Pastóris est, ligári tímeat, vel injustè: nec Pastóris sui judícium témerè reprehendat; ne etsi injustè ligátus est, ex ipsâ túmidæ reprehensiónis supérbiâ, culpa quæ non erat fiat.

Tu autem, Dómine, miserére nostrî.

℟. Deo grátias.

De Ecclésiasticorum conversatione cum Laicis et Mulieribus.

DOMINICA XX

POST PENTECOSTEN.

Ex Concílio Parisiensi.

(Ann. 1528, in Decret. mor. Cap. 25.)

IN conversatióne cum Láicis ita se hábeant Clérici, ut neque ex nímia familiaritáte, aut conversatióne æquáli, reddátur contemptus dignitátis; neque ex nímia austeritáte, fastu aut pompâ superbi aut plûs æquo eláti judicentur: quæ cùm ómnibus Sacerdótibus sunt indecóra et Clericáli órdini multùm detrahéntia, tum illis præcípuè quibus animárum cura est commissa.

FERIA SECUNDA.

Ex Concíliis * Remensi et ** Avenionensi.

(* Ann. 1583. Tit. de Cler. ** Ann. 1594. C. 32.)

PROHIBEMUS, ne Clérici sacris initiáti aut beneficiáti se suamque óperam Láicis quantumvis nobílibus addícant ad rerum domesticárum dispensatiónem, negotiórum civílium procuratiónem, aut áliud áliquid vile indecorumque órdini suo ministérium.... Nullus Clericórum étiam forénsium Láicis dóminis insérviat, nisi fortè eórum púeros instítuat; idque fáciat cum dignitáte. Sacerdótes ut étiam à críminis suspicióne absint, domos éligant in parte civitátis honestióre et frequentióre.

FERIA TERTIA

Ex libro primo sancti Ambrósii Epíscopi de officiis Ministrórum.

(Script. c. ann. 391. C. 20, n. 86.)

QUAM prudenter factis convenire Ecclesiásticis, et

máximè ministrórum offíciis árbitror, declináre extraneórum convívia, vel ut ipsi hospitáles sitis peregrinántibus, vel ut eà cautióne nullus sit oppróbrio locus. Convívia quippe extrancórum occupatiónes habent, tum étiam epulandi produnt cupiditátem. Subrépunt étiam fábulæ frequenter de século, ac voluptátibus: cláudere aures non potes, prohibére putátur supérbia. Subrépunt étiam præter voluntátem pócula. Mélius est tuæ domi semel excúses, quàm aliénæ frequenter. Et ut ipse sóbrius surgas, tamen ex aliéna insoléntia condemnári non debet præséntia tua.

FERIA QUARTA.

Ex Epístola Petri Blesensis Archidiáconi ad Cléricos aulæ régiæ.

(Ep. 150, script. init. ann. 1168 et 1180.)

Scio quia hi qui in régiæ familiaritátis sacrárium admittuntur, multa fácere possunt et dícere quibus páuperis necéssitas sublevétur, foveátur relígio, fiat æquitas, Ecclésia dilatétur. In his, et consimílibus misericórdiæ opéribus, desideranda plerumquè cum Princípibus conversátio Clericórum. Légimus Sacerdótes et Prophétas frequéntiam et familiaritátem cum Régibus habuisse: verúmtamen suâ ínterest, ne ministérium vigilántiæ pastorális evácuent, sed sint in conspectu Regum suæ semper conditiónis mémores.

FERIA QUINTA.

Ex Concílio Carthaginensi tértio.

(Ann. 397. Can. 25.)

Clerici ad víduas vel vírgines, nisi jussu vel permissu Episcopórum et Presbyterórum, non accédant: et hoc non soli fáciant, sed cum Clericis, vel cum his cum quibus jússerit Episcopus aut Présbyter. Sed nec ipsi Episcópi aut Presbyteri soli hábeant accessum ad hujúsmodi féminas, nisi aut Clerici præsentes sint, aut graves áliqui Christiáni.

FERIA SEXTA.

Ex Concílio Matisconensi primo.

(Ann. 581. Can. 2.)

Nullus Episcopus, Présbyter, Diáconus, Cléricus, vel quicumque seculáris, in monastériis Puellárum, nisi probátæ vitæ et ætátis provectæ, præter utilitátem aut quamcumque reparatiónem monastérii, ad quascumque eárum necessitátes, habitáre, aut secrétas collocutiónes habére præsúmant; nec extra salutatórium aut oratórium ultériùs ingredi permittantur

SABBATO.

Ex Concílio Forojuliensi in Istria.

(Ann. 791. Can. 12.)

MONASTERIA Puellárum, quæ sub disciplína régulæ degunt, obstrúctiùs munítis claustris, nullo páteant, nisi fortè summâ compellente necessitáte, áditu virórum. Sed neque Presbyteri, vel Diácones, vel quílibet de Clero, vel étiam Archimandrítis, quasi visitatiónis vel prædicatiónis causâ, sine permissu Epíscopi civitátis, sibi licéntiam tribuat ineundi. Quin étiam nec Epíscopus absque Sacerdótibus, vel Cléricis suis, ut decet et honestè convenit, adíre illuc licéntiùs se exístimet. Sed sive ipse, sive quælibet religiósa persóna, aliénus ab illícita suspicióne, quem morum grávitas ornat, permittente et admonente Epíscopo, exhortatiónis vel ædificatiónis obtentu, quæ ad salútem ánimæ pértinet, dignum fúerit ut ádeant hæc Deo dicáta loca, non áliter, sed cum idóneis téstibus péragant; ne propter incautam præsumptiónem sanctæ Ecclésiæ infamétur angélicus ordo.

De fugiendâ à Clero avaritiâ.

DOMINICA XXI

POST PENTECOSTEN.

Ex Concílio Moguntíno.

(Anno 813, c. 10.)

CLERICI amórem pecúniæ, quasi matériam cunctórum críminum, fúgiant; secuária offícia, negotíaque abjíciant: honórum gradus per ambitiónem non súbeant. In doctrínâ, in lectiónibus, in Psalmis, Hymnis et Cánticis, exercítio fugi incumbant.

Tu autem, Dómine, miserére nostrî.

℟. Deo grátias.

FERIA SECUNDA.

Ex libro secundo sancti Ambrósii Epíscopi de officiis Ministrórum.

(Script. circa ann. 391, c. 21.)

DECET Dei ministrum esse benignum, justum, non aliéni cúpidum, imò de suo jure pótiùs cedentem áliqua, si fúerit lacessítus, quàm aliéna jura pulsantem, fugitantem lítium, abhorrentem à úrgiis, redimentem concórdiam et tranquillitátis grátiam: siquidem de suo jure virum bonum áliquid relaxáre, non solùm liberalitátis, sed étiam plerumque

commoditátis est. Primùm dispéndio litis carére, non mediocre est lucrum. Deinde accédit ad fructum quòd augétur amicítia ex qua oriuntur plúrimæ commoditátes, quæ contemnenti áliqua in témpore posteà fructuósæ erunt.

FERIA TERTIA.

Ex Concílio Carthaginensi quarto.

(Ann. 397. Can. 56, 57, 58, 92, 93 et 94.)

Clericus qui adulatiónibus et proditiónibus vacáre (suis rebus) deprehénditur, ab offício degradétur. Cléricus malédicus, máximè in Sacerdótibus, cogátur ad postulandam véniam; nec unquam ad offícium absque satisfactióne revocétur. Ejus qui frequenter lítigat, et ad causandum fácilis est, testimónium nemo absque grandi exámine recípiat. Seditionários statúimus nunquam ordinandos Cléricos, sicut nec usurários, et injuriárum suárum ultóres. Oblatiónes dissidéntium, neque in sacrário, neque in gazophylácio recipiantur. Eórum quoque qui páuperes opprimunt, dona à Sacerdótibus refutanda.

FERIA QUARTA.

Ex Concílio Parisiensi sexto.

(Lib. 1, cap. 13.)

Cum nullus Christiánus thesauros in terra, sed pótiùs secundùm Dómini sententiam in cœlo recóndere débeat; cavendum summópere Sacerdótibus, ut ab avarítiæ peste quæ est idolórum sérvitus, et cupiditáte quæ radix ómnium malórum est, suosque sectatóres à regno Christi excludunt, se compescant; quóniam dignè non possunt súbditis prædicáre, ut ab his se abstíneant; cùm ipsi his, quod valde dédecens, imò periculósum est, se mancipáverint. Gráviùs quippe atrociúsque hæ pestíferæ lues in illis damnantur, quàm in his qui eórum dictis et exemplis coercéri debuérunt. Quòd autem oblatiónes fidélium non ad suam avarítiam, sed ad Christi honórem Ecclesiæque utilitátem retorquére débeant Sacerdótes, annotandum est.

FERIA QUINTA.

Ex Epístola sancti Anselmi ad Paulum Abbátem sancti Albáni.

(Script. ann. 1077. Edit. Paris. Lib. 2, Epist. 71.)

Sunt multi Prælati qui quasi sollíciti ne destruátur res Dei in mánibus eórum, agunt ut dissipétur lex Dei in córdibus eórum. Nam tantùm conantur esse prudentes ne decipiantur ab áliis, ut fiant astúti ad decipiendum álios. Adeò sunt

cauti ne fiant pródigi, et quæ habent irrationabíliter perdant, ut avári fiant, et quæ servant inutíliter putrescant. Sic studióse, ut servis et paupéribus Dei, et sancto loco semper sátagunt áliquid acquírere, ut dolóse semper alíqui tentent áliquid auferre. Sic animantur zelo corrigendi stultos, ut accendantur crudelitáte vel cupiditáte colligendi nummos. Hæc ígitur vestra prudéntia sollícite cáveat. Táliter peccantes coargúite, ut nec crudélitas adsit, nec avarítia.

FERIA SEXTA

Ex Concílio Moguntíno.

(Ann. 1549. Cap. 92.)

EXECRABILIS quorumdam Sacerdótum avarítia usque ad Sacramentórum ipsórum contemptum et injúriam nonnunquam irrumpit; dum sine numeráto prétio conferre Sacramenta detrectant.

SABBATO.

Ex Concílio Parisiensi sub Petro Cambelláno.

(Ann. 1212. Part. 1, cap. 11.)

A VIRIS Ecclesiásticis monstrum avarítiæ extirpáre volentes, prohibémus ne pro defunctórum annálibus vel triennálibus vel septennálibus Missárum faciendis, Laici vel álii dare áliquid vel legáre cogantur in testamento, ne super his áliqua páctio vel exáctio, vel sub áliqua ália spécie palliáta à Sacerdótibus vel áliis mediatóribus fiat, et ne supérflua multitúdine tálium annálium se ónerent Sacerdótes, ad quæ explenda honeste suffícere non possint, et propter quæ ipsos opórteat habére conductítios Sacerdótes.

De Potestate Civili et ecclesiastica, et obsequio ipsis debito.

DOMINICA XXII

POST PENTECOSTEN.

Ex Capituláribus Herardi Turonensis Archiepíscopi.

(Ann. 858, n. 39.)

DOCEANTUR plebes Epíscopis humíliter ac reverenter in cunctis obedíre, et quòd córum injúria referátur ad Deum, cujus summâ legatióne funguntur; et ut Reges vel Príncipes, pro quibus oráre, quibusque propter Deum subdi præcípimur, nullus maledícere vel detrahere præsúmat.

FERIA SECUNDA.

Ex sancto Joanne Chrysóstomo.

(Homil. 23, in Epist. ad Rom. ante ann. 397.)

Apostolus movens ratiónes eas quæ Potestátibus ex débito obedíre jubent, ostendit quòd ista imperentur ómnibus, et Sacerdótibus, et Mónachis, non solùm secularibus: id quod statim in exórdio declárat, cùm dicit: Omnis ánima Potestátibus supereminéntibus súbdita sit; etiamsi Apóstolus sis, si Evangelista, si Prophéta, sive quisquis tandem fúeris: neque enim pietátem subvertit ista subjectio. Et non simplíciter dicit, Obediat; sed, Súbdita sit. Est autem prima constitutiónis hujus justítia; et quæ et fidélibus cogitatiónibus ac méntibus omnínò decóra est et honesta; nimirùm quòd à Deo ita ordinátum sit: non enim est potestas nisi à Deo.

FERIA TERTIA.

Ex Concílio Parisiensi sexto.

(Ann. 829. L. 1, c. 3.)

Principaliter totíus sanctæ Dei Ecclésiæ corpus in duas exímias persónas, in Sacerdotálem vidélicet et Regálem, sicut à sanctis Pátribus tráditum accépimus, divísum esse nóvimus. De qua Gelásius Románæ sedis venerábilis Episcopus ad Anastásium Imperatórem ita scribit: Duo sunt, inquit, Imperátor auguste, quibus principáliter mundus hic régitur; auctóritas sacra Pontíficum, et Regális potestas: in quibus tantò grávius pondus est Sacerdótum, quanto étiam pro ipsis Régibus hóminum in divíno redditúri sunt exámine ratiónem.

FERIA QUARTA.

Ex Concílio Parisiensi, áliàs Meldensi.

(Ann. 846. Can. 15.)

Si quis potestáti régiæ quæ non est, juxta Apóstolum, nisi à Deo, contumáci ac inflato *spíritu contra auctoritátem* et ratiónem, pertináciter contradícere præsúmpserit, et ejus justis ac rationabílibus impériis secundùm Deum et auctoritátem Ecclesiásticam ac jus civile obtemperáre irrefragabíliter nolúerit, anathematizétur.

FERIA QUINTA.

Ex Concílio Cabilonensi.

(Ann. 813. Can. 20 et 21.)

Si inter omnes fidéles pax et concórdia habenda est, multò magis inter Epíscopos et Cómites esse debet, qui post Imperiális (*seu* Regális) ápicis dignitátem pópulum Dei regunt. Ita enim inter se concordáre debent,

ut altérutrum sibi ad Dei servítium peragendum et ministérium suum explendum non solùm non nóceant, quin pótiùs adminículo sint. Comítibus verò et Judícibus hoc summópere observandum est, ut justè júdicent, et nequáquam in judício múnera seu persónas accípiant, dicente Dómino: Non accípies persónam nec múnera; quia múnera excæcant óculos sapientûm, et mutant verba justórum. Sed et ministros justos habére debent, ne fortè eórum avarítiâ et rapacitáte pópulus gravétur.

FERIA SEXTA.

Ex Concílio Turonensi tértio.

(Ann. 813. Can. 49.)

ADMONENDI sunt à Sacerdótibus dómini subditórum, ut circa suos piè et misericórditer agant; nec eos quálibet injustâ occasióne condemnent, nec vi ópprimant, nec illórum substantíolas injústè tollant, nec ipsa débita quæ à súbditis reddenda sunt, ímpiè ac crudéliter exigantur.

SABBATO.

Ex Concílio Arelatensi sexto.

(Anno 1287. Can. 3.)

NOVERINT (Epíscopi) sibi curam populórum et páuperum in protegendis iisdem ac defendendis impósitam. Ideòque dum conspíciunt Júdices ac Potentes páuperum oppressóres exístere, priùs eos Sacerdotáli admonitióne redárguant: et si contémpserint emendári, eórum insoléntia Regis áuribus intimétur; ut quos Sacerdotális admonítio non flectit ad justítiam, Regális potestas ab improbitáte coércеat.

De miraculis. De Sanctorum reliquiis et imaginibus.

DOMINICA XXIII.

POST PENTECOSTEN.

Ex Concílio Carthaginensi quinto.

(Anno 398. C. 14.)

PLACUIT ut altária quæ passim per agros et per vias tanquam memóriæ Mártyrum construuntur, in quibus nullum corpus aut relíquiæ Mártyrum cónditæ probantur, ab Epíscopis qui locis eisdem præsunt, si fieri potest, evertantur. Si autem hoc propter tumultus populáres non sínitur, plebes ta-

men admoneantur, ne illa loca frequentent; ut qui rectè sápiunt, nullà ibi superstitióne devincti teneantur. Et omníno nulla memória Mártyrum probabiliter acceptétur, nisi ubi corpus, aut áliquæ certæ relíquiæ sunt, aut orígo alicújus habitatiónis, aut possessiónis vel passiónis fidelíssimâ orígine tráditur. Nam quæ per sómnia et per inánes quasi revelatiónes quorúmlibet hóminum ubicumque constituuntur altária, omníno reprobentur.

FERIA SECUNDA.

Ex Concíliis * Lateranensi et ** Mediolanensi quartis.

(* Ann. 1215. Tit. 62. ** Ann. 1576. sub S. Carolo. Part. 1, Tit. 2, et p. 2, Tit. 4.)

Inventas de novo (Relíquias) nemo públicè venerári præsúmat, nisi priùs auctoritáte Pontíficis fúerint approbátæ. Prælati verò non permittant illos qui ad Ecclésias causâ veneratiónis accédunt, vanis figmentis aut falsis décipi documentis.... Sanctórum Relíquiæ; præsertim insignes, et sacra córpora sacraque membra, quæ ex certis monumentis in quavis Ecclésia recondi constat, ne passim omni témpore, sed certis tantùm celebritátibus exponantur. Cùm in processióne sanctíssimum Dómini Corpus religióso cultu defertur, ne Relíquiæ ullæ, sed illud solum, ut véteris institúti est, solemni celebritáte ferátur.

FERIA TERTIA.

Ex Concílio Tridentíno.

(Ann. 1563. Sess. 25. Decreto de Invoc. SS.)

Omnis superstítio in Sanctórum invocatióne, Reliquiárum veneratióne, et imáginum sacro usu, tollátur, omnis turpis quæstus eliminétur, omnis dénique lascívia vitétur; ita ut procáci venustáte imágines non pingantur nec ornentur: et Sanctórum celebratióne, ac Reliquiárum visitatióne, hómines ad comessatiónes atque ebrietátes non abutantur, quasi festi dies in honórem Sanctórum per luxum ac lascíviam agantur.

FERIA QUARTA.

Ex Concílio Mechliniensi.

(An. 1570. De Superstitione.)

Cum rectè móneat sacrosancta Tridentína Synodus ut omnis superstítio tollátur; docet hæc Synodus omnem illum rerum usum esse superstitiósum, qui sine verbo Dei et Ecclésiæ doctrína fit, præscriptis alíquibus rítibus et observántiis, quarum rationábilis causa reddi non potest, et fidúcia in eis collocátur certò expectandi áliquem even-

tum, qui sine illis rítibus ex sanctórum intercessióne non sperarétur, aut quæ in cultu Sanctórum ex temeritáte ac quâdam levitáte, pótiùs quàm pietáte et verâ in Deum religióne, fieri videntur.

FERIA QUINTA.

Ex Concílio Tridentíno.

(Anno 1563. Sess. 25, de Reliq. et Invocat. SS.)

Statuit sancta Synodus némini licére ullo in loco, vel Ecclésiâ, étiam quomodólibet exemptâ, ullam insólitam pónere, vel ponendam curáre imáginem, nisi ab Epíscopo approbáta fúerit: nulla étiam admittenda esse nova mirácula, nec novas Relíquias recipiendas, nisi eódem recognoscente et approbante Episcopo; qui simul atque de iis áliquid compertum habúerit, adhíbitis in consílium Theólogis et áliis piis viris, ea fáciat quæ veritáti et pietáti consentánea judicáverit.

FERIA SEXTA.

Ex concílio Mediolanensi primo.

(Ann. 1565. Part. 1. Can. 7.)

Caveant Epíscopi ne quid pingátur aut sculpátur, quod veritáti Scripturárum, traditiónum, aut Ecclesiasticárum historiárum adversétur; ne, cujus léctio prohibétur, ejus imágo pópulo proponátur. Históriæ quoque, quibus neque Ecclésia, neque probáti Scriptóres auctoritátem ullam dedérunt, sed solâ vulgi vanâ opinióne commendantur, effingi prohibeantur. Deinde uniuscujusque imáginis os, corpus, córporis hábitum et statum, ornátum et locum inspiciendum curent Epíscopi; ut hæc ómnia ad protótypi dignitátem et sanctitátem apta sint et decóra, atque imáginis inspectióne piétas excitétur.

SABBATO.

Ex Concílio Tridentíno

(Sess. 25, decret. de sacr. Imag.)

Imagines Christi, Deíparæ vírginis, et aliórum sanctórum, in templis præsertim habendæ et retinendæ, eisque débitus honor impertiendus: non quòd credátur inesse áliqua in iis divínitas, vel virtus, propter quam sint colendæ; vel quòd fidúcia in imagínibus sit figenda; sed quóniam honos qui eis exhibétur, refertur ad protótypa quæ illæ repræsentant.

De Hæreticis.

DOMINICA XXIV
POST PENTECOSTEN.

Ex Constitutiónibus quæ Apostólicæ dicuntur.

(Script. seculo IV. Lib. 6, cap. 18.)

Impios hæréticos non pœnitentes disclúdite et semovéte à fidélibus, et eis Ecclésiam Dei interdícite; ut ómnibus modis ab eis declínent, neque ulla cum eis sit sermónis aut precatiónis communítas. Hi enim sunt adversárii et insidiatóres Ecclésiæ, qui corrumpunt gregem, et fœdant hæreditátem: de quibus Dóminus acerbè et rígidè pronuntiávit esse pseudochristos et falsos magistros, qui in Spíritum grátiæ blasphémi fuérunt, et donum ejus post grátiam contumelióse aspernáti sunt.

FERIA SECUNDA.

Ex Concílio * Remensi et Synodo ** Ebroicensi.

(* Ann. 625, cap. 4. ** Ann. 1576. Tit. de Hæret.)

Si qui hærétici adhuc esse suspicantur in Gállis, à Pastóribus Ecclesiárum perquirantur; et si veráciter fúerint inventi, ad Cathólicam fidem revocentur.... Orent assíduè pro ipsis, demonstrent se de eórum perditióne ex ánimo dolére, pro eórum conversióne ómnia parátos esse ágere, ut agnoscantur fílii Patris sui qui solem suum oríri facit super bonos et malos.

FERIA TERTIA.

Ex Concílio Coloniensi primo.

(Ann. 1536. Part. 6, c. 12.)

Paratos nos esse vult Apóstolus petrus, ad satisfactiónem omni poscenti nos ratiónem de eâ, quæ in nobis est, spe et fide, sed cùm modéstiâ et timóre. Neque ergò dóceat, neque intendat his Párochus quæ magis quæstiónes præstant quàm ædificatiónem quæ est ex caritáte. Proindeque, ubi cùm hæréticis res est, corrípiet cum modéstia eos qui resistunt veritáti; nequando Deus det illis pœniténtiam ad cognoscendam veritátem, et resipiscant. Nequáquam autem ad pópulum verbis contendat, (ad nihil enim útile est nisi ad subversiónem audiéntium), memor Apostólici sermónis: Si quis vult contentiósus esse, nos talem consuetúdinem non

habémus, neque Ecclésia Dei.

FERIA QUARTA.

Ex Concílio Laodicéno.

(Ann. 372. Can. 7.)

Qui ab hæresibus convertuntur, non ante suscipiantur quàm omnes hæreses anathematízent, et præcípuè illam quâ detinebantur: tunc nostræ doceantur fídei Symbolum, et sic mystériis communícent sacrosanctis.

Tu autem.

FERIA QUINTA.

Ex Epístola decretáli sancti Leónis ad Januárium Aquileiensem Epíscopum.

(Script. ann. 447. Epist. 14.)

Presbyteri, sive Diáconi, vel Subdiáconi, aut cujuslibet órdinis Clérici, qui se correctos vidéri volunt, atque ad cathólicam fidem quàm jamprídem amíserant, rursum reverti ámbiunt, priùs erróres suos, et ipsos auctóres errórum damnári à se sine ambiguitáte fateántur; ut sénsibus pravis étiam peremptis nulla spirandi supersit occásio, nec ullum membrum tálium possit societáte violári, cùm per ómnia illis profíssio própria cœperit obviáre; circa quos étiam illam Cánonum constitutiónem præcípimus custodíri, ut in magno hábeant benefício si ademptâ sibi omni spe promotiónis, in quo inveniuntur órdine, stabilitáte perpétuâ máneant.

FERIA SEXTA.

Ex Concíliis Aurelianénsibus * primo et ** quarto.

(* Ann. 511. Can. 10. ** Ann. 541. C. 8.)

Si hærétici Clérici fidéliter convertuntur, et fidem cathólicam íntegrè confitentur, vel ita dignam vitam morum et áctuum probitáte custódiunt, offícium quo eos Epíscopus dignos esse censúerit, cum impósitæ manûs benedictióne suscípiant.... De his qui post Baptismi Sacramentum ad hæresis lapsum descendunt, et agnoscentes reátum ad unitátem fídei cathólicæ veníre desíderant, in Episcopórum potestáte consistat, cùm eos víderint dignam pœniténtiam ágere, quando vel quáliter communióni prístinæ reformentur.

SABBATO.

Ex Concílio Turonensi.

(Ann. 1236. Tit. 13.)

Disponant Epíscopi in suis Diœcésibus quáliter de novo conversi erudiantur in fide, et cómmodè sustententur, et sicut víderint expedíre; ne sub paupertátis prætextu ad vómitum redíre cogántur.

Tu autem.

De reverentia Ecclesiis aliisque locis sacris debita.

DOMINICA XXV
POST PENTECOSTEN.

Ex Concílio Aquisgranensi sub Cárolo magno.

(Ann. 789, C. 71, 72.)

UNUSQUISQUE vestrûm vídeat per suam Paróchiam, ut Ecclésia Dei suum hábeat honórem : simul et altária secundùm suam dignitátem venerentur; et ut sacrifícia sanctificáta cum magna diligéntia ab eis colligantur qui *digni sunt*, *vel cum honóre* serventur : et ut seculária negótia vel vanilóquia in Ecclésiis non agantur, quia domus Dei domus oratiónis debet esse, non spelunca latrónum; et ut intentos ánimos *hábeant ad Deum*, quando véniunt ad Missárum solémnia. Sed et hoc flagitámus vestram almitátem, ut ministri altáris Dei suum ministérium bonis móribus ornent, et bonam et probábilem vitam, et conversatiónem hábeant.

FERIA SECUNDA.

Ex Concílio Turonensi tértio.

(Ann. 813, Can. 38.)

SACERDOTES debent fidéles admonére, ut quando ad Ecclésiam véniunt, sine strépitu ac tumultu eam ingrediantur : in qua étiam quámdiu oratiónis causâ morantur, nequáquam inánes inter se próferant confabulatiónes. Sed et témpore quo Missárum solémnia celebrantur, non solùm ab otiósis et inutílibus verbis, verùm étiam et à perniciósis cogitatiónibus fúnditùs abstinendum est.

FERIA TERTIA.

Ex Concílio Turonensi secundo.

(Ann. 567. Can. 4.)

LAICI secus altáre quo mystéria celebrantur, inter Cléricos tam ad Vigílias quàm ad Missas stare pénitùs non præsúmant; sed pars illa quæ à cancellis versùs altáre divíditur, choris tantùm psalléntium páteat Clericórum. Ad orandum verò et communicandum, Láicis et féminis, sicut mos est, páteant sancta sanctórum.

FERIA QUARTA.

Ex Concílio Aquileiensi.

(Ann. 1596. Tit. 16.)

ECCLESIAM in qua fiunt sacra, et cultus divínus perágitur, externis vacáre impe-

dimentis cónvenit. Idcirco decérnimus concursatiónes páuperum quorumcumque, étiam miserabílium, qui celebrántibus et oránti bus in Ecclésia impedimento sunt, ab ómnibus Ecclésiis, cùm sacra fiunt, arcendas esse.

FERIA QUINTA.

Ex Concílio Aquensi.

(Ann. 1585. Tit. de Ecclesiis, et de Sacristia.)

Ne quis ad ornanda Templa peristrómatis aulæisque utátur, quæ obscœnis figúris intexta sint: ne pictas imágines et signa adhíbeat, quæ loci sanctitáti non convéniant. Pállia aliaque sacra indumenta altárium úsui ornatuive addicta, ad hóminis Ecclesiástici vel láici, quâvis dignitáte prædíti, apparátum, aut ad aliárum rerum quæ profánæ sint, usum sive ornamentum, ne adhibeantur.

FERIA SEXTA.

Ex Concílio Aquensi.

(Ann. 1585. Tit. de Ecclesiis, et de Sacristia.)

Vestes sacræ ceteraque ornamenta, volúmina item Ecclésiæ úsui ministerioque addicta, et réliqua Ecclesiástica suppellex in Sacrístia certis armáriis rectè atque ordinátè asserventur: ab omni sorde et inquinamento pura ómnia et síngula sint ac íntegra. In Sacrístia siléntium servétur accuráte; neque in ea páteat áditus láicis, nisi necessárium fúerit.

SABBATO.

Ex concílio Vaurensi.

(Ann. 1368. Can. 86.)

Cum non déceat sacramentália, per quæ spirituálium munditiárum conséquimur puritátem, materiálium sórdium contagiónibus inquinári, sínguli Ecclesiárum Rectóres, in quibus Fontes (Baptismáles) sunt fundáti, eos sic claudi clávibus fáciant, et clausos tenéri, quòd nullus ad illos sórdibus patére possit accessus, ne temerária manus ad immundam contrectatiónem exténdere se váleat cómmodè; ut per hujúsmodi observántiam illíus quod ínibi percípitur, crescat reveréntia Sacramenti.

De Sanctificatione diei Dominicæ, aliarumque Festivitatum.

DOMINICA XXVI
POST PENTECOSTEN.
Ex Concílio Parisiensi sexto.

(Ann. 829. Lib. 1, can. 50.)

Sacerdotes, reges, príncipes, cunctique fidéles summóperè procúrent, ut diéi Domínici débita observátio, nunc usque magnâ ex parte neglecta, devótiùs exhibeátur. Si Judæi Sábbatum carnáliter custodientes, eo die ab opéribus se ábstinent; quantò magis Christi grátiâ redemptis cónvenit ut eo die, quo auctor vitæ resurrexit, eisque spem resurgendi concessit, ab his se abstíneant, et láudibus cœléstibus toto cordis annísu vacáre sátagant.

Tu autem.

FERIA SECUNDA.
Ex Concílio Aurelianensi tértio.

(Ann. 538, C. 28.)

Quia persuásum est pópulis die Domínico agi cum vehículis itínera non debére, neque ullam rem ad victum præparáre, vel ad nitórem domûs vel hóminis pertinentem ullátenus exercére, (quæ res ad Judáicam magis quàm ad Christiánam observántiam pertinére probátur) id statúimus ut die Domínico quod ánteà fieri lícuit líceat. De ópere tamen ruráli, id est arátro, vel vínea, vel sectióne, messióne, excussióne, exarto vel sepe censúimus abstinendum; quò facíliùs ad Ecclésiam venientes oratiónis grátiâ vacent. Quòd si inventus fúerit quis in opéribus suprà scriptis quæ interdicta sunt, se exercére; quáliter emendare débeat, in Sacerdótis castigatióne consistat.

Tu autem.

FERIA TERTIA.
Ex Concílio Rotomagensi

(Circa ann. 650, Concil. Norm. Edit. 2, p. 10, Can. 14.)

Admonere debent Sacerdótes plebes súbditas sibi, ut pastóres vel aratóres qui in agris assíduè commorantur, vel in sylvis, et ídeò velut more pecudum vivunt, in Domínicis et in áliis festis diébus, saltem vel ad Missam fáciant, vel permittant veníre: nam et hos Christus pretióso suo sánguine redémit. Quod si negléxerint, pro animábus eórum absque dúbio ratiónem se redditúros sciant.

FERIA QUARTA.

Ex Concílio Matisconensi secundo.

(Ann. 585, C. 1.)

Per Synodálem nostram Epístolam decérnimus, ut unusquisque nostrûm in sacrosanctis Ecclésiis admóneat súbditam sibi plebem, quóniam nostræ est auctoritátis utilitáti vestræ prospícere, et à malis opéribus coercére. Custodíte diem Domínicam, quæ nos dénuò péperit, et à peccátis ómnibus liberávit. Nullus vestrûm lítium fomítibus vacet, nullus causárum actiónes exérceat : nemo sibi talem necessitátem exhíbeat, quæ jugum cervícibus juvencórum impónere cogat. Non quia hoc Dóminus noster à nobis éxpetit, ut corporáli abstinéntiâ diem Domínicum celebrémus, sed quærit obediéntiam per quam nos, terrénis calcátis áctibus, ad cœlum usque misericórditer próvehat. Si quis ítaque vestrûm hanc salúbrem exhortatiónem parvipénderit, aut contémptui tradíderit; sciat se pro qualitátis mérito à Deo principáliter puníri, et deinceps Sacerdotáli quoque iræ implacabíliter subjacére, si causídicus fúerit, si rústicus aut servus, si Cléricus aut Mónachus. Hæc namque ómnia et placábilem erga nos Dei ánimum reddunt, et plagas morbórum vel sterilitátem ámovent atque repéllunt.

Tu autem.

FERIA QUINTA.

Ex Concílio Arelatensi sexto.

(Ann. 813, Can. 16.)

Presbyteri pópulo sibi commisso prædicáre non négligant, ne Domínicis diébus pública mercáta, neque causatiónes disceptationesque exerceántur, et pénitùs à ruráli et servíli ópere cessétur, his solúmmodò peractis quæ ad Dei cultum et servítium pertinére noscúntur.

Tu autem.

FERIA SEXTA.

Ex Concílio Toletáno tértio.

(Ann. 589, C. 23.)

Exterminanda omninò est irreligiósa consuetúdo quam vulgus per Sanctórum Solemnitátes ágere consuévit; ut pópuli qui debent divína Offícia atténdere, saltatiónibus et túrpibus invígilent cánticis, non solùm sibi nocéntes, sed et religiosórum offíciis obstrepéntes. Hoc étenim ut depellátur, Sacerdótum et Júdicum à Concílio sancto curæ committátur.

Tu autem.

SABBATO.

Ex Concílio Moguntíno.

(Ann. 1549, Can. 61.)

Quo Dei glória in observatióne divíni cultûs magis illustrétur, et fidélium devótio minùs impediátur diébus Domínicis et Festivitátibus, tripúdia, saltatiónes, quas damnat Concílium Toletánum (tértium), et profána spectácula, non (sunt) permittenda : simul étiam lúdicra quædam à pietáte aliéna, et theátris quàm templis aptióra, in Ecclésia non admittenda.

DOMINICA XXVII POST PENTECOSTEN.

Ex Concílio Senonensi.

(Ann. 1460. Art. 4, cap.)

Dies Dómino sanctificáti nullis servílibus opéribus profanentur, nec vanitátibus aut voluptátibus occupentur; sed divínis vacando Offíciis, expositióni et auditióni divinórum eloquiórum, laudes, vota et sacrifícia Dómino offerantur, et ad hæc ómnia pópuli sæpiùs moneantur. Festivitátibus præcípuis, Parochiáles Presbyteri pópulos hortentur páriter et móneant piis commonitiónibus et devótis, et sua confitéri peccáta, et se ad celebritátem et devotiónem in ipsis solemnitátibus præparáre, dictas commonitiónes die Domínicâ ante ipsárum celebritátem Festivitátum débitè faciendo.

FERIA SECUNDA.

Ex Concílio Pontigonensi.

(Ann. 876, Can. 7.)

Seculares et fidéles Láici diébus festis, qui in civitátibus sunt, ad públicas statiónes occurrant; et qui in villis et possessiónibus sunt, ad públicum Offícium in plebem festínent : et nullus latibulósa Missárum in suis dómibus Offícia celebráre præsúmat sine sui rationábili licéntia Episcopi.

FERIA TERTIA.

Ex Concílio Rotomagensi.

(Anno 1581. Tit. de Curat. et Paræc. Offic. n. 22 et 33.)

Si quæ sint Missæ quæ ex ténore fundatiónis dici débeant die Domínico in Ecclésia Parochiáli aut ex devotióne, non dicantur, nisi ante aut post Missam Parochiálem, aut saltem post Communiónem factam. Prohibémus quoque in Ecclésiis quæ simul Collegiátæ sunt et Paræciáles, eâdem horâ cantári Missas Canonicórum, et Paræcianórum. In Missis confraternitátum moneantur fidéles non esse prætermittendas Missas Parochiáles propter assisténtiam in ea Missa, quæ ex devotióne et consílio tantùm celebrátur.

FERIA QUARTA.

Ex Concílio Constantinopolitáno tértio.

(Anno 692. Can. 19.)

Omnibus quidem diébus, sed præcípuè Domínicis, oportet eos qui præsunt Ecclésiis, omnem Clerum et pópulum docére pietátis et rectæ religiónis elóquia, ex divína Scriptúra colligentes intelligéntias et judícia veritátis, et non transgredientes jam pósitos términos, secundùm Patrum divinórum traditiónem. Hic enim ordo est: nec áliter, si controvérsiæ áliquæ ad Scriptúram pertinentes tractantur, cuípiam licet interpretári, quàm quómodò Ecclésiæ luminária et Doctóres suis scriptis exposuérunt.

FERIA QUINTA.

Ex Concílio Aurelianensi

(Ante seculum XI, apud Yvonem Carnotensem. Decr. part. 2, Cap. 120.)

Diebus Domínicis vel Festis, post sermónem Missárum intra solémnia hábitum, plebem Sacerdos admóneat, ut juxta Apostólicam institutiónem in commúni pro diversis necessitátibus preces fundant ad Dóminum pro Rege, et Episcopis, et Rectóribus Ecclesiárum, pro pace, pro peste et pro infirmis qui in ipsa Paróchia lecto decumbunt, pro nuper defunctis. Sacerdos verò oratiónes ad hæc pertinentes solémniter expleat, et post hæc sacra celebrétur oblátio.

FERIA SEXTA.

Ex Concíliis * Matisconensi secundo, et ** Coloniensi sub Adolpho Archiepíscopo.

(* Ann. 585. C. 4, ** Ann. 1549. C. 20.)

Dominicis diébus altáris oblátio à viris et muliéribus offerátur, ut per has immolatiónes, et peccatórum suórum fáscibus cáreant, et cum Abel vel céteris justis promereantur esse consortes... De quibus (oblatiónibus) exstant antíqui Patrum Cánones, extant quoque oratiónes quas Secrétas appellámus sub Offertório Missæ, quibus oblatiónes pópuli Deo commendantur. Quamobrem divíni verbi Concionatóribus, illis præsertim qui de oblatiónibus pópuli non partícipant, ad cupiditátis spéciem tollendam, præcípimus ut pópulo veritátem rei istíus et utilitátem expónant, hortenturque omnes ut vel exígui munúsculi oblatióne suam pro rebus à Deo acceptis ostendan gratitúdinem, quò étiam preces illæ in eos conquádrent, et testentur se à Deo et ad Dei honórem et cultum habére quidquid habent.

SABBATO.

Ex Concílio Aurelianensi quinto.

(Ann. 549. Can. 20.)

Id miseratiónis intúitu æquum dúximus custodíri, ut qui pro quibuscumque culpis in carcéribus deputantur, cum céteris egéntibus ab Archidiácono seu à Præpósito Ecclésiæ síngulis diébus Domínicis requirantur, ut necéssitas vinctórum secundùm præceptum divínum misericórditer sublevétur, atque à Pontífice institútâ fidéli et diligenti persónâ quæ necessária eis provídeat, cómpetens victus de domo Ecclésiæ tribuátur.

Tu autem, Dómine, miserére nostrî.

℟. Deo grátias.

De operibus caritatis et misericordiæ erga proximum, et domos hospitales pauperum et infirmorum.

DOMINICA XXVIII

POST PENTECOSTEN.

Ex Concílio Bituricensi.

(Ann. 1584, Tit. 43.)

Præcipuum Christiáni offícium post cultum divínum est adimplére ea quæ ad secundam legis tábulam pértinent: cujus summa est caritátem et dilectiónem in próximos observáre, et totis víribus amplecti, páuperes præsertim. Frustra enimália étiam quæ vidéntur sanctióra, ópera exhibéntur, nisi in caritáte fiant. Idcirco sanctíssima mater Ecclésia piè instítuit xenodóchia etália várii géneris loca sub Hospitálium nómine, nonnullis étiam assignátis redítibus: quorum cura præcípuè ad Epíscopos pértinet tanquam dispensatóres, non tantùm verbi Dei, sed étiam eleemosynárum Ecclésiæ.

Tu autem.

FERIA SECUNDA.

Ex Concílio Aquisgranensi.

(Ann. 816. c. 116.)

Res Ecclésiæ vota sunt fidélium, prétia peccatórum, et patrimónia páuperum. Fidéles namque fídei ardóre succensi, suis própriis fácultátibus sanctam locúpletem fecérunt Ecclésiam; ut his et mílites Christi alerentur, et Ecclésiæ exornarentur, páuperes recrearentur, et captívi redimerentur. Quapropter vigilanti ac solérti curâ providéndum est his qui ejus facultátes admi-

nistrant, ne eas in suos solùmmodò usus convertant, sed magis, juxta possibilitátem rerum, Christo famulántium, immò eórum in quibus Christus páscitur et véscitur, curam gérere non négligant.

FERIA TERTIA.

Ex Concílio Cabilonensi secundo.

(Ann. 813. can. 6 et 8.)

Imputatur quibusdam frátribus, eò quòd avarítiæ causà homínibus persuádeantut abrenuntiantes século, res suas Ecclésiæ cónferant; quod pénitùs ab ómnium méntibus eradicandum est. Animárum quippe salútem inquírere Sacerdos, non lucra terréna debet. Ecclésia verò sancta non solùm fidéles spoliáre non debet, quin pótiùs inópibus opem ferre, ut necessitátem patientes, à sancta Ecclésia ut putà à pia matre et ómnium gubernatríce subsídium accípiant. Si quando Sacerdótes fruges vel quosdam réditus terræ cóngregant et prótelant, non ídeo hoc fáciant, ut cáriùs vendant et thesauros cóngregent, sed ut paupéribus témpore necessitátis subvéniant.

FERIA QUARTA.

Ex Concílio Moguntíno.

(Ann. 1549. can. 72.)

Cum Apóstolus victu adeòque ipsà vitâ indignos júdicet hómines otiósos, qui panem non labóre suo partum cum gravámine aliórum edunt; quantò graviórí indignatióni divínæ eos subjacére putandum est, qui census Ecclésiæ, sanctórum Mártyrum patrimónia, et donária piæ plebis, ad divíni ministérii sustentatiónem collàta otiósè absúmunt, pro iis débita ipsis Ecclésiis obséquia repéndere non curantes?

FERIA QUINTA.

Ex Concílio Mediolanensi primo, sub sancto Cárolo.

(Ann. 1565. Part. 2, c. 62.)

Statutum est quæ bona fidélium píctas Deo consecrávit, ea vel illórum necessitátibus honestè sublevandis, qui divínis dicáti essent obséquiis, vel Ecclésiis reficiendis, earumque ornamentis ad divínum cultum necessáriis comparandis, vel paupéribus sustentandis addicta esse. Quare cavendum ne cupiditáte prolapsi, dum vel própriis vel propinquórum et familiárium divítiis et honóribus studémus, quæ Deo dicáta sunt bona, et Ecclésiæ detrimento, et páuperum gémitu, et bonórum offensióne ad aliórum usum convertámus. Qui benefícia óbtinent, memínerint ea bona non esse sibi crédita ad luxum, neque ad augendos

consanguíneos, sed ad vitam honestè, ut pietátis christiánæ magistrum decet, traducendam. Ex eo verò quod supérerit, si necessária paupéribus alimenta denegáverint, intélligant se, quos non páverint, occidisse.

FERIA SEXTA.

Ex Concílio Toletáno quarto.

(Ann. 633. Can. 38.)

Quicumque fidélium de facultátibus suis Ecclésiæ áliquid devotióne próprià contulérunt, si fortè ipsi aut fílii eórum redacti fúerint ad inópiam, ab eádem Ecclésia suffrágium vitæ pro témporis usu percípiant. Si enim Cléricis, vel Mónachis, seu peregrínis, aut quámlibet necessitátem sustinéntibus, pro solo religiónis intúitu, in usum res Ecclesiásticæ largiuntur; quantò magis his consulendum est, quibus retribútio justa debétur?

SABBATO.

Ex Concíliis * Aurelianensi et ** Parísiensi quintis.

(* Ann. 549. Can. 13. ** Ann. 615. cap. 6.)

Ne cui líceat res vel facultátes Ecclésiis aut Monastériis aut Xenodóchiis pro quacumque eleemósyna cum justítia delegátas retentáre, alienáre, atque subtráhere. Quod quisquis fécerit, tanquam necátor páuperum (habeátur) antiquórum Cánonum sententiis constrictus.... Quod per prióra témporum spátia præceptum est, deinceps perpetuáliter observétur; hoc est, ut quæcumque fúerint Ecclésiæ delegáta, in potestátem Pontífices, Presbyteri, vel servientes sanctórum locórum ad se débeant revocáre.

CANONES PRO FESTIS.

DIE VIII. SEPTEMBRIS.

IN FESTO

NATIVITATIS B. M. V.

Ex Concílio Tridentíno.

(Anno 1547. Sess. 6. de Justificatione, Can. 23.)

Si quis hóminem semel justificátum díxerit posse in tota vita peccáta ómnia, étiam veniália, vitáre, nisi ex speciáli Dei privilégio, quemádmodùm de beáta Vírgine tenet Ecclésia, anáthema sit.

DOMINICA

Quæ antecedit

QUATUOR TEMPORA

SEPTEMBRIS.

Ex Concílio Aquensi.

(Ann. 1585. Tit. de Sacramento Ordinis.)

†Dominico illo die qui quátuor stata jejúnii Témpora, quibus Ordinis Sacramentum ministrátur, próximè antecédit, Párochi non solùm illud solemne jejúnium hujus rei causâ institútum denúntient, verùm étiam in sua unusquisque eórum Parochiáli Ecclésia pópulum éxcitet, ut illis ipsis statis jejúnii diébus frequens in oratióne purè sanctèque versétur; ut tum Epíscopus in eórum delectu quibus Ordines cónferet, Spíritûs sancti lúmine illustrétur; tum illi quibus conferuntur, in vitæ sanctitáte, doctrína, religiosisque virtútibus proficiant.

FERIA QUARTA

QUATUOR TEMPORUM

SEPTEMBRIS.

Ex Concílio Moguntíno.

(Anno 813. Can. 34 et 35.)

Quatuor Témpora anni ab ómnibus cum jejúnio observentur: jejunétur usque ad horam nonam, et à carne ab ómnibus abstineátur. Quòd si quis indictum jejúnium superbiendo contémpserit, et observáre cum céteris Christiánis nolúerit, in Gangrensi Concílio præcípitur ut anathematizétur, nisi emendáre se stúdeat.

FERIA SEXTA

QUATUOR TEMPORUM

SEPTEMBRIS.

Ex véteri Synodáli Diœcesis Albiensis.

(Auctoritate Ludovici à Lotharingia Episcopi Alb. recognit. an. 1553. Parte 1, cap. 29.)

Conferendi sunt órdines, examinatióne præcedente, gradátim non per saltum:

palam, non furtivè : cum deliberatióne seu opportúnè. Præcípimus ítaque ut nulli Clérici nostræ Diœcésis, ad álios Epíscopos sine nostra licéntia accédant pro ordínibus obtinendis; sed ad nos véniant tempóribus consuétis. Nulli étiam altérius Diœcésis, ad nos véniant ordinandi, sine lítteris veris sui Epíscopi.

SABBATO QUATUOR TEMPORUM SEPTEMBRIS.

Ex Concílio Senonensi.

(Ann. 1528. de Decretis ad mores pertin. Decr. VII.)

Quæ nonnulli, suæ ignorántiæ et incapacitátis et delictórum cónscii, fugientes exámen suórum Episcopórum, scientes se non esse ab illis promovendos, ad cúriam Románam confúgiunt, étiam absque lítteris dimissóriis eorumdem Episcopórum, et in eádem cúriâ se fáciunt promovéri ad omnes sacros órdines; per quosdam asserentes se esse Epíscopos, et habére à Románo Pontífice potestátem ordinandi, de quorum potestáte ac commissióne non appáret; tálibus, Diœcesáni non permittant executiónem suórum órdinum, nisi visis diligenter eórum lítteris : rursùs examinentur de vitâ, sciéntiâ, ætáte, ac inquirátur de benefício seu património.

IN SOLEMNITATE SS. ROSARII B. M. V.

Ex Constitutióne Gregórii Papæ décimi tértii.

(Ann. 1573.)

Animadvertentes fraternitátes omnes sub Rosárii nuncupatióne militantes, pias ad Deum preces effudisse, quas per intercessiónem Beatíssimæ Vírginis ad victóriam (de Turcis) consequendam multùm profuisse piè credendum est; óperæ prétium nos factúros esse existimávimus, si ad tantæ victória cœlitùs procul dúbio concessæ, memóriam conservandam, et ad grátias Deo, et Beatíssimæ Vírginis agendas, festum solemne sub nuncupatióne Rosárii, primâ Dominicâ mensis octóbris síngulis annis celebrandum instituerémus.

DIE I NOVEMBRIS IN FESTO OMNIUM SANCTORUM.

Ex Concílio Tridentíno.

(Ann. 1563. Sess. 25. Decret. de invocatione Sanctor.)

Mandat sancta Synodus ómnibus Epíscopis et céteris docendi munus curamque sustinéntibus, ut juxta Cathólicæ et Apostólicæ Ecclésiæ usum, à primævis Christiánæ Religiónis tempóribus receptum, sanctorumque Patrum consensiónem, et sacrórum Concilió-

rum decréta, imprímis de Sanctórum intercessióne, invocatióne, Reliquiárum honóre, et legítimo imáginum usu, fidéles diligenter ínstruant; docentes eos (Sanctos) unà cum Christo regnantes, oratiónes suas pro homínibus Deo offerre, bonum atque útile esse supplíciter eos invocáre, et ob beneficia impetranda à Deo per Fílium ejus Jesum Christum Dóminum nostrum, qui solus noster Redemptor et Salvátor est, ad eórum oratiónes, opem auxiliumque confúgere.

DIE VIII. NOVEMBRIS.

OCTAVA OMNIUM SS.

ET EORUMDEM RELIQUIARUM VENERATIO.

Ex Concílio Moguntíno.

(Ann. 1549. Can. 43 et 44.)

†Reliquias Sanctórum velut divínæ grátiæ olim receptácula, et veríssima Christi membra, et pura Spíritûs sancti domicília, monémus in Ecclésiis, vel ob id proponendas et religiósâ pietáte venerandas; ut per eas fidéles commóniti, discant virtútem et fidem Sanctórum imitári. Peregrinatiónes étiam ad certas Sanctórum Relíquias vel ob id Christiáno pópulo censémus permittendas, ut hómines ad imitandam Sanctórum pietátem et constántiam vehementióre affectu incitentur, et ut majóri devotióne se méritis Sanctórum sociári et précibus eórum adjuvári póstulent; dúmmodò sédulo cáveant pastóres ne concursus superstitiósi fiant.

DIE XXV NOVEMBRIS.

IN FESTO

S. ALANI EPISCOPI,

ubi celebratur ritu annuali.

Ex antíquis constitutiónibus Ecclesiárum orientálium.

(Tom. 2, Conc. Labb. p. 350, c. 62.)

Sanctorum Mártyrum et ómnium qui bonum certámen pro Christo ejusque orthodóxâ fide certárunt, ossa deponantur in Ecclésiis et monastériis, ut emánent ex eis sanitátes et utilitátes ægrótis, infirmis, paralyticis et indigéntibus áliis. Eórum fiat quotannis commemorátio ab universa christiána plebe: nec reputentur ut réliqui mórtui, sed máximus deferátur illis honor; quóniam amíci Dei, et Ecclésiæ diadéma et coróna: suo quippe pretióso sánguine cornu christiánæ religiónis extulérunt pro cunctis géntibus et pópulis.

Tu autem.

IN PRÆCIPUA SOLEMNITATE PATRONORUM,

UBI DEEST PROPRIUS CANON.

Ex Concílio Mediolanensi tértio, sub sancto Cárolo.

(Ann. 1573. Tit. 1.)

Quo religiósiùs íncolæ uniuscujusque Paróchiæ festum diem colant illíus Sancti Sanctæve cujus patrocínio Parochiális Ecclésia dicáta est, cohortatiónibus agat Párochus, ut ánimo piè répetant religiósas ejus sanctárum virtútum exercitatiónes; quarum méritis in cœlum ille vocátus, cùm sempiternâ glóriâ perfruátur, pro caritáte quâ abundat, eórum quorum salútis patrocínium suscépit, preces Deo offert. Die Sancti qui Paróchiæ patrónus est et custos, quò ad illíus imitatiónem magis fidéles inflammentur, id Párochus præstet, cùm frequéntior in Ecclésia pópulus adest, ut ipse aut álius in suggestu res ejus sanctè admirabiliterque gestas, morum disciplínam, pietátis stúdia ac virtútes pronúntiet.

LITANIÆ SANCTI NOMINIS JESU.

Kyrie, eléison.
Christe, eléison.
Kyrie, eléison.
Jesu, audi nos.
Jesu, exaudi nos.
Pater de cœlis, Deus, miserére nobis.
Fili, Redemptor mundi, Deus, miserére nobis.
Spíritus sancte, Deus,
Sancta Trínitas, unus Deus,
Jesu, Fili Dei vivi,
Jesu, splendor Patris,
Jesu, candor lucis æternæ,
Jesu, Rex glóriæ,
Jesu, sol justítiæ,
Jesu, Fili Maríæ Vírginis, Miserére nobis.
Jesu admirábilis,
Jesu, Deus fortis,
Jesu, Pater futúri séculi,
Jesu, magni consílii Angele, Miserére nobis.
Jesu, potentíssime,
Jesu, patientíssime,
Jesu, obedientíssime,
Jesu, mitis et húmilis corde,
Jesu, amátor castitátis,
Jesu, amátor noster,
Jesu, Deus pacis,
Jesu, auctor vitæ,
Jesu, exemplar virtútum,
Jesu, zelátor animárum,
Jesu, Deus noster,
Jesu, refúgium nostrum,
Jesu, Pater páuperum,
Jesu, thesaurus fidélium,
Jesu, bone pastor,
Jesu, lux vera,
Jesu, sapiéntia æterna, Miserére nobis.
Jesu, bónitas infiníta,
Jesu, via et vita nostra,
Jesu, gáudium Angelórum,
Jesu, Rex Patriarchárum,
Jesu, inspirátor Prophetárum,
Jesu, Magister Apostolórum.
Jesu, Doctor Evangelistárum,
Jesu, fortitúdo Martyrum,
Jesu, lumen Confessórum,
Jesu, púritas Vírginum,
Jesu, coróna Sanctórum ómnium, miserére nobis.
Propítius esto, parce nobis, Jesu,
Propítius esto, exaudi nos, Jesu,
Ab omni malo, líbera nos, Jesu,
Ab omni peccáto, líbera nos, Jesu.
Ab ira tua, líbera.
Ab insídiis diáboli, líbera.
A spíritu fornicatiónis, líbera nos, Jesu.
A morte perpétuâ, líbera.
A neglectu inspiratiónum tuárum, líbera nos, Jesu.
Per Mystérium sanctæ Incarnatiónis tuæ, líbera.
Per Nativitátem tuam, líbera nos, Jesu.
Per Infántiam tuam, líbera.
Per diviníssimam vitam

tuam, líbera nos, Jesu.
Per Labóres tuos, líbera.
Per Agóniam et Passiónem tuam, líbera.
Per Crucem et derelictiónem tuam, líbera.
Per Languóres tuos, líbera.
Per Mortem et sepultúram tuam, líbera.
Per Resurrectiónem tuam, líbera nos, Jesu.
Per Ascensiónem tuam, líb.
Per Gáudia tua, líbera.
Per Glóriam tuam, líbera.
Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi, parce nobis, Jesu.
Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi, exaudi nos, Jesu.
Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi, miserére nobis, Jesu.
Jesu, audi nos.
Jesu, exaudi nos.

℣. Confitébimur tibi, Deus; ℟. Et invocábimus nomen tuum. *Ps.* 74.

OREMUS.

Domine Jesu, cujus Nomen nemo dícere potest, nisi in Spíritu sancto; concéde, quæsumus, ut in eódem Spíritu sacratíssimum Nomen tuum invocantes salvos fácias à peccátis; Qui vivis et regnas cum Deo Patre, in unitáte ejusdem Spíritûs sancti Deus; Per ómnia.

LITANIÆ BEATÆ MARIÆ VIRGINIS.

Kyrie, eléison.
Christe, eléison.
Kyrie, eléison.
Christe, audi nos.
Christe, exaudi nos.
Pater de cœlis, Deus, miserére nobis.
Fili, Redemptor mundi, Deus, miserére nobis.
Spíritus sancte, Deus, miserére nobis.
Sancta Trínitas, unus Deus, miserére nobis.
Sancta María, ora pro nobis.
Sancta Dei Genítrix,
Sancta Virgo vírginum,
Mater Christi,
Mater divínæ grátiæ,
Mater purissima,
Mater castíssima,
Mater inviolata,
Mater intemeráta,
Mater amábilis,
Mater admirábilis,
Mater Creatóris,
Mater Salvatóris,
Virgo prudentíssima,
Virgo veneranda,
Virgo prædicanda,
Virgo potens,
Virgo clemens,
Virgo fidélis,
Spéculum justítiæ,
Sedes sapiéntiæ,

Ora pro nobis.

Causa nostræ lætítiæ,
Vas spirituále,
Vas honorábile,
Vas insigne devotiónis,
Rosa mystica,
Turris Davídica,
Turris ebúrnea
Domus áurea,
Fœderis arca,
Jánua cœli,
Stella matutína,
Salus infirmórum,
Refúgium peccatórum,
Consolátrix afflictórum,
Auxílium Christianórum,
Regína Angelórum,
Regína Patriarchárum,
Regína Prophetárum,
Regína Apostolórum,
Regína Mártyrum,
Regína Confessórum,
Regína Vírginum,
Regína Sanctórum ómnium,

Ora pro nobis.

Ora pro nobis.

Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi, parce nobis, Dómine.

Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi, exaudi nos, Dómine.

Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi, miserére nobis.

Christe, audi nos.

Christe, exaudi nos.

℣. Ora pro nobis, sancta Dei Génitrix; ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

OREMUS.

Da, quæsumus, Dómine, pópulo tuo inviolábilem fidéi firmitátem; ut, qui Unigénitum tuum in tua tecum glória sempiternum, in veritáte nostri córporis natum de matre Vírgine confitentur, per ejusdem sanctíssimæ Vírginis intercessiónem et à præséntibus liberentur adversis; et mansúris gáudiis inserantur; Per eumdem Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

INDEX PSALMORUM.

119 Ad Dominum, cum tribularer. 71
27 Ad te, Domine, clamabo. 7
24 Ad te, Domine, levavi. 45
122 Ad te levavi oculos meos. 91
28 Afferte Domino, filii Dei. 145
77 Attendite, populc meus. 77
48 Audite hæc, omnes gentes. 135

118 Beati immaculati in via 16
127 Beati omnes qui timent Dominum. 151
31 Beati quorum remisssæ sunt. 74
40 Beatus qui intelligit. 134
1 Beatus vir qui non abiit. 3
111 Beatus vir qui timet Dominum 28
33 Benedicam Dominum in omni tempore 107
103 Benedic, anima mea, Domino : Domine Deus. 33
102 Benedic, anima mea, Domino; et omnia. 88
143 Benedictus Dominus Deus meus. 152
84 Benedixisti, Domine, terram tuam. 60
91 Bonum est confiteri Domino 39

95 Cantate Domino canticum novum : cantate. 46
149 Cantate Domino canticum novum : laus ejus. 147
97 Cantate Domino canticum novum, quia. 47
18 Cœli enarrant gloriam Dei 55
74 Confitebimur tibi, Deus. 137
110 Confitebor tibi, Domine... in concilio. 27
9 Confitebor tibi, Domine... narrabo. 75
137 Confitebor tibi, Domine... quoniam audisti. 110
104 Confitemini Domino, et invocate. 35
135 Confitemini Domino, quoniam... Confitemini. 40
106 Confitemini Domino, quoniam... Dicant qui. 58
117 Confitemini Domino, quoniam... Dicat nunc 14
105 Confitemini Domino, quoniam... Quis loquetur. 37
15 Conserva me, Domine, quoniam speravi in te. 94
115 Credidi, propter quod locutus sum. 109
4 Cum invocarem, exaudivit me Deus. 30

129 De profundis clamavi ad te, Domine. 92
43 Deus, auribus nostris audivimus. 123
49 Deus deorum Dominus locutus est 66
62 Deus, Deus meus, ad te de luce vigilo. 10
21 Deus, Deus meus, respice in me. 128

69 Deus, in adjutorium meum intende. 11
53 Deus, in nomine tuo salvum me fac. 118
71 Deus, judicium tuum regi da. 56
108 Deus, laudem meam ne tacueris. 69
66 Deus misereatur nostrî. 104
45 Deus noster refugium et virtus. 147
82 Deus, quis similis erit tibi? 138
59 Deus, repulisti nos. 149
81 Deus stetit in synagoga deorum. 89
78 Deus, venerunt gentes in hæreditatem tuam. 74
93 Deus ultionum Dominus. 90
114 Dilexi, quoniam exaudiet Dominus. 51
17 Diligam te, Domine, fortitudo mea. 4
38 Dixi : Custodiam vias meas. 112
109 Dixit Dominus Domino meo. 27
35 Dixit injustus, ut delinquat. 81
52 Dixit insipiens... in iniquitatibus. 49
13 Dixit insipiens... in studiis suis. 93
140 Domine, clamavi ad te. 72
7 Domine Deus meus, in te speravi. 54
87 Domine Deus salutis meæ. 144
8 Domine, Dominus noster. 44
142 Domine, exaudi orationem meam : auribus. 145
101 Domine, exaudi orationem meam : et clamor. 126
20 Domine, in virtute tua lætabitur rex. 87
6 Domine, ne in furore tuo... Miserere. 53
37 Domine, ne in furore tuo... Quoniam. 132
130 Domine, non est exaltatum cor meum. 92
138 Domine, probasti me. 130
3 Domine, quid multiplicati sunt. 4
14 Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo? 55
89 Domine, refugium factus es nobis. 104
23 Domini est terra, et plenitudo ejus. 60
26 Dominus illuminatio mea. 105
22 Dominus regit me. 107
92 Dominus regnavit, decorem indutus est. 109
96 Dominus regnavit, exultet terra. 61
98 Dominus regnavit, irascantur populi. 48

133 Ecce nunc benedicite Dominum. 31
132 Ecce quàm bonum. 71
58 Eripe me de inimicis meis. 115
139 Eripe me, Domine, ab homine malo. 131
44 Eructavit cor meum verbum bonum. 146
144 Exaltabo te, Deus meus rex. 110
29 Exaltabo te, Domine, quoniam. 8
19 Exaudiat te Dominus in die tribulationis. 95
60 Exaudi, Deus, deprecationem meam. 116

63 Exaudi, Deus, orationem meam, cùm deprecor. 137
54 Exaudi, Deus, orationem meam, et ne despexeris. 114
16 Exaudi, Domine, justitiam meam. 139
39 Expectans expectavi Dominum. 124
80 Exultate Deo adjutori nostro. 100
32 Exultate, justi, in Domino. 95
67 Exurgat Deus, et dissipentur. 96

86 FUNDAMENTA ejus in montibus sanctis. 148

85 INCLINA, Domine, aurem tuam. 154
125 In convertendo Dominus. 52
10 In Domino confido. 93
113 In exitu Israel de Ægypto. 28
70 In te, Domine, speravi..... et eripe me. 119
30 In te, Domine, speravi... in justitia. 85

65 JUBILATE Deo, omnis terra, psalmum. 8
99 Jubilate Deo, omnis terra : servite. 11
34 Judica, Domine, nocentes me. 64
42 Judica me, Deus, et discerne. 87
25 Judica me, Domine, quoniam. 65

121 LÆTATUS sum in his. 71
145 Lauda, anima mea, Dominum. 122
147 Lauda, Jerusalem, Dominum. 103
148 Laudate Dominum de cœlis. 12
150 Laudate Dominum in sanctis ejus. 63
116 Laudate Dominum, omnes gentes. 143
146 Laudate Dominum, quoniam bonus. 84
134 Laudate nomen Domini. 42
112 Laudate, pueri, Dominum. 28
120 Levavi oculos meos in montes. 51

47 MAGNUS Dominus, et laudabilis. 148
131 Memento, Domine, David. 151
56 Miserere meî, Deus, miserere meî. 140
55 Miserere meî, Deus, quoniam. 133
50 Miserere meî, Deus, secundùm. 153
100 Misericordiam et judicium. 57
88 Misericordias Domini in æternum. 98

126 NISI Dominus ædificaverit domum. 91
123 Nisi quia Dominus erat in nobis. 51
36 Noli æmulari in malignantibus. 67
61 Nonne Deo subjecta erit. 136
75 Notus in Judæa Deus. 138

46 OMNES gentes, plaudite manibus. 47

107 PARATUM cor meum, Deus. 101

72 QUAM bonus Israel Deus. 4c
83 Quàm dilecta tabernacula tua. 106
2 Quare fremuerunt gentes. 3
41 Quemadmodum desiderat cervus. 86
124 Qui confidunt in Domino. 91
51 Quid gloriaris in malitia. 114
90 Qui habitat in adjutorio Altissimi. 31
79 Qui regis Israel, intende. 108

128 SÆPE expugnaverunt me. 129
68 Salvum me fac, Deus. 117
11 Salvum me fac, Domine. 112
57 Si verè utique justitiam. 125
136 Super flumina Babylonis. 52

64 TE decet hymnus, Deus, in Sion. 82

12 USQUEQUO, Domine. 73
73 Ut quid, Deus, repulisti in finem. 149

94 VENITE, exultemus Domino. 2
5 Verba mea auribus percipe, Domine. 81
76 Voce meâ ad Dominum... voce meâ ad Deum. 44
141 Voce meâ ad Dominum... voce meâ ad Dominum. . . . 72

PSALMI GRADUALES

SUNT QUINDECIM HIC SEQUENTES.

119 AD Dominum, cùm tribularer clamavi. 71
120 Levavi oculos meos in montes. 51
121 Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi. 71
122 Ad te levavi oculos meos. 91
123 Nisi quia Dominus erat in nobis. 51
124 Qui confidunt in Domino. 91
125 In convertendo Dominus. 52
126 Nisi Dominus ædificaverit domum. 91
127 Beati omnes qui timent Dominum. 151
128 Sæpè expugnaverunt me. 129
129 De profundis clamavi ad te, Domine. 92
130 Domine, non est exaltatum cor meum. 92
131 Memento, Domine, David. 151
132 Ecce quàm bonum. 71
133 Ecce nunc benedicite Dominum. 31

INDEX CANTICORUM PSALTERII.

AUDITE, cœli, quæ loquor. 140
Benedicite omnia opera Domini. 11
Benedictus Dominus Deus Israel. 13
Benedictus es, Domine. 102
Cantemus Domino : gloriosè. 41
Collaudate canticum. 42
Confitebor tibi, Domine. 83
Domine, audivi auditionem tuam. 120
Ego dixi : In dimidio dierum meorum. 61
Exultavit cor meum in Domino. 102
Incipite Domino in tympanis. 143
Magnificat anima mea Dominum. 30
Magnus es, Domine. 83
Miserere nostrî, Deus. 62
Nunc dimittis servum tuum. 32
Urbs fortitudinis nostræ. 121

FINIS.

PARS AUTUMNALIS.

ERRATA.

Pag.	col.	lin.	loco,	lege,
68	2	28	hereditátem	hereditáte
169	2	20, 21	vestras	vestra
208	2	14	fúerint	fúerant
210	1	10	exígnum	exíguum
228	1	13	prædicatiónem	deprædatiónem
275	2	23, 24	congregáti sunt	congressi sunt
398	2	26	vidébat	vivébat
498	1	32	thofos	thoros
503	2	11	enitúerat. Solemnis	enitúerat, solemnis
504	1	1	à quo Wisigothi	à quo témpore Wisig.
517	2	16	illo	illos
529	1	3	testátum	testátam
532	2	38	exempla	exemplo
539	1	31	sanábat	sanábit
573	2	5	in	de
581	1	16	defensiánem	defensiónem
595	2	36	mórtua fuisset	mórtua non fuisset
II	1	13	multo ægros	multos ægros
XVI	1	31	Deum munerantem	Dùm munerantem
LX	2	13	Ut scivi	Scivi

INTONATIONES ET TERMINATIONES


PSALMORUM ET CANTICORUM,

SECUNDUM OMNES CUJUSQUE MODI DIFFERENTIAS.


In hocce Breviario ad Antiphonas quisque Tonus suo numero notatur : variæ etiam cujusque Toni species, seu modi, suis litteris designantur; *Completi*, majusculis; minusculis verò *incompleti*. Modus autem *completus* ille est qui in singulis Psalmi versibus desinit in legitimam Toni sui finalem; *incompletus* verò qui, non in Psalmi versibus, sed in sola Antiphona perfectè terminatur. Solæ vocales *e, u, o, u, a, e*, infra particulares terminationum variationes, brevitatis causâ, ponuntur : inveniuntur in his verbis, *seculorum amen*, et quæcumque verba repræsentant. Duæ claves significant Tonum duplici modo oculis subjici posse.

Cùm intonatio Canticorum Evangelicorum sit eadem ac Psalmorum in Tonis imparibus, non hic specialiter notatur.


PRIMUS MODUS.



ALB.



misericordi-a ejus. Spiritu-i sancto. Et in secula



seculorum. Amen.

SECUNDUS MODUS.




Laudate Dominum omnes gentes. Credidi




propter quod locutus sum. e u o u a e



Bene-dictus Dominus Deus Is-ra-el.




Magni- ficat * a- nima.



Lauda-te Dominum omnes gentes. e u o u a e



Credi-di propter quod locutus sum.
Me- men-to Do-mine David.




Nunc di-mittis servum tuum Do-mine.


TERTIUS MODUS.



Lauda-te Dominum omnes gentes. e u o u a e




e u o u a e e u o u a e



QUARTUS MODUS.




Lauda-te Dominum omnes gentes. e u o u a e






Credidi propter quod locutus sum.
Me- men-to Do- mine Da- vid.



Lauda-te Dominum omnes gentes. e u o u a e



Lauda te Dominum omnes gentes. e u o u a e





Bene-dictus Dominus De-us Is- rael.

QUINTUS MODUS.



Laudate Dominum omnes gentes. e u o u a e




e u o u a e frumenti sati-at te.



Laudate Dominum omnes gentes. e u o u a e

In monosyllabis, etc.



Credidi propter quod locutus sum.
Memento Do- mine Da-vid.


SEXTUS MODUS.

F



Lauda-te Dominum omnes gentes. e u o u a e

F



e u o u a e

In Canticis Evangelicis.




Bene-dictus Dominus Deus Is-ra-el.

C




Lauda-te Dominum omnes gentes. Et in secula




e u o u a e

In Canticis Evangelicis.




Benedictus Dominus De-us Is- ra-el.




Magni-fi-cat anima. Magni-ficat.

C



Lauda-te Dominum omnes gentes. Et in secula




e u o u a e

In Canticis Evangelicis.




Bene-dictus Dominus De-us Is- ra-el.


SEPTIMUS MODUS.



Lauda-te Dominum omnes gentes. e u o u a e



e u o u a e e u o u a e



e u o u a e e u o u a e




e u o u a e e u o u a e

OCTAVUS MODUS.




Laudate Dominum omnes gentes. e u o u a e




e u o u a e e u o u a e



e u o u a e




Benedic-tus Dominus De-us Is-ra-el.



Magni-ficat a-nima magna qui potens est.

Hæc quatuor verba dicuntur sub eodem cantu in secundo tono.




Credidi propter quod locutus sum.
Memen- to Do- mine David.

Notandum intonationes supra notatas servari tantùm, in primo cujusque Psalmi versu; ceteros verò versus à dominante in directum inchoari; quod et observatur in Canticis Evangelicis, nisi organa pulsentur: tunc enim versus qui canuntur à Choro, eodem modo inchoantur quo primus.

Mediatio autem in iisdem Canticis eadem semper est ad singulos versus quæ ad primum. Quia verò in primo versu Cantici *Magnificat* propter brevitatem mediatio compleri nequit, in cæteris ejus versibus ad eam recurrendum est quæ ad *Benedictus* supra notatur.

NEUMATA.



MODUS INCHOANDI OFFICIUM.

Celebrans.



Domine labi-a mea aperies.



Deus in adjutorium meum intende.

Chorus.



Domine ad adjuvandum... alle- luia.


vel




Laus tibi, Domine, Rex æternæ gloriæ.

MODUS CANTANDI ABSOLUTIONES, ET BENEDICTIONES, ET LECTIONES.

Celebrans.




Pater noster. ℣. Et ne nos... tentationem.




℟. Sed libera nos à malo.

Absolutio.




Adape-riat colamus... eum. ℟. Amen.

Lector.




Jube Domne benedicere.

Benedictio.




Deus... spiritum sapienti-æ.

Lectiones.




Incipit liber Isa-i-æ Prophetæ. Visio Isa-iæ




fili-i Amos, etc.

Ad singula puncta.



Lux orta est e-is.

Si verbum desinens sit dactylicum.



Gali-le-æ gentium.

Si punctum præcedat vox hebraica non declinabilis, vel monosyllaba.




Sicut in di-e Madian.



Quod in vobis locutum est. Melchisedech.

Ad punctum interrogationis aut admirationis.



Quid clamabo? Carissima in




de-li-ci-is.

Sic terminantur.



Tu autem, Domine, miserere nostrî.

Chorus.




℣. Deo gratias.

ISAIÆ in Adventu.




Hæc dicit Dominus Deus... salvi e- ritis.

JEREMIÆ tempore Passionis.




Jerusalem, Jerusalem, convertere ad




Dominum Deum tu- um.

Pro Defunctis.




Et si mane me quæsieris, non subsis- tam.



Horror inha- bitat.


MODUS CANTANDI CAPITULA.

Celebrans.




Benedictus... in Christo Jesu.

In monosyllabis, aut vocibus Hebræis non declinabilibus.




Gaudete... enim propè est.



Melchisedech. ℣. Deo gratias.


MODUS CANTANDI ORATIONES.

Celebrans.




Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.


Celebrans.




O-remus. Deus qui nobis... Per omni- a




secula seculorum. Per Christum Dominum



nostrum. ℣. Amen


Pro Defunctis. 

Per Christum Dominum nostrum.

Celebrans. 

Benedicamus Domino. ℟. Deo gratias.


AD BENEDICTIONEM SS. SACRAMENTI.

Celebrans. 


℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit, etc.



℣. Sit nomen Domini benedictum.
℟. Ex hoc nunc, etc.



Benedicat vos omni-po-tens Deus; Pater, et




Filius, et Spiritus sanctus. ℟. Amen.


MONITUM.

Ad intelligentiam vocabulorum *Mesopycni*, *Barypycni* et *Oxypycni*, quæ ex antiquo usu Tabulis Modorum Psalmodiæ Ecclesiæ Parisiensis adnectuntur, hìc dicendum visum est inventa fuisse hæc nomina à veteribus Græcis, et ad Latinos translata, ad significandos varios situs hemitonii in Tetrachordo inferiore, seu cujus infima chorda ipsa est chorda finalis: quia ex eo situ omne cantuum genus, omnisque varietas exurgit. Hemitonium autem ab iisdem Græcis, per metaphoram, πυκνον dictum est; quia minore spatio, strictiorique intervallo designatur ac cognoscitur.

Igitur cantus primi et secundi Modi Gregoriani vocantur μεσοπυκνοι sive *mesopycni*, quia in Antiphonis utriusque Modi, ac Psalmodiis completis, vel Responsoriis, talis est chorda finalis, seu chorda in quam desinunt isti cantus, ut supra se immediatè habeat chordam uno tono distantem, posteà chordam distantem hemitonio tantùm, deinde chordam tono distantem à præcedente: quo fit ut hemitonium exurgat ex sono duarum chordarum, quæ medium Tetrachordi occupant, ut videre est in figuris sequentibus.



In cantibus verò Antiphonarum, vel Psalmodiarum completarum, aut Responsoriorum tertii et quarti Modi, hemitonii situs alius est: siquidem conficitur istud hemitonium ope chordæ finalis, seu in quam desiturus est cantus, et ope illius quæ immediatè superponitur: posteà sequitur tonus ab ista secunda chorda ad tertiam, ac rursùs tonus à tertia chorda ad quartam. Inde isti Modi vocati sunt βαρυπυκνοι vel *Barypycni*, quia hemitonium auditur in chordis gravioribus seu inferioribus Tetrachordi, ut patet ex sequentibus figuris.



Denique in cantibus Antiphonarum vel Psalmodiarum completarum, aut Responsoriorum de quinto, sexto, septimo et octavo Modo, talis est hemitonii situs (si paucos cantus excipias) ut in loco acutiori seu superiori Tetrachordi sæpè sæpiùs audiatur: quo fit ut

à chorda in quam desinit cantus, ad chordam præcedentem sit unus tonus, ab ista secunda chorda ad tertiam rursus tonus, et à tertia chorda ad acutiorem Tetrachordi, hemitonium dumtaxat. Inde Græci finxerunt nomen ὀξυπυκνος quo designârunt cantus qui *Barypycnis* prorsus oppositi sunt. Situm hemitonii indicant figuræ sequentes.

fa———	za.	ut———
mi.	la———	si. . . . .
re——— vel	sol. . . . . vel	la———
ut.	fa———	sol. . . . .

Cantus Oxypycni à recentioribus *Majores* vocantur. Mesopycni verò et Barypycni *Minores* appellantur, habitâ ratione situs hemitonii supra chordam finalem, ut apud Græcos : et ut à Mesopycnis secernantur, à quibusdam *Minores-inversi* vocantur, quia hemitonium habent infimo loco.


BIBLIOTHÈQUE UNIVERSITAIRE DROIT ET LETTRES RUE DE L'UNIVERSITÉ TOULOUSE

